

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1630
CHRISTO ET ECCLESIAE
The Gift of Joshua Bates, of London. Rec^d 17 Aug. 1835
N. Hurd Sc
BOSTON


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1630
CHRISTO ET ECCLESIAE
The Gift
of
Joshua Bates,
of
London.
Rec'd 17 Aug.
1835
N. Hurd Sc.
BOSTON.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ LIBRI XXXVII.

EX EDITIONE GABRIELIS BROTIER

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS

ACCURATE RECENSITI.

VOLUMEN DECIMUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1826.

LIBER IV.

PRÆF. *Ubi primum omnis Græciæ fabulositas, et literarum claritas effulsit.*

Epiros in universum] Ab his verbis in Manuscripto incipit caput primum. *Dalec.*

CAP. I. *Epirus.*

Thesprotiæ] Vide Strabonem lib. VII. Gerbel. l. III. Panvin. Imp. Rom. 781. Car. Sigon. de Ant. Jur. Prov. I. 9. Pancirol. super Notic. Or. c. 83. *Dalec.*

Buthrotum] Apud Livium lib. XXIX. Buthrotus amnis haud procul a Locris Epizephyriis abest. *Idem.*

Maximeque nobilitatus Ambracius sinus, faucibus spatiosum æquor, &c.] Lege: *Ambracius sinus DCC. passuum faucibus, longitudinis XXXVII. millia passuum, latitudinis XII. millia.* Is. Vossius in Melam. *Maximeque nobilitatus Ambracius sinus, faucibus spatiosum æquor accipiens*] Duo hic verba desunt, quorum alterum nobis exhibuit Salmanticense, utrumque vero apographum Toletanum. Ea sunt *D. pass.* Scribe igitur *faucibus D. passuum, spaciosum æquor accipiens;* parvo discrimine a Polybii traditione, qui *DC. passuum* has fauces esse prodit. *Pintian.*

Longitudinis XXXIX.] Uterque scriptus codex non *XXXIX.* habet, sed *XXXVII.* quod et vero propius. Nam Polybius longitudinem ejus sinus CCC. stadiorum esse ait, quæ XXXVII. M. D. passuum conficiunt. *Id.*

Reddita] Alii *edita:* (alta) ὑψηλή. Alii *reddita*, rursum adnexa continenti. Ex scopulo ejus peninsulæ in mare porrecto, amoris impatientia, Sappho præcipitem se dedit. Lælius vetus poëta: 'Seseque in alta maria præcipitem misit, Inops et ægra sanitatis Herois.' Qua de re Lilius Girald. de Poet. Dial. IX. Anacreon: ἀρθεὶς δ' ἦὖτ' ἀπὸ Λευκάδος πέτρης Ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ μεθύων ἔρωτι. Idem: τὸν ὑπέρκομπον Θηρῶσα Φάων' οἰστρῶντι πόθῳ Ῥίψαι πέτρας ἀπὸ τηλεφανοῦς, Ἀλλὰ κατ' εὐχὴν σὴν, δέσποτ' ἄναξ. Vide apud Scaligerum II. 18. adnot. jucundissimam hac de re historiam. *Dalec.*

Achelous] Acheloum primum omnium fluviorum erupisse terra crediderunt. Inde Virg. Georg. I. 'Acheloia pocula' aquæ: 'Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.' Aristophanes in Cocalo: Σαίρειν τε δῶμα τοὐμὸν, ἐκ χρυσηλάτων Τευχέων περισπείρουσαι Ἀχελώου δρόσον. Turn. XXIX. 25. *Id.*

CAP. II. *Ætolia.*

Ætolia] De hac Car. Sigon. de Ant. Jur. Provinc. I. 9. Nic. Gerbel. lib. V. pag. 123. *Idem.*

CAP. III. *Locri.*

Locri] Nic. Gerbel. lib. V. p. 121. *Dalec.*

Oppidum Delphi] Hunc terrarum Umbilicum, nempe medium prorsus, Strabo, Plutarchus, Pausanias scripserunt. Inde Sophocles in Œdip. Tyranno μεσόμφαλα μαντεῖα vocavit. Varro tamen de Ling. Lat. lib. VI. id falsum esse constanter asserit. Vide locum. Manlius vetus poëta: 'O sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum tenes.' Vide Rhodig. c. 20. 15. Plaut. in Pseud. 'si quid vis roga. Quod scribo, Delphis tibi responsum dicito.' De situ Delphorum quod dixere Ethnici, idem et nostri post-

ea de Jeruschalem seu Hierosolymis. Adrichom. in Descript. ejusdem, in princ. et Reisner. Sed et hi ad ornatum potius quam veritatem. Quid enim in orbe seu sphæra possit vel extremum vel medium dici? *Idem.*

Fons Castalius] Castaliam aquam potu dulcem a Castallio dictam quidam volunt, alii ab indigena muliere Acheloi filia. Panyasis de Hercule *Παρνησσὸν νιφόεντα θοοῖς διὰ ποσσὶ περήσας Ἵκετο Κασταλίης Ἀχελωΐδος ἄμβροτον ὕδωρ. Idem.*

Pagæ] Alii *πηγὰς* vocant. Apud Strab. VIII. 1. legendum *ἧς ἰσθμός ἐστιν ὁ ἐκ Παγῶν Μεγαρικῶν*,(non *ἐκ πόντων*,) *εἰς Νίσαιαν τὸ Μεγαρέων ἐπίνειον*. Leopard. III. 12. *Idem.*

CAP. IV. *Peloponnesus.*

Peloponnesus] Nic. Gerbel. Descr. Græc. lib. VI. et Ortel. Thes. *Dalec.*

C. princeps Domitius Nero] Refert Dion, adorto id Nerone, cruorem primum scaturiisse, mox auditos mugitus, ululatusque flebiles, visaque formidabilia spectra, et simulachra multa. Demetrium narrant, deterritum ab architectis, ab instituto destitisse, quoniam metati, ii renunciarent Corinthiacum mare altius esse quam ad Cenchras, Æginamque, et universas insulas in propinquo positas submersas iri: præterea non futurum navigabilem alveum, ob rapidam undæ celeritatem, qualis est in Euripo. Vide Rhodig. XXI. 19. *Idem.*

Infausto incepto] Quoniam, ut ait Pausanias, rebus divinitus constitutis manum injicere non licet. *Idem.*

Duo maria prospectans] Hac de causa Horatius *Bimarem Corinthum* vocat: Græci vero *Amphithalasson*, quemadmodum et Atheniensium urbem Xenoph. Mur. Var. I. 7. *Idem.*

CAP. V. *Achaia.*

Achaia] De duplici Achaia commonet Nicol. Gerbel. lib. V. Sigon. Ant. Jur. Prov. I. 9. *Dalec.*

Intus autem ipsa Messene, &c. Zancle] Sensus est: Hæc oppida non simul claruisse, sed diversis temporibus aliud post aliud effloruisse. Pleraque heroicis temporibus nobilia fuere: inter quæ post Zancle eminuit, cæteraque obscuravit, et ad ultimum Zanclen Messene, aliquanto post Peloponnesiacum bellum opera Thebanorum condita. *Gelen.*

Leuctra] Leuctra sunt Bœotiæ, nobilia clade Lacedæmoniorum profligatorum a Thebanis. Sunt et Arcadiæ et agri Laconici, quæ varietas Solino peccandi ansam præbuit. Brodæus II. 11. *Dalec.*

Atque ubi fuere Cardamyle, &c.] Legend. *Atque ubi fuere Cardamyle, Pithane, Antheia, nunc locus Thuria, Gerenia.* Salmas. p. 189.

Hermione] Ibi fuit Asylum Cereris et Proserpinæ, quo qui confugissent a nemine lædebantur, unde apud Suidam et Zenobium adagium *ἀνθ' Ἑρμιόνης*. Chthonio festo Cereri sacro apud Hermionenses taurum ferocissimum ab anu et invalida sacerdote mactandum ad aram perduci testatur his versib. Aristoph. *Δάματερ πολύκαρπε, σὺ ἐν Σικελοῖσιν ἐναργής, Καὶ παρ' Ἐρεχθείδαις· ἦν τι μέγα κρίνεται Ἑρμιονεῦσι· τὸν ἐξ ἀγέλης γὰρ ἀφειδέα ταῦρον, Ὅν τ' οὐχ' αἱροῦσιν ἀνέρες, οὐδὲ δέκα, Τοῦτον γραῦς στειχοῦσα μόνη μόνον οὔατος ἕλκει Τόνδ' ἐπὶ βωμόν· ὁ δ' ὡς ματέρι παῖς ἕπεται. Σὸν τόδε δάματερ, σὸν τὸ σθένος· Ἵλαος εἴης, Καὶ πάντων θάλλοι κλᾶρος ἐν Ἑρμιόνῃ.* Rhodigin. XXIII. 30. Leopard. V. 18. Emend. Gerbel. Græc. l. VI. p. 242. *Dalec.*

Trœzen, Coryphasium, appellatumque alias Inachium, alias Dipsium Argos] Commonendus est hic lector, locum hunc acri diligentique censura examinandum esse. Nam cognomina illa, *Hippium, Inachium, Dipsium*, quæ Plinius videtur inter duas urbes cognomines distribuere, uni tantum, hoc est antiquæ illi et celebri Argorum urbi, ab aliis scriptoribus assignantur. Nam Strabo summus auctor, libro octavo, antiquum Argos his cognomini-

bus celebratum tradit: 'Priscum, Iasium, Hippium, equorum alumnum, Dipsium.' Stephanus quoque Argos civitatem prope Trœzenem memorat, hanc videlicet quæ nunc indicatur a Plinio, Argos illud antiquum, et apud omnes nobilitatum, cognominibus his nominatum scribit, 'equorum alumnum, Dipsium, Iasium.' Quin et 'Argos Inachium' non aliud esse quam priscum illud, a flum. sc. Inacho, inter quod et alterum nomine Erasinum situm esse, non multo ante Plinius docuit, tum ratio ipsa ostendit, tum etiam Euripides in Archelao, referente Strabone. Confirmat id quoque Stephanus in dictione 'Inachus.' Quamobrem docti statuant, quid huic malo remedii adhibendum sit. Nam quod ad me attinet, puto verba hæc, *alias Inachium, alias Dipsium*, ad superiora illa pertinere: *Inter quos Argos Hippium cognominatum*. Statim enim post illa consequi volo, *alias Inachium, alias Dipsium;* ut in hoc loco scribendum omnino putem: *Trœzen, Coryphasium, alterumque Argos*. Pintian.

Portus Cænites] Prior lectio tam antiqua quam recentior *Portus Chenitas* agnoscit. Hermolaus, erasa dictione *Chenitas*, *Cænites* substituit, a Cænis, ut ipse vocat, urbe Laconiæ, ex Ptolemæo et Pausania, toto, ut aiunt, errans cœlo. Nos illi damus, ex his quos advocat auctoribus, Cænen urbem esse Laconiæ, sed nihil ad rem. Multis enim a tergo passuum millibus relicta est in sinu Laconico post urbem Tænaron Cæne. Nunc oppida indicantur sinus, secundum Strabonem Hermionici, secundum Ptolemæum Satonici. Itaque nihil ex antiqua lectione immutandum censeo. Nam quemadmodum Chelonates in Peloponneso promontorium habetur, hoc est testudineus, seu testudinarius, et Ichthys alterum, hoc est piscis; sic appellari potuit Chenitas portus, id est anserarius aut anserinus, a frequentia anserum, qui illic propter opima pascua abundarent; ut sicut in Ægypto Chenoboscia est civitas, Stephano teste, id est anserum altrix, sic in Peloponneso Chenitas seu Chenites dici potuerit ab anserum copia. Cujus mentio si apud alios auctores non invenitur, mirandum non est; nam innumerata in Plinii geographia locorum nomina leguntur, quæ non alibi temere invenias. Alioqui et Chena urbs est Laconiæ Stephano, ut, etiam si de locis ejus provinciæ hic ageretur, nihil foret ex antiqua lectione mutandum. Posset tamen hic neque *Cænites* legi, neque *Chenites*, sed *Schœnuntis*, quo nomine celebratur alter portus in hac ipsa ora, paulo post indicandus, post Cenchreas: ut sicut in ora Italiæ duo castra nova; in Africæ, duo Hippones et duæ Leptes; in Ciliciæ, duo Anemuria; ita in ora Peloponnesi, duo Schœnuntes sint portus. Sed et quod subdit idem Hermolaus, multo adhuc graviore reprehensione dignum est; ait enim (si Diis placeat) ab hac urbe Laconiæ Cæne appellatum esse Jovem Cenæum ab Ovidio, illo versu: 'Victor ab Œchalia Cenæo sacra parabat Vota Jovi.' Quasi sacrificia illa ab Hercule facta ob victoriam, et ob id charisteria dicta, in Laconia facta sint, et non in Eubœa, in promontorio Cenæo. Cujus error etsi refelli multis verbis potest, ex Strabone, Diodoro, Ptolemæo, Stephano, Thucydide, Æschylo, Sophocle, ejusque interprete, et Lycophronis enarratore Tzetze, et ex nostris, Plinio, Seneca, Solino, et aliis pluribus; tamen quia refutatus est ab aliis, qui labori nostro consuluerunt, plura dicere supersedi. Illud nolui omittere, promontorium hoc Eubœæ Diodorum et Stephanum cum *i*, in prima, et nonnunquam cum duplici *n* scribere *Cinnæum*, reliquos cum *e* longo in prima, et simplici *n*. Omnes autem cum *æ* diph-

thongo in penultima. Est etiam in septentrionali ejusdem insulæ plaga aliud promontorium, nomine 'Clenæum,' de quo Strabo decimo. Et item aliud dictum 'Caunum,' cujus etiam Strabo eodem libro meminit: quod notare libuit, ne cui nominum similitudo erroris materiam pareret. *Pintian.*

A Meridie Cretico urgetur, &c.] Legend. *a Meridie Cretico urgetur, ab Oriente solstitiali Myrtoo*, omissis illis, *ab Oriente brumali Ægæo*; quæ verba ut insitiva prorsus expungenda sunt et explodenda. *Salmas.* pag. 140. b.

Solstitiali Myrtoo] Ægæi pars est, quod paulo post auctor scribit circa finem c. 11. Pausanias ex Eubœensium fama et sermonibus a Myrto, muliere quadam, sic vocatum ait. Alii a Myrtoo Œnomai auriga, quem ab Hippodamia falso accusatum, quasi stuprare eam conatus esset, cum illa, absente Pelope, Myrtoi complexum et concubitum ultro appetiisset, Pelops in mare proximum e curru præcipitem dejecit. *Dalec.*

CAP. VI. *De Arcadia.*

Ad oppidum Lechæum Corinthiaci sinus] Utrunque scriptum exemplar non *Lechæum* habet, sed *Regium*. Scribo, *Ægium*. Oppidum est in sinu Corinthiaco, apud Geographos omnes celebre. Meminere et Aristoteles, et in Quæst. Naturalibus Seneca, de terræ quassatione disserens, et omnes. *Pintian.*

A colonia Megara] Athenienses, ut aborigenes et indigenas sese ostenderent, congestos in conum capillos, aut, mulieres ut Romanæ loquebantur, in tutulum, quod, ait Thucydides, τεττίγων ἐνέρσει, aureis cicadis, loco fibulæ, adstringebant: ac in viris quidem *crobylos* et κρωβύλη id vocabatur; in mulieribus *corymbos* et κορύμβη; in pueris scorpios. Nonnus: καὶ πολὺς ἀγγέλλων προτέρην αὐτόχθονα φύτλην Χρύσεος ἀμπλέκτῃσι κόμαις ἐσφίγγετο τέττιξ. Virg. 'Aurea solenni comptum quem fibula ritu Cecropiæ tereti nectebat dente cicadæ.' Et interpr. Aristoph. Ἱππεῦσιν p. 256. ἔθος ἦν τοῖς Ἀθηναίοις τὸ πάλαι τέττιξι χρυσοῖς ἀναδεῖσθαι τὴν κόμην· ὡς Θουκυδίδης· οὕτω οἱ εὐγενεῖς ἐφόρουν παῖδες καὶ ἄνδρες πλέκοντες τὴν κεφαλήν. *Dalec.*

Amnis Ilissos] Codex uterque, *Locus silisos*, ut forte legendum sit, *locus Ilissos*, ex Stephano, cui est *Ilissos* urbs Atticæ, ubi colerentur Musæ cognomento 'Ilissides,' Apollodoro auctore. *Pintian.*

Tanagra liber populus] Scribend. *Tanagra liber populus, et in ipsis faucibus Euripi quem facit objecta insula Eubœa, &c.* Tanagram et Aulida in ora ponit, ubi Oropum pro Tanagra debuit. *Salmas.* pag. 148. b.

Oppida celebria Hellas, Halos] Male: jam enim a multo sæculorum numero desierat esse *Hellas* urbs, et Plinius de oppidis, quæ non amplius extant, nunquam loquitur in præsenti, sed semper ait, 'interiit' vel 'fuit:' ergo legatur: *oppida celebria, Hallos, Halos*: quod quidam non concoquens mutavit in *Hellas*. Palmer.

CAP. VIII. *Thessalia.*

Thessalia] Gerbel. Descrip. Græc. lib. II. pag. 41. Pancirol. super Notic. I. 137. *Dalec.*

Almon] Est et Almon Romæ fluviolus, quo mater Deum VI. Kal. April. lavatur. Lucanus I. 'Et lotam parvo revocant Almone Cybelen.' Claudianus in Bello Gildonico: 'Prælatoque lavas Phrygios Almone leones.' Brod. II. 26. Steph. Bœotiæ urbem esse ait, Hellanicum laudans auctorem, qui tamen perperam Salmonem etiam dici velit. *Idem.*

Oppida Pheræ, quarum a tergo Pierus, &c.] Lege: *Oppida Pheræ, quarum a tergo Pieris ad Maced. &c.* Salmas. pag. 152. b.

Nemorosa convalle defluens] Aulona vocat Herodotus lib. VII. nempe angustum, oblongum, depressum locum.

Rhod. XII. 5. *Dalec.*

Intus sua luce viridante, allabitur Peneus viridis calculo] Archetypum Tolet. *Intus vero luce viridante. Allabitur Peneus vitreus calculo.* Codex Salmant. *Hac labitur Peneus, &c.* Pint. Legendum: *intus sub luce viridante adlabitur Peneus vitreis calculis; amœno circa ripas gramine, &c.* Salmas. p. 153. a.

Accipit amnem Euroton] Sic quidem Hermolaus legit ex auctoritate Strabonis. Cæterum in Strabone ego non *Euroton* invenio, sed *Eurotam*, eodem quo ille Lacedæmonius nomine. Innominatus autem scriptor apud Græcos, qui Strabonis Chrestomathias, hoc est, collectanea sive selecta composuit, vir doctus et accuratus, non *Eurotos* in Strabone, neque *Eurotas* legit, sed *Europos*, a quo magis sto: nam oppidum etiam est in Macedonia 'Europos ad Axium amnem,' de quo paulo post cap. 10. Plinius, item Ptolemæus et Stephanus. Titaresius hic ab Homero secundo Iliados vocatur. Lucanus quoque noster in sexto: 'Solus in alterius nomen cum venerit undæ Custodit Titaresius aquas.' Quo loco Hermolaus et Lucani interpretes, fraudato fluvii nomine una syllaba, 'Titaresum' perperam legunt, non advertentes, rationem versus defendi Synizesi, figura apud poëtas usitatissima. *Pint.*

Euroton] Τιταρήσιον vocat Strabo, et λιπαρὸν εἶναι scribit, ἔκ τινος ὕλης, ὥστε οὐ συμμίσγεται. Bituminosus is liquor est, cujus pinguedine innatat. Homero Iliad. B. Titaresius etiam dicitur, ut et Lucano lib. VI. Fontem hunc auctor vocat LVII. 2. *Dalec.*

CAP. IX. *Magnesia.*

Promontorium Sepias] In eo promontorio Peleum cum Thetide semel concubuisse, Achillemque genuisse, tradit Euripides. Inde nata fabula est Apollodoro, Peleum cum ea in sepiam mutata rem habuisse. Rhodig. XXIV. 6. *Idem.* In mei Apollodori Biblioth. lib. III. non nisi in varias formas mutatæ, ignis, aquæ, aut feræ cujuspiam mentio fit.

CAP. X. *Macedonia.*

Macedonia] De hac Nic. Gerbel. Descrip. Græc. lib. II. Sigon. de Ant. Jur. Provinc. II. 8. et Pancir. super Notic. I. 135. et Onuph. Panvin. de Imp. Rom. pag. 775. *Dalec.*

In ora sinus Macedonici oppidum Chalastra] Legendum ex apographo Tolet. *In ora sinus, Macedonica oppida Chalastra, &c.* Nec temere additum *Macedonica*, ob vicinitatem Thraciæ et Macedoniæ. Nam Stephanus Chalastram Thraciæ contribuit, non Macedoniæ. *Pintian.*

Pydna, Derrha, Scione] Paullo post in mentione Pallenes reddetur *Scione.* Hic non *Derrha, Scione,* sed *Crestone* legendum puto, ex Herodoto in Polymnia. Meminit etiam Stephanus. *Idem.*

Oppida, Nisos, Brygion, Eleon, Mende] Locus est corruptissimus, non minus in scriptis quam impressis codicibus. Diximus in Pomponium videri nobis legendum, *Sane, Aphitis, Scione, Mende*, ex Herodoto et Strabone in collectaneis. *Idem.*

Oppidum in cacumine fuit Acrothon] Notandum, post hæc verba subsequi debere illa, quæ per errorem paulo post ab imperitis librariis posita sunt, *cujus incolæ Macrobii cognominantur*, ex Pomponio, Luciano, Solino. *Idem.*

CAP. XI. *Thracia.*

Thracia] Panciroius super Notic. I. 132. Onuph. Panvin. Imp. Rom. p. 788. *Dalec.*

Inde Brysas, Sapæos, Odomantes, Odrysarum, &c.] Lege, *Inde Brysas, Sapæos, Odomantes. Odrysarum gens fundit Hebrum, accolentibus Carbiletis, Pyrogeris, &c.* Salmas. p. 158. b.

Hæmi excelsitas] Hæmus hodie Turcis Balkam, Sclavonibus Komnila, Kumovisa Ortel. ubi plura. *Dalec.*

Tum locus Doriscus, CXX. millia hominum capax] Sic legunt alii, sed utrumque exemplar rectius, *decem millia hominum capax.* Nota est apud Herodotum historia dinumerati a Xerxe, apud Doriscum Thraciæ, exercitus per myriadas, hoc est X. M. Ammianus quoque Marcellinus libro duodevigesimo : 'Quousque nobis Doriscum Thraciæ oppidum, et agminatim intra consepta exercitus recensitos, Græcia fabulosa, numerabis?' *Pintian.*

Dinumeravit exercitum] In eum locum singulas myriadas advocans, ut ea ratione tam numerosum exercitum recenseret, nec falleretur. *Dalec.*

Portus Stentoris] Vetus lectio, *Portus tentoris.* Hermolaus castigavit, *Portus Stentoris:* probe ; sed castigationis confirmatio non probat : 'quia Herodotus,' inquit, 'lacum in Thracia Stentoridem appellat :' quasi innuat, et lacum et portum cognomines esse, et Stentoris hoc loco rectum esse. Nos contra *Stentoris* patrium esse casum arbitramur: et dici a Plinio *Portus Stentoris,* ut a Virgilio 'urbem Patavi.' Liquet id ex Ovidio primo Tristium : 'Saltus ab hac terra brevis est Stentora petenti.' A quo loco, non aliunde, petenda fuit Hermolao castigationis suæ probatio. Hoc autem Hermolai erratum Ovidianum etiam interpretem in errorem traxit, qui 'Stentora' illic pro 'Stentorida' positum ait. Nam rationem syllabæ vis immutabilis sequentis tuetur. *Pintian.*

Ænos] Crediderim Ænea, quam Dionysius in Chersonneso Pallene scribit ab Ænea fuisse conditam : ab ea vero Æneadas vocatos, Stephanus tradit : Æneatas autem Livius et Dionysius. Turn. XVII. 6. *Dalec.*

Namque Thracia altero latere a Pontico litore incipiens, &c.] Lege, *Namque Thracia altero latere a Pontico litore incipiens, ubi Ister amnis immergitur, tres pulcherrimas in ea parte urbes habet, Istropolin Milesiorum, Tomos, Calatinque, quæ antea Cerastis vocabatur.* Vide Is. Vossium in Melam, p. 125.

Oppida, Thynnias, Almedessos] Vetus lectio, *Halmydessos.* Hermolaus *Salmydessos* emendat ex Stephano et Strabone. Sed habet prior lectio suos etiam assertores, Ptolemæum et Pomponium, item Sophoclis enarratorem in Œdipo Tyranno : qui (quod notandum est) cum *i*, in penultima, *Halmydissos* profert : quod et ipsum facit etiam Xenophon sexto ascensus Cyri. *Pintian.*

Ab eo Cherronesus CXXVI. M. pass.} Ita Hermolaus, cum antea *cerron est,* non *Cherronnesus,* scriptum esset. Cæterum Hermolai castigatio nullo modo tolerari potest. Nam si Macrontichos inde appellatus est, quod (ut paulo ante dixit) porrectis muris a Propontide ad Melana sinum procurrentem excludit Cherronnesum, necesse est ut Macrontichos prope ipsam sit Cherronnesum, vel in ipsa potius Cherronneso. Vellem igitur dicat mihi Hermolaus, si hoc datur, quomodo possit Cherronnesus a Macrontichos tot millium intervallo submota esse. Quod si non regionem Hermolaus, sed urbem Cherronnesum accipit, par ratio est. Nam quum Cherronnesus urbs in ipso sita sit Cherronnesi regionis Isthmo, auctore Stephano, et itidem Macrontichos sit in ipso Isthmo, si longo muro Macrontichos excludit Cheronnesum, qua (obsecro) parte exclusio illa fit? nempe in ipso Isthmo. Cum igitur in confesso sit et Macrontichos et Cherronnesum urbem in eodem Isthmo esse, et angustiæ hujus Isthmi sint ejusdem spacii cum Isthmo Peloponnesi, ut mox subjunget, et latitudo Isthmi Peloponnesi sit V. M. pass. ut supra retulit hoc volumine, capite quarto, consequitur ut nullo modo Macrontichos abesse a Cherronneso queat (sive regionem Cherronnesum sive urbem accipias) CXXVI.

M. pass. Quapropter expensis ad amussim, ut aiunt, supradict. Plin. locis, et item veteris utriusque codicis lectione, in qua habetur *ab eo cerron est*, adducor ut putem non *cerron* hic, sed *Serrium* legendum esse. Regreditur enim hic Plinius ad initium septentrionale Thraciæ, quod est Istri ostium, ut ab eo dinumeret locorum in ora insignium distantias, exclusa Cherronneso. Distare igitur tradit ab ostio Istri fluvii os Ponti DLV. M. et ab ore Ponti usque ad Macrontichos, hoc est Isthmum Cherronnesi, esse CL. M. et ab Isthmo per oram ipsam, exclusa Cherronneso, Serrium usque promontorium CXXVI. M. Quod mire quadrat cum præcedentibus Plinii verbis, hoc capite non multo ante: 'A Dorisco incurvatur ora ad Macrontichos, CXXII.' Nam Doriscus locus propinquus admodum est Serrio promontorio, inter ipsum positus et Cherronnesum, et ob id minus distans a Longo muro quam Serrion. Doriscus enim abest a Macrontichos, seu Longo muro, CXXII. M. passuum, ut dixit: Serrium autem, IV. M. amplius. Unde liquet Serrion a Dorisco quatuor tantum millibus pass. distare. Quod autem tenui intervallo submota a se invicem sunt Serrion et Doriscus, patet, tum ex Plinio, qui hoc capite post Serrium et Zonem subjicit statim Doriscum, tum etiam ex Herodoto in Polymnia, unde mutuatus est omnia hæc Plinius. Cujus verba, etsi alioqui (nisi summa necessitate cogente) perquam invitus id faciam, fastidio lectorum parcens, libuit hic subtexere ad majorem rei confirmationem: 'Naves quidem omnes, quæ ad Doriscum appulsæ fuerant, navarchi Xerxis jussu ad littus applicuerunt Dorisco contiguum, in quo Sale urbs Samothracum, et Zone, et ultimum ejus oræ promontorium Serrium.' *Pintian.*

Promontorium Chrysoceras] Scribe, *Chryseon Ceras.* Salmas. p. 165. b.

Oppidum Gonos] Utrumque exemplar scriptum *Ganos* legit. Hermolaus *Gonos* substituit. Nos antiquam lectionem defendimus, tum ex Xenophonte, septimo ascensus Cyri, *Ganon* eam nominante: 'Tradam,' inquit, 'ei Bisanthen, et Ganon, et novum murum.' *Pintian.*

Alius namque ibi Istmos angustia simili est, &c.] Legend. *Alius namque ibi Isthmos angustia similis, eodem nomine est: pari latitudine illustrant duæ urbes utrinque littora: haud dissimili modo tenuere, Pactye a Propontide, Cardia a Melane sinu.* Mox sequitur: *utræque comprehensæ postea Lysimachia quinque millibus passuum longis muris.* Dicit Cardiam et Pactyen Lysimachia comprehensas fuisse muris longis quinque millibus passuum. *Salmas.* p. 167. a.

Pactiæ a Propontide, Cardia a Melane sinu. Hæc ex facie loci nomine accepto, utræque compressæ] Scribendum *Pactye*, numero unitatis, ex omnibus agminatim geographis. Verba autem postrema, *utræque compressæ*, mendosissima esse arbitror, quicquid sentiat hoc loco Hermolaus: quod (pax sit dixisse) et frivolum est, et nihil colligens. Ego autem non dubitabo sententiam hic meam aperte dicere: appellent me divinum, sive quo magis nomine libuerit, modo sciant in rerum omnium cognitione, majorem partem conjectatione divinationeque constare. Puto igitur verbis illis causam assignari, cur Pactye urbs sic dicta sit, quod idem in Cardia urbe fecerat, scribendumque, *altera a compressu*, sive quod ob angustias loci domus ipsæ inter se essent compressæ et stipatæ (ut de Arado insula Strabo et Pomponius tradunt. Quantum patet, totam esse oppidum, tantamque esse habitatorum multitudinem, ut domos multis tabulatis sublimes inhabitent, et super aliena tecta sedem ponere liceat) seu quod in

ipsis Isthmi faucibus sita, compressa quodam modo et arctata sit, a verbo Græco πάκτη. *Pintian.*

Resiston ex adverso coloniæ Parianæ] *Rhedeston* forte potius quam *Resiston* legi debet, ex Ptolemæo: qui Bisanthen sic quoque cognominatam tradit, ut in Pomponium meminimus. Nam auctori, qui Antonini nomine vulgo circumfertur, quantum fidei haberi debeat, alio loco commodius disputabitur. *Pintian.*

Hecubæ tumulus, &c.] Lege: *Hecubæ tumulus, Statio Achæorum, et turris delubrum Protesilai.* Salm. ibid.

Inter Tenedum et Chium] Vetus uterque codex, *Inter Tenum et Chium;* quæ lectio placet magis quam prior. Nec me movet Solini auctoritas, qua Hermolaus innititur. Cujus scriptis (nisi Plinium transcriberet) tam parum deferrem, ut minus nequirem. *Pintian.*

Æx nomine a specie capræ, &c.] Legend. *Et Æx nomine a specie capræ, quæ ita Græcis appellatur e medio mari exiliens, cernunt eum a dextera parte Antandron navigantes ab Achaia, &c.* Vide Salmas. p. 168.

CAP. XII. *Insulæ inter eas terras, inter quas Creta, Eubœa, Cyclades, Sporades, Hellesponti, Ponti, Mæotidis, Daciæ, Sarmatiæ, Scythiæ.*

Et oppido Cassiope, temploque Cassii Jovis] Legendum forte, *temploque Cassiopæi Jovis.* Nam Cassiope Ptolemæo et oppidum et promontorium est, in quo fortasse templum erat Cassiopæi Jovis. Porro Strabo et Stephanus *Casope* enunciant, non *Cassiope.* Pint. *Et oppido Cassiope, temploque Cassii Jovis*] Illic nunc extat templum divæ Mariæ in Cassiopo, ædificatum ex ruinis Cassiopes. *Dalec.*

Same] Ab hac Samei dicuntur, ut a Samo Samii. Straboni Same civitas est Cephaleniæ. Apud Melam II. 7. Same et Cephalenia magno errore ut insulæ duæ diversæ recensentur, ac item Neritus et Ithaca, cum Neritus sit Ithacæ mons, ut patet ex hoc capite. *Dalec.*

Ægine] Eam Pericles et Pemades dicebant esse Peiræi λήμην, non, ut interpres legit apud Plutarchum, λιμένα: Samum vero civitatis ἀποῤῥῶγα: fossam, vallum, munimentum. Rhodig. XII. 6. *Idem.*

Œnone] Ab Œnone Asopi filia, ut ab ejus sorore Corcyra, Corcyra, quæ antea Scheria vocabatur. Dicta est et Œnone Oinopia. Ovidius: 'Oinopiam Minos petit, Æacideia regna.' Pindarus: σὲ δ' ἐς νᾶσον Οἰνοπίαν ἤνεγκον κύματα. Æacum Οἰνώνης βασιλέα in Nemæis. Euripides in Iphigenia: Οἰνώνης πρόμον, id est, πρόμαχον, προαγωνιστὴν, προστάτην, προηγούμενον. Ζεὺς (inquit) Αἰακὸν δ' ἔφυσεν Οἰνώνης πρόμον. Leopard. III. 8. *Idem.*

Et in Megarico sinu Methurides IV.] Stephano *Methuriades* sunt, non *Methurides:* statuitque eas prope Trœzenem inter Africam et Æginam. Cæterum quoniam Æginæ mentio occurrit, non sit mihi fraudi, opem Nasoni periclitanti ferri contra Hermolai auctoritatem, depravare illum volentis. Nam Hermolaus, ubi paulo ante Plinius hujus insulæ meminit, castigare volens Ovidianum illum versum sexti Transformationum, 'Œnopiam veteres appellavere, sed ipse Æacus Æginam,' &c. 'Œnonem' dicit in Ovidio legendum, non 'Œnopiam.' Nos ei damus, 'Æginam' appellatam esse 'Œnonem,' passim id scriptorum magna asserente caterva, sed non ideo concedemus 'Œnopiam' appellatam non esse. Potest enim locus unus, quod frequentissime contingit, duo et plura habere nomina. Æginam autem appellatam esse Œnopiam, auctor est Pindarus, sic Æginam alloquens ultimo Isthmiorum Idyllio: 'Te autem in insulam Œnopiam ducens cognovit, ubi peperisti divinum Æacum gravitonanti patri, præstantissimum omnium mor-

talium.' Lapso etiam in eundem errorem Ovidii enarratore. *Pintian.*

Dosiades eam a Creta Nympha Hesperidis filia, &c.] Lege ac interpunge: *Dosiades eam a Crete Nympha, Hesperidis filia Anaximander, a rege Curetum Philistides Mallotes: Crates Aëriam primum dictam, &c.* Dosiades, qui Κρητικὰ scripserat, Cretam a Crete Nympha indigena scil. vocatam dixerat. Anaximander a Crete Hesperidis filia; alii a Crete Jovis et Idææ Nymphæ filio. Vide Salmas. pag. 169. b.

Apteron] Inter Apteron et mare Μουσεῖον locus fuit, in quo Sirenæ cum Musis contenderant, quæ a Musis victæ, doloris impatientia ab humeris alis remotis, et abjectis, in mare dederunt se præcipites, unde ἀπτέρου nomen, uti refert Stephan. Unde et Ausonius in Grypho seu Idyll. XI. 21. 'Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ, Ter tribus ad palmam jussæ certare Camœnis, Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.' Eademque de re Eustath. super Iliad. A. p. 64. Paulo aliter tamen Pausan. Bœot. p. 308. *Dalec.*

Eodem tractu Ophiussa, Butoa, Rhamnus] Vetus lectio, *Ophiussa, Buto, Aranus:* lego *Aradus*, non *Aranus*, ex Stephano, qui tres celebrat Arados insulas: Phœnices unam, de qua supra: alteram in mari rubro. Tertiam prope Cretam. *Pintian.*

Tres Musagores appellatæ] Legendum, *tres Musagoræ appellatæ;* aut certe, ut vetus fere habet lectio, *tres Musagorus appellant*, ut sit *Musagorus* accusandi casus Græcus. Nam in Pomponio etiam libentius legerem, 'Et quas Musagorus numero tres uno tantum vocabulo appellant.' Hoc enim melius quam quod Hermolaus ait. *Idem.*

Ceos] In hac insula Strabo refert, vetusta consuetudine, sexagenarios potos et coronatos, spectantibus necessariis, sacro peracto, cicuta haustа, κωνειαζομένους, quam a necandi celeritate quidam ἐφήμερον vocant, mortem sibi consciscere. Rhodig. XVIII. 31. Menander, καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐστι, Φανία· Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς. Meminit et Ælianus Hist. lib. III. et Stephanus in dictione Ἰουλίς. Idem fere mos senes sexagenarios Tiberino e ponte deturbandi apud priscos Romanos olim quorundam de sententia obtinuit: unde et Depontani vocati sunt. Vide apud Fest. Sexagenar. ap. Nonium dictionem 'Casnares,' pro qua corrupte legitur 'Carnales.' De Ceo insula hæc leguntur apud Strab. l. IX. 'Ceos quaternas continet urbes, inde Tetrapolis vocitata. Duæ vero restant, Carthæa scilicet, et quam Iulidem appellant: ad quas reliquarum habitatores concurrerunt: Carthæam quidem a Pœeessa, Iulidem vero e Corisia.' Ex Iulide oriundus fuit Simonides primus auctor condendorum carminum. *Dalec.*

Tam modico interfluente euripo, ut ponte jungatur] Uterque codex, *et tam modico.* Toletanus vero *ponto* legit, non *ponte:* ut non absurde legi queat: *ita modico interfluente euripo, ut ponto jungat.* Pintian.

Geresto ad Atticam vergente et ad Hellespontum Caphareo insignis, a septentr. Cenæo] Puto erratum esse in ordine verborum, concipiendaque esse ad hunc modum, partim ex vetustis codicibus, partim ex conjectura: *Gerasto ad Atticam vergente; ad Hellespontum Caphareo; a septentrione Cenæo insignis.* Pint.

Scyros] A Scyro vate nominata fuit, qui ad Eleusinos cum Erechteo bellum gerentes ex Dodone profectus in prælio occidit, cum in Phalaro Palladis Scyradis sacellum ædificasset. Rhod. XXVIII. 23. *Dalec.*

Delos] Delos Apollinis et Dianæ natalis, quos Latona Titani filia ex Jove peperit. Manilius apud Varronem: Deli gemellos creta Titano

Deos Latona peperit casto complexu Jovis: *Διὶ φιλότητι μιγεῖσα. Scal.* Illic fuit ara cornea, quam inter septem orbis miracula recenset Martial. I. 1. 'Dissimulatque Deum cornibus ara frequens.' Vide Politian. Miscell. c. 52. et Callimach. Hymno Apoll. vs. 62. et Diog. Laërt. lib. VIII. p. 313. et ibi Hortibon. *Idem.*

Quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem. Mutianus prodidit bis concussam] Delum immobilem mansisse, ex quo Apollo et Diana in ea nati sunt, omnibus compertum est, vulgatis etiam de ea re Maronis versibus: 'Quam pius arcitenens, oras et littora circum Errantem, Mycone celsa Gyaroque revinxit, Immotamque coli dedit, et contemnere ventos.' Quo in loco multa Servius. Longa item ejusce rei commentaria apud Herodotum in libro cui Titulus Erato, citato oraculi versu: 'Movebo Delum, immobilem quamquam.' Et longior apud Senecam sexto Naturalium Quæstionum. His prædictis, videntur mihi Pliniana verba sic scribenda: *Quæ diu fluctuata, ut proditur, sola terræ motum non sensit. At M. Varronis ætate Mucianus prodidit bis concussam;* stipulante etiam Toletano archetypo, in quo *At* legitur, non *Ad*. Nam si accipiamus Delum, a quo tempore immobilitate donata fertur, immunem terræmotus usque ad M. Varronis ætatem durasse, necesse habebimus crimen falsi intendere, tum Herodoto, qui allegato libro scribit, quo tempore Datis exercitum duxit adversus Græciam, Delum concussam esse, præsagium videlicet futurarum Græciæ calamitatum, (Datin vero multo ante M. Varronis tempora fuisse, nemo est qui ignoret,) tum etiam Thucydidi, qui secundo belli Peloponnesiaci Delum ait circa ejus belli tempora tremuisse. Item Callistheni philosopho, qui inter multa prodigia, quibus denunciata est duarum urbium Helices et Buræ eversio, maxime notabilia fuisse prodidit columnam immensi ignis, et Delon agitatam. *Pintian.*

Phocussa, Phæcasia] Potest quidem defendi *Phocussa*, ut denominata sit a Phocis, sicut et Phocæa Ioniæ urbs, auctore Stephano. Sed magis est, ut legatur *Phacussa* a lente, quasi lentaria, ut in fine quinti 'Erebinthos,' hoc est ciceraria. Agnoscit etiam Phacussas insulas Stephanus. *Pintian.*

Tantundem ipsa in longitudinem patens] Recentiores patere XXX. milliarium longitudine affirmant; et circuitu LXXX. *Dalec.*

Ios a Naxo XXIV. millia passuum] Omissa est hoc loco, incuria librariorum, *Scyros* insula: quæ res Hermelao causa allucinandi fuit. Scribendum igitur *Scyros, Ios, &c.* ex utroque antiquo exemplari. Alioquin infra, ubi in sinu Pagasico Plinius memorat eam, male subjecisset, *Cycinethum et Scyrum supradictam*, cum antea nulla ejus præcessisset mentio. *Pintian.*

Thera] Callimach. apud Strabonem lib. XVII. Καλλίστη τὸ πάροιθε, τὸ δ' ὕστερον οὔνομα Θήρη, Μητὴρ εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης. *Dalec.*

Peparethum] Inde vinum Peparethium apud antiquos nobile. Athen. *Dalec.*

Lemnos] Vulcano sacra. Papinius: 'Ægæo premitur circumflua Nereo Lemnos, ubi ignifera fessus respirat ab Ætna Mulciber.' De fumantibus ejus collibus Flaccus: 'Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris Saxa jugis fumant, coquiturque vaporibus aër.' Dionysius: 'Et celsa Scyros, Peparethus, sacraque Lemnos: Fertilis atque Thasos, simul Imbros: post Corybantum Mœnibus antiquis Samothracia cernitur alta.' *Idem.*

Dardaniam] Dardania Leucadia quoque vocata fuit, quod procul in-

tuentibus albicet: deinde Thracia ab incolis Thracibus, ac tandem Samothracia; quoniam post Thraces Samii in ea habitavere. Vide Rhodig. XXI. 48. et Ortel. Onomast. seu Thes. Samos. *Idem.*

Constrato in navibus ponte] Sic quidem habet omnis scripta et excusa lectio. Sed vix possim verbis exprimere, quam a meo abhorret animo hic in Plinio loquendi modus, vulgaris adeo et plebeius. Proinde scribetur fortasse magis e dignitate et gravitate Pliniana, 'Constrato navibus ponto,' ut Juvenalis illud: 'Constratum classibus iisdem, Suppositumque rotis solidum mare credimus.' *Pintian.*

Porrigitur inde tenuis Euripus LXXXVI. M. pass. spatio ad Priapum, &c.] Lege, *Porrigitur inde tenuis Euripus CXXXVI. M. pass. ad Priapum urbem Asiæ, qua magnus Alexander, &c.* Nec enim urbem Priapum transcendit, sed mare ad illam urbem. Salmas. 184. b.

Cimmerius Bosphorus id os vocatur, M. M. D. passuum latitudine] Hermolaus, *III. M.D.* ex Polybio legendum censet. Sed habet impressa lectio suos assertores. Strabo libro septimo: 'A Myrmecio autem stadiis bis totidem vicus abest Parthenium, qua ingressus est angustissimus stadiorum XX. Cui opponitur vicus Achilleius nominatus in Asia.' Adstipulatur etiam apographon Toletanum, in quo *II. M.D.* propalam habetur, non aliter. *Pintian.*

Ab ostio ponti Apolloniam, CLXXX. VIII. M.D.} Corrigo *CLXXXVII. M.D.* ex utroque exemplari: nec aliter constaret ratio calculi infra scriptorum numerorum. Pari ratione quod sequitur paulo post. *Idem.*

Ad Panticapæum extremum in Europæ ora, CCXXII. M.D.] Corrigend. ex eisdem exemplaribus, *CCXII. M. D.* Cæterum res est æstimatione digna, cur Plinius dicat Panticapæum extremum esse in Europæ ora. Nam cum Europæ ora protendatur ad Tanais usque ostia, qui duas continentes disterminat, Asiam ab Europa, Panticapæum extremum esse in Europæ ora falso falsius est: monstrante id vel Ptolemæo libro tertio, qui post Panticapæon septentrionem versus statuit in ipsa ora, Myrmecion, Parthenium, Zenonis Cherronnesum, Heraclion, Nova mœnia, Lianum, Acram, Hygrin, et postremo Cardeam prope Tanais occidentale ostium. Quapropter non *Europæ ora* puto hic legendum, sed *Euripi ore:* appellat enim Bosphori longitudinem Euripum, ut supra de Bosphoro Thraciæ hoc ipso capite, 'Porrigitur inde tenuis Euripus LXXXVI. M. pass. ad urbem Priapum.' Quod autem Panticapæum situm sit in ore ipso aditaque Bosphori, præter Ptolemæum docet Plinius in sequentibus: 'Restat,' inquit, 'in ipso Bosphori introitu Panticapæum:' et Strabo in septimo: 'Tellus alia deinceps fertilitate conspicua est, usque ad Panticapæum Bosphoranorum metropolim. Ea vero in ostio Mæotidis sita est.' Et paulo post idem Strabo: 'Os ipsum Mæotis Bosphorus appellatur Cimmerius: ejus vero initium ab ampliore latitudine ad stadia LXV. ubi ex Panticapæis locis ad Phanagoriam propinquissimam Asiæ civitatem inchoavit; terminatur autem ad angustissimum Euripum.' Hæc Strabo. Appellat autem *Panticapæum* extremum Ponti oppidum: de Ponto enim et ejus mensura hic agitur. Mæotis vero non continetur Ponti nomine. *Pintian.*

Abnobæ] Mss. *Arnoba.* Abnobii montes Hercinia pars. *Das Hessische Gebirgte.* Arnoba convenit magis loco scaturiginis, quem vocant *uff der Ear.* Fons ejus non procul abest ab *Eschingen* pago. Mox ab origine recipit rivos duos, alterum *die Prigen*, a quo vicinus tractus *Pregena* dicitur: alterum *die Bregen.* Hero-

dotus scripsit, eum ἄρξασθαι ἐκ Κελτῶν, καὶ Πυῤῥήνης πόλιος, ubi fortasse legendum Πρυγήνης χώρας. *Dalec.*

Ac per innumeras lapsus gentes Danubii nomine, immenso aquarum auctu: et unde primum Illyricum alluit, Ister appellatus, LX. amnibus receptis, &c.] Cui non subolet hæc verba a proprio et vero revulsa ordine, in insulsum ineptumque discessisse? Nam compares materiæ separantur, conjunguntur dispares, Danubii nomen cum auctu aquarum, Istri appellatio cum amnibus receptis. Legatur igitur meo periculo sic: *Ac per innumeras lapsus gentes Danubii nomine, et unde primum Illyricum alluit, Ister appellatus, immenso aquarum auctu, sexaginta amnibus receptum, &c.* Pintian.

Peuce insula] Sic vocata a Basternis Peucinorum montium accolis, qui eam occuparunt. *Dalec.*

Naracustoma] A congelatis et stupidis piscibus, quorum ibi capitur maxima copia. *Arecostoma* legendum ait Hartung. Decur. II. num. 2. *Id.*

Tertium Calostoma] Lege *Tertium Calon stoma juxta insulam.* Et paulo post, lege: *Boreon stoma, et Spilon stoma*, i. *Psilon stoma.* Et paulo post, pro *dulcemque intelligi haustum*, scribe, *dulceque intelligi haustu.* Salm. p. 186. a, b.

Et insula Conopon diabasis] Locus est corruptissimus, et tantum non conclamatus. Auguror tamen mentionem fieri Cones insulæ ad Istri ostia, de qua in tertio Lucanus: 'Et barbara Cone, Sarmaticas ubi perdit aquas.' *Pintian.*

Daci Romanis dicti] Erroneam hanc opinionem ostendere conatur Delr. super Sen. Trag. par. ult. pag. 332. et 384. Discrimen inter Dacos et Danos explicat. *Dalec.*

Sarmatæ] Straboni Getæ ad Pontum, orientem versus, circa ostium Danubii sedes habent: Daci vero ad Istri fontem in Germania usque ad ejus præcipites decursus sive cataractas. Utriusque tamen gentis sermo idem est. Vide supra II. 26. Sarmatæ in Europa, Poloni. Sarmatæ Asiatici inter Tanaim hodie *Tana*, et Coracem, hodie *Copa*, fluvios siti, hodie *Abgasti.* Idem.

Iazyges] Hungarorum vulgus adhuc hodie eos appellat *Iaz* voce decurtata. *Idem.*

Amnis Tyra] Nuester Moldaviæ, qua mare ingreditur, supra Turla. *Dalec.*

Tumulo ejus viri clara] Translato in eam herois corpore, a matre Thetide. Eadem et Phaenna dicitur, quasi φαεινή, et Alba, ardearum albarum multitudine: nec, ut quidam censent, alia est quam Achillis Dromos. Vide Rhod. XIV. 4. et Melam II. 1. *Idem.*

Enœcadloæ vocantur incolæ] Est vocabulum Græcum ab ἐν, id est, *in*, οἶκος *domus*, καὶ ἀλᾶν, *vagari*, quod domibus curruі impositis oberrent et vagentur. *Idem.*

Sex oppida Charaseni, Assyrani] Scribe, *Characeni, Lagyrani*, a Charace et Lagyra oppidis, quæ Ptolemæus simul memorat in ora Tauricæ Chersonesi. *Pintian.*

Clauduntur ab occidente Cherroneso, ab ortu Scythis Satarchis] Utrunque exemplar: *Clauduntur ab occidente Cherroneso nec ab ortu Scythis Satarcis.* Lego: *Cluduntur ab occidente Cherronneso. Ea habitatur Scythis Satarchis.* Quo de loco plura diximus in Pomponium. *Idem.*

Panticapæum Milesiorum a Theodosia, M. XXXV.] Fœda numeri depravatio. Nam Strabone auctore in VII. Panticapæum circiter DXXX. stadia distat a Theodosia, quæ colligunt LXVI. M. CCL. pass. Toletanum apographon, *LXXXVII. D.* Pint.

A Cimmerio vero oppido trans fretum sito, II. M. D. ut diximus passuum] Miretur quis magno jure, qua ratione hic Plinius opponat Panticapæum Cimmerio, cum Panticapæum sit in introitu ipso et initio Bosphori, ut

paulo antè ex Strabone et Plinio probavimus, Cimmerium autem in parte Asiæ, in summa ostii parte, quod libro sexto, capite sexto, Plinius docet his verbis: 'Ultimoque in ostio Cimmerium, quod antea Cerberion vocabatur.' Nam Panticapæum Hermonassæ opponi debuit, secundum Plinium eodem libro et capite, et Ptolemæum libro quinto: secundum Strabonem vero libro septimo, Phanagoriæ. Deinde inter Panticapæon et Phanagoriam LXX. stadia esse prodit idem Strabo eodem libro: hoc est M. passuum VIII. DCCL. deambularique id fretum plaustris nimio rigore, usque adeo ut cœnum fiat et via, quod Plinius statim etiam affirmat: 'Hæc ibi,' inquit, 'latitudo Asiam ab Europa separat, eaque ipsa pedibus plerunque pervia, glaciato freto.' Angustissimum autem Euripum esse Strabo ait, XX. stadiorum inter Parthenium Europæ vicum, et Achilleum Asiæ etiam vicum. Quare verba hæc Plinii magna et audaci curatione indigent. Nam et permutanda sunt verba, et corrigenda. Non omnino itaque male legi ad hunc modum posset, 'Ab Hermonassa vero oppido, ut dicemus, trans fretum Cimmerium sito, IX. M. pass.' ut verba illa, 'ut dicemus,' referantur ad librum sextum, et caput item sextum, ubi de Hermonassa Asiæ oppido trans fretum sito fit mentio. *Idem.*

Bosphori Cimmerii latitudo, XII. M.D. passuum] Scribendum videtur, *Bosphori Cimmerii longitudo, XII. M.D. pass.* Sic enim lego, non *latitudo*. De qua cum statim ante dictum sit, consequens erat ut longitudinem indicaret. Sed adhuc longitudinis numerum non puto vacare errore. Nam teste Strabone undecimo, et Ptolemæo quinto, itemque Stephano, alterum Bosphori aditum, hoc est septentrionalem, vicus obtinet Achilleum nomine, alterum vero a meridie Coricondame vicus. Porro ab Achilleo (ex eodem Strabone) usque ad Satyri monumentum, stadia sunt XC. cui proximus est vicus Patreus, a quo ad Coricondamen stadia sunt CXXX. Colliguntur igitur stadia omnia ab Achilleo ad Coricondamen circiter CCXXX. quæ ad passus redacta fiunt XXVII. M. D. longitudo videlicet Bosphori Cimmerii. Ex supputatione autem Ptolemæi colliguntur stadia CCCLXXV. nam inter parellelas utriusque loci lineas intersunt partis unius magni circuli quadrantes tres. *Idem.*

Geloni] Geloni arcu præliari solebant. Statius in Achillem: 'Quo Magetæ sua gæsa citent, quo turbine cæstum Sauromates, falcemque Getæ, arcumque Gelonus Tenderet.' Had. Jun. I. 2. *Dalec.*

Riphæi montes] Moschovitæ hodie vocant *Semnoi Poyas*, id est, mundi cingulum. *Idem.*

Hyperboreos] Iuugros et Vogolicos hodie vocari multi credunt. Permiis, Pecerris, Pinnagis ii contermini sunt. Annosum degunt ævum, hoc est, ex Strabonis sententia, mille annos vivunt. Antimachus Hyperboreos eosdem esse putat cum Arimaspis monoculis Herodoti. Strabo credit ex historia Scythica Homerum Cyclopas induxisse. Damastes, libro de Gentibus, ultra Scythas Isedonas esse tradit: post hos Arimaspos: ac deinde Riphæos montes, ultra quos, Hyperboreos quæ mari vicina sunt tenere, et ab eorum tractu flare Boream. Matth. a Michaw omnia hæc fabulosa esse testatur, ipse oculatus testis. *Idem.*

Ibi creduntur esse cardines mundi, extremique siderum ambitus] Hic locus ita distinguendus: *Ibi creduntur esse cardines mundi, extremique siderum ambitus, semestri luce, et una die Solis adversi, non ut imperiti dixere, ab æquinoctio verno in autumnum: semel in anno solstitio oriuntur in his Soles, brumaque semel occidunt.* Semestris lux illis

una dies est, solemque adversum habebant, ut Pomponius scribit, quem Plinius reprehendit, ab æquinoctio verno in autumnum: ut ipse Plinius mavult, ab solstitio in brumam. Vide Salmas. Plin. Exercit. p. 207.

Regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens] Lege: *Regio aprica, felici a se temperie, omni flatu noxio carens:* multæ autem regiones per se, situque ipso satis temperatæ, quæ tamen noxiis afflatibus infestantur. Hyperboreorum vero regionem tum a se felicis esse temperiæ et fertilem, tum omni noxio flatu carere. *Salmas.*

Mors non nisi satietate vitæ, epulatis delibutisque, &c.] Legend. *Mors non nisi satietate vitæ, epulatis delibutisque, serio luxu, ex quadam rupe in mare, &c. serium luxum* quare appellet, vide Salmas. p. 208. b.

Quidam eos in prima parte Asiæ litterum posuere, non in Europa, qui sunt ibi similitudine et situs, Atacorum nomine] Quæ sunt turpiter inquinata. scribe: *quia sunt ibi simili habitudine et situ gens Attacorum nomine:* quidam leg. *simili consuetudine.* Salmas.

Qui alibi quam in semestri luce constituere eos] Sic legend. tollendo *non.* Salmas.

Serere matutinis, meridie metere] Per jocum hoc dictum est; nam cum semestris eis lux sit unica dies, matutinum primos duos menses intelligimus; meridiem, extremam partem sequentium duorum; vesperam autem ultimos reliquos. *Dalec.*

CAP. XIII. *Insulæ Ponti.*

Citra Istrum Apolloniatarum una LXXX. M. a Bosphoro Thracio ex qua M. Lucullus Capitolinum Apollinem advexit] Ita loquitur quasi plures sint insulæ Apolloniatarum. Ex Apollonia Ponti urbe simulacrum illud sive colossum Apollinis Capitolini a Lucullo translatum fuisse, idem Plin. alio loco memorat. *Salm.*

Cephalonesus, Rhosphodusa] Scribendum cum duplici *n*, *Cephalonnesus*, ut notatum est: et *Rhodussa* lego potius quam *Rhosphodusa*, ex Stephano in dictione *Schimissa.* Est etiam eodem nomine insula prope Caunum urbem Cariæ Plinio, ut postea constabit, et item urbs Argivæ regionis Stephano. *Pintian.*

Septentrionalis oceanus, Amalchium eum Hecatæus appellat] Vacillat hæc sententia ob inversum, ni fallor, verborum ordinem. Puto sic scribendum: *Septentrionalis oceanus a Parapamiso amne, qua Scythiam alluit. Amalchium eum Hecatæus appellat, quod nomen ejus gentis lingua, &c.* Pintian.

Mortuum mare] Apud Senecam Epistola LXVIII. Demetrius Stoicus vitam securam, et sine ullis fortunæ incursionibus festive et eleganter mare mortuum vocat. *Dalec.*

Cronium] Cronii maris meminit Eustathius: 'Post Scythas,' inquit, 'qui mari Cronio vicini Caspium accolunt, Unni sunt, quos Sinocatus historiographus Turcos a Persis vocari tradit, ad orientem vernum spectantes.' Cronium dictum putat Rhodig. XII. 6. a frigoris immanitate, cui præest Κρόνος, id est, *Saturnus.* Ego vero a Cronlandia, provinciarum ultima in eo tractu, voce illis nationibus usitata, sed a Græcis depravata. Cronium mare dictum etiam Hadriaticum, vel a Saturno, qui in Italia regnavit, vel a Chrono insula, Apollonius Argon. IV. ostendit. Lycophronis interpres Ionium sinum et Cronium vocatum fuisse, id est, Saturnium, tradit. *Idem.*

Fanesiorum aliæ] Fanesios et Sarmalos Pomponius vocat: Strabo ἐνωτοκοίτους, quod dormituri auribus, ut lecto, incubent. 'Panotii' (inquit Isidorus) 'apud Scythas esse feruntur, tam diffusa aurium magnitudine, ut eorum totum corpus contegant.' Panotii dicti sunt a πᾶν καὶ οὖς. Turn. Advers. VI. 19. Vide de his Rhod. III. 29. Horum etiam mentio fit

postea VII. 2. *Idem.*

Ingævonum] Lege, *Inguæones.* Vide Salmas. p. 229. b. *Ab gente Ingævonum, quæ est prima inde Germaniæ, Sevo mons*] Et hic rursus idem erratum esse puto, præposteri verborum situs. Scribendum arbitror: *Ab gente Ingævonum, quæ est prima Germaniæ. Inde Sevo mons.* De Ingævonibus, capite sequente. *Pintian.* *Ingævonum*] Beatus Rhenanus hanc vocem interpretatur dicens, *Wic,* aut *Vig,* Saxonum lingua, et eorum qui mare accolunt, sonare maris aut fluvii sinum: *Wonen* seu *Wohnen* vero (ut et Germanica communi lingua) habitare. Unde *Wigwoner,* seu, ut Belgæ enunciant, *Wigwoners,* Wigævones maris accolæ, quos Ingævones Latini vocaverunt. Hanc opinionem quoque Beuther. in sua commentat. super Tacit. de Mor. German. transtulit. Sed erroneam esse judicat doctiss. Hadr. Jun. Hist. Bat. p. 337. dictosque fuisse Istævones ab Germanico *Ost* seu *Estwoners,* hoc est, ad ortum incolentes. Sed et de seq. cap. mendo quodam, quod nos sustulimus, commonuit. *Dalec.*

Item Glessaria, a succino militiæ appellata, a Barbaris Austrania] Legend. *item Glesaria a succino militi appellata, barbaris Austravia.* Genus loquendi Plinianum, *militi appellata,* id est, appellata a milite. *Salm.* p. 234. a.

CAP. XIV. *Germania.*

Rhetiæ] Rhenanus dicit hæc non esse a superioribus distrahenda: siquidem cum iis necessario cohæreant usque ad hæc verba: Germanorum genera quinque. Atque his verbis incipit c. 14. *Dalec.*

Vindili] Sive Vandali, a vocabulo Germanico *Wandeln,* quod peregrinari. Inde Vandali advenæ, peregrini homines. Eorum sedes in Polonia ad caput Vistulæ. Megalburgenses, Pomerani, Pruteni, Marchia, Saxoniæ pars. *Idem.*

Ingævones] Indigenæ, aborigenes. autochthones, *Innwohners.* Hodie Frisii, Dani, Holsati, Ditmarsi, Westvali, Saxoniæ pars maxima. Vide cap. præced. *Idem.*

Istævones] Qui ad Istrum habitant. *Westwoners,* occidentales. Ii sunt Sicambri, Batavi, Mattiaci, Tencteri, Bructeri, Usipetes, Chamani, Angrivatii, Tubantes, Bosactori, Vangiones, Nemetes, Ubii pars Saxoniæ, Franci, Suevi, Danubii et Rheni accolæ. *Idem.*

Hermiones] Bellatores. Horum sedes incolunt Turingi, Misnenses, Boiemi, Lusatii, Silesii, Moravi, pars Polonorum. Hermiones, olim Hertwoners, ab *hert* seu *Erdt,* terra, propinqui Danubio. Had. Jun. supra a nobis adducto in loco dictos putat *ther-mitd-woners,* hoc est, in medio incolentes, seu *Hertdmitwoners,* hoc est, telluris meditullium insidentes. *Idem.*

Chatti] Ad hos addendi sunt, ex sententia Melancht. Narisci, Marcomanni, Ligii, Arii, Elisii, Quadi. *Idem.*

Basternæ] Bastarnarum et Jazygum nomine comprehenduntur Walachi, Lituani, Ruteni, Westarnæ occidentales aratores, coloni, agricolæ. Peucini ii dicti sunt quia Peucen insulam ad ostia Danubii positam occupassent. Melanch. IV. Chronicorum. *Idem.*

Guttalus] Guttalus Ptolemæo Viadrus, Odera, *die Oder.* Visurgis, *Weser.* Alluit is civitatem Saxoniæ Hamelen. Labitur in *Aller* fluvium, ad oppidum *Verden,* supra *Bremen.* Dalec. Quod Dalec. Guttalum ait Viadrum dici, erroneum asserit Ortel. Viadumque, seu Οὐίαδον dici. *Dalec.*

CAP. XV. *Insulæ in Gallico Oceano.*

Cauchorum] Cauchi, aliis *Cadsant:* aliis *Walcheren,* prope Meydelburgum. Melancht. Cauchos minores esse tradit ad Bremam et Wisurgim: majores, ad Luneburgum et veterem Marchiam. *Idem.*

Marsatiorum] Seelandos vocant, quasi maritimos homines. Sturii, *Staveren*. aliis *Snithewt*. Frisiabones, *Fredeborch land*. Idem.

Modicum nomini suo custodiens alveum] Mallem scriberes, *nominis sui*. Sciendum tamen in Apographo Toletano omnia supra scripta verba minime legi. *Pintian*.

CAP. XVI. *Britannia et Hibernia*.

Britannia] A *Brith*, vetusta gentis lingua, quicquid depictum coloratumque est significante, et *tania* regio. Ita ut sit Brithtania Βριττανία, seu ut Græci perperam Βρεττανία, Brithonum, hoc est, pictorum, regio. Notus autem eruditis ex Cæs. Mela, auctore nostro, aliisque scriptoribus mos veteribus hujus vicinarumque insularum cultoribus receptus corpora glasto depingendi, ut multis inculcetur non est necesse; videatur tamen Camden. Britan. p. 7. Tribuni cohortis III. Britonum mentio fit sub Duce Rhætiæ in Notic. Imp. uti Pancirol. restituit. *Dalec.*

A Silurum gente] Silurorum oppidum Ptolemæo, Bulæum: nunc *Wirksam*. Fuit et Siluriæ pars Caricta, nunc Gallonidiæ pars. Boet. idem Coil et Gunigamam Siluriæ partes fuisse tradit. *Dalec.*

Dumnam] Quibusdam Dumna, Dumo, Nerigon, Nordera, Islandiæ vicinæ insulæ. Est autem Nordera maxima ex aliquot insulis, quas Patras vocant, proxime Islandiam sitas. *Dalec.*

CAP. XVII. *Gallia*.

Gallia omnis Comata] Gallia omnis Italis vel Cisalpina est, quam togatam ideo vocarunt, quod, ut scribit Dion lib. XLVI. placidior esset, ac Romano vestitu uteretur, vel Transalpina; ac rursum Cisalpina vel Cispadana est, vel Transpadana: incipit hæc ab Ancone, terminatur Alpibus. Ad mare superum finis Rubico, ad inferum Arnus. Transalpina circumscribitur Oceano, Rheno, Alpibus, mari mediterraneo, montibus Pyrenæis. Dividitur hæc in Comatam, sic appellatam, quod incolæ studiosius comam alerent et summitterent; ac in Brachatam sive Narbonensem, a brachis nuncupatam, nempe tunica, quæ sago imponebatur, et qua in curia deposita latum clavum Gallos sumpsisse, Suetonius in Caio Cæsare tradit, nimirum senatoriam tunicam. Provincia Romana privatim quoque dicta hæc est, quod prius a Romanis superata, et in provinciam redacta, leges Romanas moresque accepisset. Comata sive capillata in Celticam, quam et Lugdunensem nominarunt, dividitur, in Belgicam, et Aremoricam seu Aquitaniam. De Comata Catullus: 'Quis hoc potest videre, quis potest pati? Mamurram habere quod Comata Gallia Habebat omnis, ultima et Britannia?' Pomp. Melæ Carni et Veneti Galliam togatam incolunt. Vide Comment. Cæsar. initio lib. I. de Bello Gal. ubi eandem Galliæ divisionem cum nostro auctore tradit. *Dalec.* Imo vero confundit hic Plin. quæ erant discernenda. Julius namque in tres partes divisit Galliam: Comatam, Celticam, Belgium et Aquitaniam: at vero Augustus in IV. adjecta prioribus Lugdunensi, finibusque nonnihil mutatis: quam divisionem secutus est Strabo et Æthic. p. 42. utramque viva delineatione expressit in suo theatro elegantiss. ævi nostri Geographus Abraham. Ortell. Videatur et Carol. Sigon. de Ant. Jur. It. I. 24. et de Ant. Jur. Prov. I. 6. et Onuph. Panvin. Imp. Rom. pag. 791. De posterioribus autem divisionibus Onuph. d. lib. p. 885. &c. Pancirol. super Notic. II. 3. et 68. et 90.

Quibus Narbonensem Galliam excludit] Excludit, tanquam jam antea in provinciæ formam redactam, quam reliquam vicissent aut subegissent Romani, ac ideo sejunctam. *Dalec.*

Texandri] In Eburonibus Tasandrum civitas nunc etiam celebris est, quam vulgus appellat *Sainct Truden*, quam Toxandrorum caput fuisse volunt. De Toxandria Marcellinus lib. XII. 'Quibus paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit, ausos olim in Romano solo apud Toxandriam locum habitacula sibi prælicenter figere.' *Dalec.*

Gessoriacus] Scaliger, in Ausonium, pagis olim habitatam fuisse totam Galliam putat, ut Vellaunio, Gebalo, &c. fuisseque illas totas præpositaras provinciarum, et amplos tractus, etiam oppidis frequentes, ut nunc apud Helvetios, qua ratione Galli etiam nunc vocant *pays*. Itaque Gessoriacum pagum fuisse tractum, qui porrigitur a Northmannis Belgis usque ad Borioniam, in quo oppidum Gisors vetustam adhuc appellationem servat. *Idem.*

Hassi] Hem, oppidum et arx S. Quintino vicina: aliis *Henaut*. Vide Turn. Advers. VIII. 21. *Idem.*

Rinuci] Melanchthon lib. IV. Chronicôn legit *Runici*, Belgis *Das Runckerland*, et apud Tacitum male scribi *Sunici* putat. Siti sunt inter Batavos et Phrisios. Rinuci aliis dicti *Reermonde*, aliis *Ravenstein*. Idem.

Equestris] Alii dicunt esse Lausannensem, alii vero Neocommensem. *Idem.*

Rauriaca] Hanc Cæsar in Commentariis suis vocat Sequaniam, ut est Basilea, Porrentraucum, Mompelgardum, &c. *Idem.*

CAP. XVIII. *Lugdunensis Gallia.*

Sed peninsulam spectatiorem excurrentem in Oceanum a fine Osismiorum circuitu DCXXV. &c.] Lege: *Sed peninsulam spectatiorem excurrentem in Oceanum a fine Osismiorum circuitu DCXX. M. pass. cervice in lat. &c.* *Cervicem* vocat Isthmon, quæ insula, seu caput, continenti seu corpori adhæret. *Gelen.* *Sed peninsulam, &c.*] Peninsula ea continet civitates indigenarum dictas *Brest, le Conquet, Sainct Make, le Four, Sainct Paul.* Dalec.

Secusiani] Secusiani *Forests*. In ea regione est arx dominorum de Cuzieu, quæ vetustatem nominis et originis testatur. Forum Setusianorum *Feurs*. In ejus oppidulo legitur inscript. DEO. SYLBIANO. FABRI. TIGNVARII. QVI. FOR. SEC. CONSISTVNT D. S. P. R. (id est, de sua pecunia restituerunt.) Alii sunt Sebusiani, Buzei, et Bressæ. Forum Sebusianorum *Bourg en bresse*. Sebusianorum caput, *Beley*. Dalec.

Colonia Lugdunum] Officina monetaria Romanorum Imperatorum celebre et clarum. Alex. ab Alexand. IV. 24. Sed et olim hac eadem in urbe ad communem aram Cæsaris sexaginta quotannis populi, ingenti coacta manu, conveniebant, et, peracto sacro, de maximis rebus publico concilio decernebant. Idem V. 2. In aversa parte antiqui denarii cusi a quodam ex Antoniorum stirpe Leo signatus est, ejus coloniæ insigne, cum his literis infra supraque scriptis, LVGVDVNI, et hisce ad latera, A. XL. quæ annos significant deductæ coloniæ post ædificatam civitatem. Dion. lib. XLVI. scribit Λουγουδοῦνον postea Λουγδοῦνον vocatam fuisse. De quibus omnibus Fulv. Ursin. Fam. Rom. pag. 23. At omnes antiquitus inscripti lapides, qui inventi sunt et quotidie inveniuntur, habent LVGVDVNVM. III. GALL. PROVINCIA. *Dal.* Non omnes habere disces ex d. Fulv. lib. pag. 168. et inscript. ant. Lipsii et Goltzii Thesaur. Ant.

CAP. XIX. *Aquitania.*

Santones liberi cognomine Ubisci] Lego, *Santones, Bituriges cognomine Vibisci*, seu *Vivisci*, seu *Bibisci*: tot enim modis olim scripserunt. Porro sic Burdegalenses vocati sunt ad aliorum differentiam. Burdegalæ nunc extat inscriptio hæc: AVGVSTO. SA-

CRVM. ET. GENIO. CIVITATIS. BIT. VIV. *Dalec.* Cum nullis in exemplaribus *τὸ liberi* omissum notetur, utique retinendum, ac si omnino cum Dalechampio quippiam mutandum fuerit, hoc modo legendum censuerim: *Santones liberi, Beturi,* (seu Bituriges) *cognomine, &c.* Notare namque solere auctorem, quinam liberi fuerint, ex superioribus notum est. Cæterum de mutua functione lit. *b* et *v* possemus innumera loca exemplaque adducere, sed sufficiant quæ apud elegantissimum Merulam extant super Ennium pagina 60. et 187.

Tarneque] Tarnis *le Tar.* Celebres in ea provincia fluvii, Tarnis, Duranius, *la Dordonne,* Olda, *Loda,* Aturrus, vel Atyr, Tarbellam præterfluens, *l'Ador;* Lucanus: 'et ripas Atyri, quem littore curvo Molliter admissum claudit Tarbellicus Ancon.' *Dalec.*

CAP. XX. *Citerior Hispania.*

Citerior Hispania] De Hisp. Sigon. de Ant. Jur. Prov. I. 5. Onuphr. Imp. Rom. p. 768. et 884. et 891. Pancirol. II. 8. *Dalec.*

Verum etiam semetipsa, ut diximus, immensum quantum] Dispiciat hic curiosus lector, an scribi debeat non *quantum,* (ut omnia præferunt exemplaria,) sed *cuneata,* ut libro tertio capite tertio, *E radicibus Pyrenæi, ubi cuneatur angustiis inter duo maria.* Pint.

Ipsa Pyrenæi juga ab exortu æquinoctiali fusa in occasum brumalem, breviores latere septentrionali quam meridiano Hispanias faciunt] Lectio ridicula, secum pugnans, falsissima, contra Strabonem, Ptolemæum, Pomponium, Plinium: ex qua etiam multa consequerentur absurda: denique contra vulgatum experimentum, cotidianamque et oculatam fidem. Ante omnia illud mihi dari peto, si Pyrenæi juga ab oriente æquinoctiali in occasum brumalem porrigantur, ut hic verborum ostendit contextus, orientalem Pyrenæorum extremitatem magis ad septentrionem accessuram quam occiduam. Nam exortus æquinoctialis magis in septentrionem inclinat, quam occasus brumalis. Hoc concesso, quod nemo diffiteri potest, sequeretur, Œasonem promontorium in septentrionali Pyrenæorum extremitate situm, cum illa sit etiam ex hypothesi orientalis, majorem habiturum longitudinem, quam templum Veneris situm in extremitate occidua: magis enim distabit ab occidente et meridiano per insulas Fortunatas. Quod est manifeste adversus Ptolemæum, tradentem libro secundo, Œasonis longitudinem esse partium XV. templi autem Veneris XX. et amplius. Cujus veridicum documentum incolis ejus tractus, assiduis itineribus, crebrisque navigationibus ultro citroque commeantibus, exploratissimum est. Strabo præterea, libro tertio, Pyrenæos ab Austro in Boream protendi tradit, hoc est, a meridie in septentrionem, non ab ortu in occasum. Pomponius quoque, libro secundo, Pirenæos a templo Veneris et Cervaria fine Gallicæ oræ, qua interno mari alluitur, ad oceanum Britannicum porrigi scribit. Ad hæc si templum Veneris minoris esset longitudinis quam Œaso, quis non videt, quum templum ipsum finis sit Galliæ et initium Hispaniæ, meridianum Hispaniæ latus brevius futurum quam septentrionale? quod est contra Plinium, qui statim subjungit, 'Breviores latere septentrionali quam meridiano Hispanias faciunt.' Sed ne in re comperta amplius tundam, opinor oscitantem somniculosumque librarium, verborum ordine mutato, vitiatisque syllabis scripsisse, *Ab exortu æquinoctiali in occasum brumalem;* cum e contrario scribendum esset, *Ab exortu brumali in occasum æquinoctialem.* Quam lectionem, si forte Pliniana non est, ad veram saltem propius accedere, rationique et experimento ma-

gis consentaneam, nemo puto inficiabitur. *Pint.*

Portus eorum Vesci, Vesca] Scribe conjunctim, *Vescivesca*, tum ex antiquis codicibus, tum etiam quod celebretur in Hispania *Virvesca* Ptolemæo secundo, aut *Vitrovesca* Plinio tertio. *Idem.*

Promontorium Celticum. Amnes Florius] Barathrum hic occurrit ingens, et librariorum altissimus somnus, vel lethargus potius, illo Epimenidis multo monstrosior. Nam quæ hic subjicienda erant, in proximum et tertium ab hoc caput rejecerunt, permistis omnibus et confusis in unum veluti cyceona. Sequatur igitur diligens lector tractatus seriem, contextumque verborum sequent. *Promontorium Celticum, quod alii Artabrum appellavere, terras, maria, cœlum disterminans. Illo finitur Hispaniæ latus, et a circuitu ejus incipit frons: Septentrio hinc Oceanusque Gallicus, Occasus illinc et oceanus Atlanticus. Promontorii excursum LX. M. prodidere: alii XC. Ad Pyrenæum inde non pauci XII. L. et ibi gentem Artabrum, quæ nunquam fuit manifesto errore. Arotrebas enim, quos ante Celticum diximus promontorium, hoc in loco posuere, literis permutatis. Amnes Florius, Nelo, Celtici cognomine Neriæ, superque Tamarici, quorum in peninsula tres aræ Sestianæ Augusto dicatæ, Ceperi, oppidum Noëla, Celtici cognomine Præsamarci, Cileni. Ex Insulis nominandæ, Corticata, et Aunios. A Cilenis conventus Bracarum, Heleni, Gravii, Castellum Tyde, Græcorum sobolis omnia. Insulæ Cicæ. Insigne oppidum Abobrica. Minius amnis IV. M. pass. ore spaciosus, Leuni, Seurbi, Bracarum oppidum Augusta: quos supra Gallæcia, flumen Limia. Durius amnis ex maximis Hispaniæ, ortus in Pelendonibus et juxta Numantiam, lapsus deinde per Arevacos, Vaccæos, disterminatis ab Asturia Vectonibus, a Lusitania Gallæcis, ibi quoque Turdulos a Bracaris arcens. Erratum et in amnibus inclytis. Ab Minio quem supra diximus CC. M. passuum, ut auctor est Varro, abest Æminius, quem alibi quidam intelligunt, et Limeam vocant, Oblivionis antiquis dictus. Omnisque dicta regio a Pyrenæ metallis referta auri, argenti, ferri, plumbi, nigri albique. A Durio Lusitania incipit. Turduli veteres, Pesuri, flumen Vacca. Oppidum Vacca, Oppidum Talabrica. Oppidum et flumen Minium. Oppida Conimbrica, Collippo, Eburo, Britius. Excurrit deinde in aliud vasto cornu promontorium, quod alii magnum appellavere, multi Olisipponense ab oppido. Ab Durio Tagus CC. M. passuum interveniente Munda,* et reliqua usque ad finem capitis XXII. Et hic quidem ordo est, conceptusque verborum Plinii, ut res ipsa situsque locorum veluti intento digito monstrare videtur. Nunc quædam ex antedictis, quæ censura indigent, repetemus. *Pint.* *Amnes Florius, &c.*] Multa ex hoc loco in proximum et tertium caput perperam videntur trajecta, ex rerum serie, locorumque ipsorum situ municipiis suis restituenda. *Dalec.*

CAP. XXI. *Lusitania.*

Illo finitur Hispania latus, &c.] Lege, *Illo finitur Hispaniæ latus et a circuitu ejus incipit frons.* Sequitur deinde aliud caput cum hoc titulo, *Insulæ in Oceano:* caput ita incipit, *Septentrio hinc, &c.* quæ ita disjecta sunt ac dissipata, ut integri corporis umbra vix appareat. sic ergo reconcinnanda sunt: *Illo finitur Hispaniæ latus, et circuitu ejus hinc incipit frons Septentrionis, Oceanusque Gallicus: occasus illinc et Oceanus Atlanticus.* Titulus autem supra scriptus: *Insulæ in Oceano Atlantico:* ita enim integre legi debet: reponendus est infra ante illa verba: *Ex adverso Celtiberiæ complures sunt insulæ:* inde novum caput auspicandum est. Vide Salmas. pag. 275. b.

CAP. XXII. *Insulæ in Oceano.*

Septentrio hinc oceanusque Gallicus]

Gallicus oceanus, ut superius ostensum est, inter Sequanam Galliæ fluvium, et Pyrenæum statuitur. Quapropter non *Gallicus* scribendum contenderim. De quo inter alios Martialis poëta lib. x. ad Maternum Jurisconsultum: 'Municipi, Materne, tuo, veterique sodali, Calaicum mandas si quid ad Oceanum.' *Pintian.*

Ex adverso Celtiberiæ complures sunt insulæ Cassiterides dictæ, &c.] Cassiterides insulæ in oceano occiduo statuuntur a Ptolemæo secundo, et Strabone tertio, et reliquis geographis. Non intelligo igitur quo pacto esse possint *ex adverso* Celtiberiæ, quæ in continenti sit introrsus, longe ab ora, in mediterraneo Hispaniæ. Proinde re diligenter animadversa, venio in eam conjecturam, ut putem, non *Celtiberiæ* legendum hic, sed *Celticorum Neriarum.* Etenim sciolus quispiam, quantum assequi possum, nesciens quinam essent *Celtici Neriæ*, oblitusque supra a Plinio indicatos capite xx. pro *Celticorum Neriarum*, *Celtiberiæ*, quod ad manum habebat, substituit: et præcipue, si per compendium, ut fieri consuevit, *Celti, Neri*, scriptum invenit. Sunt autem *Cassiterides* Ptolemæo, e regione extimi Hispaniæ promontorii, a quo initium sumunt duo ejus latera, septentrionale et occiduum. Promontorium Ptolemæus Nerium appellat, item Strabo tertio. Plinius tum Celticum, tum Artabrum, Pomponius Celticum: qui etiam Cassiteridas insulas in Celticis locat. *Pintian.*

Abest a continente proxima parte minus passus DCC.] Legend. *abest a continente proxima parte minus pedes septingentos.* Ibid. paulo post: *Erythea dicta est, quoniam Tyrii aborigenes earum orti ab Erythræo mari ferebantur.* Tyrii auctores ac conditores tam Gadium quam Erytheæ. ideo *Erytheam* nominatam dicit, quod earum insularum aborigines ab Erythræo mari orti. Vocem *aborigines* heic usurpavit pro conditoribus et originis auctoribus, πρωτόγονοι sunt vel γενάρχαι. *Salmas.* pag. 284. Et ibidem paulo ante lege, *oppidum civium Romanorum, appellatum Augustam sive Juliam Gaditanam.* Quod Julius Cæsar et Augustus coloniam eam diversis temporibus deduxissent, ab aliis Julia Gaditana, ab aliis Augusta Gaditana vocabatur. *Idem ibidem.*

Majorem Timæus Cotinusam apud eos vocatam ait] Prior lectio, *a puteis vocatam ait.* Hermolaus *apud eos* correxit, emendatione, ut mihi videtur, parum apta. Concinniorem lectionem putarem, si *ab oleis* pro *a puteis* scriberetur, dictamque esse Cotinusam accipiamus a cotinis, hoc est oleastris, ut ex Eustathio Dionysii Byzantii interprete Hermolaus ipse ostendit. Et ut colligi posse video ex eodem Dionysio et Ruffo Festo, crediderim antiqua nomine Cotinusam in universum dictam, deinde a Tyriis Tartesson, postea a Pœnis Gadir appellatam. Quare etsi videri possim audacter facere, pro illa dictione quæ sequitur, *nostri*, legerem libenter *mox Tyrii*, seu *post Tyrii.* Nam Hermolai castigatio *Tarteron* non *Tartesson* legentis, jam pridem confutata est a Baptista Egnatio, viro in omni disciplinarum genere eminentissimo, et nunc in his studiis primi nominis. *Pintian.*

Pœni Gadir, &c.] Leg. *Pœni Gadir ita Punica lingua sepe significante:* et fortasse *hoc sepe* veteres dixerint, ut *hoc præsepe*, quod inde compositum est. *Salmas.* pag. 264. b.

Ab Erythræo mari ferebantur] Vide Strabonem lib. xvi. Dionysium in Periplo. *Dalec.*

CAP. XXIII. *Universæ Europæ mensura.*

Polybius latitudinem Europæ ab Italia ad oceanum scribit XI. M. L. esse] Scribendum videtur non *XI.* sed *XX.* Quia si ab Alpibus ad portum Morinorum sunt XIII. centum XVIII. M.

sicuti ex auctoritate Polybii liquebit statim, quo pacto potuit Polybius latitudinem Europæ ab Italia ad oceanum facere XI. L. quasi Italia nihil adjiceret latitudini Europæ, vel detraheret potius? *Pint.*

Est autem ipsius Italiæ ut diximus, XII. M. ad Alpes] Vetus lectio partim *XI.* partim *XII.* sed vitiose. scribendum enim *X.* ex Plinio supra III. 5. item Marciano ac Solino. *Idem.*

Ab iisdem dirigitur Alpibus XII. M. XLIII.] Scribendum reor, *XVI. M. XVIII.* nam si ad Polybii mensuram, quæ erat, ut dictum est, XIII. M. XVIII. ab Alpibus ad portum Morinorum, addantur CCC. qui certiorem effecerunt mensuram, conflabitur prædicta summa. *Idem.*

LIBER V.

PRÆF. *Africæ descriptio.*
CAP. I. *Mauritania.*

Ad C. Cæsarem] Cognomento Caligulam, qui Ptolemæo Rege consobrino suo interempto Mauritaniam in provinciæ formam redegit, bipertitoque divisit; quam hic auctor merito taxat sævitiam. Ea de re autem adeatur Onuph. Panvin. Imp. Rom. pág. 820. De administratione vero sub posterioribus Impp. pag. 890. et 894. et Pancirol. super Not. Imp. Rom. II. 65. et 78. *Dalec.*

Cum coloniam faceret, appellatum Julia Traducta] Obscure hæc Plinius, et fortassean false; nec enim *Traducta* in Mauritania fuit, sed in Hispania Bætica. Vide Salmas. pag. 288. b.

Ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule, &c.] Vide Salmas. Plinium falsi convincentem, pag. 273. a.

Affunditur autem huic æstuarium e mari flexuoso meatu, &c.] Legend. *Affunditur æstuarium e mari flexuoso meatu, in quo draconis custodis instar fuisse, &c.* in eo æstuario flexuosis meatibus recurrente draconis custodis instar fuisse interpretabantur. *Salmas.* p. 292. a.

Ad flumen Anatin CCCCLXXXV. M. pass. Ab eo Lixum, &c.] *Ad flumen Anatin CCCCLXXXV. M. pass. Ab eo Lixum CCV. A Gaditano freto CXII. M. abesse.* Ita legimus expuncto *Agrippæ* nomine, quod perperam infultum est. *Salmas.* p. 304. a.

Hippopotamis] Vide de hoc animali quod auctor tradit VIII. 25. *Dalec.*

Theon ochema] Θεῶν ὄχημα. *Deorum vehiculum, currus.* Idem.

Quinque sunt, ut diximus, Romanæ coloniæ in ea provinciæ] Hæc verba ex alio domicilio in hunc locum importunissime translata sunt. Propriam enim sedem habent in initio capitis sequentis, ut liquebit. *Pintian.*

Et equidem minus miror incomperta quædam esse equestris ordinis, &c.] Legend. *Et quidem minus miror incomperta quædam esse equestris ordinis viris, jam vero et senatum inde intrantibus, quam luxuriæ cujus efficacissima vis sentitur atque maxima, cum ebori citroque silvæ exquirantur, &c.* Minus mirari se dicit incomperta quædam esse equestris ordinis viris, jam et ex eo ordine senatum intrantibus, id est, senatoribus, quam luxuriæ aliquid esse incompertum, cujus potentissima vis et maxima in exquirendis silvis ebori et citro, littoribus murici et purpura: multo magis mirandum esse aliquid inexploratum reliquisse luxuriam illam, cujus tanta vis est in

scrutandis et indagandis quæ ad rem suam faciunt. *Salmas.* p. 295. b.

Et ultra ad fluvium qui Niger vocatur] *Niger* Plinio dicitur, qui Ptolemæo Νίγειρ, aliis Græcis Νίγρις, quibusdam Νίγρης, a quo Νιγρῆτες, qui aliis Νιγρῖται. Plin. v. 4. 'tota Getulia ad flumen Nigrum ;' ita libri, non *Nigrin*. Salmas. pag. 304. b.

CAP. II. *Tingitania provincia.*

Tingitania provincia] Vulgo et apud Ptol. *Tingitana*. Sed Plinio consentiunt ea quæ in suo Antiq. Thes. enotavit Goltz. pag. 146. et Just. Lips. Ant. Inscript. p. 161. num. 7. et Not. Rom. de Comite Tingitaniæ, et Onuph. Panvin. Imp. Rom. p. 894. provincia Tingitania præsid. sub Vicario. Eam prius Sitifensem dictam fuisse, ait Pancirol. super Notic. II. 65. Vide et Onuph. d. lib. pag. 890. *Dalec.*

Tingitaniæ provinciæ longitudo, &c.] Post hæc verba, quantum conjicio, subsequi debent illa quæ paulo ante notavi posita esse in alieno loco: *Quinque sunt, ut diximus, Romanæ coloniæ in ea provincia.* Patet hoc a simili ordine ac modo dicendi, quem observat alias Plinius, ut infra capite IV. peracta Africa proprie dicta, quæ procedit a fluvio Ampsaga usque ad Cyrenaicam, subdit: 'Ad hunc finem Africa a fluvio Ampsaga populos XXVI. habet, qui Romano parent imperio. In his colonias habet VI.' *Pintian.*

Montosa, fert elephantos. In Abila quoque monte, &c.] Lege: *montuosa, fert elephantos, in Abila quoque ex quo Septem fratres a simili altitudine appellati freto imminent.* Si qua ab Oriente montuosa est, fert elephantos: in illis nempe montibus qui ad Orientem sunt. Addit, *In Abila quoque, &c.* id est, in Abila quoque et septem fratribus junctis Abilæ montuosam esse. Vide Salmas. pag. 305. a. *Fert elephantos. In Abila quoque monte, &c.*] Lege: *Fert elephantos in Abila quoque monte, et quos septem fratres a simili altitudine appellant: freto imminent hi juncti Abilæ.* lectionem hanc oppugnat Salm. Vide Is. Voss. in Melam, p. 20.

Rusardir oppidum et portus] Lege: *Rhysadir oppidum et portus, Malvæ fluvius navigabilis, Siga oppidum ex adverso Malacæ, &c.* Vide reliqua apud Isaac. Vossium in Melam, p. 21.

Siga oppidum ex adverso Malachæ in Hispania sitæ, Syphacis regia, alterius jam Mauritaniæ. Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi quæ nunc Cæsariensis. Ab ea Portus magnus a spatio appellatus, civium Romanorum oppidum. Amnis Mulucha Bocchi Massæsylorumque finis] Si oppidum Siga pertinet ad alteram Mauritaniam, hoc est, Cæsariensem, quæ diu Bocchi dicta est, quod hic tradit Plinius, et Mulucha fluvius, ut mox sequitur, Bocchi est Massæsylorumque finis, quod Strabo etiam ultimo geographiæ ostendit, hoc est, terminus inter duas Mauritanias, quo pacto in ordine et serie locorum hujus oræ, quæ orientem versus procedit, potest Siga oppidum esse ante Mulucha fluvium, seu, ut Strabo appellat, Molocath? Item cum sit officium hujus conjunctionis *namque*, causam reddere ante dictorum, qua ratione constare potest sensus illorum verborum, *Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur*, et reliqua, cum nulla præierit mentio Bogudis Bocchive regum? Hæ duæ rationes, prætereaque Strabonis et Ptolemæi auctoritas, a quibus ordo Plinianus in hoc oppidorum amniumque situ desciscit, trahunt me in eam sententiam, ut mutato verborum situ legendum putem ad hunc modum: *Rusadir oppidum et portus. Amnis Mulucha, Bocchi, Massæsylorumque finis. Namque diu regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi quæ nunc Cæsariensis. Mal-*

va *fluvius navigabilis. Siga oppidum ex adverso Malacæ in Hispania sitæ, Syphacis regia, alterius jam Mauritaniæ. Ab ea Portus magnus a spatio appellatus, civium Romanorum oppidum. Quiza Xenitana, &c.* Nam Ptolemæus post Magnum portum Quizam statim locat, quamvis in Ptolemæi Græcis codicibus *Buyza* pro *Quiza* perperam scriptum sit. Nec ignoro Melam Pomponium libro primo post Sigam Mulucham fluvium statuere. Sed is auctor, ut digniora prius memoret, solet interdum locorum ordine abuti. Illud non præterierim, ante verba illa, *amnis Mulucha*, præfigi debere lemma, *Cæsariensis provincia.* Pintian.

Amnis Mulucha] Muluchæ meminit Sallust. in Jugurth. fol. 67. *Dalec.*

CAP. III. *Numidia.*

Numidæ vero Nomades] Sallust. in Jugurth. de Medis, Persis, Armenis, Getulisque Africæ populis: 'Et quia sæpe tentantes agros, alia atque alia loca petiverant, semetipsi Numidas appellavere. Cæterum adhuc ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblonga incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt.' Vide Festum in voce Numidas. Solin. 'Hæc gens plaustris invecta pabula passim sequitur.' *Dalec.*

Domus plaustris circumferentes] Hoc Scythis tribuit Strabo, ἁμαξοικοὺς ideo eos vocans. Horatius III. Od. 24. 'Campestres melius Scythæ, Quorum plaustra vagas rite trahunt domos.' *Idem.*

Trabracha] Juvenalis: 'Quales umbriferos ubi pandit Tabracha saltus.' *Dalec.*

CAP. IV. *Africa.*

Duos efficiunt sinus: Hipponensem, proximum ab oppido quod Hipponem dirutum vocant, Diarrhython a Græcis dictum propter aquarum irrigua, cui finitimum Theudalis] Videntur nonnulla hoc loco verba deesse, et rursus in sequentibus alia superfluere. Quapropter si fiat permutatio, et revocetur huc, quod illic redundat, omnia bene habebunt. Proposuit Plinius, tria illa promontoria, Candidum, Apollinis, Mercurii, duos efficere sinus. Ex quibus proximus dictus sit Hipponensis, ab Hippone diarrhyto. Quod autem orationis ordo deposcebat, subjungi videlicet sequentem sinum, hoc auctor omisit: idque est, quod conjecto hoc loco desiderari. Verba autem, quæ infra manifeste supervacanea sunt, videntur mihi illa, *Inter Africanum sequentem et reges.* Ea si prius castigata huc transferamus, omnia sarta tecta erunt, redderturque sensus integer, nulla ex parte claudicans. Opinor autem legendum esse, non *inter Africanum sequentem et reges*, ex quibus verbis nullum sensum elicias; sed, *Item Africanum sequentem a regione;* ut continuato verborum contextu ordineque disserendi, sic scribendum videatur: *duos efficiunt sinus, Hipponensem proximum ab oppido quod Hipponem vocant, Diarrhyton a Græcis dictum, propter aquarum irrigua. Item Africanum sequentem a regione.* Nec mihi persuadebit Hermolaus recipiendam esse dictionem *dilutum*, quam ego adulterinam puto, et expositionem verbi Græci διάῤῥυτος. Nam libro nono, capite octavo, de delphinis agens, non dilutum Hipponem, humectumve Latine, sed Græco et a Latinis recepto nomine *Diarrhyton* appellat: 'Alius,' inquit, 'inter hos annos in Africo littore Hipponis Diarrhyti simili modo ex hominis manu vescens,' &c. *Pintian.*

Hipponensem proximum ab oppido, &c.] Lege: *Hipponensem proximum ab oppido, quod Hipponem Diarrutum vocant, διάῤῥυτον Græcis dictum propter aquarum rigua.* Hipponem hunc *Diarrutum* Latini vocabant voce Græca, ad discrimen Hipponis Regii. Salmas. p. 321. a, b.

Diarrhytum] Hipponis Diarrhyti meminit auctor infra capitibus 7. et 9. *Dalec.*

Duarum Syrtium] Sallust. in Jugurtha tradit oppidum a Sidoniis conditum, situm inter duas Syrtes, quibus nomen ex re inditum: 'Nam duo sunt sinus,' inquit, 'prope in extrema Africa, impares magnitudine, pares natura: quorum proxima terræ præalta sunt; cætera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate vadosa,' &c. p. 114. *Dalec.*

Œensis] Censeo legendum *Oasensis*, nempe vastis desertis circundata. Oasena Theodosio, in Codice lib. IX. tit. de Nili aggeribus non rumpend. Vide annotationes c. 9. *Idem.*

Syrtis major circuitu DCXXV.] Confirmat hanc lectionem Marcianus libro sexto. Cui tamen quantum fidei haberi debeat, haud sane mihi constat. Pomponius altero fere spacio qua dehiscit, quaque flexum agit, ampliorem majorem Syrtim minore tradit. In Strabone numerus stadiorum aditus et circuitus insanabiliter depravatus est, consulto etiam a me frustra Lascari Rhyndaceno, Græce ac Latine doctissimo, quo tempore legatus Leonis Pontificis maximi venit in Hispaniam: ferebat enim secum inter alios codices Strabonem antiquum, et, ut ipse jactabat, emendatissimum. Cujus tamen hac in parte conditio communis erat cum cæteris vulgatis codicib. *Pintian.*

In intimo sinu fuit ora Lotophagon, &c.] Lege: *In intimo sinu fuit ora Lotophagon, quos quidam Machryas dixere, &c.* Vide Is. Voss. in Melam, p. 31.

Alachroas] Alochroas, a glauco maris colore. *Dalec.*

Philænorum aras] Vide Sallust. in Jugurth. p. 114. *Idem.*

Abutucense, Aboriense] Scribo, *Apariense*, ab oppido Apari, Ptolemæo, quarto. Nec obstat corrigi infra ab Hermolao *Aparitanum* pro *Acharitanum*, non advertente indicari illic mediterranea, quæ interjacent Castra Cornelia et Borion promontorium: Aparin vero statui a Ptolemæo inter Ampsagam fluvium et Tabracam, quæ tanto ante præcedit Castra Cornelia. *Pintian.*

Castris Corneliis] Opinor addendam præpositionem *a*, ut legatur *a Castris Corneliis*, hoc sensu: Oppida superius monstrata, esse in Mediterraneo sita, ab Ampsaga fluv. ad Castra Cornel. quem locum post Bragadam flumen locat capite proximo in Africa proprie dicta, nunc vero indicari loca quæ sunt a Castris Corneliis ad Borion usque promontorium majorem claudens Syrtin. *Idem.*

CAP. V. *Cyrene.*

Fonte Solis] Supra II. 103. Fontem Solis Troglodytis assignat, ut hic locus ex illo videatur emendandus, vel contra. *Dalec.*

Cyrene] Cyrene est colonia Thereon: ac deinceps duæ Syrtes, interque eas Leptis: deinde aræ Philenôn, quem locum Ægyptum versus finem imperii habuere Carthaginenses: Sallust. pag. 67. Cyrenes, seu Zoës potius, quæ Cyrene postea est nuncupata, Battus ἰσχνόφωνος καὶ τραυλὸς, conditor fuit, post diuturnos labores illic positis sedibus. Ovid. in Ibin: 'Conditor ut tarde blæsus cognomine Cyrrhæ Orbis in innumeris inveniare locis.' Leopardus III. 11. *Idem.*

Berenice in Syrtis extimo cornu est, quondam vocata Hesperidum, &c.] Vide Salmas. Plinium convincentem falsi, p. 373. a.

Syrtis] De utraque Syrti majore et minore vide Strab. lib. XVII. fol. 792. *Dalec.*

Catabathmum] Lege Sallust. in Jugurtha p. 65. in divisione orbis: 'Ab ortu, soli declivis latitudo, quem locum Catabathmon incolæ appellant:' et p. 67. 'Ubi ad Catabathmum, qui locus Ægyptum ab Africa dividit,' &c. *Idem.*

Fertilis habetur. Intus eodem spatio, &c.] Legend. *Fertilis habetur, &c. et CCL. M. passuum longitudine, lasere modo. Post Nasamonas Asbytæ et Macæ vivunt.* Quæ ergo lasere modo

fertilis est. *Post Nasamonas Asbytæ et Macæ vivunt*, id est, degunt, non autem lasere vivunt, ut inepte accepit Solinus. *Salmas.* 381. b. 382. a.

Garamantum] Strabo: 'Ultra Getuliam est Garamantum regio, quæ cum illa pariter progreditur, unde Carchedonii lapilli afferuntur.' *Dalec.*

Et a Cornelio Balbo triumphata, &c.] Lege: *et a Corn. Balbo triumphata, unius omnium curru externi, et Quiritium jure donati.* *Currus* hic pro triumpho: dicit ergo triumphum Balbi externi hominis fuisse et civitate donati, unius ex omnibus. Vide Salmas. pag. 383. a. *Cornelio Balbo*] De isto Cornelio multa posthac VII. 43. *Dalec.*

Proximo bello quod cum Œensibus gessere initiis Vespasiani Imperatoris] Circa initia Imperii Vespasiani, bellum illud gestum innuit a Romanis. Et *proximum bellum* vocat, quia proxime gestum, quum illa scriberet. *Salmas.* pag. 383. a.

Ad eum terminum Cyrenaica Africa a Syrti minore decies CLX. M. pass.] Scribo *a Syrti majore;* non *a Syrti minore*. Nam a Syrtis majoris fine, hoc est, a Boreo promontorio, incipit Africa Cyrenaica, cujus longitudinem ac latitudinem ostendit hoc loco Plinius. Liquet id tum ex Plinio supra capite quarto, non longe a fine, cum dicit: 'Promontorium quod majorem includit, Boreum appellatur. Ultra, Cyrenaica provincia.' Tum ex Ptolemæo, IV. his verbis: Cyrenaica provincia limites habet ab occasu Syrtin magnam.' *Pintian.*

In latitudine qua cognitum est, DCCC.] Duo illa verba, *in latitudine*, non leguntur in antiquis codicibus. Quod si recipitur, permutandi, ut sentio, erunt numeri, scribendumque, *DCCC. M. pass. in longitudine. Qua cognitum est, decies centena LX. M.* Id.

CAP. VI. *Libya Mareotis.*

Mareotis Libya] Ejus regionis vinum Mareoticum celebre fuit. Plautus in Casina 'Libycum florem' appellavit. 'Nisi,' inquit, 'hæc miraculose uspiam percussit flore Libyco.' Turnebus Advers. VIII. 12. *Dalec.*

Parætonium] Parthenio civitas ab Æthico (ni mendum sit) dicitur p. 33. et pag. 46. *Parthenium.* Idem.

CAP. VII. *Insulæ circa Africam, et ex adverso Africæ.*

Clarissima est Meninx, longitudine XXXV. M. passuum, latitudine XXV.] Vetus lectio castissima, *longitudine XXV. latitudine XXII.* Nam Meninx insula, et altera e regione ejus non longe dissita, Cercina nomine, æquali sunt magnitudine, auctore Strabone libro ultimo. Cercinæ vero longitudinem esse XXV. mox paulo Plinius docet: *Ipsa a dextro Syrtis minoris promontorio p. CC. sita.* Vetus lectio, *mille quingentis.* Porro duas has insulas continenti adhærescere, auctor est Strabo ultimo libro. *Pintian.*

At contra Carthaginis sinum duo Ægimori a re] Archetypum Toletanum, *At contra Carthaginis sinum duæ Ægimeræ Caree;* ut fortasse scribi possit, *duæ Ægimurus et Aræ.* De Ægimuro constat apud omnes. De Aris Virgilius intellexit noto versu: 'Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus Aras.' Nam quas Virgilius saxa, Plinius statim scopulos dicit. *Idem.* Vide Servium in illum locum, et Observat. Schott. p. 228. *Ægimori*] Ptolemæo Æginus vel Ægimonis, hodie *Isola di Trabacha*, sita inter Galatam insulam, hodie Garitam, et Trabracham oppidum Africæ. Ad Ægimurum M. Fab. Buteo cons. Rom. navali prælio Carthaginenses vicit. *Dalec.*

CAP. VIII. *Æthiopes.*

Super eos Æthiopum, &c.] In vetustis Cod. hic incipit c. 8. Ut et in manuscripto. *Idem.*

Æthiopas] De iis Æschylus, χαλκοκέραυνόν τε παρ' Ὠκεανῷ Λίμναν παντοτρόφον Αἰθιόπων, Ἵν' ὁ παντεπόπτας Ἥλιος Αἰεὶ χρῶτ' ἀθάνατον, Κάματον θ' ἵππων, θερμαῖς Ὕδατος μαλακοῦ προχοαῖς

ἀνατιθέναι. Leopardus v. 17. *Idem.*

Atlantas] Herodotus in Melpomene. *Dalec.*

Solem orientem occidentemque dira imprecatione contuentur] Legend. *solem orientem occidentemque dira imprecatione comitantur*, id est, prosequuntur. *Salmas.* 411. b.

Neque insomnia visunt] Scribit Marcellinus, cum Romæ delatorum pestis sævius grassaretur, ne somnia quidem citra vitæ discrimen ausum quenquam patefacere: ideoque nonnullos mœruisse, quod apud Atlanteos nati non fuissent, ubi nulla videntur somnia. Rhodig. XXVII. 16. De Atlantibus idem etiam scribit Tertullianus libro de Anima, et Solin. Polyhist. cap. 54. et Mela I. 8. *Dalec.*

Troglodytæ specus excavant. Hæ illis domus. Victus, serpentium carnes: stridorque, non vox, adeo sermonis commercio carent] Ex Herodoti hoc Melpomene desumptum, ut quod præcessit de Atlantibus. Pomponius quoque primo, ex eodem bibens saliente: 'Troglodytæ,' inquit, 'nullarum opum domini, strident magis quam loquuntur.' Idipsum et Solinus cap. 38. Cæterum postrema illa verba, *Adeo sermonis commercio carent*, quid attinebat adjici, cum dixisset ante, stridorem eis esse, non vocem? Non sane magis quam si de muribus aut vespertilionibus locutus esset. Quapropter constanter asseverarem, ad Gamphasantas, qui statim redduntur, ea, non ad Troglodytas attinere, et illinc librariorum negligentia in alienam sedem transvecta esse. Ut verba quæ de Gamphasantibus confestim subtexuntur, ad hunc modum concipienda putem: *Gamphasantes nudi præliorumque expertes. Ideo, sermonis commercio carent. Nulli externo congregantur, &c. Ideo*, inquam lego, non *adeo*. Approbabit, puto, hoc nostrum commentum, qui diligentius expenderit contuleritque verba auctorum quos subjungam. Herodotus in Melpomene ita ait: 'In tractu venenatis animalibus infesto Gamphasantes habitant, omnes mortales fugientes, omneque colloquium: nullumque armorum genus, sive ad inferendam seu ad propulsandam injuriam, norunt.' Pomponius Mela libro primo: 'Nudi sunt Gamphasantes, armorumque omnium ignari, nec vitare sciunt tela, nec jacere: ideoque obvios fugiunt, neque aliorum, quam quibus idem ingenium est, aut congressus aut colloquia patiuntur.' Viden', optime lector, Herodotum, et qui ab Herodoto hausit Pomponium, hanc colloquii aversationem non Troglodytis tribuere, sed Gamphasantibus? Solinus item, qui Plinium transcripsit, ob id a quibusdam parvus Plinius cognominatus, ordinem ipsum Plinianorum verborum, imo ipsummet verbum, quo Plinius utitur, non modo sensum nobis repræsentat capite 38. his verbis: 'Gamphasantes abstinent præliis, fugiunt commercia. Nulli se externo misceri sinunt.' Adhæc falsum esset Troglodytas, etsi strideant magis quam loquantur, ideo sermonis carere commercio, nullique externo se congregare; nam Plinio auctore v. 5. cum Troglodytis commercium est gemmæ, quam appellant Carbunculum, ex Æthiopia advectæ: quod Solinus quoque repetit cap. 38. *Pintian.*

Pharusi quondam Persæ comites fuisse dicuntur Herculis, &c.] Lege: *Pharusii quondam per se comites fuere Herculis ad Hesperidas tendentis. Per se*, id est, sponte sua. *Salmas.* pag. 416. *Pharusi quondam Persæ comites fuisse dicuntur Herculis*] Pharusios Marcianus et Solinus comites fuisse Herculis scribunt, Persas fuisse non scribunt. Proinde nonnulli legendum hic autumant, nec omnino absurde: *Pharusii quondam pars e comitibus*, sive *comitatu, fuisse dicuntur Herculis*; quibus neque omnino fidem

habeo, neque omnino abrogo. In causa Strabo est septimodecimo volumine prodens, esse quosdam qui putent Mauros Indos esse, qui cum Hercule in hunc locum descenderunt. Quod videtur antiquæ lectioni patrocinari; ut sicuti a principio Mauri fuere Indi, sic Pharusii fuerint Persæ. Scribendum item *Pharusii* quatuor syllabarum, non *Pharusi* trium. Sic Stephanus, sic Dionysius, sic cæteri. *Pintian.*

CAP. IX. *De Asia.*

Donec a tergo prætendantur Æthiopes] Lege, *donec a tergo prætendant Æthiopes.* Est et verbum castrorum: 'prætenta' castra dicuntur, homines vero ipsi 'prætendere:' hinc et *prætenturæ*, *παρεμβολαί.* 'Prætendere' et 'prætendi' proprie de his dicitur, quæ ad frontem objecta sunt, *καὶ προβεβλημένα. Salmasius* pag. 415. b. a.

Delta] Ejus meminit Theoph. Hist. I. 15. *Dalec.*

Œasitæ] Ouasis sive Oasis, unde Oasitæ, Straboni lib. XVII. *οἰκουμένη χώρα περιεχομένη κύκλῳ μεγάλαις ἐρημίαις, ὡς ἂν νῆσός τις πελαγία.* Historiæ Eccles. Socratis II. 28. Georgius Arrianus quosdam catholicos relegavit in magnam Oasim: I. 7. ejusdem historiæ Euagrii, Nestorius hæreticus edicto Theodosii in Oasim, quam et Ibim vocant, relegatus est. Apud Ulpianum cap. 4. De interdictis et relegatis, in provincia Ægypto 'in Oasim relegare' genus quoddam est quasi in insulam relegationis. Duar. Anniver. II. 39. Vide et Ortel. Onomast. *Idem.*

Nilus incertis ortus fontibus, it per deserta et ardentia: et immenso longitudinis spatio ambulans, &c.] Legendum: *Nilus incertis ortus fontibus, ut per deserta et ardentia, et immenso longitudinis spatio ambulans, et quia fama tantum inermi quæsitus sine bellis quæ cæteras omnes terras invenere, originem, ut Juba, &c.* Rationes reddit, cur incerti sint fontes Nili: primum quia per deserta et ardentia immenso longitudinis spatio ambulet, ut necesse sit longe submotos ejus esse fontes, ideoque ignotos; deinde quia inermi tantum fama quæsitus, quum bellis ceteræ omnes terræ inventæ sint. Et paulo post lege: *lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem, ibi pisces reperiuntur alabetæ, coracini Siluri, crocodilus quoque inde ob argumentum hoc Cæsareæ in Iseo dicatus ab eo spectatur hodie.* Ait Nilidem lacum Cæsareæ in Iseo ab Juba dedicatum fuisse, ob hoc argumentum quod Nili origo credatur esse: intelligit picturam illius lacus a Juba fuisse dicatam in templo Isidis, apud Cæsaream urbem Mauritaniæ. Statim quod sequitur ita legend. *prout Mauritaniam nives imbresve satiaverint*, id est, prout in Mauritania imbres nivesque adundaverint et eam impleverint. *Salmas.* 415. b. 416.

Crocodilus quoque. Inde ob argumentum hoc Nili ortus creditus Cæsareæ in Iseo dicatus spectatur hodie] Ante omnia non *Theseo*, ut Hermolaus vocat in dubium, sed *Iseo* nostra habent exemplaria, ut ambigendum amplius de Pliniana lectione non sit. Deinde tria illa verba, *Nili ortus creditus*, superfluunt ex eisdem. Postremo in intellectu horum verborum dissentimus longe ab Hermolao. Ipse enim accipit lacum illum, unde oritur Nilus, dicatum esse a Juba in templo Isidis. Nos non ita: sed Crocodilum ex ipso lacu, ob id argumentum, dicatum esse putamus. Quam ob rem verbum *Crocodilus* cum majore litera scribendum censemus: et verbum *inde*, e contrario, cum minore. *Pintian.*

Cæsareæ in Iseo dicatus] Juliam Cæsaream quidam intelligunt, quam nunc Alger vocant. *Dalec.* *Cæsareæ in Iseo*] Hoc est, in Isidis fano, cujus numen, initio ab Ægyptiis orto, tota Africa religiose colebat. *Gelen.*

Aquam e tenebris profluentem] Ser-

vius Grammaticus, eadem etymologia, Μέλανα vocari tradit, quasi *atrum*, et Atlanta montem Τελαμῶνα, quod laboris multum ferat in sustinendo cœlo. Rhodig. xv. 4. Nilum in Alexandria Lycophron Tritona vocavit, quod tribus nominibus appellatus fuisset. Primum enim dictus Oceanus, mox Ætos, postea Ægyptus, et postremo Nilus, a limo. Idem auctor xx. 18. Διϊπετῆ Nilum vocari tanquam a Jove fluentem, aut imbribus augescentem. Idem auctor scribit I. 10. quasi *νέον ἰλὺν*, *novum limum*, dictum vult, quoniam quotannis limo novo agros Ægypti oblinit. Festus in Alumento *Melo* pro Nilo vocatum fuisse scribit a priscis Romanis, nondum assuetis Græcæ linguæ, ut pleraque alia. Prope fontem a Barbaris Dara. Nuchul vero ab reliquis accolis vocari auctor est Ethic. Cosmogr. pag. 37. *Dalec.*

Ad locum Æthiopum qui Catadupi vocantur] Scribendum reor: *Ad locum Æthiopum qui Catadupa vocatur*, ex Cicerone de Republica lib. VI. et Macrobio in eum, et Aristidis Oratione Ægyptia, itemque Herodoto secundo historiarum, et Seneca quarto Naturalium Quæstionum. Est autem *Catadupa* extrema pars minoris, sive, ut aliqui vocant, novissimi cataractæ, ad Syenem urbem, et insulam Elephantinem, præceps quidam locus, unde in inferiora præcipitatus Nilus ingenti fragore circumjacentia loca exsurdat, unde nomen invenit. Liquet hoc tam ex allegato Senecæ loco quam ex Strabone novissimo libro. Nam quæ Seneca de Catadupis, eadem refert de novissimo cataracte. Nec oblitus sum infra sexto volumine, capite 29. gentem prope Syenem monstrari nomine Catadupos, quorum mentio etiam fit a Philostrato in Vita Apollonii: placet nihilominus legatur hic omnino *Catadupa* pro loco. *Pintian.*

Per totam spatiatus Ægyptum] Inde Byzantio Parmenonti Αἰγύπτιος Ζεὺς *Nilus* dicitur, quod aquis suis Ægyptum riget ac fœcundet, ut alias terras imbre Jupiter. Eadem ratione Κρονίδην appellat Pindarus in Pythiis, et 'Chrysorrhoan' alii. Rhod. XXVII. 6. Euripides in Prologo Helenæ ὃς ἀντὶ δίας ψεκάδος Αἰγύπτου πέδον λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει γύας. *Dalec.*

Maxime probabiles] Pomponius Mela: 'Aut Etesiæ per ea tempora flantes, venienti obvii, adverso spiritu cursum descendentis impediunt, aut arenis, quas cum fluctibus litori applicant, ostia obducunt.' Vide Senecam Quæst. Nat. IV. 2. et Solin. c. 35. Julian. Apost. Epist. p. 329. *Idem.*

Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum ultro in ora acto mari] Toletanum Archetypum *ultra* legit, non *ultro*. Itaque commodius scribetur: *Etesiarum ex adverso flantium repercussu ultra ora acto amne:* posset etiam legi *oram*. Nec absurde mutato loco præpositionis *in* scriberes, *in interiora acto amne*, ex Seneca Naturalium Quæstionum lib. IV. et Aristide in Oratione Ægyptia, et Diodoro in primo. *Pintian.*

Leonem] Id simulacris ostenditur, quæ cum Ægyptio capitis ornatu anteriore parte virginis effigiem, posteriore Leonis monstrant. Talia multis in locis visuntur, et Sphinges a multis esse creduntur. *Dalec.*

Cubitorum decem] Male apud Plutarchum de Iside et Osiride: μεγίστην ἀνάβασιν περὶ τὴν Ἐλεφαντίνην ὀκτὼ γίνεσθαι καὶ εἴκοσι πηχέων, pro ὀκτὼ καὶ δέκα. Brod. VI. 22. *Dalec.*

Claudio principe: minimumque Pharsalico bello veluti] Legend. *Claudio principe: minimum quinque Pharsalico bello, veluti necem Magni, &c.* quinque cubiti et quinque ulnæ idem sunt apud Plin. Et paulo post lege: *ditionis Ægypti esse incipit a fine Æthiopiæ Syene: ita vocatur peninsula X. millium passuum ambitu, in qua castra*

sunt latere Arabiæ, et ex adverso insulæ quattuor Philæ. Sensus Plinii est: Syenem peninsulam decem millia passuum in ambitu habere, et ex adverso insulam Philas quatuor, scilicet quatuor millium ambitu esse, vel duum et triginta stadium. *Salm.* pag. 437. a, b.

Cum stetere aquæ apertis molibus admittuntur] Legendum videtur *emittuntur*, potius quam *admittuntur*, unde dicuntur Emissaria, fossæ, incilesve, per quas superfluentes aquæ emittuntur. Cicero postremo Epistolarum: 'Nullo emissario, nulla maceria.' Suetonius in Claudio: 'Fecit et emissarium Fucini lacus.' *Pintian.*

Nullas expirat auras] Affirmat idem et Heliodorus in Æthiopum historia. Anauron tamen in Thessalia ac Syria fluvium, ideo dictum, notavit Lipsius, cap. ult. lib. II. auram nullam emittere. Quin et auctor XXXI. 5. Borysthenem scribit, omnium aquarum tenuissimum, nullum halitum reddere, nedum nebulum. Videtur cum hoc loco pugnare quod auctor scripsit XXI. 7. in Ægypto minime flores odoratos esse, quia nebulosus et roscidus aër est a Nilo flumine. Vide locum. De Nilo idem Herodotus in Euterpe, addita ratione, *ὡς κάρτα ἀπὸ θερμῶν χωρίων οὐκ εἰκός ἐστιν οὐδὲν ἀποπνέειν· αὔρη δ' ἀπὸ ψυχροῦ τινος φιλέει ἀποπνέειν περὶ τῶν ἀνέμων*, scribit a Nilo *οὐκ ἀποπνέειν ἢ αὔρας ἐλαχίστας, ὅτι θερμὸς ὁ τόπος, καὶ ἐξ οὗ, καὶ εἰς ὃ ῥεῖ· αἱ δ' αὖραι πυκνουμένου τοῦ ὑγροῦ εἰσι*: idque commune esse cunctis Libyæ fl. Brod. III. 30. Hircius in bello Alexandr. Nili aquam limosam et turbidam multos variosque morbos efficere tradit. Aëtius pravas esse fluviatiles et palustres omnes, præter Niliacam, quæ *πάσαις ταῖς ἀρεταῖς κεκόσμηται.* Spartianus in Pescennio, tantam ejus dulcedinem ac suavitatem esse, ut accolæ vinum non quærant. Gal. in Simpl. hoc explicat, et Comment. in VI. Epid. ut salubris sit, bis vel ter colandam esse per vasa fictilia, donec, subsistente limo, defæcata prorsus sit et lympida. Brod. IV. 29. *Dalec.*

A fine Æthiopiæ Syene, ita vocatur peninsula centum mill. passuum ambitu] Hermolaus, etsi veterem lectionem *peninsulam* habere fatetur, ut et nostri codices præferunt, ipse tamen *insula* defendit, et ad Syenem refert, magno errore. Nam si unquam inventus fuerit auctor Latinus Græcusve, qui Syenem urbem in confinio Ægypti et Æthiopiæ sitam insulam esse scribat, habear ego omnium hominum inscientissimus. Nam Strabo, cujus testimonium advocat, nihil ei opitulatur. Quod ut constet, ejus verba subtexam ex libro XVII. quæ videntur hominem in hanc opinionem impulisse: 'Deinde Apollinis civitas, quæ etiam crocodilis est inimica, Syene vero et Elephantine altera in finibus est Æthiopiæ, altera est insula spacio semistadii, in qua est civitas, quæ Cnuphidis templum habet.' Hæc Strabo. In quibus verbis ubi, quæso, Syenem insulam esse asseritur? Nam verba illa, 'altera est insula,' &c. quis non videt ad Syenem non esse referenda, sed ad Elephantinem? Ad Syenem enim attinent prima illa verba, 'in finibus est Æthiopiæ.' Nam Syenem in finibus esse Æthiopiæ ad collimitium Ægypti, et Plinius hic ostendit, et reliqui passim, non minus geographi quam historici. Quam ob rem verba illa, *Ita vocatur c. m. passuum ambitu*, non esse hujus loci arbitrantur, neque ad Syenem ullo modo pertinere, sed ad Philas. Itaque tantisper seponantur, quoad eis proprium locum assignemus. *Pintian.*

Syene] Syene Thebaidis oppidum, sub tropico Cancri positum, in qua cum Sol ejus signi eam partem ingreditur, in qua solstitium efficit, nullam umbram corpora faciunt hora diei sexta. Lucan. lib. II. 'Atque

umbras nusquam flectente Syene.' Macrobius perverse 'nunquam' legit. Seneca in Herc. Furente: 'Et qua Sol medium tenens Umbras corporibus negat.' Brod. v. 17. Unde et Eratosthenes observatis ejus temporis horologiorum Alexandrinorum umbris, intervalloque harum urbium, universi terrarum orbis indidem collegit ambitum. Testis Cleomed. Cyclic. lib. I. p. 402. *Dalec.*

In qua Cerastæ sunt latere Arabiæ] Scribendum *castra*, non *cerastæ*, ex utroque antiquo exemplari: quibus subscribit Strabo lib. XVII. de administratione Ægypti disserens in hæc verba: 'Sunt tres militum legiones, quarum una circa urbem sedet, aliæ in reliqua sunt regione. Præter has novem cohortes Romanæ. Tres in urbe, tres in finibus Æthiopiæ præsidio circa Syenem collocatæ, et reliquæ tres in cætera regione.' Et rursus de Syene agens: 'Hoc in loco tres Romanorum cohortes collocatæ sunt præsidii gratia.' Item non multo post: 'Ingruentes in Thebaidem, et in tres cohortes quæ Syenes præsidio erant, Syènem et Elephantinem et Philas repentino impetu ceperunt.' *Pintian.*

Et in adverso insulæ IIII. Philæ] Scribendum, *Et ex adverso IIII. M. pass. Philæ.* Nam dictionem *insulæ* expositionem fuisse supra dictionem *Philæ* positam, et postea lectioni per errorem insertam. Erit ergo sensus: Ex adverso castrorum Syenes meridiem versus esse Philas, IV. m. passuum a castris motas. Cæterum hoc loco intercalanda sunt verba paulo ante a me jussa seponi. Ea sunt: *Ita vocatur insula, C. M. passuum ambitu.* Quæ verba, ut dixi, ad Philas, non ad Syenem accommodanda sunt. Porro in apographo Toletano elementum, *C.* non legitur. Totus ergo hic Plinianus locus, mendis frequens, sic, meo judicio, scribendus est: *Ditionis Ægypti esse incipit a fine Æthiopiæ Syene, in qua castra Æthiopiæ sunt latere Arabiæ, et ex adverso, IIII. M. passuum Philæ. Ita vocatur insula, mille passuum ambitu.* Idem. Seneca Natural. Quæst. IV. 2. 'Nunc vero magnas solitudines pervagatus, et in paludes diffusus, gentesque sparsus, circa Philas primum ex vago et errante colligitur,' &c. Ac rursum: 'Primum incrementum Nili, circa insulam quam modo retuli, Philas, noscitur,' forsan illic legend. 'insulas quas.' Inde eidem Senecæ ad finem Epistolæ II. Philistæ latrones et prædones, quales fuere earum 4. insularum incolæ. In iis accipiter numinis instar colebatur. *Dalec.*

Elephantis insula infra novissimum cataracten, CCCC. M. pass.] Legend. *Elephantine*, non *Elephantis*, contra omnes Latinos codices, ut diximus in Pomponium: nec *infra* scribendum, sed *intra*, nec *CCCC.* sed *IIII. M. passuum.* ex archetypo Toletano utrumque. Nam Cataractes hic novissimus inter Elephantinem est ad Ægyptum versam, et Philas ad Æthiopiam, exiguo spacio ab utraque submotus, Strabone auctore libro XVII. *Pintian.*

Et supra Syenen, XVI. M. habitatur] Erratum rursus est in numero passuum. Nam quomodo Elephantine distare potest a Syene XVI. M. passuum? cum ab eadem Syene usque ad Philas intersint C. stadia, quæ agant XII. millia passuum, et longius Philæ distent a Syene quam Elephantine, ut ex Strabone et Ptolemæo colligitur. Abesse vero Philas a Syene, XII. M. passus, Strabo testatur his verbis: 'Nos Philas ex Syene plaustro venimus per campum valde planum C. stadiorum spacio.' De reliquo Strabo idem, dimidium stadium abesse Elephantinem a Syene, prodit, si quis ex exemplari Græco, non Latino, hauriat. Nam Latinus interpres ineptissime eum locum vertit, scribens semistadii spacio esse insulam Elephantinem. Quomodo

enim in tanta insulæ parvitate poterat esse urbs, et in ea templum Cnuphidis, et Nilometrium, ut in Memphi, quod Strabo de ea prodit? *Id.*

CAP. X. *Alexandria.*

Juxta Mareotis lacum, qui lacus antea Arapotes nominabatur] Legendum, *qui locus ante Rhacotes nominabatur*, ex Stephano et Strabone XVII. Hoc enim nomen prius Alexandriæ fuit, ut ait Stephanus, seu partis Alexandriæ, ut Strabo. Hanc emendationem debes Jano Parrhasio, Claudiani enarratori: sed in eo is deceptus est, quod legit non *locus*, (ut nos legendum censemus,) sed *lacus*, quasi lacus Mareotis dictus fuerit alio nomine Rhacotes, quod neque ipse, neque alius usquam legit. *Pintian.*

Quindecim M. passuum laxitate] Castigandum quidam hunc locum arbitrantur ex Curtio, qui ambitum Alexandriæ LXXX. stadiorum esse tradit, et pro *XV. M. pass.* substituendum putant, *X. M.* tot enim supradicta colligunt stadia. Sed falluntur. Nam Stephanus Alexandriæ circuitum CX. stadiorum fuisse ait: hoc est XIII. M. DCC. pass. quæ summa propius ad Plinianam accedit. Sed Curtii mentio paulo ante habita nos admonet, ut locum restituamus facundissimi scriptoris, in omnibus quæ hactenus nobis videre contigit exemplaribus corruptissimum. Ejus verba, cum de Alexandria disserit, sunt: 'Fama est, cum rex urbis futuris muris polentam (ut Macedonum mos est) destinasset.' Corrige: 'Fama est, cum rex urbis futuros muros polenta (ut Macedonum mos est) designasset,' ex Strabone, Plutarcho, Stephano, Arriano. *Idem.*

XXX. M. p. trajectu, DC. ambitu] Fieri quidem posset, ut lacus, cujus trajectus XXX. M. pass. sit, ambitum habeat DC. millium; verisimile tamen non est. Proinde vetus lectio videtur mihi sincerior, *CCL. ambitu:* etiamsi in libris scriptis vitiose legatur, *CD.* confusis duobus elementis *cl* in unam *d*, ut fieri a librariis consuevit, quæ illorum est diligentia, ut infra constabit cap. 12. Strabo Mariam lacum latitudinem habere supra CL. stadia, longitudinem citra CCC. tradit. *Idem.*

Naucratis: unde ostium quidam Naucraticum, &c.] Legend. *Naucratiticum*, vel *Naucratioticum*. Vide Salmas. p. 476. a, b. *Naucraticum*] Athenæus l. XI. p. 237. vs. 8. πολλοὶ δ' ἐν τῇ Ναυκράτει κεραμεῖς, ἀφ' ὧν καὶ ἡ πλησίον τῶν κεραμείων πύλη Κεραμικὴ καλεῖται. Sunt autem Naucratici figuli multi, a quibus proximum Nili ostium Ceramicum appellatur. *Dalec.*

Quod alii Heracleoticum Canopico, cui proximum est, præferentes] Verba, ut reor, malo ordine locat, redigendaque ad pristinum statum, hoc (ni fallor) pacto: *Canopico quod alii Heracleoticum vocant, cui proximum est, præferentes.* Nam Canopicum ostium Heracleoticum etiam nominatum esse Ptolemæus satis docet: non Canopicum illud, sed Heracleoticum appellans, a civitate Heracleopoli prope Canopum, auctore Stephano. Accedit Strabonis testimonium lib. XI. 'Necessarium est,' inquit, 'ad Canopi et Alexandriæ loca reverti: hic est enim ultimum ostium, quod Canopicum Heracleoticumque vocant.' *Pintian.*

CAP. XI. *Arabia.*

Arabia] Solinus paulo plura c. 36. congerit hue facientia. Legito et Onuph. Panvin. Imp. Rom. p. 843. *Dalec.*

CAP. XII. *Syria, Palæstina, Phœnice.*

Syria] ארם *Aram*, Hebræis dicta, seu Ἀραμαία, quo et Strabo utitur. Cæterum de ipsius latitudine et regionibus legatur Mela I. 11. et Æth. Cosmograph. p. 85. Strabo l. XVI. et Car. Sigon. de Antiq. Jur. Prov. I. 12. Onuph. Imp. Rom. p. 768. c. 87. et Adricho in Descript. Terr. Sep. 95.

et Bertram. Gram. Ebr. ubi hoc modo recenset regiones: 1. Aram κατ' ἐξοχὴν dicta, seu Paddan Aram, Suria jugata, seu concise Paddan, hoc est, jugum seu Aram Necharajim Suria, interamnis Μεσοποτάμια. 2. Aram Zobah, seu Zonah, fortean Sophene. 3. Aram Beth, Rechob. 4. Aram Mahachab. 5. Aram Dameschek, Suria Damascena, quæ et Cana seu Cælesyria. 6. Aram Chamat, Suria Comagena seu Antiochena. *Dalec.*

Navaliumque ac bellicarum artium] Ciceroni apud Nonium de Repub. Phœnices primum mercaturis et mercibus suis avaritiam et magnificentiam et inexplebiles cupiditates omnium rerum importaverunt in Græciam. Victorius XII. 4. *Idem.*

Casius mons] De monte Casio lege Strab. lib. XVI. p. 721. ex quo loco videntur hæc desumpta, et ad verbum fere descripta. Vide et Solinum c. 37. *Idem.*

CAP. XIII. *Idumæa, Syria, Palæstina, Samaria.*

Rhinocolura] Rhinocera Diodor. in Bibliotheca II. 1. in Ægypti et Arabiæ confinio sita, haud procul a mari, dicta a narium mutilatione. Nam Actisanes, Æthiopum rex, superato Amaside Ægypti crudelissimo rege, Ægyptoque subacta, latrones omnes excisis naribus in ultimum desertum abire coëgit, et eam illic civitatem condere, quod et Strabo refert lib. XVI. quamvis lib. de Ira Seneca factum id a rege Persarum in Syria scripserit. Hadr. Jun. v. 3. *Idem.*

Jamnes duæ] Lege, *Jamneæ duæ.* Vide Salmas. p. 569. a.

Inde Apollonia] De qua Ovid. Met. IV. et auctor infra c. 23. et vide Lil. Gyrald. Syntag. p. 60. *Dalec.*

A Vespasiano Imperatore deducta] Colonia Flavia Vespasiani Imperatoris beneficio immunis fuit. Remisit enim iis tributum capitis, Titus vero etiam soli. Cujacius Observat. X. 35. *Idem.*

Sebaste in monte altiore Gamala] Scripta exemplaria, *Sebasten in monte et altiore Gamala,* ut sit sensus, Sebasten in monte sitam esse, et in altiore monte alio Gamalam. Nam Josephus, in primo, castellum validissimum scribit esse Gamalam, et initio quarti: 'Gamala vero ei non cedebat, freta locorum difficultate amplius quam Jotapata. Jugum namque asperum, ex alto monte deductum, mediam cervicem erigit: et ubi supereminet, in longitudinem tenditur, tantum contra declive, quantum a tergo, ut cameli similitudinem præferat, unde nomen etiam duxit, nisi quod expressam vocabuli significationem indigenæ servare non possunt.' *Pintian.*

CAP. XIV. *Judæa, Galilæa.*

Supra Idumæam et Samariam] In manuscripto hæc, *Supra Idumæam et Samariam,* annectuntur præcedenti capiti, sequensque incipit: *Judæa longe, &c.* Dalec.

Pars ejus Syriæ juncta, Galilæa vocatur, &c.] Legend. *Pars ejus Syriæ juncta Galilæa vocatur, Arabiæ vero et Ægypto proxima Petræa asperis dispersa montibus.* Petræam illam partem Judææ dictam intelligit, ab asperis saxis quibus montuosa est. *Salm.* 470. a.

Non Judææ modo. Herodium cum oppido illustri ejusdem nominis] Exemplar Salmant. *Nomen Judææ modo:* Toletanum: *non Judææ modo Herodium oppidum illustrissimum ejusdem nominis.* Excusso igitur diligenter loco, puto scribendum: *Non Judææ modo Herodium oppidum illustrissimum est, Herodis nomine;* hoc sensu, Hierosolyma fuisse longe clarissimam urbium orientis, non tantum Judææ: nunc autem, iis eversis, successisse in locum eorum Herodium, &c. vel, si vis retinere lectionem impressam, intellige Norinem præfecturam appellatam, postea Herodium, cum oppi-

do illustri ejusdem nominis. *Pintian.*

CAP. XV. *Jordanis.*

Jordanis amnis oritur e fonte Paneade] Marcianus, et aliquando Stephanus, et exemplaria nonnulla, *Paneade.* Solinus cap. 36. *Peneade.* Utrunque antiquum exemplar *Paniade*, quibus favet Josephus secundo Judaici belli. Stephanus quoque Panion vocari tradit specum, unde Jordanis erumpit. Nec non Hegesippus et Josephus multis id locis confirmant. Ptolemæus etiam Cæsaream, cui Plinius inditum tradit ab hoc fonte cognomen, Cæsaream Paniæ vocat. *Idem.*

Et quatenus locorum situs patitur, ambitiosus, &c.] Legend. *Et quatenus locorum situs patitur, ambitiosus accolisque se præbens, velut invitus Asphaltiten lacum natura dirum potat, a quo postremo ebibitur.* Elegantissime dicit Jordanem non recto cursu petere lacum Asphaltiten a quo ebibitur, sed ambitiosum esse, et accolis præbentem se, et insinuantem, moras quærere, veluti invitus petat lacum illum natura dirum, quo laudatas suas aquas perdit pestilentibus mixtas. *Salmas.* p. 577. a. Sequitur, *amœnis circumseptum oppidis.* lege, *circumsessus.* Idem, 576. a.

CAP. XVI. *Asphaltites.*

Corpus] Vivum. Nam aqua bitumine spissa, non admittit corpora viva et spiritibus repleta. *Dalec.*

CAP. XVII. *Gens Essenorum.*

Gens Essenorum] Essenos Josephus Antiquit. Judæor. lib. XVIII. Philosophos, ut et Sadducæos et Pharisæos, ἀπὸ τῆς ὁσιότητος dictos vult. Rhodig. v. 9. Alii vocem eam significare putant τοὺς θεωρητικούς. Illorum placita Philo longa oratione recitat libello, Omnes studiosos liberos esse. *Dalec.*

Ab Occidente litore Esseni fugitant, &c.] Legend. *Ab occidente litora Hesseni fugiunt usque qua nocent, gens sola et præter cæteras mira.* Fugiebant littora Hesseni, ut interiora Judææ habitarent, ne puritati ac tranquillitati vitæ, quam sectabantur, maritima commercia nocerent. *Salmas.* p. 612. b. 613. a. Sequentia sic lege: *quos vita fessos ad eorum mores fluctibus agitata eicit;* vel, *agitata jacit, &c.* Mare fluctibus agitatum plerumque navigantes ad aliquod littus ejicit, &c. *Salmas.* 616. a. Præcessit *socia palmarum.* Mira loquutio: an quod inter Palmeta viverent? imo et absurda. Puto scripsisse, *esu palmarum.* Salmas. ibid.

CAP. XVIII. *Decapolis.*

Plurimi tamen Damascum et Opoton riguas, &c.] Lege: *plurimi tamen Damascum, et Opoton riguis ex amne Chrysorrhoa fertilem, Philadelphiam, Raphaneam.* Vel etiam, *riguis amnis Chrysorrhoæ fertilem.* Nihil verius. *Rigua* Plinio sunt ὀχετεῖαι. Sequitur, *omnia in Arabiam reincidentia.* Malo tamen credere Plinium scripsisse: *Damascum Eupoton riguis, &c.* cum adjuncto epitheto ad discrimen alterius cujusdam Damasci. Hoc indubitatum. atqui εὔποτος idem quod εὐπότιστος, *irrigua* et *rivis bene satura.* Sequitur *Pella, Gerasa, Canatha.* Male *Galasa.* Vide Salmas. p. 617. a. b.

Plurimi tamen Damasc. et Opoton, &c.] Lege: *Plurimi tamen Damascum ex epoto riguis amne Chrysorrhoa fertilem, &c.* Urbs Damascus fertilis est, quia crebris suis riguis totum epotat Chrysorrhoam. Notum est universum amnem istum in crebros dispersum rivos emori. Vide Isac. Vossium in Melam, pag. 28.

Paneas, in qua Cæsarea] Legendum, ut ante dixi, *Panias*, Josepho auctore, lib. secundo Judaici Belli multis locis, confirmante id etiam Hegesippo. Ptolemæus quoque libro quinto: 'Phœnices,' inquit, 'mediterraneæ civitates, Arra, Palæobiblos, Gabala, Cæsarea, Panias.' Stephanus in mentione Cæsareæ, *Paneas;* sed opinor vitio exemplaris. *Pintian.*

CAP. XIX. *Tyrus et Sidon.*

Dorum, Sycaminum, Promontorium Carmelum] Ptolemæus, *Dora:* Stephanus, *Dorus.* Par varietas in urbe sequente. Stephanus neutra terminatione in recto *Sycaminon* nominat: Ptolemæus et Strab. genitivi pluralis desinentia, *Sycaminon*, hoc est, mororum civitas, sicut paulo ante Crocodilon, hoc est, crocodilorum. Et ita interpretes Ptolemæi et Strabonis verterunt, ille Græco genitivo usus *Sycaminon*, hic Latino *Sycaminorum* et *Crocodilorum.* Quapropter Hermolai sententia non placet, qui in Strabone legit in recto singulari *Sycaminon.* Cujus erroris potuissent eum admonere duo plurales genitivi sequentes, *Bucolon* et *Crocodolon*, ut supra *Alabastron* et *Lycon*, et infra hoc ipso capite *Ornithon*, et rursus sequente *Leonton:* hoc est, alabastrorum, luporum, avium, leonum urbes. Corrigendus igitur Ptolemæus Græcus, in quo *Sycaminos* scriptum est, pro *Sycaminon.* Præterea *Carmelus* in recto omnes proferunt, nemo *Carmelum.* Nota res, nec confirmanda verbosius. *Idem.*

Belus] Vide XXXVI. 36. *Dalec.*

Tyrus] צר seu צור *Tsor* Ebræis dicta. Unde et Sarram suam mutuati sunt scriptores Latini. Qua de re P. Merula super Ennium p. 293. *Idem.*

Alexandri oppugnantis operibus continens] Vide Quint. Curt. de Reb. Gestis Alexandri Magni lib. IV. et Arrian. lib. II. Diod. Sicul. lib. XVII. *Idem.*

CAP. XX. *Mons Libanus.*

Leontos oppidum] Scribendum, ut admonui, *Leonton*, id est, leonum, ex Strabone XVI. male ejus interprete transferente *leonum.* Pintian.

Byblos] Hesiodus: Βίβλον τ' ἀγχίαλον καὶ Σιδῶν' ἀνθεμόεσσαν. Sic dictam volunt, quod e Byblo compositi libri in ea repositi non corrumperentur. Idem poëta diebus fervidis umbrosa, saxosa, cavernosa quæri jubet, et vinum byblinum bibi, celebratum ab Achæo tragico et Theocrito. Interpres Hesiodi exposuit, aquosum et tenue.' Guilandinus in XIII. Plinii multo plura. Vide ejus scripta: ut et Etymolog. Magnum, Βίβλινος οἶνος, et Steph. de Urb. *Dalec.*

Contraque Aradum Antarados] Exemplaria duo, magno consensu: *Contraque Arados septem stadiorum oppidum et insula, &c.* ut sit sensus: Contra Marathon urbem, in continente sitam, oppositam esse in mari, CC. pass. submotam a continente, Aradum insulam cum oppido ejusdem nominis, septem stadiorum. Quæ lectio multo rectior est ea quam hic Hermolaus agnoscit, parum (ut mihi videtur) aptum. Quod ut sit perspicuum, Strabonis verba subjiciam lib. XVI. 'In fronte,' inquit, 'jugosæ cujusdam et importuosæ oræ Aradus jacet, inter ejus portum scilicet atque Marathum, distans a terra stadiis viginti. Ea est petra quædam mari circumfusa, septem stadiorum ambitu.' Ex quibus Strabonis verbis apparet scribendum esse in Plinio, non *CC. pass.* sed *II. M. D. pass.* aut, si mavis, *XX. stadiis.* Pintian.

Promontorium, in quo Laodicea libera, &c.] Legend. *Promontorium in quo Laodicea libera, Diospolis, Heraclea, Charadrus, Posidion. Deinde promontorium Syriæ Antiochiæ: intus ipsa Antiochia libera Epidaphnes cognominata.* Perperam hæc divulsa sunt, et capitibus sectis diducta. Et *Antiochia* scribitur pro *Antiochiæ* vel *Antiochena.* Salmas. 890. b.

CAP. XXI. *Syria Antiochena.*

CAP. XXII. *Casius mons.*

CAP. XXIII. *Cœle Syria.*

Atargatis] Vetus legit *Atergatis.* Strabo de hoc nomine et similib. lib. XVI. in fine: 'Nominum mutationes permultæ sunt, præsertim Barbarorum: quemadmodum Dariacem Darium, Pharzirin vero ipsam Parysa-

tim, Atargatam, Atharam, quam Ctesias Derceto vocavit.' *Dalec.*

Derceto] Ad Ascalonem templum ejus fuisse scribit Rhodig. XXIII. 5. Prodigiosam auctor vocat, quod ejus facies humana foret, cætera piscis. Semiramidis matrem fuisse narrant. Fabulosa de illa vide plurima apud Rhodig. et Lil. Gyrald. Syros et piscibus abstinere, et columbas tanquam sacras venerari, refert Victorius ex Xenophonte et Porphyrio XII. 15. vide et supra c. 13. hujus libri, et Diod. Sic. lib. III. *Idem.*

CAP. XXIV. *Euphrates.*

Oritur in præfectura Armeniæ majoris Caranitide, &c.] Vide ibi quæ observat Cl. Salmasius p. 620. a, b. &c. Sequentia sic legenda: *Fluit Xerxenen primum, mox Anaiticam Armeniæ regiones a Cappadocia excludens.* Et pro *Simyram* lege *Zimaram.* Vide Salmas. 624. b. Sequitur: *Ommam vocant irrumpentem; mox ubi perfregit Euphratem, tum quoque saxosum et violentum.* Sequitur, *Arabiam inde læva Oroëon dictam regionem, &c.* vide VI. 9. Sequitur: *apud Claudiopolim Cappadociæ cursum ad occasum Solis agit primo. Hunc illic in pugna Taurus aufert, victusque ac abscissus sibimet, &c.* Vide Salmas. 626. a.

In monte Aba, Licinius Mutianus] Lege: *in monte Aca, Lycinius Mutianus, &c.* Salmas. 194. a.

Anaëtiam] In Anaëtia fuit Anaitidis religiosissimum templum, cujus meminit Strabo lib. XII. et auctor XXXIII. 4. *Dalec.*

Melitenen] Ptolemæus Armeniæ minori assignat. *Idem.*

Ultra quoque saxosum ac violentum. Arabiam inde læva] Sic interpungendum, ut verbum *Arabiam* superioribus jungas. Significat ea vox apud Græcos sonorum, fragorem excitantem. Ita fit, ut ab Hermolao et ejus Solino ex diametro (ut dici solet) distemus. *Pintian.*

Originem a Syris trahens, in qua Antemusia, &c.] Legend. *Originem ab Assyriis trahens, in qua Anthemusia et Nicephorium oppida. Mox Arabes qui Pretavi vocantur. Horum caput Suigara.* Sequentia longe corruptissima; lege, *Gindara Commagenem finit, Imme incipit:* nihil verius. Vide Salmas. 630. b. 631. a.

CAP. XXV. *Palmyra.*

Seleucia] Ptolemæus Seleuciam ad Tigrin Mesopotamiæ adscribit. *Dalec.*

Propius] In manuscripto vocabulum *propius* est initium capitis sequentis. *Idem.*

CAP. XXVI. *Hierapolis.*

CAP. XXVII. *Cilicia, et adjunctæ gentes Isauricæ, Homonadum, Pisidia, Lycaonia, Pamphylia, Taurus mons, Lycia.*

Campi Aleii] 'Αλήϊα πεδία, ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι, *ab errando*, quoniam excussus Pegaso Bellerophon per eos solus oberraverit. Quidam ab oppido, quod Alas vocant, dictos fuisse volunt, esseque sitos inter Pinarum et Cydnon fluvios. Quidam interpretantur, οὐκ ἔχοντα λήϊα, τοῦτ' ἔστιν, σιτοφόρα, καὶ χωρὶς βοσκημάτων. Homerus: "Ητοι ὁ καππεδίον τὸ 'Αλήϊον οἶος ἀλᾶτο, "Ον θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. Hos versus sic reddidit Cicero: *Qui miser in campis mærens errabat Aleis, Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.* Rhodig. XVII. 23. Leopardus VII. 20. *Dalec.*

Mopsos] Stephanus Μόψου ἑστίαν vocat. D. Hieronymus Mopsi viculum, ubi supremum diem obiit Constantius Imperator, a Mopso vate dictus est, qui Chalcanti mortis causam attulit. Cum enim Chalcanti fata prædixissent vita tum decessurum, cum incidisset in vatem se præstantiorem, occurrit is Mopso, arte vaticinandi celebri, rogavitque, ut ait Hesiodus, in caprifico quot ficus essent. Respondit ille, decem millia, et unam. Ut vero ait Pherecydes, percunctatus est, sus prægn-

nans obvia quot porcellos gestaret. Respondit ille, tres, ac ex iis unam fœminam: quod ubi verum esse deprehenderunt, mœrore et tristitia vitam Chalcas finivit. Rhodigin. XXIX. 15. *Idem.*

Mox flumen Calycadnus, &c.] Lege: *Mox flumen Calycadnus, promontorium Sarpedon: oppida Holmæ, Myle, &c.* Salmas. 620. a.

Trachiotis cognomine a mari relata, ubi vocabatur Hormia] Vetus lectio, *Trackeodes.* Stephanus, *Trachea.* Item Hermolaus ex Strabone *Olmos* aut *Olmia* pro *Hormia* suffecit. Sed multum differt Olmos, quod scribit Strabo, ab Olmia. Itaque posset legi vel *Olbia* vel *Hydria*, ex eodem Stephano. Nam et vetus lectio *Ermia* præfert. *Pintian.*

Lalassis decurrit] Est *Lalassis* oppidi nomen, teste Stephano. Cæterum *decurrit* ad Isauriam referendum, quod declivius sit, qua versus mare protenditur editiore situ mediterraneo. *Gelen.*

Platanistus] Strabo Platanistum vocat quosdam scopulos in mari Cilicio vortiginosum mare reddentes. *Dalec.*

Junctum ei mare Lycium est, gensque Lycia, &c.] Legend. *Junctum mare, Lycium est, gensque Lycia. Inde vastum sinum Taurus mons ab Eois veniens littoribus, Chelidonion promontorio disterminat.* Promontoria, ut notum est, sinus disterminant et claudunt. Tauri promontorium, quod est contra Chelidonias, sinum vastum disterminat a Lyciaco mari. *Chelidonion promontorium* heic vocat, quod sit contra Chelidonias oppositum. Vide Salmas. p. 779. a. *Junctum ei mare Lycium est, gensque Lycia, &c.*] Locum hunc Plinii valde vexat Salmasius. Nihil mutandum: ait enim, Phaselidi junctum esse mare Lycium, gentem Lyciam et sinum vastum ab ea denominatum. Omnia autem hæc a Pamphylia et mari Pamphylico disterminare Chelidonium promontorium. Vide Vossium in Melam, p. 74. 75.

Riphæorum montium juga] Fallitur Plinius: nulli enim existunt Riphæi. *Dalec.*

Numerosis nominibus] Strabo lib. XV. de diversis nominibus Tauri, inquit: 'Indigenæ Taurum, alias Paropamissum, Emodum, Imaum, et aliis nominibus appellant, Macedones vero Caucasum vocant.' *Idem.*

Caria mediæ Doridi circumfunditur ad mare utroque latere ambiens] Sic quidem vetera præferunt exemplaria: sed hac in parte magis placet recentior lectio: *Caria mediæ Doridi circumfunditur mari utroque latere ambiente.* Pintian.

Promontorium Pedalium] Ptolemæus has urbes omnes Ciliciæ assignat. *Dalec.*

Amnis Glaucus deferens Telmessum] Vetus lectio, *Telmedium.* Hermolaus *Telmessum* correxit, nescio qua ratione; nam si *Telmessum* legas, quis, rogo, intellectus accommodari poterit verbis illis, *deferens Telmessum?* Quapropter etsi auctore caream, suspicor tamen *Temedium* nomen esse fluvii, qui in Glaucum influat, et in mare ab eo deferatur. Deferri enim dicuntur fluvii a majoribus, in quos exonerant, ut infra c. 29. 'Alluitur Caystro Cilbianis jugis orto, multosque amnes deferente;' et sæpe alias sic loquitur Plinius. *Pintian.*

Dædala] Ptolemæus Dædala pro loco usurpat. *Dalec.*

CAP. XXVIII. *Indus fluvius.*

Ab ea Doris incipit, &c.] Lege: *Ab ea Doris incipit. Sed prius terga et mediterraneas jurisdictiones indicasse conveniat. Una appellatur Cibyratica. Ipsum oppidum Phrygiæ est. Conveniunt eo XXV. civit. celeberrima urbe Laudicia. Imposita est Lyco flumini latera alluentibus Asopo et Capro.* Sic totus ille locus conjunctim legendus et continuandus, quem male editio-

nes divellunt capitum sectione. Quo ex loco facile intelligis libros suos Plinium per capita non divisisse. Ex omnibus urbibus Cibyratici conventus celeberrimam esse dicit Laudiciam ad Lycum. Vide Salmas. p. 828. a, b.

CAP. XXIX. *Laodicea, Apamia, Ionia, Ephesus.*

Apamiam] Apamia dicta est ab Apama, Artabazi filia, quæ Seleuco Nicanori nupsit, et mater Antiochi Soteris fuit, qui urbem Apamiam condidit. Vocata fuit et Cellæne a Cellænis, oppido, ex quo traducti sunt incolæ Apamiæ. Hoc in loco est palus quædam quæ calamos gignit ad tibiarum linguas idoneos, unde nata fabula de Marsyæ cum Apolline contentione. Vide Strab. lib. XII. *Dalec.*

Sita est in radice montis Signiæ, &c.] Situm veterum Celænarum confundere Plinius videtur cum situ novæ urbis. Vide Salmas. p. 826.

Marsyas ibi redditur, &c.] 'Reddere' hic pro tradere: et 'reddi flumina' dicuntur, qui emergunt, postquam aliquantisper latuerunt. Salmas. 826. b. 827. a. *Marsyas ibi redditur*] Vide fabulam apud Ovid. Met. VI. *Dalec.*

Mossinus] Alius est Mossinus Thraciæ apud Athen. lib. VIII. p. 172. vs. 18. *Dalec.*

Oraculum Branchidarum] Ptolemæus *Branchidas* usurpat pro ea parte montis Didus quæ Orientem spectat. *Dalec.*

Didymæi Apollinis] Didyma oraculum Mileto vicinum, Jovi sacrum et Apollini, quasi geminis Diis, (διδύμους καὶ διδυμάονας Græci geminos vocant,) unde Apollo Didymæus appellatur. Papin. Theb. VIII. 'Nec Clarias hac luce fores, Didymæque quisquam Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.' Didymæi Apollinis fit et mentio VI. 16. Vide Rhodig. IV. 23. Didymæo Jovi cum res divina fit, libant hederæ foliis. Inde κισσίβιον poculum dictum. Athen. p. 235. vs. 14. *Idem.*

Super octoginta urbium per cuncta maria genitrix] Verior lectio *LXX.* *urbium*, quam *LXXX.* Seneca de Consolatione ad Helviam matrem: 'Miletus LXXV. urbium populum in diversa effudit.' Qui locus ante nostras in eum auctorem castigationes corruptissime legebatur. *Pintian.*

Nec fraudanda cive Cadmo qui primus prosam orationem condere instituit] Quod hic Cadmo Milesio, infra VII. 56. Pherecydi Syrio tribuit Plinius. Quid igitur est? contradicit sibi Plinius? Minime gentium. Nam Strabone auctore primo volumine, ante omnia apparatio ipsa poëtica processit in medium, et approbata complacuit. Dehinc illam imitari, cum metrum solvissent, reliquis poëticæ servatis partibus, rem scriptis commendaverunt, Cadmus videlicet et Pherecydes et Hecatæus. Notandum vero, et hic et infra lib. VII. ubi agit de inventoribus rerum, non legi in archetypo Toletano *prosam*, sed *prorsam*: de Cadmo Milesio prosæ inventore et Solinus. *Idem.* *Cive Cadmo*] Auctor VII. 56. dicit Pherecydem Syrium primum Cyri regis Persarum ætate prosam orationem instituisse: historiam vero Cadmum Milesium. *Dalec.*

Postremo Cariam placidus omnesque, &c.] Leg. *Postremo Cariam placidus, Ionesque agros*, vel *Ionumque agros.* Livius, 'per Caras primum, deinde Ionas.' Idque et Strabo confirmat, *Salmas.* 826. b.

Regio omnibus Ionibus sacra] Asylon Iouiam fuit in promontorio montis Icales. *Dalec.*

Ephesus Amazonum opus, multis antea, &c.] Legend. *Epesos Amazonum opus, multis antea expetita nominibus, Alopes cum pugnatum apud Trojam est, mox Ortygiæ et Samornas vocatæ, et Smyr-*

næ cognomine Trachiæ, et Samonide, et Pteleæ. Et paullo post pro *Callipia,* lege *Halitæa.* Salmasius pagina 809. b. 810. b.

Alluitur Caystro] Propertius 'cygnæum Caystrum' vocat, a cygnorum copia qui in eo sunt fluvio: 'Et qua Cygnæi visenda est ora Caystri, Et qua septenas temperat unda vias.' Lipsius I. 2. *Dalec.*

Fons in urbe Callipia, templum Dianæ complexa. E diversis regionibus duo Selinuntes] Pausanias tria celebrat in Ephesia terra: Cenchrium fluvium, Pionis montis naturam, (cujus ante Plinius meminit,) et Halitæam fontem. Nihil muto, aurem tantum securo lectori vello, ut æstimet an hic pro *Callipia* substitui debeat *Halitæa.* Item *Sellenuntes* lego, non *Selinuntes.* Neque lacus accipio cum Hermolao ex Strabone, sed fluvios cum Xenophonte libro quinto de Ascensu Cyri. 'Et Ephesi,' inquit, 'circa Ephesiæ Dianæ templum Sellenus fluvius labitur.' *Pintian.*

Lebedos] Ptolemæi meum exemplar habet *Lacerea.* Dalec.

Promontorium Coryceon, mons Mimas CCL. M. passuum excurrens atque in continentibus campis residens] Dicit Mimantem montem a mari incipere ubi promontorium Coryceon est, et excurrere in continentem ubi residet, per CCL. millia passuum. Sed hanc excurrentiam aliter exhibent libri veteres, et legunt *CLC.* an legendum *CCC.* an potius *CIↃ.* sed minus exiguus hic numerus. Iidem libri pro *Coryceon* habent *Coryneon,* et infra ubi legitur *nunc est Aleon fluvius, Coryneon Mimantis promontorium,* de eodem promontorio intelligendum. *Salmas.* p. 861. b. et 862. a. Et paulo post ibid. lege: *Obiit et Archæopolis substituta Sipylo, et inde illi Colpe, et huic Lebade.* Dicit igitur substitutam Sipylo Archæopolin, quæ et ipsa obiit. Inde etiam Colpen similiter obiisse quæ in locum Archæopolis successit. Vide Salm. p. 862. b. 863. a.

Erythræque] Straboni Gnopopolis. *Dalec.*

Juxta eas fuerunt oppida Pteleon] Lego: *Juxta Teos. Fuerunt oppida Pteleon, &c.* ex Ptolemæo, cui post Erythras statim locantur Teos et Lebedos: notanda librariorum allucinatione, qui pro *Lebedos* ibi *Lesbos* scripserunt. Porro Teos una ex XII. Ioniæ urbibus, media totius provinciæ, testibus Herodoto primo volumine, et Stephano, clara natalibus Anacreontis poëtæ lyrici, Apelliconis, Hecatæi historici, Protagoræ philosophi, et Scithini iamborum poëtæ, adeo est apud cunctos auctores celebris, ut neque a Plinio fuerit prætermittenda, neque ullo ampliore testimonio a me indicanda, tantum famæ superfluit. *Pintian.*

Substituta Sipylo] Μάγνητες ὑπὸ Σιπύλῳ Straboni lib. XIII. Nam etiam fuerant Μάγνητες ἐπὶ Μαιάνδρῳ. Cicero ad Q. Fratrem: 'De te a Magnetibus ab Sipylo mentio est honorifica facta, cum te unum dicerent postulationi L. Pansæ restitisse.' Victor. XXX. 1. *Dalec.*

Macedones Hyrcani cognominati] Mosteni et Mofeni, Ptol. *Dalec.*

Cæsarienses Metropolitæ] Ierocæsarea, Ptolemæo. *Idem.*

CAP. XXX. *Æolis, Troas, Pergamus.*

Palæscepsis, Gergithos] *Gergitha* non *Gergythos* uterque antiquus codex præfert, et ante Hermolaum ita legebatur; ipse *Gergis* seu *Gergythos* substituit. In quo quum Stephanum sequatur, lapsu memoriæ Strabonem citat. Atqui Strabo lib. XIII. *Gergetha* nominat. 'In Lampsaceno locus est,' inquit, 'vinearum ferax, qui Gergethium appellatur.' Fuit etiam civitas Gergetha a Gergethibus, qui sunt in Cumano agro. Et alibi: 'Prope ejus ortum vicus est Gergetha, in quem Attalus eos transtulit qui in Troade erant, quum locum eum cepisset.' Itaque nihil ex

priore antiquaque lectione mutandum. *Pint.* *Gergithos*] Athenæus lib. VI. pag. 128. lib. XXI. Gergina sive Gergitha, Æolidis oppidum, ab assentatoribus conditum. Vide locum. Γεργὶς dicitur quoque Steph. *Dalec.*

Ida mons] Idæ ferarum latibula, νάπαι, θάμνοι, φωλεοὶ, ὀργάδες. Rhodig. lib. XXVI. cap. ult. Ida, quivis mons excelsus, unde circunjecta spectari possunt. Idem XXVIII. 1. *Idem.*

Olim Pedasus dicta] Pedasensibus mirum hoc contingere scribunt Herodotus, Aristoteles, Strabo, ut quoties adversi quippiam illis, aut vicinis imminet, Antistiti Minervæ, quæ illic est, prolixa barba nascatur. Rhodig. XIV. 21.

Smintheum templum durat, intus Colone intercidit] Prior lectio, *colonia*. Hermolaus *colone* legit: quam recte nescio. Nam (ut conjicio) Plinius hic ora indicata regreditur more suo ad monstranda interiora. Coloniam vero hic accipio Sminthium, eodem quo templum nomine, quam Strabo Sminthium, Stephanus Sminthem nominat. *Pintian.* *Smintheum templum durat*] Quare Smintheus Apollo dictus fuerit, vide apud Strabonem lib. XIII. pag. 576. *Dalec.*

Deportata Adramytteum negotia] Libentius legerim *deportant*, hoc est, jura petunt Adramitteum gentes, quas subjicit: et exemplar Salmanticense *deportant* legit. Sic supra, cum de Mileto et Smyrna, locisque circumjacentibus, tractasset, subjungit: 'Smyrnæum conventum magna pars Æoliæ, quæ mox dicetur, frequentat.' *Pintian.*

Remotum a portu Ilium immune] Plenissima immunitate, omnium tributorum et munerum publicorum, militiæ, metati, etiam tutelarum. Callistratus in l. non solum § Iliensibus. D. de excusat. item, ut qui matre Iliensi esset, fieret eorum municeps, et ut Minerva Iliensis hæres institui posset l. I. D. ad municip. Data vero est primum decreto decem legatorum, icto fœdere cum Antiocho, Rhœteo et Gergitho insuper concessis, Liv. lib. XXXVIII. propter inclytam nobilitatem civitatis et conjunctionem originis Romanæ. Confirmat Claudius Cæsar propter originis gloriam. Tacit. lib. IV. Cujac. X. 5. Observat. Turneb. VII. 21. Ilium novum a vetere distat XXX. stad. juxta Strabonem. *Dalec.*

Fuit et Achilleon oppidum juxta tumulum Achillis, conditum a Mitylenæis et mox Atheniensibus, ubi classis ejus steterat. In Sigeo fuit et Æantion, &c.] Duo illa verba *in Sigeo* ad præcedentia pertinent, illisque adjungenda sunt: tum sequitur: *Fuit et Æantion in altero cornu*, hoc est, in Rhœteo altero montis Idæ promontorio: quod Pomponius tradit libro primo, et Strabo lib. XIII. Quæ vitiosa interpunctio causam Solino erroris præbuit. Scribit enim cap. 42. in Rhœteo promontorio Achilleon oppidum conditum esse, quod falsum est. Strabonis verba subjeci ex lib. XIII. 'Hujus oræ spatium a Rhœteo usque Sigeum et Achillis tumulum recta navigantibus est stadiorum LXX.' Hic Strabo Sigeum cum Achillis tumulo copulat. Item Achillis monumentum in oppido Achilleo esse, idem Strabo in eodem loco testatur: 'Achilleon,' inquit, 'locus est in quo Achillis tumulus ostenditur.' Et paulo post: 'A priore autem aliis XXX. stadiis ad partem quæ est Idam versus, Achilles et templum habet et tumulum juxta Sigeum.' Et rursus: 'Demetrius,' inquit, 'Timæum mentiri ait, qui scribit e lapidibus Ilii Achilleon a Periandro munitum, dum Atheniensibus contra Pittacum auxiliaretur. Munitum quidem hunc locum a Mitylenæis apud Sigeum contendit.' Stephanus quoque in Sigeo Achilleum urbem statuit. Suffragatur Herodotus etiam in Terpsichore, Achilleon simul cum Sigeo memorans.

Porro *Sigeum* scribendum sine diphthongo in penultima, meminimus in Pomponium. *Pint.*

Et ipso in statione classis suæ] Scribo, *Et ipsum in statione classis suæ;* hoc sensu: Sicut Achilleum conditum sit in Sigeo a Mitylenæis et Atheniensibus juxta Achillis tumulum, ubi classis ejus steterat, sic Æantion conditum a Rhodiis in Rhœteo juxta tumulum Ajacis, et ipsum in statione classis Ajacis. *Idem.*

Hieracomitæ] Ieragermæ Ptolemæo civitas eorum dicitur. *Dalec.*

CAP. XXXI. *Insulæ ante Asiam, Pamphylium mare, Rhodus, Samus, Chius.*

Tribus omnino aditur alveis maris, &c.] Lege: *tribus omnino aditur alveis mari Stegano, Posideo, Tauro.* Salmas. p. 479. b.

In Phœnicio deinde mari est ante Ioppen Paria, tota oppidum, in qua objectam beluæ Andromedam ferunt, et jam dicta Arados] Familiarem librariorum errorem permutandorum verborum hoc etiam loco admissum opinor. Nam quod hic Pariæ tribuitur, totam esse oppidum, non Pariæ ignobili alioqui insulæ alii auctores assignant, sed Arado celebratissimæ apud cunctos insulæ maris Phœnicii: de qua Strabonis et Pomponii verba supra retulimus. Erit ergo hoc loco verborum contextus talis: *in Phœnicio deinde mari est ante Ioppen Paria, in qua objectam beluæ Andromedam ferunt, et jam dicta Arados.* Quid si non *ante Ioppen*, sed *Antioppe*, et non *Paria*, sed *parva*, scribendum est? ut sit Antioppe nomen insulæ, sic dictæ quod contra Ioppen sita sit: ut in montibus et promontoriis, Antilibanus, Anticragus, Antitaurus, Antirrhium, quod sint opposita Libano, Crago, Tauro, Rhio: et in oppidis Antarados, Antiphelus, Anticinolis, et in insulis, Antissa, quod opposita esset Lesbo, quæ quondam Issa dicta fuit, auctore Myrsilo, referente in primo volumine Strabone, ut rursus in Plinio ad hunc posset modum legi: *In Phœnicio deinde mari est Antioppe, in qua objectam beluæ Andromedam ferunt, et jam dicta Arados, parva, tota oppidum:* quæ lectio propius ad Pomponii verba accedit, a quo etsi exiguo, divite tamen penore, multa Plinium mutuatum, in confesso est. *Pintian.* *In Phœnicio deinde mari est ante Ioppen Paria, tota oppidum, &c.*] Nulla ad Ioppen est insula, neque unquam fuit. Vide Isaacum Vossium in Melam, p. 201.

Cilicium ex quinque maximis Cyprum] Legendum reor, *ex VII. maximis Cyprum.* Strabo lib. XIV. ' Quidam post captam Trojam dicunt insulas Gymnesias ab eis habitatas, quarum majorem Timæus ait maximam esse post VII. Sardiniam, Siciliam, Cyprum, Cretam, Eubœam, Cyrnum, et Lesbum.' *Pintian.*

Cerastin] Cerastiam vocari Xenagoras scripsit, ὅτι πολλὰ κέρατα, τοῦτ' ἔστι πολλὰς ἐξοχὰς ἔχει, multis promontoriis superciliosa est ac erecta: quamvis sint qui ideo sic dictam putent, quod aliquando in ea cornuti fuerint homines. Dicta et Sphecia ab incolis Sphecibus, vel a Vespis. Rhod. XXX. 1. *Dalec.*

Proximaque Cauno Rhodussa] Legebatur ante Hermolaum, *Proximaque Cunorhodosa;* ipse *Cynorhodossa* correxit, non recte. Nos tum ex Stephano, tum ex vetere utroque codice sic scribimus, *Proximaque Cauno Rhodussa.* Nam ambo exemplaria *Cauno* legunt, non *Cuno:* et Caunus urbs est Cariæ; parum a Rhodo submota, apud omnes decantata, unde ficus illæ Canneæ, quæ Crasso in Parthos proficiscenti omen fecere. De Rhodussa autem insula Stephanus: Schinussa, ut Rhodussa, Phocica insula. Est eidem Rhodussa urbs Argivæ regionis. *Pintian.*

Ophiusa] Dicta est a multitudine serpentum, quos eo tempestate dela-

tus Phorbas Triobæ filius occidit: *Asteriæ* ab Astri figura: *Æthræa* a serenitate, quia illic nunquam tantæ nubes sunt, ut aliquando de die sol non cernatur: *Trinacria* a tribus oppidis eminentibus: *Corymbia* a specie Corymborum hederæ: *Poëessa* ab herbido virore. Had. Jun. III. 16. Straboni vocata fuit et *Stadia* et *Telchinia*. *Pontiam* vocat Pindarus, ut *Pelagiam* Marcellinus lib. XVII. Pindarus Ialyson aureo imbre perfusam scribit ob divitias et summas opes: ἔνθα ποτὲ βρέχε θεῶν βασιλεὺς χρυσαῖς νιφάδεσσι πόλιν. *Dalec.*

Samon liberam] Samon insulam Apul. Florid. lib. II. Frumento pigram, aratro irritam, fœcundam olivetis, ait, nec a vinitore, nec ab olitores calpi, sed totam ejus, quamvis frequentibus incolis, hospitibus celebris, culturam esse in surculo et sarculo. Vide locum. *Dalec.*

Thallusa] Sic Hermolaus legit conjectura tantum ductus, cum prius scriptum esset *Thellusa*. Cæterum legentes meminerint, insulam nomine Pelus circa Chium a Stephano locari. *Pintian.* *Thallusa*] Stephano hic Pelus insula collocatur. *Dalec.*

Clara vero in alto Teos] Pro *Ιέos*, ut ante scriptum habebatur, Hermolaus *Teos* suffecit, et patriam Anacreontis accipit; procul, ut ego puto, a vero; nam Teos, Anacreontis patria, urbs est continentis, una ex XII. Ioniæ urbibus, ut geographi omnes juxta historicique testantur. In peninsula sitam esse Teon, Strabo Pomponiusque testantur; insulam esse, et præcipue in alto ab Erythris, Ioniæ urbe, LXXI. M. pass. submotam, ut Plinius adjicit, nec Strabo, nec Pomponius, nec omnino, quod sciam, alius. *Pintian.*

Eresos] Eresos Theophrasti patria, præstantissimo et candidissimo tritico nobilis, cujus pollinem Mercurius ad Deos ferret, si qua farina vesci cuperent. Archestratus in Gastronomia, ἐν Λέσβῳ, κλεινῆς Ἐρέσου περικύμονι μαστῷ, Λευκότερ' αἰθερίας χιόνος· θεοὶ εἴπερ ἔδουσι Ἄλφιτ' ἐκεῖθεν ἰὼν Ἑρμῆς αὐτοῖς ἀγοράζει. Ea ratione Delphis olim Etesii statuam Cereris Ἑρμοῦχου dicarunt. Hadrian. Jun. V. 4. Infamis ea fuit infanda libidine, unde λεσβιάζειν, vel ore morigerari, vel capiti illudere, ut Φοινικίζειν, ἄῤῥητον μίξιν μίγνυσθαι, a Phœnicum execrandis moribus. Brod. II. 21. Hier. Mercurial. Var. IV. 13. *Dalec.*

Tenedus] Tennin Cycni filium, Neptuni nepotem, cum noverca Philonome de stupro appellasset, recusantem apud patrem insimulavit, tanquam vim afferre voluisset. Credulus is juvenem capsa inclusum in mare abjecit, quæ Neptuno innocenti, et nepoti propitio, cum Leucophrim delata fuisset, aperta illa, et re cognita, incolæ regnum detulerunt, insulam de suo nomine appellarunt, mortuum pro Deo coluerunt. Muret. Var. I. 12. *Idem.*

CAP. XXXII. *Hellespontus, Mysia, Phrygia, Galatia, Bithynia, Bosphorus.*

Dascylos] Ptolemæo locus est dictus Dascylæum. *Dalec.*

Qui partem eam insedere] Strabo refert Volscorum Tectosages, cum robore et multitudine hominum valerent, seditione quodam tempore inter eos orta, magnum numerum hominum e finibus suis ejecisse, qui post longos errores in Phrygiam Paphlagoniæ et Cappadociæ profecti, illis non invitis, loca illa occuparunt, l. IV. et l. XII. ubi etiam ducem ipsorum vocat Λεονόριον, quem alii Lomorium, Pausanias fortean Cerethrium, nos Germani, ni fallamur, Leonhardum dicimus. Gentes autem tres tantum numerat, Trocmo set Tolistobogos a Ducibus, ac Tectosages ab natione Celtica denominatos, institutæque reip. commemorat formam. *Dalec.*

A Nicomedia, LXXII. M. D. Procerastis ante dicta] Legendum reor:

A Nicomedia, LXXII. M. D. pass. Cerastis ante dicta. Nam, ut conjicio, pro litera *p.* passus significante, imperiti librarii aut correctores *pro* scripserunt, sequenti verbo *Cerastis* adjungentes. Dicta autem sic Chalcedon, forte propter frequentiam Promontoriorum, seu cubitorum in pontum excurrentium. Etenim Cyprum ob eandem causam Cerastin dictam esse a Philonide supra meminit hoc ipso volumine, cap. 31. *Pintian.*

Deis Compusa] Utrumque exemplar *Colposa* legit, non *Compusa.* Scribendum puto *Colpoësse,* hoc est, sinuosa : quod optime quadrat cum præcedenti nomine Cerastis; ad multa namque promontoria multi sinus consequantur necesse est. *Idem.*

In quo portus Amyci] Is fuit Bebricum rex, pugil eximius, a Polluce in eo certamine victus et occisus, cum Argonautas hospitio probiberet. *Gelen.*

Est et Elæa et duæ Rhodiussæ, Erebinthus, Megale, Chalcitis] Scribendum *Rhodussæ,* non *Rhodiussæ,* ut admonuimus. Item *Erobinthotes* ostentant duo scripta exemplaria, eximie, hoc est, Ciceraria, ut quod statim sequitur, *Pityodes,* id est, Pinaria. Videtur quoque scribendum potius *Calcetis,* quam *Chalcitis,* ex Stephano in dictione Chalcedon. *Pintian.*

LIBER VI.

CAP. I. *Pontus Euxinus.*

Pontus Euxinus antea ab inhospitali feritate Axenos appellatus est, &c.] Ex cæso uno duo facta sunt, falsa interpositione substantivi verbi *est,* quod in neutro habetur scriptorum exemplarium. Legendum igitur: *Pontus Euxinus, ante ab inhospitali feritate. Axenos appellatus, peculiari invidia naturæ, sine ullo fine indulgentis aviditati maris, et ipse in Europam Asiamque funditur.* Pint.

Et partem earum aucta immanitate abstulisse] Exemplar Salmanticense et fere Toletanum *inanitate* legunt; non *immanitate,* quod et melius. Est enim familiare Plinio, quæ non habitantur, *inania* appellare. *Idem.*

Calpeque Africæ avulsa] Legendum puto, *Calpeque Abylæ avulsa.* Alioqui dicendum videbatur *Europaque Africæ avulsa.* Idem.

Sangarius fluvius ex inclytis. Oritur in Phrygia, accipit, &c.] Legend. *Sagaris fluvius ex inclytis oritur in Phrygia, accipit vastos amnes, inter quos Tembrogium et Gallum, idem Sangarius a plerisque dictus, a quo incipiunt Mariandinus sinus, oppidumque Heraclea, Lyco flumini adpositum.* Vide Salm. p. 880. b. et 881. a.

Fluvius Bilis] *Fluvius Billis, ultra quem gens Paphlagonia.* Hæc ita cum capite sequenti continuanda. *Salm.* p. 888. a.

CAP. II. *Gens Paphlagonum et Cappadocum.*

Cognomines eorum Venetos credi postulat] Legend. *Cognomines eorum Venetos credi ea re putat.* Ea re putat credi Venetos Itatiæ ex Henetis Paphlagonia ortos, quod idem nomen habeant, ac sint eorum cognomines. Vide Salmas. pag. 888. b.

Amisum liberum] Scribe, *Amisus libera,* ex Stephano, Arriano in Periplo, et Strabone undecimo, apud quem tamen interdum *Aminsus* est. Cui orthographiæ subscribit Suidas, per *i,* et item per *e,* in penultima scribi

tradens *Aminsus* et *Amesus*. Ptolemæus cum duplici *ss*, *Amissus*. Pintian.

A Sinope CXXX. M. pass.] Exemplar Salmant. vero propius, *CXX. M. pass.* Nam Stephanus intervallum ab Amiso ad Sinopen nongentorum stadiorum esse tradit, quæ agunt passuum XII. M. D. Scripsit et ante Stephanum id quoque Strabo XII. volumine. *Idem.*

Cæteras Barbarorum] Cur Barbari dicantur vide apud Strabonem. *Dalec.*

CAP. III. *Cappadocia.*

Sebastiam] Ptolemæo Augusti civitas. *Dalec.*

CAP. IV. *Themiscyreæ regionis gentes.*

Gentes Genetarum] Quartum cap. in manuscripto incipit a duobus posterioribus vocabulis cap. præcedentis hoc modo: *Nunc Matium gentes, &c.* Idem.

Trapezus liberum] Vide Strabonem lib. XII. *Dalec.*

Æa] Plinio Æa et Dioscurias civitates duæ sunt diversæ, Stephano vero una et eadem. *Idem.*

Suani] Σόανες Straboni lib. XI. ubi tamen Πόανες perperam legebatur. ut et apud Eustath. super Dionys. Θοᾶνες, commonente Hartungo decur. II. num. 6. *Idem.*

Regio Ecrectice] Ptolemæus, ut puto, appellat regionem hanc *Necreticen:* Arrianus *Niticen*. Pintian.

Flumen et oppidum Pityus] Sic Hermolaus, cum tamen antiqua omnis et recentior lectio *Penius* habeat, non *Pytius:* quam lectionem approbare videtur poëta Ovid. ex Ponto lib. IV. ' Hunc Lycus, hunc Sagaris, Peniusque, Hypanisque, Cratesque.' Itaque antiquam lectionem mutandam non censeo. Hanc castigationem debes Ovidiano enarratori. *Idem.*

CAP. V. *Regio Colchica, Achæi, et cæteri eodem tractu.*

Subjicitur regio Ponti Colchica] Locus frequens erroribus. Nam et in capitum distinctione erratum est, et in ordine verborum, et verba ipsa corrupta sunt. Aperiam igitur libere, ut soleo, sententiam meam, etiamsi periculum adeam, audax, et temerarius, et quibusvis aliis probrosis nominibus appellari, qui res tot jam seculis veluti communi doctissimorum hominum consensu receptas et persancte habitas convellere coner. Affirmo igitur initium quinto Capiti assignandum esse, unde prius admonui, deinde processum continuationemque verborum sic concipiendam esse: *Deinde multis nominibus Heniochorum gentes, urbe Colchorum Dioscuriade juxta fluvium Anthemunta, nunc deserta, quondam adeo clara, ut Timosthenes in eam trecentas nationes, quæ dissimilibus linguis uterentur, descendere prodiderit: et postea a nostris CXXX. interpretibus negocia ibi gesta. Sunt qui conditam eam ab Amphito et Tolchio Castoris ac Pollucis aurigis putant, a quibus ortam Heniochorum gentem feram constat. Reliqua littora feræ nationes tenent, Melanchlæni, Coraxi, Achei, Mardi, Cercetæ. Post eos Serri, Cephalotomi. Subjicitur Ponti regio Colchica, in qua juga Caucasi ad Riphæos montes torquentur, ut dictum est, altero latere in Euxinum et Mæotin devexa, altero in Caspium et Hyrcanum mare. A Dioscuriade oppidum Heracleum, distat a Sebastopoli LXXX. M. pass. In intimo eo tractu Pityus oppidum*, et reliqua usque ad finem capitis quinti. Nunc ostenso verborum ordine, ex collatione Strabonis, Ptolemæi, Arriani, Pomponii, cum verbis Plinianis, reliquum est ut verba ipsa corrigamus. *Subjicitur Ponti regio Colchica*] Neutrum ex nostris exemplaribus *Colchica* habet, sed alterum *collita*, alterum *colica*, ut putem scribendum esse *obliqua*, et totum locum legendum esse sic: *Subit tum Ponti regio obliqua, &c.* Movet me tum Arrianus in Periplo, qui enumeratis Heniochis et quibusdam aliis

gentibus, quas hic refert Plinius, subdit: 'A Sigame fluvio deflexímus in latus sinistrum Ponti usque ad fluvium Hippum, et ab Hippo ad Astelephum et Dioscuriada urbem vidimus Caucasum, altitudine Gallicarum Alpium. Apparebat autem et jugum quoddam Caucasi nomine Strobilus, unde fabulantur Prometheum Jovis imperio suspensum fuisse a Vulcano.' Hactenus Arrianus. Pomponius quoque primo libro, memoratis Melanchlænis, Coraxis, Phthirophagis, Heniochis, Achæis, Sindis, subjungit: 'In Heniochorum finibus Dioscurias a Castore et Polluce pontum cum Jasone ingressis, Sindos in Sindorum ab ipsis terrarum cultoribus condita est. Obliqua tunc regio et in latum modice patens, inter pontum paludemque in Bosphorum excurrit.' *Pintian.*

Sunt qui conditam eam ab Amphito et Telchio Castoris ac Pollucis aurigis putant] Solinus depravatam Plinii lectionem secutus, ut in plerisque omnibus solet, *Amphito* quoque et *Telchio* legit. Nos ad normam Græcorum scriptorum Plinii verba redigentes, non *Amphito* hic et *Telchio*, sed *Amphistrato* et *Rheca*, scribendum asserimus. Strabo libro undecimo: 'Tradunt Phthiotas Achæos ex Jasonis exercitu Achaiam, quæ hic est, habitasse: Laconas vero Heniochiam, quorum duces Rhecas et Amphistratus fuerunt Castoris et Pollucis aurigæ, unde Heniochi, ut verisimile est, ab his fuerunt nominati.' *Idem.*

A quibus ortam Heniochorum gentem feram constat] Pomponius, in primo, feras incultasque gentes appellat omnes, quas hic Plinius memorat, Melanchlænos, Coraxos, Phthirophagos, Heniochos, Achæos, Cercetas. Itaque ubi omnes sunt feræ gentes, nihil attinebat Heniochos feros appellare. Quapropter probo magis veterem utriusque codices lectionem, in quibus non *feram*, sed *fere*, legitur. *Idem.*

Ad hos confugerat Mithridates Claudio principe, narravitque Thalos, &c.] Lege, *Ad hos Sauromatas profugerat Mithridates Claudio principe, narravitque Thalos his esse vicinos, qui ab oriente Caspii maris fauces attingerent.* Thali vicini Sauromatis, qui Thali Caspii maris fauces attingebant. *Salmas.*

Inde promontorium Cruncæ, quo supercilium arduum, &c.] Nostra exemplaria rectius: *Inde promontorium Crunæ, a quo supercilium, &c.* Nam et Dionysopolin urbem Thraciæ Crunos ante dictam, sive mavis Crunus, hoc est salientes, Plinius supra docuit, et Strabo ac Stephanus et reliqui tradunt. Erit ergo rectus pluralis *Crunæ*, ut Solœ, et capite sequente Cepœ, et multa hujus notæ. *Pint.*

CAP. VI. *Bosphorus Cimmericus, Mæotis.*

CAP. VII. *Gentes circa Mæotin.*

Primo Sauromatæ Gynæcocratumeni, &c.] Lege, *Primo Sauromatæ Gynæcocratumeni Amazonum connubia.* Vide Vossium in Melam, p. 107.

Messeniani] Moschovitæ, qui, ut Apollonius tradit, a Græcis Μοσσυνοικοὶ dicuntur. Modacas Ptolemæus vocat. *Dalec.*

Matrem maris] Sic et Dionys. μητέρα πόντου vocare; at revera Scythicum Temerinda maris finem potius denotare auctor M. Anton. Delr. super Sen. Trag. par. ult. p. 297. Fuerit itaque *Themersend*, seu, ut nos enunciamus, *Dessmeers-end.* Idem.

Mazacas] Alii sunt Mazaces Africæ gens, quorum præcurrentium ac iter explorantium comitatu nobiles Romani delectabantur. Suetonius in Nerone c. 30. 'Armillata et phalerata cum Mazacum turba, et cursorum.' Claud. in Panegyr. ad Stiliconem 'pavidus projecit missile Mazax.' Id mirum est quod scribit Seneca lib. XXII. Epist. 124. 'Omnes jam sic pe-

regrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.' Mart. x. 13. 'Cum cathedralitios portet tibi rheda ministros, Et Libys in longo pulvere sudet eques.' Turneb. xxx. 3. *Idem.*

Amnem Menotharum Imituenis ex montibus scissum] Vetusta exemplaria castigatius: *Amnes, Menotharum, Imituem, ex montibus Cissiis;* unde et quod sequitur statim, *Circaque fontem Imitissi*, emendandum erit *Imituis*, a quo etiam *Imitui* populi dicti videntur. *Pintian.*

CAP. VIII. *Cappadocia, Armenia.*

Nunc reddantur gentes in mediterraneo sinu] Castior lectio antiquorum codicum, *Nunc reddatur ingens in mediterraneo sinus.* Impressa quoque omnis lectio *ingens* agnoscit, non *gentes.* Appellat autem Plinius certos quosdam terræ tractus *sinus*, ut in mari fit, infra etiam c. 11. 'Ita se habet,' inquit, 'terrarum sinus e clarissimis.' *Pintian.*

Vadit super Antiochiæ tractum, et usque ad Cyrrhestiam, &c.] Per *Antiochiam* non urbem intelligit, sed *Syriam Antiochiam.* Salmas. p. 627. a.

CAP. IX. *Armeniæ duæ.*

CAP. X. *Albania, Iberia.*

Et deinde Macrones] Archetypum Toletanum, *Macarones.* Legendum forte, *Mackelones.* Sic enim eos appellat Arrianus in Periplo: cæteri fere omnes *Macrones.* Pintian.

Cornelius Nepos CL. M. pass.] Concinnior lectio veterum codicum *CCL.* ne sit tanta in numero differentia inter Cornelium Nepotem et cæteros auctores. *Pintian.*

CAP. XI. *Portæ Caucasiæ.*

CAP. XII. *Insulæ in Ponto.*

Insulæ in Ponto Planctæ, sive Cyaneæ] Rectam hanc esse scripturam convincunt ea quæ nunquam satis laudata in Onomast. seu Thesauro suo notavit Ortel. ex Strabon. Ab Homero jam olim πλάγκτας (ita enim scribendum norunt vel pueri Grammatici) dictas puto, Od. M. his versibus: Ἔνθεν μὲν γὰρ πέτραι ἐπηρεφέες, προτὶ δ' αὐτὰς Κῦμα μέγα ῥοχθεῖ κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης. Πλαγκτὰς δή τοι τάς γε θεοὶ μάκαρες καλέουσι. Pindar. Pyth. IV. 10. συνδρόμους πέτρας vocat. Ea autem quæ de his insulis fabulati sunt veteres, cum passim sint obvia vulgoque protrita, uti hic inculcentur pluribus nil est necesse. Unicum hoc tantum addere libuit; ortum id omne ex Opticis, uti elegantibus quidem, sed sectæ suæ consentaneis, attingit versibus Lucret. lib. IV. 'Exstantesque procul medio de gurgite montes, Classibus inter quos liber patet exitus, idem Apparent: et longe divolsi licet absunt, Insula conjunctis tamen ex his una videtur.' *Dalec.*

Ariam] De hac vide Theophrast. Histor. IV. 5. *Idem.*

CAP. XIII. *Gentes in Scythico Oceano.*

Lytarmis] Id hodie *Capo de Oby*, hoc est, promontorium Obycum, ab Obyo fl. eo loci in mare sese exonerante, dici videre est in Ortel. et Mercatoris Tab. Geograph. *Dalec.*

Fluvius Carambucis, ubi lassata cum siderum vi Riphæorum montium deficiunt juga, &c.] Intelligit, ubi montium Riphæorum juga deficiunt, ibi quoque vim siderum rigentium lassari, et majorem esse aëris temperiem: sic paulo ante loquitur: 'verum, Asiæ quoque magna portio apposita Septentrioni, injuria sideris rigentis, vastas solitudines habet.' *Salmas.*

Inviolatosque esse etiam feris accolarum populis] Legend. *inviolatosque esse etiam feris accolarum populorum.* Græca locutio est, τοῖς ἀγρίοις τῶν περιοικούντων ἐθνῶν. Salmas. p. 209. b.

Ultra eos plane jam Scythæ, Cimmerii, &c.] Lege: *Ultra eos plane jam Scythæ, Cimmerii, Cissianti, Georgi et Amazonum gens.* Vid. Isac. Vossium in Melam, p. 12.

Hæc usque ad Caspium et Hyrcanum mare, &c.] Leg. *Hæc usque ad Caspi-*

um et Hyrcanum mare: nam id erumpit e Scythico Oceano in aversa Asiæ, &c. Salmas. p. 210.

Erumpit Scythico Oceano] Errat Plinius: Caspium enim mare in continenti est velut lacus: nulloque ostio ex Oceano erumpit. Communem hunc veteribus errorem fuisse jam ante notavimus ad II. 67. Vide et infra c. 17. *Dalec.*

Inde per Aratiaticos, Amarbos, &c.] Leg. *Inde per Anariacas, Amardos, Hyrcanos ad ostium Oxi fluminis quater mille octingenta stadia.* Salmas. pag. 210. a.

Scythici arcus, ut auctor est M. Varro, similitudine] Toletanum apographon non *Scythici arcus* habet, sed *silicis.* Salmanticense commodius, et minore a vero distantia *sicilis:* legendum reor *sicilicis.* Sextus Pompeius, 'Sicilices,' inquit, 'hastarum spicula lata.' Confirmare videntur hanc lectionem verba paulo post sequentia: 'Ab introitu dextra mucronem ipsum faucium tenent,' &c. *Pint.*

Dein per oram Albani (ut ferunt) ab Jasone orti] Per oram intelligit Plinius Caspii maris, cujus fauces ad mucronem ipsum Udinos dicit tenere, Scythiæ populum, dein per oram Albanos: ante quos mare quod est, vocatur Albanum. Sed hoc minus bene. Vide Salmas. Plin. exerc. p. 189. 190.

Oram omnem a Caucaso præaltis rupibus inaccesso] Archetypum Toletanum non *Caucaso*, sed *raso* præfert: Salmant. *Caso.* Fortasse vera est lectio, *Cassio.* Flumine videlicet mox ante dicto. Et in eisdem exemplaribus *inaccessam* fere legitur, ut intelligas *oram.* Pintian.

Proxima Syriæ] Scribendum arbitror *Assyriæ*, hoc sensu: Assyriæ initium esse Adiabenem, et ejus partem, quæ sit proxima Assyriæ proprie dictæ, nominari Arbelitin. *Idem.*

Mygdaniam cognominaverunt a similitudine] Vide Strabonem l. XVI. *Dalec.*

Ninus] *Mosul*, indeque Assyria vulgo dicitur *Mosul.* Ejus Metropolis est Ninive, ubi Jonas Propheta prædicavit pœnitentiam. *Dalec.*

CAP. XIV. *Media, Caspiæ portæ.*

CAP. XV. *Gentes circa Hyrcanum mare.*

Adiabenis connectuntur Carduchi] Non *Cadurci;* nam *Cadurci* Galliæ sunt provinciæ, non Parthorum regni. Et Carduchorum appellationem Macedones postea in mollius deflexerunt, Corduenos vocantes. *Gelen.*

Mox ejusdem Parthiæ amœnissimus situs] Legendum *amœnissimus sinus*, ut supra c. 8. hujus lib. ostendi, favente etiam antiqua lectione. *Pintian.*

CAP. XVI. *Item aliæ gentes.*

Zapavortene dicta, et in ea fertilitatis inclytæ locus, Daræon mons: gentes Tapyri, Anariaci, Hyrcani] Id est, τῶν Δαραίων ὄρος. An Plinio *Daritis* eadem est? VI. 23. 'Arianæ partem aliqui Daritin esse volunt.' Sed Daritis in ea Ariana non erat, quam Plinius eo capite descripsit. Vide Salmas. pag. 982. b.

Qua diruta a barbaris, &c.] Legend. *Quam dirutam a barbaris Antiochus Seleuci filius eodem loco restituit. Syrii amne eam interfluente Margo, qui corrivatur in Zothalicis, maluerunt illam Antiochiam appellari.* Antiochus Alexandriam Margianæ dirutam a barbaris eodem loco et nomine restituerat. Syri, quos incolas dedit urbi, maluerunt eam *Antiochiam* appellari de nomine conditoris sive restitutoris. Vel sic potius emendes: *Qua diruta a barbaris Antiochus Seleuci filius eodem loco restituit Seleuciam, interfluente Margo qui corrivatur ab incolis: maluere et illam Antiochiam appellari.* Seleuciam in loco Alexandriæ restituit Antiochus Seleuci filius, indito patris nomine. Eam interfluit Margus, qui corrivatur ab incolis, hoc est, in rivos deducitur ad irrigandam regionem, εἰς τὰς ὀχετείας ἀναλίσκεται. *Salmas.* 983. b.

Antiochus Achaida appellavit] Ergo ab Achæo aliquo condita, non ab Alexandro. De alio Achæo non possumus intelligere, quam de illo, qui Antiochum Seleuci regis filium cognatione contingebat, et Asiam cis Taurum dynastæ nomine, mox regis, aliquamdiu tenuit. Vide Salmas. pag. 984. b.

Gens hæc obtinet aversa montis, &c.] Sic lege: *Gens hæc obtinet aversa montis Paropamisi, exadversus fontes Indi.* Sic infra: *Exadversum Bactrianos hoc oppidum.* Vide Salmas. pag. 985. b. Infra ibid. legitur, *Demonax*, pro *Demonas*, et hoc pro *Demodamas.* Idem ibid.

Apollini Didymæo] De Didymæo vide supra v. 19. *Dalec.*

CAP. XVII. *Scytharum gens.*

Massagetæ] Negotiatores, qui mercium gratia Cambalum petunt, prohibentur edicto magni Cham Massagetas transgredi. *Dalec.*

Adjicit idem Pompeii ductu exploratum in Bactros septem diebus ex India perveniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat] Lege: *Perveniri ad Achrum flumen quod in Oxum* (an *Ochum*) *flumen influit.* Mens Plinii est, cum Romani ductu Pompeii ibi locorum ad Caspium scil. mare cum Mithridate vel Tigrane bellum gererent, exploratum illis esse septem diebus ex India Bactros usque ad Icarum flumen perveniri posse. *Salmas.* pag. 216.

Et ex eo per Caspium in Cyrum, &c.] Plin. scribit ex flumine Dargilo, quod in Oxum influit, Indicas merces per Caspium mare subvehi posse in Cyrum amnem, qui fines Iberiæ et Armeniæ interluit: ex Cyro porro amne quinque dierum tantum iter esse terrenum usque ad Phasin: inde in Pontum devehi. *Salmas.* pag. 216. b.

Haud dissimilem hominum immanitatem obsidens] Lege: *haud dissimilis hominum immanitati, obsidens;* id est, juxta solitudines et eas obsidens ferarum multitudo hominum immanitati haud dissimilis. *Salmas.* pag. 189. b.

Seres lanicio silvarum nobiles, &c. unde geminus fœminis nostris labor, redordiendi fila, rursumque texendi] Hinc colligitur, Serica texta quæ ex Seribus adferebantur, quod pressius densata essent, filatim resolvi solita a mulieribus Europæis, et rursus texi, tenuiore ac rariore textura, ut inde scilicet vestes fierent, quæ fœminas tegendo nudarent, et per quas in publico totæ tralucerent. Vide Salmas. in Tertull. pall. pag. 246. 247. *Seres, lanicio silvarum nobiles*] Virg. Georg. II. 'Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.' *Dalec.*

Seres mites quidem, sed et ipsis, &c.] Legend. *Seres mites quidem, sed et ipsi feris similes, cœtum reliquorum mortalium fugiunt, commercia despectant*, id est, despiciunt. *Salmas.* pag. 989. a. *Seres mites quidem, &c.*] Claudianus: 'Stamine quod molli tondent de stipite Seres.' Seneca Poëta: 'Quæ fila ramis ultimis Seres legunt.' Arrianus in Periplo νῆμα Σηρικὸν vocat. Dionys. lib. μγ. Σηρικὸν ὕφασμα χλιδῆς βαρβάρου ἔργον. Strab. l. XVIII. τοιαῦτα δὲ τὰ Σηρικὰ ἔκ τινων φύλλων (non φλοιῶν) ξαινομένης βύσσου. *Dalec.*

Cœtum mortalium reliquorum fugiunt, cum commercia expectent] Hodie ubi merces exposuere venales, pretium in tabulis scribunt, in oraque dimittunt. Mercatores igitur mutata negotiatione euntes deponunt pretium et merces auferunt. *Idem.*

Ab Attacoris, gentes Thyri et Tochari] Inde Attacoros populos hic nobis reddiderunt: atqui legendum est: *Ab Attacorum gente, Thyni et Tochari.*

Sed inde, ut plane consentiunt omnes] Lege: *Sed inde ut plane constat inter omnes, &c.* Salmas. 991. a.

Quam ab occidente æstivo ad occidentem, &c.] Legend. *quam ab occidente*

æstivo, ad occidentem hiberno mutabatur totam. Favonio itaque obversam, ejus venti afflatu juvari Indiam, salubremque fieri ea ratione docuit. Salmas. 991. a.

Binæ messes in anno, binæ æstates, &c.] Leg. *binæ æstates in anno, binæ messes, media inter illas hieme Etesiarum flatu, nostra vero bruma.* Idem ibid.

Non tamen deest diligentiæ locus, &c.] Leg. *Nec tamen est diligentiæ locus, adeo diversa, &c.* Non esse diligentiæ locum dicit, ubi tam diversa et tam incredibilia narrantur. *Salmas.* 991. a.

In eo tractu Indiæ, quem subegerant, &c.] Leg. *in eo tractu Indiæ quem is subegerit.* Et pro *nullum Cominus*, libri scribunt: *nullum cogi minus:* tralaticia, *nullum Coi minus*, pro *nullum Coo minus.* Puto itaque in libris Plinii scriptum esse: *scripserunt quinque millia oppidorum fuisse, nullum Coo minus, gent. IX.* hoc est, *gentes novem*, ut subintelligatur, *millia*, ex superiore repetendum. Vide Salmas. pag. 992. a.

Gentium IX.] Solinus cap. 52. *gentium IX. M. &c.* Novem enim, non plures, esse Indiæ gentes, verisimile non est, cum mox paulo sequatur, Senecam duodeviginti centumque posuisse. *Pintian.*

Colliguntur a Libero patre, ad Alexandrum Magnum, &c.] Sic leg. *Colliguntur a Libero patre ad Alexandrum Magnum reges eorum CLIII. annis sex millibus CCCCLI. adjiciunt et menses tres.* Salmas. 992. a.

Junguntur inter se Imaus, Emodus, &c.] Lege: *Junguntur inter se Imaus, Paropamisus, Caucasus.* Vide Salmas. 788. b.

Diognetus et Beton itinerum ejus mensores, &c.] Legend. *Diognetus et Beton itinerum ejus mensores scripsere a portis Caspiis Hecatompylon Parthorum quot diximus millia esse: inde Alexandriam Arion, quam urbem is rex condidit CCCCLXXV. inde ad Prophthasiam Drangarum CXCIX. Hinc ad Arachosiorum oppidum CCCCLXV. Hortospanum CLXXV. Inde ad Alexandri oppidum quinquaginta. In quibusdam exemplaribus diversi numeri reperiuntur. Hanc, &c.* Vide Salmas. p. 792. a.

Inde Alexandri oppidum] Quid sit aliud Alexandri oppidum quam Alexandria, non video. Nec item intelligo qua ratione, si ab Alexandro conditum est, non sit Alexandria potius, aut Alexandropolis vocatum, ut hactenus visum est, quam Alexandri oppidum, insolita nominatione. Quapropter suspicio me tenet, non *Alexandri oppidum*, sed *Alexandriam Opianes* hic esse scribendum, ex Stephano, qui eam circa Indiam locat. *Pintian.*

Ab ea ad flumen Chepta, et oppidum, &c.] Lege: *Ab ea ad flumen Copheta, et oppidum Indorum Peucelaotin CCXXVII.* Salmas. 795. a. *Ab ea flumen Chepta*] Scribo *Copheta*, ex utroque exemplari. Fluvius est Cophes Indiæ, celebratus ab omnibus Græcis juxta ac Latinis: qui et Cophen etiam in recto dicitur. Plinius de eo infra cap. 23. 'Flumen Cophes. Influunt in eum navigabilia, Sadarus, Parospus, Sodinus.' *Pintian.*

Tractusque ejus finis Ganges] Hæc verba hujus capitis conjunge cum sequentib. et lege: *finisque ejus tractus est Ganges. Hunc alii incertis fontibus, ut Nilum, &c.* Quæ verba sic connectenda. Vide Salmas. pag. 992. a.

CAP. XVIII. *Fluvius Ganges.*

Ubi modicum stadiorum C.] Persuasum habeo negligentia librarii prætermissa hoc loco verba. Ea sunt, *ubi maximum CLX.* ex Marciano et Solino, qui XX. M. pass. maximæ latitudini tribuunt: ea faciunt stadia CLX. *Pintian.*

CAP. XIX. *Gentes Indiæ.*

Novissima gente Gangaridum, &c.]

Lege: *Novissima gente Gangaridum, Calingarum regia Proclais.* Vide Salmas. p. 992. b. Mox lege: *Regi sexaginta millia peditum, equites mille, &c.* Idem p. 994. Sequentia sic veteres libri leg. *merces alii suas evehunt, respublicas optumi ditissimique curant.* Salmas. ibid.

Quintum genus celebrata illic] Novo anno incipiente Philosophi omnes Gymnosophistæ et Brachmanes in venationem cum rege exeunt, et quicquid quisque composuerit, vel annotaverit eo anno, in medium proferunt. Ei, qui ter mendax fuerit tota vita repertus, ex lege silentium indicitur: qui autem vera dixerit, immunitatem omnium rerum tota vita obtinet. De iis vide Theoph. Hist. IV. 5. *Dalec.*

Insula in Gange est ampla magnitudinis, &c.] Veteres codd. sic legunt: *Insula in Gange est magnæ amplitudinis, gentem continens unam nomine Modogalingam.* Vide Salmas. pag. 995. a.

Ultra siti sunt Moduba, Molindæ, ubere cum oppido, &c.] Voci adjectivæ *ubere* nullus hic locus est, sed abiit in eam appellatio tertii populi, *Umbræ* vel *Umbritæ*, qui oppidum eodem nomine incoluerunt. Eos vero e capite sequente, quo nominantur, reduximus. Vide Reines. Var. Lect. II. 7. p. 169.

Dramasa] Mathematicis Canopus dicitur. *Dalec.* Distat Canopus seu Canobus, ut vet. vocavere, a polo austrino cir. 39. gr. Veteribus, qui versus eam partem orbis navigavere, pro Cynosura fuit. Quod quidem velle arbitror Dalecampium: sed diversum a priore noverunt mathematici.

CAP. XX. *Indus fluvius.*

Hi montium qui perpetuo tractu, &c.] Lege: *Hi montium, qui perpetuo tractu Oceani oræ prætenti, incolæ, liberi et regum expertes.* Hi populi, quos ibi enumeravit, montium sunt incolæ, qui perpetuo tractu oræ Oceani prætenti sunt. *Salmas.* 995. a.

Ab ea deducentes originem imperitant CCC. oppidis, peditum CL. M. Elephantis D.] Scribendum: *Ab ea ducentes originem imperitant CCC. oppidis, peditum CXXX. M.* ex Arriano in Indica Historia, ut constabit libro septimo capite tertio. *Pintian.*

Accolunt Indum adversum evidenti demonstratione] Toletanum archetypum: *Accolunt Indum adversus eos cadente demonstratione.* Minus corrupte legetur: *Accolunt Indum adversum scandentes;* ut vitiosum verbum, *demonstratione*, digerendum videatur in syllabas, quæ cum sequentibus populos Indiæ significent. Suffragantur huic lectioni verba illa quæ paulo post subtexuntur: 'Transgressisque Indum, et cum eo decurrentibus.' *Idem.*

Etenim plerique ab occidente, &c.] Lege: *Etenim plerique ab occidente non Indo amne determinant, sed adjiciunt quatuor Satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamisadas, ultimo fine Cophete fluvio: quæ omnia Ariorum esse aliis placet.* Sic ille locus continuatim legendus est. *Salmas.* 794. b.

CAP. XXI. *Arii et junctæ gentes.*

Ac genere frugum arborumque aut ferarum] Apographon Toletanum non *aut ferarum* legit, sed *aviferarum:* ut scribendum videatur *laniferarum.* Nam de Indicis arboribus lanam ferentibus frequens Plinio mentio. Tradit id quoque Strabo libro XV. ex relatione Nearchi. *Pintian.*

Ab his XX. M. pass. Crocale. Ab ea XII. M. pass. Bibaga] Scribendum, *Crocala* neutro genere, non *Crocale*, et *Bibacta*, non *Bibaga*, ex Arriano utrumque in Indica historia, qui et Bibactam ait ostrearum fertilem esse: quod et hic Plinius. Non alienum fuerit commonere hoc loco lectores, hanc Arriani Nicomediensis Indicam historiam, cujus testimonio

subinde utor, pro adespota, hoc est incerti auctoris, citari ab Hermolao. In quo puto eum errare. Nam de opere altero ejusdem Arriani, quod Alexandri bellum adversus Darium literis mandavit, neque Hermolaum, neque ullum omnino alium dubitare video. Atqui in hac ipsa Indica historia, cui nullum Hermolaus assignat dominum, non semel Arrianus prioris illius historiæ tanquam a se compositæ meminit. Quod si in antiquis aliquot codicibus titulo ea constructio careat, negligentiæ id librariorum tribuendum est. Nam nos duos peculiares habemus Arriani codices scriptos et antiquissimos, quibus utrumque opus continetur, cum titulo Arriani in utroque opere. Itaque non est quod Hermolaus aliusve quispiam de auctore Indicæ Historiæ ambigat. *Idem.*

CAP. XXII. *Taprobane Insula.*

Eratosthenes et mensuram prodidit longitudinis VII. M. stadiorum, latitudinis V.] Scribo *latitudinis D.* ex Stephano. Nec me fugit Marcianum et Solinum *quinque millia* in Plinio legisse. Sed apud me pluris multo est Stephani auctoritas: immo, ut verum fatear, hujus maxima est, illorum fere nulla. *Pintian.*

A Prasiana gente distare, &c.] Leg. *a Prasiana gente distare, quia papyraceis navibus, armamentisque Nili peteretur, mox ad navium nostrarum cursus septem dierum intervallo taxata:* navigatione taxata septem dierum intervallo. An *Papyraceas* naves vocat Plinius, non ex papyro factas, sed quæ vela ex libro papyri haberent? *Salmas.* p. 110. b.

Mox quia papyraccis navibus armamentisque Nili peteretur ad nostrarum navium, &c.] Sensus verborum manifeste proclamat particulam *mox* non tenere suum locum. Legendum itaque sentio: *quia papyraceis navibus, armamentisque Nili peteretur. Mox ad nostrarum navium, &c.* Pintian.

Sed certis canalibus adeo profundum, ut nullæ anchoræ sidant] 'Sidere' anchoræ dicuntur, quæ in fundo fixæ hærent: ita 'naves sidere' dictæ, quæ in vadis hærent. *Salmas.*

Ob id navibus utrimque proræ ne per angustias, &c.] Per alveum intelligit canalem profundum et angustum, qui certis locis illius maris occurrebant. *Idem.*

Circumagi sit necesse: magnitudo alterna milia ad forum] Postrema verba, quia nimis corrupta sunt, omittuntur in omnibus editis exempl. sed comparent in scriptis. Salmasius legit, *magnitudo alterna illum ad forum.* Nugæ. Plinius scripsit: *Magnitudo ad terna millia amphorum.* Sic Cic. Epist. lib. III. Lentulus facit mentionem navium onerariarum, 'quarum nulla minor erat duum millium amphorum.' Sic et apud Liv. navis trecentarum amphorarum. Capacitatem enim navium olim per amphoras aut per modios indicabant. Vide Isac. Vossium in Melam, p. 280.

Nec plus, quam ternis mensibus, &c.] Sic legas: *Nec plus quaternis mensibus in anno navigant.* Salmas. 116. 117. a.

Mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quod pares pondere denarii, &c.] Non in auditis justitiam suspexit ille, sed in visis; nam denarios illos in captiva pecunia vidit, qui pares erant pondere, licet diversis vultibus signati. Vide Salmas. p. 1117. b.

Ex iis cognitum D. esse oppida, portum contra meridiem adpositum oppido Palæsimundo omnium ibi clarissimo ac regiæ CC. plebis] Cum linea supraducta ducenta millia plebis urbanæ in eo oppido fuisse dicit. Longe major numerus plebis fuit Seleuciæ Babyloniæ, de qua idem Plinius; *ferunt ei plebis urbanæ DC. M. esse.* Sed nimium ingens hic numerus videtur. Scribunt libri, *ferunt et plebis urbanæ CD. esse.* Lege *CCL.* id est, ducenta quinquaginta millia. Palæsimundo igitur τὸ βασίλειον in Tapro-

bane. *Salmas.* 1117. b. 1118. a.

Appositum oppido Palesimundo] Scribendum cum diphthongo in secunda, *Palæsimundo*, ex Stephano: quem non vulgare erit operæ pretium legere hoc loco: ut æstimetur a curiosis lectoribus an per errorem pro *Simundo* positum sit a Plinio *Palæsimundo*. Pintian.

CC. M. plebis] Prior lectio, *CC. plebis*. Scribendum reor, *CC. plebes*, et sic fere legitur in antiquis codicibus. Confirmat id Plin. ipse infra cap. 26. de Seleucia Babylonia agens: 'Exhausta,' inquit, 'vicinitate Seleuciæ ob id conditæ a Nicatore intra nonagesimum lapidem in confluentem Euphratis fossa perducti atque Tigris, quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac sui juris, Macedonumque moris. Feruntur ei plebes urbanæ sexcentæ esse.' *Pintian.*

Iidem narravere, latus insulæ, &c.] Sic distingue: *Iidem narravere latus insulæ quod prætenderetur Indiæ X. M. stadiorum esse ab Oriente hiberno. Ultra montes Emodos Seras quoque ab ipsis aspici, notos etiam commercio.* Legati erant Taprobanitarum regis, qui hæc narravere. *Salmas. Iidem narravere latus insulæ, quod prætenderetur Indiæ, &c.*] Prodigiosa hæc sunt et inaudita, sed sane sic se res habet. Taprobanensium legati non de sua insula hæc dixere, sed de Serica regione. Hujus autem latus unumquodque hanc mensuram proxime æquat. Sed et alia, quæ iidem legati narrabant, de Taprobana accipi nequeunt. Vide Isaac. Vossium in Melam, p. 278.

Patrem Rachiæ commeasse eo, &c.] Sic lege: *patrem Rachiæ commeasse eo: advenis sibi Seras occursare.* Hæc de se ac sua gente loquuntur ibi Taprobanitæ. Seras ab ipsis aspici, qui a cæteris nolunt: notos etiam esse commercio; nam eo commeare solitos negotiandi causa. Advenis sibi Seras occursare, quum reliquos advenas aversentur ac refugiant. Sequitur: 'Ipsos vero excedere hominum magnitudinem,' nempe Seras ipsos. *Salmas.*

Cætera eadem, quæ nostri negotiatores] Legati nempe Taprobanitæ cætera eadem de his Seribus retulere quæ Romani negotiatores. *Idem.*

Fluminis ulteriore ripa merces positas, &c.] Ergo et cætera, quæ præcessere, de iisdem Seribus intelligenda. Nam hoc modo merces mutabant cum aliis gentibus Seres. *Idem*, 1121. a, b.

Aurum argentumque et ibi in, &c.] Lege: *Aurum argentumque et ibi in pretio, marmor, testudines. Simili gemmæ margaritæque in pretio, multo præstantiores.* Aurum et argentum in pretio esse dicit Taprobanitis, item marmor et testudines, quæ et ipsæ inter instrumenta luxuriæ, quibus in laminas sectis lecti ac repositoria operiebantur. *Salm.* pag. 1122. b.

LXX. judices dari] Puto legendum contra omnia exemplaria, *LX. judices.* Sequitur enim, *si liberent ii reum amplius XXX.* Pintian.

Iis nullam esse dignationem gravissimo probro] Scribo: *Iis nullam esse, damnationem gravissimo probro;* hoc sensu, liberatis absolutisve, nullum esse probrum: damnatis vero, gravissimo esse probro damnationem. *Idem.*

CAP. XXIII. *Capissene, Carmania.*

A proximis Indo gentibus montana, &c.] Lege: *A proximis Indo gentibus montana. Capisene habuit Capisam urbem, quam diruit Cyrus.* Vide Salmas. p. 1174. a.

Cum oppido et flumine ejusdem nominis, quod Cophen dixere] Converte verba ex utriusque exemplaris fide: *Cum flumine et oppido ejusdem nominis, quod quidam Cutim dixere. Cutim* enim in ambobus codicibus scriptum est, non *Cophen.* Nam Cophes seu Cophen, utroque enim modo dicitur, Arianæ regionis amnis est, ut paulo post. *Pintian.*

Hæc regio est ex adverso Bactrianorum, &c.] Lege: *Hæc regio est exadversum Bactrianos. Aria deinde cujus oppidum Alexandria a conditore dictum.* Aria proxima Paropamisadis, cujus oppidum Alexandria ἐν Ἀρίᾳ cognominatum. Mox lege ac distingue: *Maxi ad Caucasum, Cadrusci, oppidum Alexandro conditum.* Per oppidum Alexandri conditum, intellexit Alexandriam sub Caucaso, quam Alexander construxit in radicibus Caucasi, quum pararet monte eo superato in Bactrianam pergere. *Salmas.*

Infra hæc omnia ora ab Indo. Ariana regio] Verbum *ora* superfluit ex utroque exemplari. Reliqua scribenda sunt hac interpunctione: *Ab Indo Ariana regio.* Nam repetere memoria diximus quæ supra a Plinio dicta sunt cap. 20. et 21. 'Etenim plerique ab occidente non Indo amne determinant, sed adjiciunt quatuor satrapias Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamisadas, ultimo fine Cophete fluvio, quæ omnia Ariorum esse aliis placet.' Hæc Plinius. Strabo quoque volumine xv. de Eratosthene loquens, sic ait: 'Dicit ergo Arianam ab Oriente Indo terminari, ab austro mari magno.' Et alio loco ejusdem libri: 'Post Indiam est Ariana, prima regionis pars, quæ post Indum Persis obtemperat.' *Pint.* *Infra hæc, &c.*] Lege: *Infra hæc omnis ad ora Indi Ariana regio.* Salmas.

Alii Gedrusos et Scyros posuere, &c.] Vet. lib. ita legunt hunc locum: *Alii Gedrosos et Scyros* (an *Oros*) *posuere per CXXXIV. p. Mox Ichthyophages Oritas propria non Indorum lingua loquentes per CC. Ichthyophages omnes Alexander vetuit piscibus vivere. Inde posuere Arbiorum gentem per CC. p. ultra, dein Carmania ac Persis et Arabia.* Vide Salmas. 1176. a.

Oritas] Illos defunctorum cadavera voranda feris objicere scribit Rhod. vi. 23. quemadmodum et Gedrusos inhospitales ac sævos, ungues nunquam præcidere: cetaceis ali, quorum costis trabium vice domos contignant, squamis vero tegularum loco contegunt. *Dalec.*

Flumen Tuberum navigabile, &c.] Lege: *Flumen Tuberum navigabile, circa quod Pasiræ:* an *Tomerum* pro *Tuberum?* Vide Salmas. 1176. b.

Insula quæ Solis appellatur] Hujus insulæ mentionem facit apud Strabonem lib. xv. Nearchus, et contra sparsam famam quod in ea insula προσορμισθέντες ἀφανίζονται, fabulosum id esse tradit experimento suo. Meminit et Curtius circa finem lib. x. his verbis: 'Adjiciebam navigia, quæ lixas mercatoresque vexissent, famam auri secutis gubernatoribus, in insulam esse transmissa, nec deinde ab his postea visa.' Meminit Solinus cap. 67. Martianus Animalia vi fervoris in ea perire tradit. *Dalec.*

Deximontani] Legend. pro *Deximontani, dextram ejus accolunt Uxii montani.* Salmas. 1181. a.

Patalis] Patale nunc regnum Cambaiæ: veteri lingua Indorum hoc significat insulam triangularem, qualis est Cambaia. Patalem adhuc Indi vocant, nunc Patam, nunc Diu Patam, oppidum populosissimum et mercatura celeberrimum. *Dalec.*

Syagro] Syagrus, *Sfacalath.* Idem.

Si ab eodem promontorio Zizerum amnem portum Indiæ peteret] Superfluit dictio, *amnem*, ex vetere lectione. Porro hunc portum videtur paulo infra Plinius *Muzirum* appellare: Ptolemæus vii. *Muziris.* Pintian. *Zizerum amnem*] Zizerus est ad civitatem Anor, prope Calicut, ad insulam quam vocant Amiadiva. *Dalec.*

H-S. quingenties] Ea summa efficit duodecies centena millia coronatorum. Infra xii. 18. 'Minima,' inquit, 'computatione millies centena millia sestertium annis omnibus India et Seres, peninsulaque illa (Arabia) imperio nostro adimunt,' &c. *Idem.*

Coptum] Coptus, nunc *Cana*, distat a Cairo 400000. millibus. *Idem.*

Berenice oppidum] Nunc *Sues*. Id.

Ocelim] Nunc *Capo de celi*, Gabinitarum Arabum portus XII. 19. *Dalec.*

Canan] Cana, nunc *Canocain*. Id.

Muza] Musa, nunc *Hali*. Idem.

Muzirim] Musiris, nunc *Anor*, supra Calicut. *Idem.*

Regnabat ibi, cum proderem hæc, Celebotras, &c.] Legend. *Regnabat ibi, quum proderem hæc Cepobotras, vel Ceprobotas. Alius utilior portus Neacridon qui vocatur Bacare.* Vide Salm. p. 1185. b. Et mox, *piper monoxylis lintribus Bacaren convehunt.* Idem 1187. a.

Alius utilior portus gentis Necanidon qui vocatur Becare] Apographon Toletanum, *Neacindon*. Salmanticense, *Neacridon*. Item Ptolemæo septimo *Becares* portus est, non *Becare*. Pintian.

Necanidon] Nunc *Nelcinde*. Dalec.

Monoxylis lintribus] Vide Stewech. super Veget. III. 7. p. 208. De mendo namque hunc locum sibi suspectum ait, τῷ *lintribus*, nimirum, ex glossemate, ut puto, apposito, et in contextum recepto. *Idem.*

Sabin] Nunc *Bindamir*. Dalec.

Armuzia] Nunc *Ormuz*. Idem.

Irrumpit deinde et in hac parte geminum mare in terras quod Rubrum dixere nostri, &c.] Quare geminum? quia in duo sinus dividitur, Persicum et Arabicum: ergo duo illi sinus Rubrum mare constituunt juxta Plinii sententiam. *Salmas.* p. 481. b.

Rubrum dixere nostri] Curtius lib. VIII. 'Mare certe, quo alluitur, ne colore quidem abhorret a cæteris. Ab Erythro rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt. Reliqua stultorum ac infantium nugæ sunt, et somnia.' Hebræi vocant Suph, seu Sup, id est, junco, ut quidam volunt, seu silvis et carice refertum, quod et auctor scribit lib. XIII. et Theophr. Hist. lib. IV. Brodæus III. 9. *Dalec.*

Aut ut alii solis repercussu talem reddi colorem existimantes] Si verba permutentur, puto lectionem fore commodiorem, et quæ magis Plinium sapiat: *Aut ut alii a colore solis repercussu talem reddi existimantes.* Pint.

CAP. XXIV. *Sinus Persicus et Arabicus.*

Persicus appellatur XXX. mill. pass. circuitu] Legend. *Persicus appellatur XXVI. circuitu.* hoc est, vigesies sexies; neque intelligendum esse, vigesies sexies centena millia passuum. Sic paulo post lege: *ex adverso est Arabia, cujus XXII. longitudo.* id est, duodecies. *Salmas.* p. 1191. b.

Atque illinc Babylonem ab Euphratis paludibus] Particula *ab* non legitur in scriptis codicibus, ut arbitror, recte: erit itaque *Euphratis paludibus*, id est, per Euphratis paludes. *Pintian.*

In Carmaniæ angulo sunt Chelonophagi, testudinum superficie casas tegentes, carne vescentes] Postrema duo verba desiderantur in apographo Toletano, non omnino male: videtur enim fuisse satis, dicere *Chelonophagi.* Pintian.

CAP. XXV. *Cascandrus insula, Parthorum regna.*

Reliqua septem regna inferiora appellantur. Quod ad Parthos attinet] Legendum *quæ*, non *quod*: et alio verborum ordine sic: *Reliqua VII. regna quæ inferiora appellantur ad Parthos attinent.* Pint.

Parthia in radicibus montium] In utroque vetusto codice *Parthiæa* legitur, non *Parthia*: adstipulante etiam Stephano: error idem capite sequente. *Idem.*

In medio Hecatompylos, Arsacia, Regio Nysæa Parthyenes nobilis, ubi Alexandropolis a conditore, &c.] Hermolaus pro *Arsace*, ut prius legebatur, *Arsaciam* substituit, quam Parthi sic nominarint, cum prius Rhagea dicere-

tur. Non placet Hermolai sententia, quia Arsacia non Parthiæ, de qua hic disserit Plinius, sed Mediæ urbs est Straboni XI. et Ptolemæo VI. Proinde legendum hic videtur non *Arsacia*, sed *Arsacæ regiæ*: ut sit Arsace nomen regis; unde Parthi a poëtis Arsacidæ appellari consueverunt. Nam Ptol. citato lib. Hecatompylon regiam appellat. Quid si legas: *In medio Hecatompylos, Arsace, Regionis ea Parthyenes nobilis, ubi Alexandropolis*; ut accipiamus Arsacen urbem esse Parthyenes nobilis regionis; nam quod de Nisæa Hermolaus ait, omni ratione caret: quia Nisæa itidem ad Mediam pertinet, non ad Parthiam, auctoribus Strabone, Stephano, Herodoto, et omnibus. *Idem.*

CAP. XXVI. *Media, Mesopotamia, Babylon, Seleucia.*

Parthiæ occurrens] Apographon Toletanum, *Parthieeo currens.* Scribo, *Parthiææ occurrens.* Ex loco hoc, et illo capitis antecedentis, apparet *Parthiæam* semper appellatam a Plinio, non *Parthiam.* Pintian.

Laodiceam] Hodie *Lor.* Dalec.

Artemitam] Artemita *Caramit*: Aroëi, *Esron*: Mardani, *Myrdino*: Gordyæi, *Gon*: Aloni, *Alangiacana*: Orontes, *Orfa*: Classitæ, *Galat*: Azochis, *Azanchif*: Hebata, *Besin.* Idem.

Arabis vocatur] *Arabis* cognominata est ad differentiam aliarum, ideo quod esset inter Arabas sita: *Nicator* vero regis est cognomen. *Gelen.*

Gaugamela] Hic vicus est ad quem Darium ab Alexandro Magno fatali prælio devictum contendit Plutarch. in Vita Alex. mihi pag. 1252. Sequitur Ammian. Marcellin. Indeque id mutuatus doctiss. Scalig. de Emend. Tempor. lib. V. pag. 226. Auctor supra cap. 13. hujus libri in Arbelitide regione sc. id factum testatur. Id quod non usque adeo pugnat cum latera opinione; cum fieri possit ut Gaugamela ejus pars fuerit. Utut sit, non longe hinc Arbelam abfuisse, ex Ptolemæi Geographicis constat, facileque fieri potest, ut ad utrunque tunc temporis sit pugnatum. *Dalec.*

Armalchar] Nahar Malcha: Syrorum lingua, qua usi sunt Orientales. Unde et corrupta hæc Plinii appellatio, more plerumque scriptoribus nativæ cujusque nuncupationis linguæ imperitis solito. *Mitalerius.* Græcis ποταμὸς βασίλειος, Seleuciam præterfluens, ut ait Ammian. Marcellin. *Dalec.*

Muris] E bitumine et testaceo latere structis. Vitruvius VI. 3. *Idem.*

Ob id condita a Nicatore intra XC. lapidem] Strabo CCC. stadiis remotam esse ait Seleuciam a Babylone, hoc est XXXVII. M. D. pass. quod vidit et Hermolaus. Itaque legendum non *XC.* sed *XL.* Videtur enim imperitia librarii versam fuisse *l* literam in *c.* Pintian.

Narragam] Nunc *Narsingua.* Dalec.

Qui vero postea scripserunt a Seleucia CCCC. XC.] Apographon Tolet. *CCCCXL.* Videtur legendum, permutatis elementis, *CCCCLX.* Nam si ex hac summa, quæ est a Seleucia ad sinum Persicum, subtrahantur CCCCXXI. M. pass. quæ connumerantur a Babylone ad sinum eundem, ut statim ante dixit, reliqua erunt XXXVIII. M. hoc est CCC. stadia: quo spacio dictum est paulo ante ex Strabone, submotam esse Seleuciam a Babylone. *Pintian.*

Cum Persæ quoque schœnos et parasangas alii alia mensura determinent] Sensus est, Non debere cuiquam mirum videri, quod inter auctores de spatiis earum regionum parum constet, cum apud ipsos Persas locorum indigenas alibi magis, alibi minus prolixæ sint parasangæ; quod idem apud Germanos quoque in milliariis accidit. *Gelen.*

Unde in meridiem flecti eum diximus, solitudines Palmyrenas relinquentem] Constat ex hoc ipso quem Plinius

citat loco, v. 13. scribendum hic esse: *Unde in Orientem flecti, &c.* non, *unde in meridiem.* Verba Plinii: 'Ita fertur usque ad Uram locum, in quo conversus ad orientem relinquit Syriæ Palmyrenas solitudines.' Et in eodem cap. ostensum fuerat expulsum a Tauro in meridiem, cum ante adversus occasum decurreret. *Pintian.*

Zeugma a Seleucia Syriæ ad nostrum littus C. XXXII.] Supra v. 12. mensuram indicans Syriæ, 'Longitudo,' inquit, 'ejus inter Ciliciam et Arabiam CCCCLX. M. passuum est: latitudo a Seleucia Pieria ad oppidum in Euphrate Zeugma *CLXXV.*' Legendum itaque et hic, non *CXXXII.* sed *CLXXV.* adstipulante etiam Marciano lib. VI. *Idem.*

Hæc est ibi latitudo terrarum inter duo maria. Parthici vero regni DCCCCXLIIII. M. passuum] Præposterus verborum ordo sensum alioqui facilem, non difficilem modo, sed falsum etiam reddit. Ecquæ, obsecro, duo sunt maria inter Seleuciam Syriæ et Zeugma urbem? Ex his igitur verbis prima illa, *Hæc est ibi latitudo terrarum*, superioribus adjungenda sunt. Quæ sequuntur, sic, ut sentio, legenda: *Parthici vero regni inter duo maria DCCCCXL. M. pass.* Meminisse enim hoc loco debemus eorum quæ supra a Plinio dicta sunt cap. 15. 'Regna Parthorum duodeviginti sunt omnia. Ita enim dividunt provincias, circa duo, ut diximus, maria, Rubrum a meridie, Hyrcanum a Septentrione.' Præterea infra, capite proximo, ex sententia Agrippæ tradit, latitudinem Mediæ, Parthiæ, Persidis, DCCCXL. quod adhuc magis correctionem nostram obvallat. *Idem.*

CAP. XXVII. *Flumen Tigris.*

Diglito] Thetecius Chaldæus paraphrastes: Josephus I. 2. ἀρχαιολογίας. Diglath. *Mitalerius.*

Unum ei genus piscium est] Deesse puto negationem, scribendumque: *Nec unum genus ei piscium est*, ex Strabone l. XI. scribente, piscium palustrium unum duntaxat genus esse, in hoc autem lacu plura esse genera. Proinde quod sequitur confestim, *Idque transcurrentis non miscetur alveo*, legend. erit, *Idque transcurrentis non miscentur alveo.* Pintian.

Fertur autem et cursu et colore dissimilis] Credo legend. *Fertur alite cursu et colore dissimilis.* Vide Salmas. p. 596. b.

Tauro monte] Seneca Quæst. Natural. VI. 8. *Dalec.*

Tigris autem ex Armenia, &c.] Lege: *Tigris enim acceptis ex Armenia fluminibus claris, Parthenia ac Nicephorione, Arubas, Oroëos, Adiabenosque, &c.* Vide Salmas. p. 698. a.

Acceptis fluminibus claris Partheni, Agnice, Phorione] Lego, *Acceptis fluminibus claris Parthenia, Nicephorione*, ex vulgata Græciæ nomenclatura. Alioqui Parthenias fluvius est Peloponnesi Straboni octavo: et alius ejusdem fere nominis in Ponto Ptolemæo, Stephano, Straboni, Arriano, Apollonio, apud nos Valerio Flacco et cæteris. Et Nicephorion urbs est Mesopotamiæ Ptolemæo, Stephano. Plinius quoque c. 26. 'In viciniam Euphratis Nicephorium.' Favet etiam apographon Toletanum, in quo ad verbum, ut aiunt, scriptum est, *Parthenia ac Nicephorione.* Pintian.

Lustratis montibus Gordiæorum] Legebatur ante Hermolaum, *Choridiorum*, ipse *Gordiæorum* corrigit. Apographon Toletanum *Corideorum* habet: nos scribendum censemus *Corduenorum*, seu *Carduchorum*, ex Plinio supra c. 15. 'Adiabenis connectuntur Carduchi quondam dicti, nunc Cordueni, præfluente Tigri.' *Idem.*

Apamiam] Nunc *Gresiræ.* Dalec.

Cauchas] Nunc *Cuerch.* Idem.

Dibitach] Nunc *Dehebech.* Idem.

*Ibi mortalium soli aurum in odio contrahunt. Id defodiunt, ne quo cui sit in

usu] Lego partim ex archetypo Tolet. partim ex conjectura: *His mortalium solis aurum in odio. Contrahunt id, defodiuntque, ne cui sit in usu.* Pintian. *Ibi mortalium soli aurum, &c.*] Lege: *Iis mortalium solis aurum in odio: contrahunt defodiuntque, id ne cui sit in usu.* Salmasius p. 1194. b.

Susianis ad orientem versus junguntur Cossæi] Prior lectio tam impressa quam scripta, partim *Oxi*, partim *Oxii* præfert: Hermolaus pro *Oxii* substituit *Cossæi;* non recte. Substituendum enim erat *Uxii*, ex Strabone lib. XI. ' Eorum,' ait, ' Mardi Persis erant finitimi. His atque Susiis Uxii et Elymæi, Cossæi autem Mediæ.' Et lib. XV. ' Sed magis Paretaceni Apolloniatis imminent, unde eos plurimum infestant. Elymæi autem illos et Susios: cum Elymæis vero Uxii pugnant.' Et eod. lib. adhuc magis perspicue: ' Ad orientem vero ex Susis in Persiæ mediterranea euntibus per Uxianos iter est.' *Pintian.*

Recipit amnem Hedypnum] Videtur legendum *Hedyphum*, ex Strabone lib. XVI. qui tamen *Hedyphonta* appellat, quinta inflexione: capta est etiam prope fluvium Hedyphonta Seleucia magna civitas, quæ prius Soloce vocabatur. *Pintian.*

Nomenque suum dedit emunito situ juxta, &c.] Castius fortasse legeretur ad hunc modum: *Nomenque e suo dedit et e munito situ*, ut sint duo verba, *e munito*, hoc sensu: E nomine suo vocasse Spasinu, et e loco munito, Charax. Significat *Charax* vallum. Vocatum est autem primo oppidum hoc a conditore Alexandro Alexandria, deinde ab Antiocho v. rege, Antiochia, postremo a Spasine et a munito loco, Spasinu Charax: sic enim appellatum est, teste Stephano. *Pintian.*

In introitu hujus operis] Procemio libri tertii. *Dalec.*

CAP. XXVIII. *Arabia, Nomades, Nabatæi, Omani, Tylos et Ogyris insulæ.*

Arabia gentium nulli postferenda, amplitudine longissima, a monte Amano, a regione Ciliciæ, Comagenesque descendit] Scribendum reor partim conjectura, partim ex scriptis codicibus: *Arabia gentium nulli postferenda amplitudine, longissima a monte Amano, e regione Ciliciæ Commagenesque descendit.* Nam et Toletanum apographum *e regione* palam ostendit. *Pintian.*

Nec non in media Syriæ ad Libanum montem, &c.] Legend. *nec non et in media Syriæ ad Libanum penetrantibus Nombæi, quibus junguntur Ramisi.* Nombæi populi Judææ, Libanum versus tendentibus, quos Arabiæ Plinius dat. *Salmas.* p. 492. b.

Nomadas infestatoresque, &c.] Lege, *Nomades infestatoresque Chaldæorum Scenitæ, &c.* Et eodem libro c. 26. de Euphrate ' ubi desiit alveo munire ad confinium Characis accedente tractu, statim infestant Attali latrones, Arabum gens, ultra quos Scenitæ,' &c. Vide quæ Salmas. ibi notat, p. 484. a. 489. a.

Teredon] Nunc *Balzara.* Dalec.

Thumatam] Nunc *Thyma.* Idem.

A promontorio ejus XII. M. pass.] Plinius XII. 11. distare ait minorem Tyson a majore X. M. pass. Itaque aut illic vitium sit, aut hic necesse est. *Pintian.*

Insula in alto objacet Ogyris, &c.] Lege, *Insula in alto objacet Ogenis, clara Erythra rege ibi sepulto.* Distat a continente CCXXV. p. M. Vide Is. Vossium in Melam, p. 287.

Pars eorum Atramitæ] Scribo, *Pagus eorum Atramitæ.* Patet id ex lib. XII. c. 14. ' In medio ejus sunt fere Atramitæ, pagus Sabæorum.' Repetit verba eadem Solinus. *Quorum caput Sabotale, LX. templa muris includens*] Exemplar Salmanticense: *Quorum caput Sobotale, templa muris includens.* Scribo, *Quorum caput Sa-*

bota LX. templa muris includens. Sicque ad verbum legit apographon Toletanum. Sabotam vocatam esse eam urbem, ostendunt verba Plinii XII. 14. 'In medio ejus sunt fere Atramitæ, pagus Sabæorum, capite regni Sabota.' Ex cap. 15. ejusdem voluminis: 'Thus collectum Sabotam camelis convehitur, porta ad id una patente.' Stephanus Sabo eam appellare videtur. *Pint. Tomala. Pars eorum, &c.*] Lege: *Tomala. pars eorum Atramitæ, quorum caput Sabota, &c.* Frustra contendunt veram esse lectionem: *pagus eorum Atramitæ:* quasi non idem sit, pars Sabæorum Atramitæ populi, qui Sabæi in multas gentes sive pagos dividuntur. *Salmas.* p. 482. b. 490. a.

Sygaros insula, quam canes non intrant] Scribendum reor *Syagros*, non *Sygaros*, argumento quod pleræque insulæ a promontoriis et circumjacentibus terris nominari soleant, ut testatum nobis est. Porro Syagros extimum esse Arabiæ promontorium, præter Ptolemæum et alios, Plinius paulo ante retulit. *Pint.*

Nam et ipsum sinum nostri Ælaniticum, &c.] Scribe: *Nam et ipsum sinum nostri Ælaniticum scripsere, alii Ailanticum, Artemidorus Elaniticum, Juba Læaniticum.* Salmasius, pag. 482.

Ampelone colonia Milesiorum] Alii leg. *Amyclone.* Milesii coloniis suis, vel in barbarissimas gentes deductis, Græca tamen solebant imponere nomina, quemadmodum videre licet in tot eorum coloniis per oram Ponticam dispersis. Proinde magis placet *Ampelone* a vinetis, quam *Amyclone*, vox Græcis nihil significans. *Gelen.*

Agrei] Nunc *Vargan.* Dalec.

Arabes mitrati degunt aut intonso crine] Legend. *Arabes, mitrati degunt, intonso crine.* Illud *aut* additum ab imperito aliquo correctore. Vide Salmas. p. 555. b.

CAP. XXIX. *Sinus maris Rubri, Troglodytici, et Æthiopici.*

Myros] Nunc *Cosir.* Dalec.

Troglodytice] Troglodytas hodie vocant Abyssinorum gentem proximam rubro mari. Regnum Barnagas appellant indigenæ. Ἐρέμβους ab Hom. Od. Δ. dictos volunt his versibus, quibus ad eos se pervenisse Menelaus refert: Αἰθίοπάς θ' ἱκόμην, καὶ Σιδονίους, καὶ Ἐρεμβοὺς, κ. τ. λ. Ἐρεμβοὺς autem ἀπὸ τοῦ εἰς ἔραν ἐμβαίνειν dictos interpretantur, qua etymolog. et Τρωγλοδύτας appellant. *Dal.* Videatur magnum etymologicum, et Ortelii Onomast. Lis enim vetusta est.

Ophiophagos] Vocavit Pythie Lacedæmonios ὀφιοδείρους, quod excoriatis serpentibus vescerentur. Auctor libri τῶν θαυμασίων ἀκουσμάτων. *Dalec.*

Promontorium et portus Mossylites, &c.] Lege: *Promontorium et sinus Mosylicus quo cinamomum devehitur. Huc usque Sesostris exercitum duxit.* Imo angustias Dires non est prætergressus, et per eas transiit, non per illas Mosylici sinus. Plinius de his angustiis Dires: 'faucesque Orienti hiberno obversos alii VIII. millibus, alii XXV. patere mill. passuum:' ut duas illas angustias confuderit. Vide Salmas. pag. 1265. a, b.

Ad Malchu insulam quindecim, &c.] Lege: *ad Malachu insulam, quindecies centena mill. passuum. Inde ad locum quem vocant Sceneos, CCXXV. M. Inde ad insulam Adanu centum quinquaginta mill. passuum.* Salmas. p. 1264. b.

Arabes Ascitæ appellati quoniam bubulos utres binos sternentes ponte, piraticam exercent, &c.] Vocat Plinius 'pontem' tabulas junctas et utribus superstratas. 'Utres ponte sternere,' nihil aliud est, quam utribus junctis tabulas stratas superponere. Hinc 'pontilis stratus' apud Veget. Vide Salm. 1266. b.

Gentes Troglodytarum Juba tradit Therothoas, &c.] Apud Jubam, qui

Græce scripsit, fuit θηροβολὰς, quasi dicas, in venatione, in feris persequendis pernicies, quæ appellatio gentis non est. Vide Reines. Var. Lect. lib. I. 17.

Duce P. Petronio et ipso equestris ordinis præfecto Ægyptiis, oppida eorum expugnarit] Scribe distincte: *præfecto Ægypti. Is oppida, &c.* De hoc Petronio Ægypti præfecto Strabo septimodecimo. *Pintian.*

Memnone] De eo vide infra X. 26. et XXXVI. 7. *Dalec.*

Quoniam a Syene DCCCCLXII.] Vetusta exemplaria, *DCCCCLXXIV.* Sed nullo modo hæc summa quadrat cum sequentibus numeris, quare dempto uno tantum C lego *DCCCLXIV.* *Pintian.*

Delubrum Hammonis] Jovis, quem κριοπρόσωπον ideo vocarunt, quod in ejus simulachro intacta cornua supra aures extarent. Qua de re late Lil. Girald. Syntag. II. p. 102. et Fulv. Ursin. Famil. Pinet. et Anton. Meminit et Prudentius contra Symmach. lib. II. et Pausan. Arcad. mihi p. 263. *Dalec.* *Delubrum Hammonis et ibi*] Dicit enim in Meroë quoque Hammonis delubrum esse, diversum ab illo Libyco, in quo oracula reddebantur, et quod Alexander adiit, Hammonem patrem, ut credi volebant, salutaturus. *Gelen.*

CAP. XXX. *Multiformes et miræ hominum effigies.*

Contra in Arabico latere Daron oppidum esse eorum] Hermolaus *Diacoron*, priorem lectionem, in *Daron* mutavit, genitivum Græcum, ex Ptolemæo. At exemplar Salmanticense *Darion* legit, non *Diaron*, seu *Daron*. Quid si neutro modo legendum, sed *Dalion?* ut sit nomen auctoris, cujus testimonio priore capite usus est Plinius, et post etiam utitur. Alioqui non tria, ut tradit Plinius, sed quatuor essent fugitivorum oppida. *Pintian.*

Caput eorum in insula Sembobitin] Æstimandum an sit commodior lectio, *Psebоitin:* sic videlicet dicta a Psebo lacu, cujus est insula: quam bene habitatam esse prodit Strabo lib. XVII. Meminit et Artemidorus, referente Stephano. *Idem.*

Inde per ripas oppida, Naves, Modundam, &c. Colligat, Secandæ, Navectabe, Cumi, &c.] Per ripas dicit ideo, quia superius ex Bionis commentariis relata in insulis Nili sita sunt. Sunt autem appellationis barbaricæ, et accusativo casu posita. *Gelen.*

Nisitas, &c. sed quia sagittis præcipua contemplatione utuntur] Id est, quod præcipui sint in contemplando et destinando ad ictum quicquid sagittis percutere volunt. *Salmas.* pag. 385. a.

Ab ea vero parte Nili quæ supra Syrtes majores oceanumque meridianum protenditur] Fieri nequit ut tam proterva pugnansque inter se et intractabiiis lectio monstro aliquo vacet. Attentiore igitur cura loco excusso, arbitror commodius sic legi posse: *Ab ea vero parte cœli quæ supra Syrtes majores oceano meridiano prætenditur.* Nam exemplar Salmanticense non *Nili quæ*, sed *reliquæ*, habet: ut facile vera lectio, *cœli quæ*, transire potuerit in *reliquæ.* Pintian.

In latitudinem cum superiore Ægypto duodecies centena XCVII. M. Agrippa existimavit] Castiorem lectionem duxerim *quindecies*, quam *duodecies.* Nam, ut sequitur confestim, constat inter auctores ab Oceano ad Meroën esse DCCXXV. M. et Meroën distare a Syene DCCCLXXII. Si ergo misceantur hæ duæ summæ, agent *quindecies XCVII. M.* Superiorem autem Ægyptum appellat tractum eum qui est a Syene ad Meroën: etsi alii Ægyptum Syene terminari scribant, et a Syene ad Meroën Arabas esse, non Ægyptios aut Æthiopas. *Idem.*

Quidam longitudinem ita diviserunt] Legendum absque ulla controversia *latitudinem*, non *longitudinem.* Nam

hæc divisio fit a Septentrione in meridiem, hoc est, a Meroë ad Oceanum Æthiopicum. At Æthiopiæ longitudinem finiri ab ortu hiberno in occasum hibernum, Plinius docet paulo infra: et situs provinciarum, ratione habita ad cœli plagas, per longitudinem præcipue indicari palam est, ut de Italia, III. 5. 'Incedit per maria cœli regione, ad meridiem quidem: sed si quis subtilitate id exigat, inter sextam horam primamque brumalem.' Et de Arabia Felici: 'In eandem etiam cœli partem nulla differentia spectat.' *Idem.*

Ad promontorium quod Hesperion ceras vocatur] Sic quidem majore ex parte hoc promontorium appellatur ab auctoribus. Cæterum in codicibus scriptis ubicunque apud Plinium hujus promontorii occurrit mentio, non *Hesperion* legitur, sed *Hesperu*, de quo plura in Pomponium. *Pintian.*

CAP. XXXI. *Insulæ Æthiopici maris.*

Contra sinum Persicum Cerne nominatur insula adversa Æthiopiæ] Tres priores dictiones ad præcedentia, ni fallor, spectant, non ad insequentia. Nam vix animo concipere possis, insulam Æthiopiæ adversam, contra sinum esse Persicum. *Idem.*

Atlantis appellata] Varias veterum hac de insula fabulas reperies apud Diod. Sicul. lib. III. pag. 207. Plutarch. Sertorio. Ammian. Marcellin. lib. XVII. Ubi insulam Europæo orbe potiorem vocat: et Ortel. Onomast. &c. Cætera notavimus supra II. 67. *Dalec.*

Gorgades insulæ] Alii eas paulo longius versus meridiem remotas aiunt, versusque id promontorium sitas, quod hodie viride dicitur. Unde et insulæ promontorii viridis vocantur. Aliis veteribus Gorgones et Satyrides. Vide Ortel. Onomast. *Idem.*

CAP. XXXII. *De fortunatis insulis.*

Fortunatas contra lævam Mauritaniæ] Fortunatas insulas contra lævam Mauritaniæ, in octavam horam solis locari auctor ait. Hoc est, inter Meridiem et hibernum solis occasum, sive inter Notum et Libanotòn. Geographi et rei rusticæ scriptores per horas vulgares solent regiones cœli, terrarumque situm et positionem designare. Vide adnot. in XVII. 11. Plautus in Trinummo de his inquit: 'Sicut Fortunatorum memorant insulas, Quo cuncti, qui ætatem egerunt caste suam, Conveniant.' Vide Ortel. Onomast. et Muret. Var. v. 1. *Dalec.*

Vocari in convalle a convexitate et Planariam a specie] Toletanum apographon, *Vocari Invallem: Convexitatem, et Planitiem a specie:* ut accipiantur, *Invallis, Convexitas et Planities,* propria insularum nomina. *Pintian.*

Convallis circuitu, &c.] *Invallis,* rursus idem exemplar agnoscit. *Idem.*

A purpurariis, DCCXXV.] Scribo uno elemento minus *DCXXV.* ut colligitur ex summis sequentibus, confirmante eam lectionem apographo quoque Tolet. *Idem.*

Quæ expellantur assidue putrescentibus] Prædicti codices, *putescentibus.* Notanda orthographia: quia videlicet dicitur, *putidus, putor, et puteus,* ab aquarum putore. *Pintian.*

CAP. XXXIII. *Terræ per mensuras computatæ digestio.*

Polybius a Gaditano freto longitudinem directo cursu ad os Mæotis XXXIV. XXXVII. M. D. pass. prodit] Marcianus, 'A Gaditano,' inquit, 'freto per longitudinem directo cursu ad os Mæotis XXXIII. XXXVII. M. D. pass.' Sed deceptus est hac quoque parte Marcianus. Neque enim ullo pacto legi potest, *tricies ter.* Etenim, ut supra visum fuit lib. IV. cap. ult. Artemidorus et una Isidorus longitudinem Europæ a Tanai ad Gades octogies quater et quatuordecim M. pass. prodidere. Quo igitur modo inter Artemidorum Isidorumque hinc, et Polybium inde, tam insignis esse

potuit differentia in tradenda Europæ longitudine? Nimirum legendum hic non *XXXIII.* sed *LXXXIV.* ut quod intervallum fecerunt Artemidorus cum Isidoro a Tanai ad Gades, idem fecerit Polybius ab ore Mæotis ad easdem Gades. *Pintian.*

Siciliam XII. LX. mill. D. p.] Scribe ex exemplari Tolet. et Ch. *XII. L. Mill. pass.* sicque esse legendum ostendit ratio postremæ summæ, quæ alias non congrueret præcedentibus. *Idem.*

Cyprum CCCXXV.] Lego *CCXXV.* tum ex iisdem exemplarib. tum ex ratione calculi, quæ id exposcere videtur. *Idem.*

Colligit ad Mæotin lacum] Citata exemplaria, *Colligit intra Mæotin lacum.* Verius ut puto: quia sequitur statim, 'Idem cum Mæotide,' &c. *Pintian.*

Idem cum Mæotide, CLXXIII. XC. pass. esse tradit] Marcianus, *Centies octies bis XC. p.* Sed legendum in Marciano, *centies octogies bis*, sicque Pliniani numeri sunt interpretandi. Nam *octies bis* quid aliud sit quam *sedecies*, non percipio. *Idem.*

Est ergo ad hoc præscriptum Europæ magnitudo LXXXI. XLII. M. p.] Magna occurrit hoc loco dubitandi causa, cur Plinius in Africa et Asia longitudinem et latitudinem distincte posuerit, nec idem in Europa fecerit. Nimirum locum hunc decurtatum, insuperque vitiosissime scriptum esse certum habeo: existimoque restitui sic posse: *Est ergo ad hoc præscriptum, Europæ longitudo, LXXXIV. latitudo XVI. XVIII.* Marcianus depravatam Plinii lectionem secutus: *octogies bis nonaginta quatuor* legit. Idem.

Asiæ longitudo in confesso est LXIII. M. DCCL.] Marcianus, *Asiæ vero longitudo, sexagies ter DCCL.* Sed non intelligo, si recipitur hæc lectio, quomodo constare queat quod sequitur, 'Europam paulo minus dimidia Asiæ parte majorem esse, quam Asiam.' Quod si legatur, *tricies DCCC. L.* quadrabit fere ratio calculi. *Idem.*

CAP. XXXIV. *Digestio terrarum in parallelos, et umbrae pares.*

Arabia ad Petras usque] Plinius hoc ipso libro, c. 28. unitatis numero *Petram* appellavit, non *Petras*: 'Deinde Nabatæi oppidum incolunt Petram nomine.' Strabo quoque lib. XVI. Nabatæorum Metropolin 'Petram' nominat. Item Stephanus et reliqui 'Petram.' *Pintian.*

Utraque Hippo] Toletanum apographon, *Uterque Hippo*, rectius. Masculino enim genere efferuntur ab omnibus, *Hippo regius*, *Hippo diarrhytus*, nunquam aliter. *Idem.*

Eubœa, Bœoti] Apographon Toletanum, *Eubœa Bœotum.* Scribendum arbitror, *Eubœæ Oreum.* Duæ enim in Eubœa urbes præcipuæ celebrantur, Oreus et Chalcis, Plinio, Straboni, Ptolemæo, Stephano, &c. *Pint.*

Picenum] Picenum, hodie *Marcha d'Ancona*; Marsi, *Labruzzo*; Peligni, *Ducada di Spoleto*; Sabini, *Savina.* Dalec.

LIBER VII.

Mundus, et in eo terræ, gentes, maria, insulæ, insignes urbes, ad hunc modum se habent] In Veteri Codice manuscripto paulo aliter legitur, nempe sic : *Mundus et in eo terræ, gentes, maria, insignie insulæ urbes, ad hunc modum se habent.* Quid sibi vellet illud *insignie*, diu me anxium habuit. Videbam id a doctis in *insignes* mutatum esse, et transpositum, nempe ut sic sit lectio, *insulæ, insignes urbes.* Qui sensus non est ita absurdus. Sed, nisi multum fallor, videtur hic epilogus, a quo septimum librum exorditur Plinius, ex asyndeto constans, quæ figura brevitati inprimis apta est, substantivum vocabulum, non adjectivum flagitare. Quare e vestigiis etiam ultimarum literarum ejus dictionis conjicio scriptum fuisse *Sinus*, quod per inscitiam librarii primo mutatum sit in *Signus*, postea in *Insignie et Insignies.* Meminit autem Sinuum Plinius, ut libro sexto, Persici, Arabici, ejus qui in mari rubro est Troglodytici. Hujus errati postremo venit in mentem, cum tamen in ipso statim libri initio occurrat, adeo quædam suffugiunt nos, vel parum attentos, vel alio properantes, nisi etiam atque etiam inspiciamus. *Rhenanus.*

Animantium in eodem natura] De animalium divisione, et an quædam sint terrestria, alia aquatica, aërea, cœlestia : quod Ovidius his versibus ostendit : 'Neu regio foret ulla suis animantibus orba, Astra tenent cœleste solum, formæque Deorum : Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ : Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.' Vide doctam et eruditam quæstionem apud Magium I. 21. *Dalec.*

Magna et sæva mercede contra tanta sua munera] Lege Salustium initio Belli Jugurthini. *Idem.*

Hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abjicit] Augustinus de Civitate Dei, l. I. priscum fuisse apud Romanos morem tradit, infantem nuper editum humi ponerent, ac continuo levarent, a quo ministerio Dea eis Levana excogitata et culta est. Ad hunc Romanorum morem prædicta Plinii verba referenda censent Baptista Pius, quem adolescentes Bononiæ professorem vidimus, et Cælius Rhodiginus et plerique alii, seu vero hic Plinius de Romanis duntaxat, et non de toto humano genere in universum pronunciet. Sed ut hoc errore illos liberemus, simulque constet hanc sententiam a Platone, ut plura alia, mutuatum esse Plinium, subjiciemus Plutarchi verba ex libro qui De fortuna inscribitur, Latine, ut potuimus, versa : 'Quandoquidem plurima,' inquit, 'ex mutis animantibus et fortunam et generis naturam feliciorem sortita sunt. Quædam cornibus, dentibus, aculeis armantur, Erinacei, ut Empedocles ait, tergore præacutis stimulis obsepto inhorrescunt. Calciata sunt alia, vestitaque cortice, lanugine, unguibus, ungulisque durissimis. Homo solus, secundum Platonem, nudus, inermis, sine calciamento, sine lecto, a natura in medium abjicitur.' Quod ergo Plato sine lecto dicit abjici hominem in medium quo die genitus est, id Plinius aliis verbis expressit, nudum dicens et in nuda humo natali die

abjici. Cæterum quia Hermolaus naturæ patrocinium suscepit adversus Plinium, petito ex Aristotele testimonio de Generatione Animalium lib. II. scire lectorem volumus patrocinium hoc, piamve apologiam, melius ab Hermolao desumi potuisse ex libro de Partib. Animalium IV. 9. *Pintian.*

Nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, &c.] Sic leg. *Nullumque animalium aliud ad lacrimas, et has statim vitæ principio:* hominem, inquit, tantum, nullumque animalium aliud, abjicit ad vagitus statim et ploratum, ad lacrimas, et has statim vitæ principio. *Salmas.*

Quadrupedi similem facit] Hujus rei caussam Rhodiginus explicare nititur III. 10. nempe superiora corporis ea ætate inferioribus adhuc tenellis ac molliusculis esse graviora. *Dalec.*

Qui non nasci optimum censerent, aut quam ocyssime aboleri] In promptu erat auctor hujus sententiæ, ut non fuerit necesse a remotioribus eam petere. Posidippus primo epigrammaton Græcorum tomo: *Ἦν ἄρα τοῖνδε δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον. Elige*, ait, *e duobus, utrum malis aut nunquam natum esse, aut post natalem protinus tolli e medio.* Quam Græci poëtæ sententiam apud nos Ausonius ita reddidit: 'ergo Optima Graiorum sententia, quippe homini, aiunt, Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri.' Jam vero Seneca noster pulcherrime, ut omnia in libro de Consolatione ad Marciam: 'Itaque felicissimum est non nasci, proximum puto brevitate vitæ defunctos cito in integrum restitui.' Præterea quod sequitur paulo post, cætera animantia probe in suo genere degere, congregari, et stare contra dissimilia, exceptionem patitur. Plinius X. 9. de Coccyge ave: 'Quin absumitur ab accipitre, si quando una apparuere, sola omnium avis a suo genere interempta.' Et lib. eod. cap. 72. 'In quo genere omnia magis exitialia, si suum genus edere, antequam noceant.' Et Aristoteles nono de Historia Animalium, cap. 1. olores seipsos adinvicem maxime omnium avium devorare tradit. Item quod paulo ante præcedit, *Atque uni etiam post sede futuro*, Joannes Britannicus in quibusdam Observationib. scribendum censet, *defuturæ*, ut referatur ad sepulturam; sed magis hic ab Hermolao, qui aliter hunc locum accipit ex illis Plinii verbis: 'Habere sensum victus, generationis, atque operis, et de futuro etiam curam;' etsi ea verba Hermolaus, ignoscendo memoriæ lapsu, in hoc volumine haberi tradit, cum sint in principio undecimi. Apographon quoque Tolet. *de futuro* habet, non *defuturæ*. Pintian.

CAP. I. *Gentium mirabiles figuræ.*

Neque enim ritus moresque nunc tractamus] Vetus liber *tractavimus* habet: ut indubie legendum sit *tractabimus*. Nam *u* pro *b* in codicibus paulo vetustioribus subinde occurrit. *Rhenanus.*

CAP. II. *De Scythis et aliarum diversitate gentium.*

Hominem immolari gentium earum more solitum] Gallorum videlicet Allobrogum. vide Strab. lib. IV. et infra XXXVI. 5. *Dalec.*

Gesclitron] Τὸ τῆς γῆς κλεῖθρον, id est, terræ claustrum. Turn. Advers. XXIV. 42. Var. de Ling. Lat. V. Hellesponti claustra. Poëta in Medea ἐφ' ἁλμυρὸν πόντου κλῇθ' ἀπέραντον. Æschylus in Persis dixit Βόσπορον κλεῖσαι. Herodot. ζεῦξαι. Scal. *Id.*

Uno oculo in fronte media] Aristides Rhetor salso mordacique dicterio, Philippo altero oculo capto, μονομμάτους Arimaspos cognatos esse dicebat. Rhodig. XXI. 8. Æschylus μονῶπας vocat. Quidam putant eam gentem, quæ arcu et sagittis excelleret, in illis dirigendis, ut fit, alterum oculum claudere solitam, et propterea

creditum unum tantum oculum illis fuisse. Muret. Var. XII. 8. Vide et supra IV. 22. *Idem.*

Cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti] *Mantelia* pro mappis posuit. Vide Salmas. Hist. Aug. 357. a. Herodot. in Melpom. Rhodig. Antiq. Lect. XVI. 10.

Circa Parium genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat] Apud Priscianum Varro lib. I. Rerum humanarum: 'Ut habent Parii, qui vocantur ὀφιογενεῖς, et in Africa Psyllos: quorum ὀφιογενεῖς cum arbitrantur suppositum aliquem esse in stirpe, ei admovent ut pungat, colubram. Cum pupugerit, si de genere sit, vivere: si non sit, mori.' In eodem: 'Admota aspis cum pupugerit, si non occidat, sciat ex Psyllorum stirpe esse.' Muret. Var. II. 2. Celsus V. 27. ait Psyllos, ore vulneri admoto ictæ percussæve partis, anguium venenum extrahere, idque non præcipua quadam scientia, sed audacia usu confirmata. Vide quid de his auctor dicat XXVIII. 3. *Dalec.*

Androgynos] Ii si quando Romæ nascerentur exportatus fœtus in mare vel flumina dejiciebatur, tum a virginibus ter novenis carmen per urbem canebatur, Junonique donum offerebatur. Alex. ab Alex. V. 27. *Idem.*

Quarum laudatione intereant probata] Virg. Ecl. VII. 'Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.' Fascinus pro Deo habitus, qui fascinum depelleret, hominis pudendum fuit, turpicula res, ut inquit Varro, pueris solita e collo suspendi. Itaque cum animo bono, candide et sine livore, laudari quempiam volebant, laudationi ut adderetur, præfiscini, exigebant, id est absque fascino, ἀβασκάντως. Titinius in Setina: 'A. Paula mea, amabo. B. Pol tu ad laudem addito Præfiscini, ne puella fascinetur.' Turn. XXII. 10. XXIII. 27. 21. 24. Scaliger in Varronem, et ad Catull. Plautus in Asinaria: 'Præfiscini hoc nunc dixerim, nemo etiam me accusavit Merito meo.' Vide XXVIII. 4. Quidam tamen probata hic πρόβατα, oves intelligendas esse putant, morbis pestilentibus obnoxias, et ea caussa sæpe gregatim pereuntes. Qua de caussa pestem sive luem Thucydides cum describit, ægros ὥσπερ τὰ πρόβατα θνήσκειν tradidit, et id Lucretius imitatus lib. VI. 'Lanigeras tanquam pecudes,' &c. Vultque Muretus Variar. I. 3. eadem ratione dictum, qua Ciceroni in Verrem, in acta, ἐν τῇ ἀκτῇ, eidemque, ut et Terentio, astu, τὸ ἄστυ. *Idem.*

Qui visu quoque effascinent] 'Ὀφθαλμὸν βάσκανον vocat Heliod. Æthiop. ut interpretatur Theocriti Scholiastes καίνοντα καὶ φθείροντα τὸ ὁραθέν. Καὶ μάλιστα παῖδας, ut scribit Aphrod. Probl. II. et Plut. Symp. V. *Idem.*

Pupillas binas in oculis singulis habeant] Ovid. Amor. I. 'oculis quoque pupula duplex Fulminat, et geminum lumen in orbe manet.' Vide Brod. I. 37. *Dalec.*

Bithyæ] Bithyas in Thracia Stephanus memorat, gentem ab his fœminis diversam. *Idem.*

Thibiorum genus] Plutarchus Sympos. V. 7. Καίτοι τούς γε περὶ τὸν Πόντον οἰκοῦντας πάλαι, Τυβεῖς προσαγορευομένους, ἱστορεῖ Φίλαρχος οὐ παιδίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ τελείοις ὀλεθρίους εἶναι. Horum Gal. meminit lib. I. Methodi, ut servorum emptitiorum. Vide Junium Cent. VIII. Adag. 36. Hæc gens adeo pestilens fuit, ut solo halitu perimeret. Didymus. *Idem.*

In altero equi effigiem] Nomine τοῦ ἵππου deceptum Plinium fuisse arbitror: significat enim ea vox et equum animal, et ingenitum oculi vitium, quo instabilis et tremulus assiduo motu concutitur. Philarchus nictationem perpetuam intellexit, quam Plinius equi effigiem interpretatur. *Idem.*

Haud dissimile iis genus, &c.] Legend. *Haud dissimile his genus Pharmaceum in Æthiopia prodidit Damon, &c.* τὸ γένος τῶν φαρμακέων. Aliud φαρμακὸς, aliud φαρμακεύς. Φαρμακεῖς proprie sunt *venenarii*, at φαρμακὸς, *homo piacularis*, qui urbis alicujus purgamento devotus extra fines ejiciebatur. *Salmas.*

Haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ quæ vocantur Hirpiæ, &c.] In optimo cod. ita legitur: *perpaucæ familiæ sunt, quæ vocantur Hirpiæ, &c.* lege: *quæ vocantur Hirpi: hæ sacrificio annuo, &c.* Idem.

Apollini] Strabo lib. v. non Apollini, sed Feroniæ hæc sacra fieri solita tradit, cujus et eo loci fanum fuerit, urbsque cognominis. *Dalec.*

Et ob id perpetuo senatusconsulto] Utrumque exemplar, non *Senatusconsulto* legit, sed *Senatusconsultu:* quam lectionem approbavit, qui Plinianum observavit morem, quæ apud alios auctores nomina aliarum sunt inflexionum, in quartam libentissime mutandi. *Pintian.*

Ut sub una ficu turmæ condantur equitum] Nearchus apud Strabonem lib. xv. quadringentorum, Aristobulus quinquaginta. *Dalec.*

Arundines vero tantæ proceritatis] Megasthenes apud Strabonem quasdam stantes esse ulnarum 30. refert, quasdam humi prostratas, 60. diametro cubitorum trium, et interdum sex. *Idem.*

Monosceli] Fabulosos esse, ac rationem cur ita creditum sit, vide apud Rhod. iv. 12. *Dalec.*

Eosdemque sciopodas vocari] Scribo *Sciapodas* cum *a*, in secunda syllaba, ex Stephano et Philostrato in Vita Apollonii: item Alexandrino Hesychio, astipulante etiam utroque scripto exemplari. De reliquo notandum, hæc verba paulo post inserenda esse, post illa quæ sequuntur: *Eudoxus in meridianis Indiæ viris plantas esse cubitales, eosdemque Sciapodas vocari; quod in majore æstu humi jacentes resupini umbra se pedum protegant.* Pint.

Eosdemque Sciopodas vocari, &c.] Legend. *eosdem Sciapodes vocari, quod in calore æstus, &c.* Vide Salmas. p. 1006. a.

Non longe eos a Troglodytis abesse. Rursusque ab his occidentem versus quosdam, &c.] Existimo converso ordine legendum esse: *Rursusque ab his occidentem versus quosdam sine cervice, oculos in humeris habentes. Non longe eos a Troglodytis abesse.* Nam cum illos qui oculos in humeris habent in India esse constet, Solino etiam teste, et Troglodytæ pertineant ad Æthiopiam, si post Sciapodas, quos non longe a Troglodytis distare sit, alias rursus occidentem versus Indiæ gentes collocet, videbitur Plinius in ordine et situ regionum aberrare. *Pintianus.*

Satyri] In vasto Oceano repertos Satyros ab Euphemo Care in insulis, quas Satyridas vocant, Pausanias narrat l. 1. ruffos, caudis non minoribus quam equorum, salacissimos, ut qui mulierem expositam et anteriore Venere et posteriore vexarint potulantissime. *Dalec.*

Tum quadrupedes, tum recte currentes] Exempl. Salmanticense, et impressa lectio: *Tanquam quadrupedes, tam recte currentes.* Scribendum opinor: *Quanquam quadrupedes, tamen recti currentes.* Pintianus.

Hirtis corporibus] Eadem fere de Arimaspis supra recitata sunt ex Strabone, nisi quod iis pectus hispidum esse ait, non corpus, et aures caninas, non dentes, mendose forte. *Dalec.*

Struthopodes] Sic Struthocephalos Themistius dixit in paraphrasi Physicorum, quibus amplius caput non est quam passeri. Quidam non a passere Struthopodas ducunt, sed a Struthio camelo. *Dalec.*

Megasthenes gentem inter Nomadas

Indos narium loco] Strabo Amyctyras vocat, omniaque et cruda comesse, parum vivere, ante senectutem mori, superius labrum eminentius habere tradit. *Idem.*

Anguium modo loripedem, vocari Syrictas] Lege: *anguium modo loripedes vocari Syrtas.* Συρτὴς est *qui trahit:* quod traherent pedes et reperent potius quam ambularent, *Syrtæ* dicti, ἀπὸ τοῦ σύρειν τὼ πόδε. *Salmas.* p. 415.

Halitu tantum viventem et odore quem naribus trahant] Lege hac de re Strabonem lib. XV. Ex Onesicriti sententia Rhodiginus hunc locum XXIV. 21. ex Platone interpretatur. Dicit autem in calidis regionibus ac odoriferis homines plerumque esse gracili corpore, tenui cibo ac pene nullo, ex odoribus ali, et ipsam naturam loci herbarum et frugum succos redigere in odores, et humanorum corporum humores in spiritus resolvere. Quum igitur uterque (odor videlicet, ac spiritus) sit vapor quidam, et simile simili nutriatur, nimirum et spiritus qui spiritum ducit homo plurimum odoribus accipit alimentum. Qui scripsit Homeri Vitam, narrat malorum odore prorogatam ei aliquandiu vitam. Olympiodorus ex Aristotele historiam citat cujusdam, qui aëre tantum ac sole nutriretur. *Dalec.*

Spithamæi Pygmæi] Scribendum puto, *Trispithamæi Pygmæi:* quia subjicit statim, *Ternas spithamas longitudine,* hoc est ternos dodrantes non excedentes. Strabo lib. XV. 'Sed ad fabulas rediens ait, homines quosdam esse quinquepalmos, quosdam tripalmos, quorum nonnulli naso careant, et duo tantum spiramenta supra os habeant.' Cum tripalmis grues pugnare, quod et Homerus significat. *Pintian.*

Ternos dodrantes non excedentes] Id est, 19. pollices, nimirum pedes duos ac quinque pollices. Vide quæ de hac re notata sunt in XXXV. 14. *Dalec.*

Annos ducenos vivere] Seribus tam longam vitam esse Strabo auctor est l. XV. *Dalec.*

Mandrorum nomen iis dedit Clitarchus] Vetus omnis recentiorque lectio *Mandorum* præfert, non *Mandrorum.* Scribendum videtur aut *Pandarum,* ex Plinio VI. 20. et item Stephano, aut *Pandæorum,* ex Arriano lib. VII. cujus verba libuit ponere, ut collata cum Plinianis VI. 20. omnem ambiguitatem lectoribus adimant: 'Ornatum autem corporis, quo utebatur hic Hercules, Megasthenes fuisse illi similem scribit, quo Thebanus Hercules uti solebat, quod et Indi affirmant, eique multos fuisse filios virilis sexus, multas enim uxores habuisse: filiam vero unicam nomine Pandæam, terramque in qua nata est, quam Hercules ei tradidit, de nomine ejus Pandæam appellatam. Datos insuper elephantos D. equites ad IV. M. pedites circiter CXXX. M.' Et mox paulo: 'Ad hæc in regionibus, quas Herculis filia regno tenuit, fœminas, ubi ad septimum vitæ annum perveniunt, viris maturas censeri, ac nubere, viros quadraginta annos summum vivere.' Et rursus, 'Herculem eundem cum filia VII. annorum concubuisse, ut ex se soboles Indorum regibus procrearetur.' *Pintian.*

Alios auribus totos] Hos Fanesios vocavit supra IV. 13. Ἐνωτοκοίτους Strabo vocat, auribus ad talos usque demissis indormientes, adeo robustos ut arcus nervum frangant, et arbores evellant. Adnotatum loco citato Panotios ab Isidoro vocari. *Dalec.*

Oritas ab Indis Arbis fluvius disterminat] Hermolaus pro *Soritas,* ut antea scriptum erat, *Oritas* substituit; pro *Arabis, Arbis.* Priorem castigationem probo, posteriorem improbo. Nam vetus omnis lectio, Romanaque et Parmensia exemplaria, tum hoc capite, tum VI. 24. item IX. 2. semper *Arabis* legunt, nunquam *Arbis.* Strabonem fatemur Arbin appellare, Pto-

lemæum negamus. Nam et Græce Arabis apud eum legitur: et e duobus ejus interpretibus prior Arabin, posterior Arabium vocat. Item Arrianus septimo: 'Prope hanc,' inquit, 'habitat gens Indica Arabies dicti, quorum in majore conscriptione commemini esse cognominatos a flumine Arabi, quod per ipsorum regionem fluens exonerat in mare, disterminans horum provinciam ab Oritarum terra.' Et paulo post bis Arabin fluvium nominat. Porro idem auctor in majore conscriptione, cujus hic mentionem habuit, Arabium vocat fluvium, non Arabin, nec semel, et Arabitas populos. Stephanus, ceu dubius in utram partem inclinaret, modo Arbin, modo Arabium vocat. Neque illud omiserim, sæpe apud eundem Arrianum scriptum inveniri per duplex *rr*, Arrabis et Arrabitæ populi. *Pintian.*

CAP. III. *De prodigiosis partubus.*

Horatiorum Curiatiorumque exemplo] Livius lib. I. Decad. 1. *Dalec.*

Supra] Numerum tergeminorum. *Idem.*

Præterquam in Ægypto, ubi fœtifer potu Nilus, &c.] Lege: *præterquam in Ægypto, ubi fœtifer potu Nilus amnis. Proxime supremis Divi Augusti, Fausta quædam e plebe, Ostiæ duos, &c.* Salmas.

Quinos quater enixa] Strabo l. XV. quatergeminos. Idem ex Aristotele tradit, quandam peperisse septemgeminos. Albertus prodidit, mulierem in Germania conformatis jam in utero 22. infantium corpusculis abortum fecisse: aliamque ejecisse in pelvim Embryonum auricularis digiti magnitudine CL. corpuscula: aliam LXX. Neque enim quod de Margareta Hollandiæ Comite ferunt affirmare libet, quæ uno partu 360. filios peperisse vivos ann. Dom. 1314. traditur. *Dalec.*

Androgynos vocatos] Vocant et διφυεῖς, et ἀνδροθήλυας, et ἀρσενοθήλυας. In maribus id fit tribus modis: cum in perinæo, sive interfemineo, muliebre pudendum exiguum videtur: cum itidem in scroto, sed nullo excrementi profluvio: cum ibidem, exeunte lotio. In fœminis unico: cum penis supra genitalis fastigium in clitorio et ima pube prominet. Addunt quidam in maribus, cum supra colis radicem muliebris natura extat: in fœminis, cum penis ad inguina vel in perinæo profertur. Rhodig. XV. 10. et XIX. 12. androgynos vocavit, et Pollux concubinos. Cornel. Gemma Cosmocrit. I. 6. *Dalec.*

CAP. IV. *De mutatione sexus, et geminis partubus.*

Nanque et serpentem peperit inter initia Marsici belli ancilla] Ut et Sullanis temporibus Clusiana materfamilias, teste Jul. Obseq. de Prodig. cap. 118. et App. Alexand. de Bel. Civ. lib. I. mihi pag. 411. Legatur et recens exemplum apud Cornel. Gem. Cosmocrit. tom. II. pag. 201. *Idem.*

Hippocentaurum in Thessalia natum] Vide XXII. 24. Centauros, Scyllas, et id genus monstra gigni fierique non posse, multis versibus ostendit Lucretius lib. IV. An existere possint, vide Magium I. 20. *Idem.*

Ex fœminis mutari in mares] Pontano Caietana muliercula piscatoris per annos 14. uxor repente vir facta est. Idem contigit Æmiliæ conjugi Antonii Spensæ, civis Ebulani anno 12. postquam nupserat. Sexu mutato ea duxit uxorem, et liberos sustulit. Idem et alteri mulierculæ accidit, cum jam semel peperisset. Temporibus Ferdinandi primi Neapolitanorum regis, Carlotta et Francisca filiæ Ludovici Quarna Salernitani, annos XV. natæ, sexum mutarunt. Videsis A. Gell. Noct. Att. IV. 4. et Phlegontem Trall. de Admirand. pag. 74. *Idem.*

Geminis raram esse, aut puerperæ] Ex Aristot. de Gener. Animal. IV. 6. *Id.*

Fœminas gigni celerius quam mares, &c.] Sive verbum *gigni* significet formari in utero fœtum, seu significet in lucem prodire infantem, falsum est fœminas gigni celerius quam mares. Docet id Aristoteles de Historia Animalium, VII. 2. his verbis: 'Quum itaque fœtus in utero formatur, fœmina tardius quam mas perfectionem omnium partium recipit, et serius in decimum mensem quam mas protrahitur.' Et cap. 4. 'Plus etiam motus magna ex parte mas in utero infert quam fœmina, et celerius prodit; fœminæ enim partus tardior est.' Possem etiam, nisi me pudor avocaret, citare Avicennam de Animalib. IX. 5. de transmutatione spermatis, et Albertum Magnum, aliosque Aristotelicæ doctrinæ assectatores. Cæterum in exemplari Toletano non *gigni* legitur, sed *nasci*. Quod si duo hæc verba jungerentur *gigni nasci*, et pro eis scriberetur *juvenescere*, bellissime locus restitueretur. Aristoteles loco proxime citato: 'Sed cum in lucem prodierit fœmina, ocyus quam mas et accrescit, et ætate floret, et senectute maceratur.' Posset etiam locus minus superstitiose restitui, si pro duobus illis verbis, *gigni celerius*, poneretur *juvenescere*, deinde permutatione verborum sequentium legeretur: *fœminas juvenescere celerius quam mares, sicut senescere*, vel sic, *fœminas juvenescere quam mares celerius, sicuti senescere*. Pintianus.

CAP. V. *De homine generando, et pariendi tempore per illustria exempla a mensibus septem, ad undecim.*

Partus] Mirum Plinium partum, τὸν τόκον, pro fœtu, aut conceptu, ἀντὶ τῆς συλλήψεως, ἢ τοῦ κυήματος, usurpasse, καταχρηστικῶς. *Dalec.*

Alius septimo] Quinto mense vitales in Hispania editos fuisse scribit Ferdinandus Mena suis commentariis in Hippocr. de Septimestri Fœtu. Vide Aristot. VII. 4. de Nat. Animal. et D. Gothofred. ad Nov. XXXIX. 2. et Fab. Paulin. de Hebdom. VI. 4. Censorin. de Die Nat. cap. 7. Plutarch. de Placit. Phil. V. 18. et seq. Hier. Mercurial. Val. IV. 10. &c. *Dalec.*

Alius octavo] Cur vitalis partus non sit octavo mense vide Rhodig. XIX. 22. et XXII. 1. 20. 13. Octavo quidem mense in Ægypto fere nasci, ut nono apud nos, fabulosum putant; verum qui octavo gignuntur raro mori. Asclepiades Naxias mulieres edere ὀκτάμηνα prodit, sive Junone Lucina id gratificante ob Dionysii benevolentiam, sive quia Bacchus eo mense in lucem prodiisset, cujus nomine et Dionysiam Naxum appellarunt: tametsi quidam a vitium fœcunditate, quod auctor scribit IV. 12. ita dictam interpretantur, et quod fons vini sapore in ea fluat. *Idem.*

Ex his quatuor partus enixa Sempronium septimo mense genuit, Suilium Rufum undecimo, Corbulonem septimo, utrumque consulem: postea Cæsoniam C. principis conjugem octavo. In quo mensium numero genitis intra quadragesimum diem maximus labor] Locus non vulgari indigens censura. Ante omnia scripta omnis et impressa lectio non *Sempronium* agnoscit, sed *septimo semper*: sicque haud dubie legendum est. Deinde pro duobus illis verbis, *in quo*, scribendum est *iniquo*: et id verbum cum duobus sequentibus ad præcedentia adjunge. Postremo dictionem, *Genitis*, cum majore litera scribe, ut sit principium sequentis cæsi, hoc sensu: Vestiliam C. Herdicii, ac postea Pomponii atque Orphiti conjugem, quatuor ex his partus enixam, æquo semper mensium numero genuisse, hoc est septimo semper mense. Deinde, e contrario, peperisse tres alios filios iniquo numero mensium, Suilium Ruffum undecimo, Corbulonem septimo, Cæsoniam octavo. Genitis vero, hoc est, fœtui adhuc intra maternum uterum clauso, intra quadragesimum

tertium perire abortione. Quare et paulo post scribendum videtur, *Rursus alia*, non *Rursus in alia*. Pintianus.

Quarto partu Dacorum originis nota in brachio redditur] Locus est corruptissimus, et in quo restituendo frustra a viris etiam doctissimis laboratum est. Utcunque minus male legetur, *Tertio partu avorum originis nota in brachio redditur*. Sumptum id ex Aristotele, ut fere omnia, ex Hist. Animal. VII. 6. 'Jam tale quid vel tertia prole post regeneratum est: ut cum quidam suo in brachio puncti notam haberet, filius non retulit, sed nepos ea corporis parte nigritiam quandam habens confusam prodiit.' Sed raro hæc eveniunt. *Idem*.

CAP. XII. *Exempla similitudinum.*

Exempla similitudinum] Vide et consule Aristotelem Histor. Animal. XVII. 6. ex quo auctor totum hoc caput mutuatus est. *Dalec.*

Obducto membranæ oculo] Fuerunt et in quibusdam stirpibus gentilitia quædam signa, ut Spartis Thebanis lancea, quibusdam stellæ, Thyesti cancer, innata et insita statim ab ortu: quæ interdum extincta et tecta in filiis proximisque nepotibus, longo post tempore in remotis posteris veluti reviviscerent. Victorius VIII. 16. vide notata XLIV. 9. Seleuco ejusque posteritati anchoræ imago in femore visebatur. Alex. ab Alex. II. 19. *Idem.*

Annoque post genitum majori similem fuisse, ut geminum] Scribendum arbitror, *pauloque post genitum majori, &c.* 'Genitum' hic accipio conceptum. Aristoteles libro et capite citato: 'Gemini vel dissimiles inter se nati jam sunt, sed plurimi magna ex parte similes prodeunt. Nam et quædam cum septimo die a partu concubuisset, concepissetque, peperit similem superiori, ut geminum.' *Pintianus.*

Nicæi nobilis Pyctæ Byzantii geniti] Annotaverunt alii *Pyctæ* legendum esse, ubi antea *poëtæ* scriptum erat. Nos addimus, hunc qui regeneraverit in avum Æthiopem, non Byzantii natum videri, sed in Sicilia, si Aristoteli credimus libro et capite toties allegato: 'Aliqui,' inquit, 'similitudinis nihil referunt. Redditur etiam vel post plures ejusdem progeniem, ut in Sicilia ejus quæ adulterium cum Æthiope commiserat filia, non colorem patris Æthiopis reddidit, sed qui natus ex hac est in avum Æthiopem regeneravit.' Idem tamen Aristoteles, a seipso dissentiens, libro primo de Generatione Animalium, in Elide rem gestam prodit. *Idem.*

Similitudinum quidem in mente] Vide Rhod. XX. 15. *Dalec.*

Similes omnibus, singulisque in suo cuique genere] Cicero Tuscul. I. 'Similitudo,' inquit, 'magis apparet in bestiis, quarum animi sunt rationis expertes.' *Idem.*

Antiocho regi Syriæ] Valer. Max. IX. 12. *Idem.*

Scipioni Serapionis, &c.] Lege, *Scipioni Serapioni inerat suarii negotiatoris vile mancipium, &c.* Salmas.

Cognomen Salutio Mimus] Quendam ex Scipionibus adoptione testamentaria Salutionem cognominatum fuisse auctor scribit XXXV. 2. non ob similitudinem cum Salutione Mimo. *Dalec.* Patietur Dalechamp. æquo animo si nostram sententiam in adversa inclinare dixerimus. Neque enim allegatus alter huic repugnat locus, sed egregie potius consentit. Salutio namque, in Africanam adoptatus familiam, Cornelii inde nomen est assecutus, quod et Salutionis proprio a vitio tracti fœditate conspurcasset, ni Corneliæ genti suam asseruisset laudem Messala, ostendissetque discrimina gentium, et quæ cui nativa, quæ per adoptionem quæsita. Videatur Sueton. I. 59. et ibi Casaub.

Suræ quidem Proconsulis etiam, &c. et sermonis tumultum] *Sermone tumul-*

tueri dixit Tertullianus, quod Græci παφλάζειν dicunt. *Salmas.*

Cassio Severo celebri oratori, &c.] Lege, *Cassio Severo celebri oratori Armentarii Myrmillonis.* Armentarius nomen proprium Myrmillonis illius, id est, gladiatoris. In scriptis Plinii semper *Murmillo* reperitur, aut *Murmilio.* Idem.

Toranius M. Antonio jam Triumviro] Lege, *Toranius mango Antonio jam Triumviro.* Vide Macrob. XI. 4. Sed ibi legitur *Toronius* pro *Toranius.* Salmas. Pintian.

Tanta unitas erat] Eam oris et faciei similitudinem venuste Plautus in Menæch. expressit his verbis: 'Ei sunt nati filii duo gemini: Ita forma simili pueri, uti mater sua Non internosse posset, quæ mammam dabat, Neque adeo mater ipsa quæ eos pepererat.' Ubi matrem eam et quæ parit, et quæ nutrit, dici observandum. *Dalec.*

CAP. XIII. *Quæ sit generandi ratio.*

Divus Augustus, in reliqua exemplorum raritate, neptis suæ nepotem vidit genitum quo excessit anno M. Syllanum, qui cum Asiam obtineret post consulatum, Neronis principis successione veneno ejus interemptus est] Scribo non *M. Syllanum*, sed *Junium Syllanum.* Item *proconsulatu*, non *post consulatum.* Fuit nihilominus Marcus Syllanus Tiberii principatu potens, insignique nobilitate præcellens civis, auctore Cornelio Tacito lib. III. non tamen is proconsul Asiæ fuit, neque veneno Neronis sublatus: sed utrumque hoc Junio Syllano congruit, qui ejusdem Tiberii tempore consulatum cum Silio Nerva gessit, eodem teste. De eo idem Cornelius Tacitus Annal. XII. circa initia sic scribit: 'Prima novo principatu mors Junii Syllani, proconsulis Asiæ, ignaro Nerone, per dolum Agrippinæ patratur.' Et mox paulo: 'Quippe et Syllanus divi Augusti abnepos erat: hæc causa necis. Ministri fuere P. Celerius eques Romanus, et Ælius libertus, rei familiari Principis in Asia impositi: ab his proconsuli venenum inter epulas datum est, apertius quam ut fallerent.' Hactenus Tacitus. Porro successionem hanc Junii Syllani a principe Augusto, de qua hic Cornelius Tacitus, existimo sic deduci posse. Decius Syllanus, auctore eodem Tacito, frater prædicti M. Syllani, Juliam Augusti neptem temeravit, ob id in exilium missus, Julia ob adulteria damnata in exilio peperit infantem, ut scribit Tranquillus, quem agnosci et ali vetuit Augustus. Hic forte adulta jam ætate Junium hunc Syllanum procreavit Augusti abnepotem. Patet item ex antedictis, Tacito cum Plinio non convenire. Ille, ignaro Nerone, veneno Agrippinæ sublatum Junium Syllanum tradit: hic non ab Agrippina, sed a Nerone scelus patratum asserit. *Pintian.*

Qui se patris appellatione salutarent] Socer enim, vitricus, noverca parentum loco sunt; nurus autem, generi, et privigni filiorum. Cujacius Observ. XVIII. 9. *Dalec.*

CAP. XIV. *De eodem multiplicius.*

Profluvium genitale] Inepte Plinius menstruam fœminarum purgationem, τὰ καταμήνια, profluvium genitale, τὴν γονόῤῥοιαν, hic vocat. *Idem.*

Massinissam regem] Eadem de re Valer. Max. VIII. 14. *Idem.*

E filia Salonii clientis sui] E filia coloni sui, Seneca Controv. lib. VII. E filia scribæ sui Salonii, Plutarchus in ejus Vita. *Dalec.*

Notum est Cornelia Scipionum, &c.] Lego, *notum, cum Cornelio Scipionum gentis, Volusium Saturninum, qui consul fuit, &c.* Vide Dorleans in Tacitum pagina 371.

CAP. XV. *De menstruis mulierum.*

Animal menstruale mulier est] Mulieres quibus menses fluunt veteres

Ancunnulentas dixerunt, quasi inquinatas. Festus. Vide Aristot. de Gener. Anim. IV. 7. *Dalec.*

Inde] Id est, ex ea causa, quod menstruum videlicet profluvium habeat. *Rhenanus.*

Molas] Molucrum vocavit Afranius. 'Ferme virgini, tanquam gravidæ mulieri, crescit uterus: molucrum vocant: transit sine doloribus.' Apud Festum. *Dalec.*

Movetur sistitque menses, &c.] Lege: *Movetur sistitque menses ut partus: alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatior excidens.*

Moriuntur insita, exuruntur, &c.] *Moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, fructus arborum quibus incidere decidunt.* ita legendum ἀσυνδέτως. *Insita* sunt τὰ ἔμφυτα, ut Glossæ interpretantur. Novellas arbores intelligit per insitionem plantatas. *Salmas.*

Speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur] Inde priscis *Bubinari*, menstruo sanguine inquinari, ut *bulbitari* puerili stercore, quod Græci βόλβιτον appellant. Lucilius: 'Hæc te imbubinat, et contra te imbulbitat.' Festus, in explicanda causa, multa philosophatur. Rhodig. III. 28. *Dalec.*

Odorque dirus aëra] Cave, ne postrema dictione significari elementum, non metallum, putes. Ostendit id Plinius libro XXVIII. capite septimo: 'Æs contactum grave virus odoris accipere et æruginem.' Quid si non 'virus' legas, sed 'viri,' more Pliniano? ut IX. 30. de portentoso illo Polypo? 'Primum omnium magnitudo inaudita erat. Dein color muria obliti, odore viri.' Et paulo post Plinius hoc ipsum malum virus appellat. Cæterum verbum *æra* in apographo Toletano non habetur: ut sentio, recte. *Pint.*

Ad omnem contactum adhærens, &c.] Lege, *Ad omnem contactum adhærens, præter quam filorum quæ tale virus infecerit.* Vel, *ad omnem contactum adhærens præterquam fili.* Ad omnem, inquit, contactum adhæret bitumen, præterquam si filis contingas, quæ infecta sunt cruore menstruo. *Salmas.*

Filio quod tale virus infecerit] Vel asperum lotio secari solet. Joseph. IV. de Captivitate. Strab. lib. XV. ex Posidonio refert lacus accolas incantatores carmina quædam recitare, deinde urinam et alios fœtidos succos affundere. Brod. IV. 22. *Dalec.*

Trimestri spatio largius] Aristoteles Hist. VII. 1. paucis fœminis purgationem eam singulis mensibus συνεχῶς, id est, continuata vacuatione, nec intermissa, fieri tradit; quod Plinius largius hoc loco interpretari videtur; plurimis autem tertio quoque mense, quoniam humor copiosior, et ad motum imparis numeri potestate concitatior, naturam, veluti resumptis viribus alacriorem, vehementius irritat. *Idem.*

CAP. XVI. *Idem de ratione partuum.*

Hoc statu] Menstrua purgatione. *Dalec.*

Prærogativam] Argumentum certum ac minime fallax. *Idem.*

Infici] Medicamento in os defluente. *Idem.*

M. Curium] Vide Valer. Max. VI. 3. *Idem.*

Quasdam concreto genitali gigni] 'Ατρήτους Græci vocant. *Idem.*

Gracchorum] Vide hujus libri caput 36. et XXXIV. 6. *Idem.*

Prusiæ regis] Μονόδους apud Festum dictus: ut et Pyrrhus rex Epirotarum. Alex. ab Alex. I. 9. Dentatos Romæ vocatos fuisse tradit, quod illis dentium vice continuum os foret, aut quod auctor gentis dente jam nato in lucem prodierit. Vide Valer. Max. V. 3. *Idem.*

Quin et augurium in hac esse creditur parte. Triceni bini viris attribuuntur, excepta Turdulorum gente. Quibus plures fuere, longiora promitti vitæ putant spacia: fœminis minor numerus] Si paululum mentis aciem intendas, videbis luce clarius, verba hæc con-

fuso ordine collocata esse. Scribo igitur, *et cum defluxere, explanationem omnem adimentes. Treceni bini viris attribuuntur; excepta Turdulorum gente: fœminis minor numerus. Quia et augurium in hac esse creditur parte. Quibus plures fuere, longiora promitti vitæ putant spatia.* Pintian.

Turdulorum] Turdulos et Basculos nationem esse minime aptam ad pecuariam ait Varro II. 10. *Dalec.*

Plures fuere] Hippocr. Aphoris. VI. 2. 6. Epid. *Idem.*

Quibus in dextra parte gemini superne a canibus cognominati, fortunæ blandimenta pollicentur] Constat quidem sensus nulla lectionis mutatione facta. Nam et puer quidam meus a pedibus, tempore quo hæc prodebamus, hanc Plinii notam in ore habebat, etiamsi nulla tunc illi fortunæ blandimenta arriderent. Sed præterire silentio nolui, Solinum in Plinio legisse non *superne*, sed *superant*, hoc est, eminent extra cæteros. Verba Solini cap. 3. 'Quos cynodontas vocant, in quibus gemini procedunt a dextra parte, fortunæ blandimenta promittunt.' *Pintian.*

In trimatu suo cuique dimidiam esse mensuram staturæ, certum est] Lego *quimatu*, non *trimatu*. Aristoteles libro de Generatione Animalium primo cap. 18. 'Quinquennio fere corpus in homine quidem dimidium capere videtur omnis magnitudinis, quæ reliquo toti corpori comparetur.' Item apographon Tolet. non *staturæ* legit, sed *futuræ*; quæ lectio mire mihi probatur. *Pintian.* Dicit cuique in trimatu suo dimidiam esse mensuram futuræ, id est, ejus mensuræ quæ futura est in homine. *In plenum autem*, inquit, ea mensura cuncto mortalium generi minor in dies fit, *in plenum autem*, ὅλως δέ. *Salmas.*

Alii Oti fuisse arbitrantur] Hunc Otum tam vasto corpore tantisque viribus præditum fuisse poëtæ narrant, ut socio Ephialte fratre Martem ipsum ex insidiis aggredi sit ausus. Hos Maro Æneid. VI. 'Aloidas' vocat. *Gelen.*

Orestis corpus oraculi jussu refossum, &c.] In Orontis fluvii alveo, Orontis, quem Indum fuisse Syris consulentibus respondit Apollinis Clarii oraculum, cadaver compertum est undecim cubitorum, et amplius. E regione Valentiæ Allobrogum in torrente qui rigat pagum Divi Peratii, regnante in Gallia Ludovico undecimo, gigantis cadaver effossum est stupendæ et inusitatæ magnitudinis, et quæ, ut ex variis ejus picturis ac ossibus deprehenditur, ad octodecim pedes accederet. Rhodig. XVIII. 31. Pausaniæ l. I. in Ajacis cadavere mola genuum disci magnitudine fuit, qua utuntur quinquertiones. Asterii vero Anactis filii cadaver decem cubitos procerum. Plutarcho Thesei corpus inusitatæ magnitudinis. Henrici tertii principatu Pallantis, a Turno interfecti, corpus inventum et ad muros urbis erectum, illarum pinnas vertice tangebat. Boccacius Geneal. lib. IV. tradit prope Drepanum Polyphemi corpus in specu repertum incredibilis magnitudinis. Nuper ad Juliam Cæsaream in Africa effossa est calva ambitu duodecim spithamarum, Magius I. 4. De Orestis cadavere vide Gell. III. 10. *Dalec.* Ut et de aliis huc pertinentibus, Pausan. Arcad. p. 261. et 264. &c. et Rich. Stanihurst. Hib. Hist. c. 13. num. 3. et Joan. Cassanion. de Gigantibus. Phlegon de Rebus Admirand. p. 81.

Homerus non cessavit minora corpora, &c.] Juvenal. Sat. XV. 'Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero: Terra malos homines nunc educat atque pusillos.' Ubi interpr. et S. Aug. de Civit. Dei XV. 9. allegat. *Dalec.*

Ectrapelos Græci] Monstrosos, τῆς κοινῆς ἀνθρώπων αὐξήσεως ἐκτρεπομένους, prodigioso incremento augescentes, ab usitato nostrorum corporum auctu discedentes, averso naturæ ordine

nascentes. Vide Hermog. περὶ πολιτικοῦ λόγου. Συνθετά τινα ζῶα, καὶ ἐκτράπελα, οἷον Πήγασοι, καὶ Γοργόνες, καὶ Κένταυροι, καὶ Σειρῆνες. *Dalec.*

CAP. XVII. *Insignia corporum.*

Quod sit hominum spatium] Vide Vitruvium III. 1. et Solin. c. 5. et Cardanum de Subtilit. lib. II. p. 641. et Albert. Durer. de proport. corp. hum. *Idem.*

Nec id unquam in fœminis] Rationem explicat Rhodig. IV. 3. Idem scripsit et Hippocrates γυναῖκα ἀμφιδέξιον οὐ γίνεσθαι. Aphoris. IV. 7. Vide Arist. Histor. Anim. II. 1. *Idem.*

CAP. XVIII. *Exempla variarum figurarum.*

Fœminarum prona] Rhodig. III. 10. ejus rei causam affert, quod ob mammas et uterum in fœminis graviores sint anteriores partes. Sed et in maribus uteri loco pudenda sunt foris exposita, ac propendentia, quæ si id tantum spectamus, gravitatem corporis anterioris æque augent ac uterus in fœminis. *Idem.*

CAP. XIX. *Diversorum morum exempla.*

Sed hæc pravæ naturæ insignia, &c.] Lege, *Sed hæc parva naturæ insignia in multis varia cognoscuntur.* Narraverat Plin. ante aliquot magna naturæ insignia, ut de Crasso, Socrate, &c. hæc scil. magnæ naturæ insignia, nunquam risisse, nunquam vultus vertisse, &c. parva vero illa quæ deinceps exsequitur: *nunquam spuisse, nunquam ructasse,* quorum et exempla adfert. *Salmas.*

Quibus natura concreta sunt ossa] Vasa medulla vacua: ii sunt torvi natura, inflexibiles, rigidi, ἀπαθεῖς. Hinc Persio, 'cornea fibra.' et XXXI. 9. Cornea piscatorum corpora, sole et sale durata, ideoque τῶν ἔξωθεν ἀπαθῆ. *Dalec.*

CAP. XX. *De fortitudine et velocitate.*

Corpore vesco] Parvo, gracili, et minuto. Ovid. Fast. I. 'Nunc vocor ad nomen: vegrandia farra coloni Quæ male creverunt, vescaque parva vocant.' *Idem.*

Tritanum] Apud Ciceronem de Finibus lib. I. in Lucilii versibus ex fide vetusti codicis legitur: 'Municipem Pontii, Tritanni centurionum:' et ex lib. de Senect. T. Pontii validi robustique hominis meminit Turn. XXV. 2. *Idem.*

Samnitium armatura] Samnites gladiatores stataria pugna dimicantes, scuto ad summum latiore, qua pectus et humeros tegebant pari fastigio, ad imum cuneato, pectore tecto spongia: sinistro crure ocreato: galea cristata: ex Livio, Horat. Lucilio, Turn. XXV. 10. Lips. Saturn. II. 11. *Idem.*

Inermi dextra uno digito superatum, et postremo correptum in castra tralatum] Legendum censeo ordine inverso: *Inermi dextra superatum et uno digito postremo correptum, in castra tralatum,* ex Solino c. 8. *Pintian.*

Crotoniatam Milonem] Pugnum sic manu compressa tenebat, ut nemo extorqueret, et id tamen non elideret. Uncto disco consistentem nemo detrudebat. Nervum, quo caput præcingeretur, intercluso spiritu labiis adductis rumpebat: cubito dextro lateri admoto, exporrecta manu, et sublato pollice, cum reliquos digitos junctos intendisset, minimum nemo a cæteris sejungebat. Pausan. in Eliacis. Hieron. Mercurial. de Arte Gymnast. III. 3. et 5. et VI. 3. Eo tamen robustiorem ac tanquam ἕτερον Ἡρακλῆν describit ex Athenæo Rhodigin. Titormum Ætolum, bubulcum XXI. 36. cap. vero 36. lib. XIII. Polydamanta, editis virium suarum incredibilibus fere documentis. *Dalec.*

Biduo Philippidem] Herodotus lib. VI. eum memorat. Rhodig. XVIII. 8. Alex. ab Alex. II. 21. Plutarcho in Aristide Euclydes uno die stadia mille emensus est. Æmilius Probus

curiores eos in Miltiade ἡμεροδρόμους vocat. Sic et Philippidem Herodot. loco citato. *Idem.*

Annos IX. genitum puerum, a meridie ad vesperum, LXXV. M. pass. cucurrisse] Vetus utrunque exemplar et Solinus, *octo annos*, non *IX.* et *XLV. M. pass.* non *LXXV.* Pintian.

Tiberium Neronem] Vide Valer. Max. v. 5. *Dalec.*

CAP. XXI. *De visu.*

In nuce inclusam Iliada, &c.] Hadrian. Jun. I. 7. refert Franciscum Alumnum in denariolo sine notis perscripsisse symbolum Apostolorum, et principium Evang. D. Joannis: item se vidisse cerasi nucleum in modum quasilli exsculptum, quo continerentur quindecim paria tesserarum, suis punctis affabre distincta. Vide Solin. c. 6. *Dalec.*

Idem, fuisse, qui perviderel, &c.] Cic. Acad. IV. 'At ille nescio quis, qui in scholis nominari solet, mille et octingenta stadia quod abesset videbat.' *Idem.*

Etiam numerum navium dicere] Valer. Max. IV. cap. ult. *Idem.*

Callicrates ex ebore formicas, &c.] Lege: *Callicrates, &c. ut partes earum a ceteris cerni non possent. Myrmecides quidam in eodem genere inclaruit, quadriga ex eadem materia quam musca integeret alis, fabricata: et nave quam apicula pinnis absconderet.* Sensus est: Eorum animalium partes tam subtiles, ac tam parvas fuisse, ut a cæteris non possent cerni, sed a solo artifice, qui ea fecerat. *Salmas.*

A quo quadrigam ex eadem materia] Cum agitatore, infra XXXVI. 6. ultimo. Ælianus de Var. Histor. lib. I. Varro de Ling. Lat. lib. VI. 'Etenim facilius obscuram operam Myrmecidis ex ebore oculi videant, si extrinsecus admoveant nigras setas,' &c. Et auctor noster infra XXXIV. 36. de consimilibus quadrigis Theodori. *Dalec.*

CAP. XXII. *De auditu.*

Nam Cimbricæ victoriæ Castoresque Romani] Didacus Covarruvias legendum putat addita negatione, hoc pacto: *Nam Cimbricæ victoriæ Castores Romani, quique Persei victoriam eo die quo contigit nunciavere, non visus aut auditus sed numinum fuere præsagia.* Pintian. *Nam Cimbricæ victoriæ*] De hac Cicero de Nat. Deor. *Dalec.*

CAP. XXIII. *Exempla patientiæ.*

Nunciavere] Narrat Pausanias in Eliacis, quo die Taurosthenes Æginota Olympiæ coronatus est, spectrum ei simile Æginæ victoriam illius nuntiasse. *Dalec.*

Aristogitonem] Alius fuit Aristogiton sycophanta, quem Phocion claudum, improbum, mendacem dixit. Eum in vincula conjectum rogatus ab illo Phocion cum vellet invisere, amicis suadentibus ne ad virum tam scelestum accederet, καὶ ποῦ τίς ἂν, εἶπεν, ἢ οἷον Ἀριστογείτονι λαλήσειεν; Rhodig. XXV. 10. Vide Pausaniam in Atticis: Thucyd. lib. VI. *Idem.*

Anaxarchi] Valer. Maxim. III. 48. de Patientia. *Idem.*

CAP. XXIV. *Memoriæ exempla.*

Omnibus in exercitu suo militibus, &c.] Τοῖς ὑφ' αὐτὸν ἡγεμόσι, Xenophon lib. v. περὶ τῆς παιδείας Κύρου. Omnibus qui sub ejus imperio ducebant ordines: omnibus militum præfectis. Vide Valer. Max. VIII. 7. Eam ut et Simonidis et Hippiæ medicaminibus adjutam, ait Ammian. Marcellin. lib. XVI. Cujusmodi hodierna quoque die circumferuntur; sed magno cum incautorum vitæ periculo. Seneca Declam. lib. I. admirabilem suam memoriam prædicat. Refertque Lud. Cæl. Rhod. Var. XV. 6. ut et contrarium exemplum X. 11. Muretus Corsici hominis memoriam multis laudibus effert, c. 12. De Themistoclis, Luculli, et Hortensii insignibus memoriis, earundemque discrimine, Cic. Acad. Quæst. lib. II. *Idem.*

A Simonide] Τοῦ μελοποιοῦ. De Simonide jactatum hoc distichon: Μνήμην δ' οὔ τινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν

'Ογδοηκονταετεῖ, παιδὶ Λεωπρεπέος. De eo vide Strabon. Geograph. l. XIII. *Dalec.*

Ictus lapide oblitus est] Valer. Max. lib. I. cap. de Miraculis. Sic Georg. Trapezunt. Latinæ et Græcæ linguæ doctissimus in senectute memoriam utriusque amisisse dicitur. *Idem.*

Itaque sæpe deficere tentat, ac meditatur, &c.] Legend. *Itaque se reficere tentata meditatur, vel quieto corpore et valido. Somno quoque serpente amputatur, ut, &c.* Salmas. p. 60.

CAP. XXV. *Laus C. Julii Cæsaris.*

Animi vigore præstantissimum arbitror Caium Cæsarem dictatorem] Exemplaria ambo non *Caium* præferunt, sed *genitum*; quod fortasse aptius, ne videatur Romanis tantum eum anteferre, sed universo humano generi. Quod videtur sentire Solinus cap. 5. 'Quantum,' inquit, 'inter milites Sicinius aut Sergius, tantum inter duces, imo vero ut verius dicam, inter omnes homines, Cæsar dictator enituit.' *Pintian.*

C. Cæsarem dictatorem] Laudem Cæsaris vide apud Ciceronem Orat. pro M. Marcello. *Dalec.*

Epistolas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare: aut etiam si nihil aliud ageret, septenas] Verba illa, *librariis dictare, aut etiam si nihil ageret, septenas*, in optimo Rigaltii codice ad marginem extra textum habentur, scripta et alia quidem manu, ut inde non parva sit suspicio suppostitia esse. *Salm.*

Nam præter civiles vict. &c.] Lege: *Nam præter civiles victorias, undecies centena et octoginta duo millia hominum occisa præliis ab eo, non equidem in gloria posuerim, tanta etiam coacta, in humani generis injuria.* Si tantam, inquit, hominum multitudinem coëgisset, ac ex diversis orbis partibus in unum conduxisset, quantam variis præliis occidit, hoc tamen sine injuria et incommoditate generis humani non fecisset, quid dicendum de occisa? *Idem.*

Luxuriæ faventis est] In exemplari Murbacensi legitur duntaxat, *luxuriæ faventis*, absque *est*. Unde mihi nata suspicio, scriptum fuisse non *faventis*, sed *fuerit*; sic videlicet: *spectacula edita effusasque opes aut operum magnificentiam in hac parte enumerare luxuriæ fuerit.* Nam sequitur: 'Illa sit vera et incomparabilis.' Ubi perperam in vulgatis editionibus *fuit* legitur pro *sit*. Quanquam si etiam receptam lectionem sequaris, quæ mihi in primis placet, nempe *luxuriæ faventis*, ut *luxuriæ* dandi casus sit, non minus eleganter subauditur *est*, quam exprimitur. *Rhenanus.*

CAP. XXVI. *Laus Pompeii Magni.*

Verum ad decus imperii Romani, non solum ad viri unius pertinet victoriam Pompeii Magni titulos omnes] Lego aliter et alia distinctione, *Verum ad decus imperii Romani non solum ad viri unius pertinet victorias magni Pompeii, &c.* Pintian.

Æquato non modo Alexandri Magni rerum fulgore] Alexandro Magno futurum se similem sperasse Pompeium ab historicis proditur, Magnique cognomen a multis oblatum ideo non rejecisse, ridentibus ac contemnentibus æmulis, ac inimicis, ipsumque per jocum Alexandrum vocantibus. Sylla certe Dictator ob summam virtutem, et quod ejus partes strenue juvisset, ipsi obvio de equo descendere, surgere de sella, caput aperire solebat. Victorius ex Nonio et Plut. v. 2. *Dalec.*

Magnique nomine spolio inde capto] Apographon Toiet. *Magnique nomine in spolium inde capto.* Quid si legas, *Magni cognomine?* quamvis refragentur exemplaria. *Pint. Magnique nomine*] Valer. Max. lib. VII. cap. ult. Car. Sigon. ad Fast. an. 672. *Dalec.*

Quod omnia externa conciebat] Quid opus erat, *conciebat* mutare in *concutiebat?* Quasi non recte dictum esset, externos hostes Mithridatem aliosque intestinis Romanorum bellis ex-

citos fuisse; ratos invicto alioqui populo inferendi bellum nullum aliud tempus oportunius fore. *Gelen.*

Sacris certaminibus vincentium] Quatuor: Olympiis, Nemæis, Pythiis, Isthmiis. *Dalec.*

Ipsi coronantur] Infra XVI. 4. *Idem.*

In delubro Minervæ quod ex Manubiis dicabat] A. Gellius X. 1. delubrum hoc non Minervæ fuisse, sed Victoriæ, videtur asserere. Cujus verba, ut cum Plinianis conferas, subnectere libuit: 'Cum Pompeius ædem Victoriæ dedicaturus foret, cujus gradus vice theatri essent, nomenque ejus et honores inscriberentur, quæri cœptum est, utrum consul tertio scribendum esset, an tertium.' *Pintian.*

Imperium maris populo Romano restituisset] Hoc indicat Romani denarii pars altera, in qua Delphin spectatur cum aquila, intermedio sceptro, subscriptis literis, MAGN. PROCOS. Ursin. 258. *Dal.*

Summa summarum in illo gloria fuit] Consuevit quidem Plinius dictiones iterare, sed non hoc modo. Item apographon Tolet. *illa* legit, non *illo*. Quare exactius pensitato loco, opinor scribendum: *Summa, summa res, in illa gloria fuit*; ut infra c. 28. 'Capitolium et in eo summam rem.' *Pint.*

CAP. XXVII. *Laus Catonis primi.*

Odio] Tam vehementi, ut aliquando sit objectum in auctione regia Cantharidas seu venenum vendidisse. Infra XXIX. 4. Id est, quod apud Charisium in oratione de suo consulatu inimicos suos multa miracula fecisse ait, se tamen non desinere mirari eorum audaciam atque confidentiam. *Dalec.*

Quater et quadragies causam dixisse] Valer. Max. III. 7. 'Aristophon quinquagies Athenis accusatus et absolutus est.' Æschines in Demosthenem. *Idem.*

CAP. XXVIII. *Item de fortitudine.*

L. Siccius Dentatus] Infra XXII. 25. Hic propter fortitudinem Achilles Romanus dictus. Valer. Max. l. III. cap. de Fortitudine. In denariorum, quos Sicinia gens percussit, altera parte quorundam expressa sunt indicia fortitudinis hujus Sicinii, Herculis clava, operta leonis pelle, cum arcu et sagittis, ut fortassis apud Valerium, pro 'Achilles Romanus,' legendum sit 'Hercules:' in aliorum vero, caduceus cum palma et laurea corona, signatumque altera parte virginis caput cum his literis, FORT. P. R. Fortitudo populi Romani. Ursin. 245. *Dalec.*

Sp. Tarpeio, A. Æternio consulibus] Livius tertio libro *A. Æternio* legit: apographon Toletanum, *A. Thermo*: quæ nomenclatura frequens est apud Latinos scriptores, tum Suetonium in Cæsare dictatore, 'Stipendia prima in Asia fecit, M. Thermi prætoris contubernio.' Solinus quoque, 'A. Thermo,' capite 5. Cæterum quoniam Livii mentionem incurrimus, et Consulum Sp. Tarpeii et A. Æternii, propellamus ex finibus præstantissimi scriptoris monstrum horrendum, informe, ingens, a nullo, quod legerim, hactenus debellatum. Ejus verba sunt libro tertio: 'Itaque ergo ut magistratu abiere, Sp. Tarpeio et A. Æternio consulibus, dies dicta est Romulio ab Claud. Cicerone tribuno plebis, Veturio ab L. Halieno Ædili plebis. Uterque magna patrum indignatione damnatus: Romulius X. M. æris; Veturius, XV. M.' Hæc Livius; apud quem scribendum non 'C. Claudio Cicerone,' sed 'Lucio Siccio:' pro 'Lucio enim 'C. Claudio' scripserunt; pro 'Siccio,' 'Cicerone.' Ab hoc enim Siccio accusatus convictusque est male acti imperii T. Romulius, ut hic tibi ostendit Plinius. Item tribunum eum plebis fuisse Livius tradit, consulibus Sp. Tarpeio et A. Æternio, quod hic etiam legis.

Ut cum Livius scribat, accusatione L. Siccii damnatum fuisse T. Romulium a populo X. M. æris, et Plinius donatum fisco X. M. æris, verisimile fiat, illa X. M. quibus damnatus fuit Romulius, donasse populum tribuno suo L. Siccio accusatori. *Pintian.*

Item spolia cepit XXXIV.] Sic vetus et Romana lectio: item Solinus cap. 5. Exemplaria tamen quædam *XXXV.* Valer. Maxim. lib. III. capite de fortitudine, *XXXVI.* Idem.

Hastis duodeviginti] Hasta pura, sine ferro. Virgil. Æneid. VI. 'Ille, vides, juvenis, pura qui nititur hasta.' Hæc olim præmium ejus fuit qui tum primum in prælio vicisset: quoniam, ut Festus explicat, hasta summum imperium armorum significabat, quamobrem δορυάλωτοι, sive δορύληπτοι, id est, captivi, sub ea vænibant. Existimarunt quidam veteres, hastam, perinde ac diadema, fastigii regii signum fuisse. Itaque Deorum Dearumque simulacris addidere; uti et in Vet. infinitis propemodum nummis videre est; unde et Curitis Juno vocata est ab hasta, quam Curin Sabini dicunt. Legitur apud Livium, inter prodigia quæ nuntiabant Pontifices, nunc Lanuinæ Junonis hastam, nunc Prænestini Martis sponte motam fuisse. Rhodig. XXI. 16. 'Militem de gradu dejicere, exauctorare, vite aut virgis cædere, equum adimere, hastam dare jubere, tanquam spe merendi stipendia prorsus amissa, turpissimi facinoris gravissimum supplicium fuit.' Alex. ab Alex. II. 13. *Dalec.*

Torquibus tribus et LXXX.] Addit Valer. Maximus huic numero *centum*, volumine citato. Solinus cum Plinio *LXXXIII.* c. 5. mendosa cujus verba, ut castigentur, subjeci: 'In phaleris, hastis puris, armillis, coronis, CCCXII. meruit.' Adde dictionem 'torquibus:' 'In phaleris, torquibus, hastis puris,' &c. Confer Plinium cum Solino, et supputa. *Pintian.*

Armillis] Ornamenta erant circulorum modo, quæ milites, imperatorum dono, in brachiis sinistris gestabant. Veteres hos 'Calbeos' appellasse, auctor est Festus. *Dalec.*

Fisco æris X. captivis et XX. simul bubus] Puto scribendum: *e fisco æris X. capti æris XX. millibus.* ut dicat e fisco, id est, ærario, donatum esse Siccium decem æris; æris autem capti sive captivi, e præda nimirum, viginti millibus, quod prædatitium æs militibus ante triumphum solebant elargiri imperatores pro dignitate cujusque et meritis. *Salm.* *Una, fisco æris X. captivis, &c.*] V. C. *una: ex fisco, æris decem millibus, captivis, et simul bubus viginti:* priorem hujus lectionis partem agnoscit Rhodig. XXIX. 6. Similis est locutio in XII. Tab. 'Si quis injuriam alteri faxit, viginti quinque æris pœnæ sunto,' quod apud Gellium Phavorinus interpretatur.

Convicto male acti imperii militaris] Quid vocat 'male actum imperium militare?' Lege, *male in imperio actæ rei militaris.* Vide Salmas. in Plin. p. 48.

Exitu vitæ] Livius lib. VI. Decad. 1. Val. Max. lib. VI. c. de Severitate. *Dalec.*

M. Sergio] Vocabatur is *M. Sergius Silus.* In Romani vetusti denarii altera parte Romæ galeatæ caput expressum est cum denarii nota, et his literis, ROMA EX S. C. altera vero facie equo procurrenti insidens sinistra manu caput hostis præcisum tenet, cum his literis, Q. M. SERGI. SILVS. Fulv. Urs. p. 239. *Idem.*

Sacris arceretur a collegis ut debilis] Veteribus cautum, ne corpore mutilati sacris admoverentur, ostendit Seneca Declam. IV. contra Metellum petentem Sacerdotium: 'Sacerdos non integri corporis, quasi mali omi-

nis res vocanda est. Hoc in victimis notatur, quanto magis in sacerdotibus?' Rhodig. XII. 2. *Dalec.*

CAP. XXIX. *De ingeniis, sive laudibus quorundam ab ingeniis.*

Homero vate Græco] Ambigitur multum inter doctos, cujas fuerit Homerus, et qua ætate vixerit: Chium fuisse, monstrat versus ex ejus hymno in Apollinem: Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ. De seculo non constat in scriptorum maxima diversitate; probabilior tamen visa est Aristarchi, Philochori, et Apollodori sententia, qui centum quadraginta annis floruisse post Trojanum bellum asseruerunt. *Idem.*

Scrinio capto] Ferula scrinium id compactum fuisse prodiderunt. Itaque cum exemplar illud diligentissime correctum cura et opera Aristotelis, Callisthenis, Anaxarchi, post Alexandri mortem evulgatum esset, editionem ἐκ τοῦ νάρθηκος vocarunt, hoc cognomine ab aliis non paucis eo seculo celebribus distinguentes. Victor. XXXI. 19. *Idem.*

Pretiosissimum humani animi opus] Homeri poëmata tanti fecerunt Athenienses, ut lege sanxerint, quinto quoque anno in Panathenæis ejus unius carmina publice decantari: sicut ex tragicis poëtis Æschyli solius fabulas eo mortuo doceri. Muret. in Var. VI. 6. Homerum natura cæcum fuisse quidam et tradunt et putant: at Herodotus antea sanum Colophone excæcatum fuisse tradit. Pausanias id morbo contigisse, ut et Thamyridi. Tzetzes inopem ac senectute cæcum obiisse. Brod. V. 9. Plato in Phædro oculis captum, quod in Helenam invectus esset. *Dalec.*

Pindari vatis familiæ, &c.] Cum Pindarus in quodam asmate his verbis Athenas laudasset, αἵ τε λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι Ἑλλάδος ἔρεισμ' Ἀθᾶναι, a suis civibus pecunia multatus est, quod alienis potius, quam suis, tantum laudis dedisset. Hoc ubi rescivissent Athenienses, et duplum pecuniæ miserunt, quæ exigebatur, et ante regiam porticum æneam statuam posuerunt, sedentis figura cum pallio, et diademate lyram tenentis, librumque apertum super genua. Pausanias. Muret. in Var. cap. 14. *Idem.*

Aristotelis Philosophi patriam condidit] Val. Max. V. 6. Plutarchus in Alexandro. Laërtius in Aristotele. *Id.*

Archilochi poëtæ interfectores Apollo arguit Delphis] Scribo, numero unitatis, *interfectorem*: neque enim multi Archilochum interfecerunt, sed unus duntaxat, Calondas nomine, Corax cognomine; quo scelere pollutus, cum ad oraculum Apollinis venisset Delphos, a Pythia tanquam nefarius sacrilegusque repulsus est, auctore Suida in ea dictione. Meminit et Eusebius Pamphili, volumine Evangelicæ Præparationis V. 12. qui tamen, quod animadversione dignum est, non Calondam Archilochi interfectorem, ut Suidas appellat, sed Archiam. 'Quare,' inquit, 'qui eum occidit Archias a templo quasi scelestus exire abs te jussus est: Musarum enim occidit amicum.' *Pintian.*

CAP. XXX. *De Platone, Ennio, Virgilio, M. Varrone, et M. Cicerone.*

Platoni sapientiæ] Platoni quod natali suo decessisset et unum et octogesimum sine ullis deductione annum implevisset, Athenis Magos sacrum fecisse, tanquam viro amplioris sortis quam humanæ, vide apud Senecam Epist. LV. *Dalec.*

Ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit] Exemplar utrunque, *Ipse a gradibus egredientes in litore excipit*. Scribendum opinor, *ipse Achradinæ egrediens in litore excepit*. Achradinen partem esse urbis Syracusanæ, Livius multis locis auctor est. Meminit et Stephanus, et Plutarchus in Dione. *Pintian.*

Isocrates] Platonis et Socratis æqualis, in Phædro magnopere laudatus. Nam et alii duo fuerunt: alter

Apolloniates, superioris auditor, memoratus a Suida, cui Harpocration λόγον παραινετικὸν ad Dæmonicum Hipponici filium tribuit: alter Ciceroni σύγχρονος, familiaris et sodalis Halicarnassæi, quem is supradictæ orationis auctorem fuisse tradit. Muret. in Var. I. 1. *Dalec.*

Defensionem Demosthenis] Valer. Max. VIII. 10. *Dalec.*

Fores percuti de more] Legend. *forem percuti de more a lictore vetuit: et fasces literarum januæ submisit is, cui se Oriens Occidensque submiserat.* Salmas. pag. 53.

Eandemque linguam] Leg. *eam denique linguam ex duobus Catonibus, in illo abegisse, in hoc importasse memorabile est.* Salmas.

In illo] Censorio. *Dalec.*

In hoc] Uticensi. *Idem.*

Africanus] Cicero pro Archia Poëta. Val. Max. VIII. 15. *Idem.*

Exempla Romana] Multa vide apud Valer. Max. VIII. 15. *Idem.*

Et tota vita tua consulatus tantum operibus electis] Scribo, contra omnia exemplaria: *Et tota vita tua consulatus tanti operibus electum;* hoc sensu: Nullo magis excellentem insigni posse Ciceronem prædicari, quam si palam cunctis fiat, testimonio amplissimo totius populi Romani, et tota ejus vita, evectum esse ad Consulatum, potius quam præpotentum civium studio ac factione. Ita esse hunc locum intelligendum, argumento est ipse Cicero Oratione secunda contra P. Rullum tribunum plebis, his verbis: 'Neque enim ullo modo facere possum, ut cum me intelligam non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi Romani judicio me Consulem ita factum ut nobilissimis hominibus longe præponerer, non et in hoc magistratu et in omni vita essem popularis.' Cæterum libentius in Cicerone legerem, *ut in omni vita,* quam *et in omni vita,* ut uterque Plinius et Cicero significent, popularem fuisse in omni vita Ciceronem, et propter hoc in populum perpetuum studium creatum esse Consulem. *Pintian.*

Te suadente, Roscio Theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discrimine sedis æquo animo tulerunt] Exemplar. Salmant. *Notasque se ignominiæ discrimine æquo animo tulerunt.* Toletanum paucioribus verbis: *Notasque sedes æquo animo tulerunt.* De reliquo, desidero hoc loco Hermolai doctrinam, tantamque illam antiquitatis cognitionem, qui in hac Roscii historia nos ad Macrobium delegat, seu vero Roscius ille, de quo Macrobius tertio Saturnalium loquitur, idem sit cum eo, de quo nunc Plinius: cum ille Macrobianus Roscius histrio fuerit Syllæ dictatori acceptissimus, a Valerio Maximo, Plutarcho, et Plinio memoratus: hic vero, de quo in præsens agitur, appellatus sit L. Roscius Otho, qui in tribunatu plebis legem tulit de XIV. ordinibus. Cujus Plutarchus in Cicerone, Tacitus Annal. XV. Asconius Pedianus, Juvenalis, Horatius, ejusque interpretes, Livii item abbreviator, et plerique meminere. De proscriptorum item liberis præter Quintilianum, Plutarchus in Sylla, Suetonius in Cæsare dictatore, Seneca de Ira, Velleius Paterculus lib. II. nec semel. *Idem.*

Proscriptorum liberos] Hac de re vide Plutarchum in Sylla, Suetonium in Julio, Velleium Paterculum lib. II. *Dalec.*

Parens patriæ appellate] In Senatu a Q. Catulo ejus ordinis principe, quod testatur et ipse Cicero oratione in Pisonem, et pro Sextio: ut autem Plutarchus et Appianus literis mandarunt, a Catone. Lipsius IV. 20. *Idem.*

CAP. XXXI. *De morum majestate.*

Cati] Id Æliorum cognomen fuit. Qua de re scriptores genealogici

Reich. Strein. Fulv. Urs. Aut. Aug. *Dalec.*

Corculi] Ita cognominatus est P. Cornel. P. F. C. N. Scipio Nasica, de quo item dicti scriptores. *Idem.*

Apud Græcos Socrates] Valer. Max. VII. 2. *Idem.*

CAP. XXXII. *De auctoritate.*

Nosse se quemque] Plautus in Pseud. 'Ecquem in angiportu hoc hominem tu novisti, te rogo? BAL. Egomet me. SIC. Pauci istuc faciunt homines, quod tu prædicas: Nam in foro vix decumus quisque est qui ipsus se noverit.' *Dalec.*

Et nihil nimium cupere, comitemque æris alieni atque litis esse miseriam] Multa hic verba ab ineptis expositoribus temere addita quis non videt? fremant licet critici, spument, sibilent, non ideo minus aperiam sententiam meam. Lego igitur contra omnes homines et omnia exemplaria: *Et nihil nimis, comitemque sponsionis esse miseriam.* Cætera omnia adulterina verba et falso adjecta sunt. Confirmare supersedi, quia Hermolaus, multis auctoritatibus allatis, laborem nobis ademit. *Pint.* *Et nihil nimium cupere*] Hanc sententiam Chiloni tribuunt Pindarus quidem et Critias: Sisypho Theophrastus: quidam Thaleti. Sodamo vetustum hoc distichon: Ταῦτ' ἔλεγε Σώδαμος Ἐπηράτου, ὅς μ' ἀνέθηκεν, Μηδὲν ἄγαν, καιρῷ πάντα πρόσεστι καλά. Varro apud Nonium in dictione 'Medioximum:' 'Quid aliud est quod Delphica canat columna literis suis, μηδὲν ἄγαν, quam nos facere ad mortalium modum medioxume, ut quondam patres nostri loquebantur?' Had. Jun. VI. 24. Plautus in Pœnulo: 'Modus omnibus in rebus soror optimu'st habitus: Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.' *Dalec.*

Expirasset gaudio] Simile exemplum apud Valer. Max. de muliere in filii occursu, IX. 12. *Idem.*

CAP. XXXIII. *De divinitate.*

In Melampode] Auditu Melampodem præstitisse ostendit quod Galenus ait: imbecillum esse nobis visum, si conferamur cum lyncibus et aquilis: auditum, si conferamur cum Melampode: invalidos nobis esse pedes, si Iphicli pernicitatem spectemus: languidas manus, si Milonis robur. De Melampode Amythaonis Pylii et Idomenes F. late Apollodor. Bibliothec. lib. I. *Dalec.*

CAP. XXXIV. *De Nasica.*

Scipio Nasica] Val. Max. VIII. 16. Graviter hoc in loco Plinium lapsum notat vir nobiliss. Reich. Strein. Famil. Rom. Cornel. *Idem.*

Bis repulsa notatus a populo] Livius lib. VII. belli Macedonici. *Idem.*

CAP. XXXV. *De pudicitia.*

Electa ex centum præcipuis] Libri scripti legunt, *electa ex centum præceptis.* An scribendum, *receptis?* ut probatissimas intelligat. *Salmas.* pag. 54.

Veneris] Verticordiæ, quæ virginum et mulierum mentes a libidine vertebat ad pudicitiam: quoniam tunc Vestales tres nobilissimæ cum aliquot Romanis equitibus incesti damnatæ fuerant. Val. Max. VIII. 16. Julius Obsequens, Solinus, Lilius Gyraldus, Ovid. Fast. IV. 'Roma pudicitia proavorum tempore lapsa: Cumæam veteres consuluistis anum. Templa jubet fieri Veneri; quibus ordine factis, Inde Venus verso nomine corda tenet.' Fabric. Rom. c. 10. pag. 126. *Dalec.*

Claudia] Livius lib. IX. Decad. III. Herodian. lib. I. Fenestel. c. 12. Lactantius II. 8. *Idem.*

CAP. XXXVI. *De pietate.*

Humilis in plebe] Sanguinis ingenui matrem fuisse tradit Valer. Max. V. 4. de pietate. *Dalec.*

A Janitore semper excussa ne quid inferret cibi] Pro *excussa* Gud. Men. Acad. *curante;* ut et Mss. ad marginem, et tres quos vidit Salmasius; unde ille modo elicit *exquirente*, modo

ipsum *curante* retinet, modo tentat *excussa ante.* Pintiani Toletanus, *excutiente.* Non video hic appellari Chifletianum; quod si argumentum est firmati ab eo τὸ *excussa*, facile prægravat omnes alios cum suo *curante.* Sic Asinius Pollio ad Ciceronem Famil. x. 31. 'Sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur a Lepido tabellarii.' Spartianus in Septimio: 'Armatumque, circumstantibus armatis, salutarunt excussi, ne quid ferri haberent.' Sin et ipse sic habet, nihil verosimilius quam *scrutante* scripsisse Plinium. Ut 'scrutatores' in officiis principum apud Justinum xxxviii. 1. et Suetonium Claudio 35. Vespasiano 12. *Gronov.*

Gracchorum pater] Cicero de Divinat. Val. Max. lib. iv. de Amore conjugal. Alex. ab Alex. i. 18. *Idem.*

Apuleiæ uxoris] Vide cap. 52. hujus libri. *Idem.*

Cap. xxxvii. *De artium plurimarum excellentia, Astrologia, Grammatica, Geometria.*

Patronum adeo dilexit] Multa quoque exempla fidelitatis servorum apud Valer. Max. vi. 8. et viii. 4. *Idem.*

Cui Amphictyones Græciæ honorem habuere] Sanctissimum Græciæ concilium ab Amphictyone Heleni filio institutum, ad Thermopylas haberi solitum, ac ideo vocatum Pylaicum, eo convenientibus Græciæ populis duodecim, videlicet, Iones, Æoles, Dores, Perrhœbi, Bœotii, Magnesii, Achæi, Pthiotæ, Melienses, Ænianes, Delphi, Phocenses, veris et autumni principio, ut de maximis rebus et ad universæ Græciæ statum pertinentibus decernerent. Alex. ab Alex. v. 7. Concilium id commune alii publicum Græciæ vocant. Suidas Amphictyonem Deucalionis filium fuisse tradit. *Dalec.*

Relato e funere homine] Hanc historiam narrat copiose Apuleius Floridor. lib. iv. vide locum. *Dalec.*

Si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse] Sponsionum hæ fuerunt olim formulæ: 'Si bona ex edicto Prætoris dies triginta possessa non essent.' Cicero pro Quinctio: 'Ni juste appellatum sit.' Paulus l. v. Vide Pithœum Advers. i. 18. *Idem.*

Archimedi] Valer. Max. viii. 7. *Idem.*

Laudatus est et Ctesiphon Gnossius, &c.] Lege, *Laudatus est et Crisiphon Gnosius æde Ephesi Dianæ admirabili fabricata.* Salmas. 812. b.

Ctesibius] Apud Athenæum pag. 215. vs. 13. Ctesibius Alexandriæ in templo Zephyri potorium vas τὸ κέρας, sive τὸ ῥυτὸν, fabricatus est, quod appulsu aquarum eliso spiritu, et bellicum canebat, et hilares festivosque modos personabat. Hedylus in Elegis: Ζωροπόται, καὶ τοῦτο φίλον Ζεφύρου κατὰ νηὸν Θρεπτὸν μὲν βασιλεὺς εἰσέθεσεν τὸ κέρας, Σαλπίζον λιγέας τοῦ κρούνου πρὸς ῥύσιν ἦχους, Δεινοῦ καὶ πολέμου σύνθεμα, καὶ θαλίης. *Dalec.* Quod de pneumaticis seu spiritualibus Ctesibio repertis ait, apud Vitruv. extat, ix. 9. libri autem ab eo his de rebus scripti interierunt. Cæterum ejusdem materiei a discipulo ipsius exarati haud ita dudum a Frid. Gummandino, nunquam satis laudato, summaque ævi nostri mathematico, Latinitate donati in vulgus editi sunt: in bibliothecis vero doctorum extant Græci sub πνευματικῶν καὶ κλασματικῶν titulis.

Hydraulicis organis repertis] Hydraulica vel deducendis hauriendisve aquis excogitata, Græcis ἀρυτῆρας et ἀντλητήρια, Lucretio haustra, nempe aquarias machinas, rotas, tympana, de quibus vide Vitruv. x. 9. 10. 11. 12. 13. et Diod. Sic. i. 21. et lib. vi. pag. 432. vel musica organa, in quibus aquæ motus et agitatio tubulos animat. De iis Claudianus ad Manlium: 'Et qui magna levi detrudens murmura tactu Innumeras voces le-

betis moderatur ahenæ. Intonat (forte, 'insonat') erranti digito, penitusque trabali Vecte laborantes (recte 'adlabantes') in carmina concitat undas.' Ejus fuit generis apud Corn. Severum, in Ætna, Triton, qui aquarum assultu auram conciperet, ac per buccinam ori admotam vocem ederet, sive, ut ait poëta, irriguum carmen. Alia sunt Pneustica nostra ventum follibus accipientia, de quibus *παραβάτης*: *'Ἀλλοίην δονάκων ὁρόω φύσιν, κ. τ. λ.* quod ejus Atticæ elegantiæ hexametrum Epigramma Elegiaco æmulatus est Ang. Politianus, *εἰς ὄργανον*, scribens, *Χαλκείων δονάκων ὁρόω στίχον, κ. τ. λ.* libro Græcorum Epigrammatum. Fuit et pneusticon *πίθος*, unde *πιθαύλης*, cadus ligneus aut eburneus, impactis tibiis plenus, quæ cum ex parte quadam spiritu animabantur, cantum, modulationes, et, ut ait Gellius, frequentamenta edebant, foraminum varietate distincta, absque regularum motu. Seneca: 'Quo modo in dolio cantantis vox per totum cum quadam discussione percurrit et resonat, et tam leviter mota circuit tamen, non sine tactu ejus ac tumultu, quo inclusa est.' Varro apud Nonium: 'Inflet priusque tibias in orchestra, Domi suæ pithaula ramices rumpit.' Propert. 'Tibia Myglonii cantat eburna cadis.' Alius est utricularius, *ὁ ἀσκαύλης*, qui utre ventum conceptum instigans, cubito exprimit, ac utrem exanimat. In Copa: 'Ad cubitum rauces excutiens calamos.' *Scalig.*

Quam Apelles pingeret] Val. Max. VIII. 11. *Dalec.*

CAP. XXXVIII. *Item mira opera artificis.*

Unam tabulam] De hac infra capite quarto et decimo libri trigesimi quinti. *Dalec.*

Cæsar dictator] Eod. c. 4. lib. eod. *Id.*

Candaules rex] Lib. eod. c. 8. *Idem.*

Expugnator] Πολιορκήτης: vocem Græcam exprimere voluit. Vitruv. l. x. 'Interea rex Demetrius, qui propter animi pertinaciam Polioreetes est appellatus:' intellige, in obsidendis et oppugnandis urbibus. Vide et cap. 10. libri trigesimi quinti hujus operis. *Idem.*

Gnidiaque Venere] Eadem refert XXXVI. 5. *Idem.*

Jupiter Olympius] Infra XXXVI. 5. *Idem.*

Diana Ephesia] Dianam Ephesiam ab artifice Canetia factam memorat auctor XVI. 40. *Idem.*

CAP. XXXIX. *De servitiis.*

Pretium hominis in servitio, &c.] Leg. *Pretium hom. &c. fuit Grammaticæ artis Daphni, Natio Pisaurense vendente, et M. Scauro Principe civitatis H-S. DCC. licente.* Natius nomen proprium illius, qui Daphnidem vendidit, qui et Pisaurensis fuit. summa pretii *H-S. DCC.* hoc est, *sestertiis quingentis licente.* Nota porro illa, *H-S.* pro sestortiis, plus mille locis in Plinio corrupta invenitur. *Salmas.*

III. M. DCC. sestertiis licente] Suetonius de Illustribus Grammaticis, de Lælio Præconine, 'ducentis millibus nummum,' idque, *διαῤῥήδην*, sine notis numerorum. *Mitalerius.*

Roscius histrio] De illo plurima Rhodiginus XIV. 17. *Dalec.*

Quem Nero H-S. CXX. M.] Corrige et scribe, *quem Nero H-S. CXXX.* hoc est, sestertiis centum et triginta. *Salmas.*

Quem Nero H-S. CXX. M. manumisit] Sic reddiderunt, quum in Mss. et edit. antiquis esset *III CXXX.* vel *in CXXX.* Repone, inquit Salmasius ad Solin. p. 41. *quem Nero IIS CXXX. manumisit,* hoc est, sestertiis centum triginta. Modicam tamen hanc summam intelligit ipse, si cum cæteris ejus capitis comparetur: eoque forte scripsisse auctorem, *sestertiis CCCC.* sed dispensatorem illum tantum fuisse, nullo artificio commendabilem. Quasi non omni artificio

par et majus in servo fuerit, fide ac peritia omnem rem ac statum domini tuendi et locupletandi præditum esse. Atqui 'ex tota familia probatissimos' dicit Suetonius in Nerone dispensatores et amanuenses. Sed et si servus suffragationem ad dispensationem Cæsaris decies sestertio emit, quanti Cæsar, ad luxum pecunia indigus, libertatem servo, qui multos annos dispensator fuit, vendere debuit? Is est, de quo Suetonius Othone cap. 5. Mihi prorsus non tam liberare servum voluisse videtur Nero, quam spongiam humentem exprimere. Itaque nihil promptius, quam ut notas illas explicemus: *quem Nero sestertio centies tricies manumisit;* hoc est, trecentis viginti quinque millibus Philippum. Et jam commonstraverat illam viam Budæus; etsi librum veterem secutus, in quo esset, *III CXX. sestert. centies vicies*, interpretatus sit. Et profecto grandem summam requirit, quod sequitur: *Sed hoc pretium belli, non hominis, fuit; tam hercle, quam libidinis, non formæ, Pæzontem e spadonibus Sejani, sestertia quingenta, mercante C. Lutorio Prisco.* Ita enim legendum, cum sit in membranis; *III D. mercante a Sutorio P.* Quemadmodum ait quingenta sestertia, vel quingenta millia nummum, C. Lutorio Prisco tanti mercante Pæzontem, fuerunt pretium libidinis qua furebat emptor, non formæ qua decebat puer. Quingenta sestertia intelligi vidit et Salmasius. *Sejani* autem intelligo confiscati: quemadmodum et *luctum civitatis* interpretor, cum is punitus traxit, quicumque Tusco favissent. Is erat annus urbis conditæ DCCLXXXV. Coss. Memmio Regulo, Fulcinio Trione, qui Tiberio et Sejano in parte anni erant suffecti. Quare accipio quidem *Lutorio Prisco:* sed hic non est is, quem Tacitus in tertio Annalium carnifici subjectum scribit, quod carmen ἐπιτάφιον Druso ægro composuisset, et sic mortem ejus ominatus esset. Id enim accidit anno U. C. DCCLXXIII. Coss. Tiberio et Druso. Gentilem ejus quocumque gradu fuisse credibile est. Hermolaus, *libidinis, non fortunæ;* quare, non assequor. Idem, *a Sutorio Prisco*, ut Sejanum videlicet ab hoc Sutorio, sive Sertorio, mercatum intelligas. Sed obstat, quod dixi, de luctu civitatis; et Sejanus sane ad tempus multo majores injurias lucrifecit. *Gronov.*

Tam Hercule quam libidinis, &c.] Nomen convenit homini probroso, quale est Camazon, quem Heliogabalus Imperator in deliciis habitum ad consulatum usque evexit. Porro participia interdum verti in propria nomina novum videri non debet, cum etiam passiva forma quædam in hoc genere reperiantur, ut Sozomenus: is fuit Ecclesiasticæ historiæ scriptor. *Gelen.*

E spadonibus Sejani III. M. D. mercante Sutorio Prisco] Scribe *H-S. D.* hoc est, sestertiis quingentis; vel, quod est idem, sestertium quingentis millibus. *Salmas.*

Sutorio Prisco] Eques Romanus is fuit, majestatis damnatus imperante Tiberio, et exanimatus in carcere ob quoddam poëma. Tacitus lib. III. apud quem in quibusdam exemplaribus legitur, et male, *Clutorius*, pro *C. Lutorius*. Dalec.

CAP. XL. *De præstantia gentium.*

De præstantia gentium] Præstantiam gentium Plin. metiri videtur potentia, et imperii magnitudine; oblitus discriminis boni et magni. Unde rectius Cephesias: Οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Athenæus Dipnosoph. lib. XIV. Cæterum de discrimine gentium quoad insigniores virtutes, aut vitia, legatur Plutarchus Præceptor. Politic. et Dicæarch. Geograph. *Dalec.*

Romana extitit] Vide Plutarch. περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς τύχης. *Idem.*

Mortalium nemo est felix] Homerus Odyss. Z. Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ

ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Cæterum haud parum durior rigidiorque est hæc sententia Soloniana illa vulgo eruditorum nota, neminem ante mortem beatum dicendum. De qua Herod. lib. I. Aristot. Eth. Nicom. I. 10. et ibi interpp. discrimen facientes inter εὐδαιμονίαν et εὐτυχίαν. *Dalec.*

Pari numero] Nunquam tamen pari numero esse conqueritur Ovid. de Arte. 'Pluraque sunt semper deteriora bonis.' Et Plutarch. Consol. Apol. p. 101. *Idem.*

Numerus dierum comparatur] Hoc est, numeri dierum felicium infeliciumque inter se conferuntur uter major sit. *Gelen.*

De felicitate summa] Titulus in membranis ita concipitur: *Raritas continuationis in familiis.* Salmas. p. 52.

CAP. XLI. *De felicitate summa.*

In omni ævo Lampido] In regum nostrorum progenie Blancha regis Hispaniæ filia fuit regis uxor, regis mater: itidem Claudia regis Ludovici filia, regis Francisci uxor, regis Henrici II. mater. *Dalec.*

Pherenice] Callipateram quoque Pausanias vocat lib. v. et de virili ejus animo historiam narrat scitu dignam. Vide et Ælianum Historiæ Var. x. 1. *Idem.*

Una Fabiorum] Ex ea familia trecenti perierunt ad Cremeram fluviolum Hetruriæ, vicinum Romæ, nascentem ex parvo lacu in silva Baccana, et Tiberim subeunte ad Valcam. Ovid. 'Una dies Fabios ad bellum miserat omnes: Ad bellum missos abstulit una dies.' *Idem.*

Nepos] Florus I. 21. *Idem.*

CAP. XLII. *Varia exempla fortunæ.*

CAP. XLIII. *De bis proscripto L. Sylla, Q. Metello.*

Servavit proscriptum a Sylla M. Fidustium senatorem annis XXXVI. Sed iterum proscriptus, superstes Syllæ vixit usque ad M. Antonium. Constatque nulla alia de causa proscriptum, quam quia proscriptus esset] Si bis proscriptum accipiamus a Sylla M. Fidustium, nulla fuit ratio Plinio, cur notaret secundam proscriptionem tanquam raram et causa carentem. Nam qua ratione primo proscriptus fuit, eadem proscribi potuit et secundo et tertio et sæpius, sine ulla rei admiratione. Item raras hic, memoratuque dignas hominum fortunas Plinius exequitur. Ecquid, rogo, miraculi fuit, servari hominem bis proscriptum ab eodem Sylla? Nunquam igitur in animum inducere potui, verba hæc sincera esse, sed hæsit semper scrupulus, luxato ordine scripta esse. Nam, nisi opinio mea me fallit, Marcus hic Fidustius bis proscriptus a duobus Romanis principibus, utriusque sævitiam evasit, et utrique supervixit; primo a Sylla, et eo mortuo, iterum a M. Antonio: quem successum magnæ fuisse felicitatis, negari non potest. Notat autem, nec immerito, Plinius, non alia causa proscriptum fuisse a M. Antonio, quam quia prius proscriptus fuisset a Sylla. Scribendum igitur hunc locum reor ad hunc modum: *Servavit proscriptum a Sylla, M. Fidustium senatorem annis XXXIII. usque ad Antonium. Sed iterum proscriptus, superstes illi vixit. Constatque, &c.* Pintian.

Sylla] Syllam quidam dictum volunt, una litera mutata, a *sillo naso.* Sigonius vero quasi *Sibyllam*, quod Decemvir aut Prætor ex libris Sibyllinis ludos Apollinares instituerit. *Dalec.*

P. Ventidium] Val. Max. VI. 10. et infra XXII. 22. *Idem.*

Castrensem suffraneum] Vide Scalig. Append. Virgil. ad Catulli Phaseli παρῳδίαν, 'Sabinus ille,' &c. quæ tota est in Ventidium. Vide et Turn. Ad vers. XXIX. 18. *Idem.*

Fuit et Balbus Cornelius major Consul, &c.] Corn. Balbus major cognominabatur, ad differentiam alterius Balbi ex fratre filii, qui triumphavit: jus civitatis simul acceperunt, et dis-

criminis gratia patruus Balbus major dictus. Legendum itaque: *Balbus Cornelius major consul fuit: sed accusatus atque de jure virgarum in eo judicio in consilium missus.* Eo judicio quo accusatus est Balbus, de jure virgarum etiam deliberatum est, an competeret in eum, quod civis Romanus non esset. *Salmas.* p. 383. b.

De Jure Virgarum] Legem M. Porcius Cato tulit. Unde et Porcia dicta est, ne civis Roman. aut verberaretur aut necaretur. Eam ille *pro scapulis* vocabat, ut auctor est Festus. Livius lib. x. 'pro tergo:' auctor hoc loco de Jure Virgarum. *Dalec.*

Felicis sibi cognomen asseruit] Felicem Syllam dictum putant, quod feliciter in hostes pugnasset, quod amicus fuisset Metelli Pii, quod Athenas vi captas non delevisset. Scribit Appianus equestrem imaginem Syllæ auream ante rostra positam cum inscriptione: CORNEL. SYLLÆ. IMPERAT. FORTVNATO. Venustum quoque Sylla cognominari se voluit. Rhodig. XXIV. 6. Syllæ immolanti jecur extrema fibra coronæ laureæ imaginem ostendit, ostento mirabili felicitatis. Alex. ab Alex. v. 25. Vide Val. Max. VI. 9. et IX. 2. *Idem.*

Sylla civili nempe sanguine, &c.] Ita legend. *L. Sulla, civili nempe sanguine, ac patriæ obpugnatione adoptatum: sed quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere, &c.* Salmas. p. 54.

Et quibus felicitatis inductus argumentis] Verior, ut mihi videtur, lectio, *En quibus felicitatis, &c.* sine ulla interrogatione, cum derisu et suggillatione talis felicitatis. *Pintian.*

Exitus vitæ] Φθειριάσει, sive *pediculari morbo*, interiit. Val. Max. IX. 4. et infra XI. 33. *Dalec.*

Et supremo somnio ejus, cui immortuus quodammodo est] In intellectu horum verborum longe dissentimus tum ab aliis, tum vero ab Hermolao, qui nos ad illum Juvenalis versum remittit: 'et nos Consilium dedimus Syllæ, privatus ut altum Dormiret.' Quasi Plinius hoc loco de somno illo declamatorio Syllæ loquatur, quem Romani adulescentes ut altissimum caperet in scholasticis controversiis suadebant, rejecta omni reipublicæ cura. Nos secus hunc locum accipientes, non *somno* cum Hermolao legimus, sed *somnio*, ut alii emendarunt, et apogr. habet Tolet. de quo antequam loquamur, illud legentes nosse oportet, Syllam commentarios rerum suarum conscripsisse, ac Lucullo Græcarum juxta Latinarumque literarum peritissimo nuncupasse, quorum vigesimum secundum librum absolvit, biduo antequam e vita discederet. Cujus rei auctor est Plutarchus in vita Luculli, et in vita Syllæ. Deinde illud quoque noscendum, Syllam summam habuisse fidem somniorum visis, ut ex eodem liquet Plutarcho in Sylla his verbis: 'Lucullum etiam in commentariis quos ad illum inscripsit commonefacit, nihil tam stabile duceret, quam quod noctu sibi numen imperaret.' Et aliquanto post: 'Ferunt et dormienti Syllæ visam esse deam, quam Romani eximia veneratione colunt, accepta ex Cappadocibus disciplina, sive Luna sit, sive Minerva, sive Bellona. Hanc sibi astitisse Sylla existimavit, et posito manibus fulmine nominatim ut suos feriret inimicos imperasse, eosque percussos collabi atque deleri. Eo ex insomnio spe plenus cunctis collegæ expositis, Romam ductabat exercitum.' Hæc Plutarchus: qui eodem quoque loco non longe a fine somnium quod Sylla vidit, paulo antequam e vita migraret, his verbis exequitur: 'Sylla non modo suum prævidit interitum, verum etiam quodam modo scriptis eum commendavit; nam vigesimum secundum commentariorum librum biduo, antequam mortuus est, scribendi finem fecit: ubi Chaldæos sibi

prædixisse affirmat, quod ei, cum beate vixisset, in ipso felicitatis vigore moriendum esset. Scribit etiam filium, qui paulo ante Metellam expiraverat, per quietem sibi assistentem patrem suppliciter obsecrantem, ut ab his se curis absolveret, euntem cum eo ad matrem Metellam quiete et omni negociorum abjecta cura cum illa vitam duxisse.' Appianus etiam Alexandrinus Bellorum Civilium lib. I. de somnio Syllæ paulo ante mortem sic narrat: 'Ferunt Syllam, cum in agris esset, dæmonem quendam per somnium aspexisse, seque ab illo vocari existimavisse: quod somnium cum amicis mane retulisset, summa celeritate testamentum conscripsisse, insequentique nocte obsignato eo, cum febris accessisset, sexagesimo exacto anno e vita discessisse.' Hactenus Appianus. In hoc igitur insomnio, sive idem sit cum eo quod Plutarchus narrat, seu aliud ab eo, Syllæ dictum fuisse existimamus, vel a filio, vel a dæmone quem vidit, vel ab aliquo qui ei per quietem apparuerit, invidiam ab eo uno gloria superatam. Nam quod Appianus ait, exposito amicis somnio summa celeritate testamentum conscripsisse, insequentique nocte decessisse, mire quadrat cum his Plinianis et supremo somnio ejus, cui immortuus quodammodo est. Hæc annotasse quamvis nulla inerat Plinianis verbis menda, non fuerit alienum, ut doctis minime necessaria, ita cæteris non magno opere pœnitenda. *Pintian.*

Qui primus Elephantos primo Punico bello duxit in triumpho] L. Metellum pontificem duxisse primum elephantos in triumpho primo Punico bello, longe a veritate abhorret; idque ne longe exempla petantur, Plinius docet VIII. 6. cujus verba ad roborandam sententiam nostram necessarium erit apponere: 'Elephantes,' inquit, 'Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, et boves Lucas appellavit, in Lucanis visos anno urbis CCCCLXXII. Roma autem in triumpho, septem annis ad superiorem numerum additis.' Triumphus autem hic, si quis hoc desideret, Manii Curii fuit de Pyrrho rege, qui superiorum omnium speciosissimus fuit. De quo L. Florus libro primo, capite de bello Tarentino, ita loquitur: 'Neque ullus pulchrior in urbem aut speciosior triumphus intravit, cum ante hunc diem nil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisset. Tunc si captivos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atque Lucanus. Si pompas, Aurum, Purpura, Signa, Tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas quas timuerat cum turribus suis feras, quæ non sine sensu captivitatis submissis cervicibus victores equos sequebantur.' Hæc Florus: quæ et Livii Epitome confirmat, itemque Polybius primo volumine, et plerique alii historici. Patet ergo elephantos in triumpho non primum duxisse L. Metellum Pontificem, sed Manium Curium, pulso ex Italia Pyrrho rege annos ante circiter XXV. Quid igitur est? Nimirum legendum hic esse, non *primus elephantos*, sed *plurimos elephantos*, cujus castigationis Plinius ipse duobus locis est auctor; tum VIII. 6. his verbis: 'Eadem plurimos anno DII. victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Pœnis captos. CXLII. fuere:' tum VIII. 3. 'M.' inquit, 'Varro auctor est, cum L. Metellus triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse.' Patet igitur Manium Curium elephantos primum aliquot triumpho duxisse. Post eum plurimos, primo bello Punico, L. Metellum pontificem. Sic et fides historiæ constabit, et Plinius non dissentiet a seipso. *Pintian.*

Voluisse enim primarium bellatorem esse] Exemplar Salmant. *Valuisse enim, &c.* Posset etiam non absurde totus hic locus aliter legi: *In quibus quærendis sapientes ætatem exigerent, consummasse ævo. Fuisse enim primarium bellatorem, optimum oratorem, &c.* Pintian.

CAP. XLIV. *De altero Metello.*

Quatuor filiis illatus rogo, uno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno censorio] Scribendum *uno prætorio*, non *uno pratore*, ex Valerio Maximo VII. 1. de felicitate. Præterea si unus erat prætorius, tres consulares, duo triumphales, unus censorius, septem fuerunt, non quatuor. Respondendum arbitror, quatuor fuisse, ut Plinius ait, *Unum prætorium, tres consulares.* Sed ex his tribus, qui fuerunt consulares, duos præter consularem dignitatem triumphales etiam fuisse, tertium etiam censorium. Alioqui de numero filiorum hujus Metelli magna est inter auctores dissensio. Plinius supra cap. 13. sex liberos reliquisse tradit, undecim nepotes, nurus vero generosque, qui se patris appellatione salutarent, XXII. Unde non abs re hic Plinius: 'Convolante,' ait, 'tam numerosa illa cohorte quæ eum patrem appellabat.' Valer. Max. lib. et cap. ante citatis, septem liberos habuisse tradit, viros quatuor, fœminas tres. Augustinus secundo de Civitate Dei cap. 23. quinque scribit, consulares omnes. Plutarchus, de Fortuna Romanorum, senem inquit Cæcilium Metellum Macedonicum elatum a quatuor filiis Consularibus, qui nominati fuerint Q. Balearicus, L. Diadematus, M. Metellus, C. Caprarius. Nepos de Viris Illustribus: 'Hic,' ait, 'quatuor filiorum pater supremo tempore humeris eorum ad sepulchrum latus est.' Velleius Paterculus priore volumine: 'Quatuor filios sustulit: omnes adultæ ætatis vidit: omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt quatuor filii, unus Consularis et Censorius, alter Consularis, tertius Consul, quartus candidatus consulatus: quem honorem adeptus est.' *Pintian.*

Catinio Labeone] Quod de Labeone hic auctor narrat, et de M. Druso legimus, qui Trib. pleb. Philippum consulem, quia concionantem interpellasset, tam præcipitem in carcerem egit, ut multa vis sanguinis e naribus flueret. Alex. ab Alex. I. 8. Idem exemplum narrat idem scriptor III. 13. de P. Sempronio Tribuno plebis, qui, nisi collega obstitisset, Appium Claudium Censorem in vincula duci jusserat. *Dalec.*

Ad Tarpeium raptus] Vide Turn. Advers. IV. 9. *Idem.*

Virtutis suæ opera et censuræ periturus] Erratum hic etiam in ordine verborum. Nam hæc verba post illa haud dubie sequi debent, quæ paulo ante præcesserunt: *Ad Tarpeium raptus ut præcipitaretur.* Subjice statim: *Virtutis suæ opera et censuræ periturus.* Pintian.

Faucium certe intortarum] Magistratus, si quis imperio suo parum obediret, ipsi manu injecta in collum invadebat, ac torquebat, tanquam eo genere pœnæ coërcens, Turn. XXVIII. 34. Cicero VI. in Verrem: 'Quem obtorta gula de convivio in vincula atque in tenebras abripi jussit.' Plaut. in Rud. 'opta ocyus, Rapi an obtorto collo mavis, aut trahi?' *Dalec.*

Diadematis] In Metellorum familia quosdam fuisse Diadematos Cicero tradit. Beroaldus legit *Dalmaticos*, quoniam L. Metellus Dalmatas vicerit. Plutarchus de Fort. Rom. tradit, Cæcilium Metellum Macedonicum elatum a quatuor filiis consularibus, Q. Baleárico, L. Diademato, M. Metello, C. Caprario. Rhod. XVII. 22. Diadematum vocatum fuisse, quod ulceratam frontem diademate, id est, fascia, diu ligaverit, auctor est Plu-

tarchus in Coriolano. Sigonius: 'Cum Pompeius ulceratum crus fascia vinctum circumferret, Favonius quidam amare dixit, nihil referre qua in parte diadema gestaret.' Rhodig. XXIV. 6. Vide Val. Max. IV. 1. *Dalec.*

Nescio morum gloriæ, an, &c.] Subindicat Plinius, majorem ulciscendi libidinem ætate sua regnasse, quam Metellorum, de quibus loquitur, tempore, cum mores P. R. adhuc minus corrupti essent. *Gelen.*

CAP. XLV. *De Divo Augusto.*

In divo quoque Augusto] Ita leg. *In divo quoque Augusto quem universa mortalitas in hac censura nuncupat, si diligenter æstimetur quam magna sortis humanæ reperiuntur volumina.* Per *sortis humanæ volumina* intelligit auctor variantes et volubiles fortunæ vices. *Salmas.*

Contra petitionem ejus, &c.] Lege: *contra petitionem ejus prælatus Lepidus, ad proscriptionis invidiam, collegium in Triumviratu pessimorum civium.* Id est, præter proscriptionis invidiam inita societas cum pessimis civibus. *Salmas.*

Nec æqua saltem portione, sed prægravi Antonio] Ubi quidam codices, *prægravante.* Metaphora a lancibus ponderariis, in quibus pars quæ præponderat leviorem prægravat, καθέλκει. *Idem.*

Philippensi prælio morbus, fuga et triduo in palude ægroti, et ut fatentur Agrippa et Mæcenas, aqua subter cutem fusa, turgida latera] Sic legend. Salmas. censet.

Toties petita insidiis vita] Præsertim a L. Cecinna. Seneca de Clementia lib. I. Illum a Valerio significari IX. 11. censet Brod. cap. 27. quem apud inferos, si illic receptus esset, quæ mereretur, supplicia pendere Valerius scribit. Sueton. Aug. c. 19. et ibi Læv. Torrent. *Dalec.*

Luctusque non tantum orbitate tristes] Legend. *Luctusque non tantum orbitate tristis.* Luctus Augusti non tantum tristis orbitate, sed etiam ob incusatas mortes liberorum. *Salmas.*

Pestilentia urbis, fames sitisque Italiæ] Dele *sitisque*, et lege, *urbis pestilentia, fames Italiæ, rebellio Illyrica.* Et sane ridiculum de siti; quasi inter publica mala etiam sitis timenda sit, tot salientibus in propatulo aquis, tot e cœlo descendentibus. *Salmas.*

Inde suspicio in Fabium, &c.] Leg. *Inde suspicio in Fabium arcanorum proditorem.* Et sic sequentia interpunge: *hinc uxoris et Tiberii cogitationes: suprema ejus cura.* ita Plinius loqui amat ἀσυνδέτως. *Salmas. Inde suspicio in Fabium, &c.*] Lege, *inde suspicio in Fabium arcanorumque proditio. Num hinc uxoris et Tiberii, &c.* Vide Dorleans in Tacit. p. 22.

Fabium] Fabium Maximum, quo solo comite Augustus Planasiam ad invisendum Agrippam vectus fuerat. Id Fabius, cum uxori Martiæ aperuisset, eaque Liviæ, ac tandem C. Navius Augusto, paulo post extinctus est, Martia se in funere accusante quod exitii causa marito fuisset. Tacitus. *Dalec.*

Uxoris et Tiberii cogitationes] Dion Augustum periisse scribit veneno a Livia dato in fico. *Idem.*

Hostis sui filio excessit] Nam Tiberii pater Antonii partes civili bello secutus erat. *Idem.*

CAP. XLVI. *Quos beatissimos dii judicaverint.*

Phedium felicissimum qui pro patria proxime occubuisset] Exemplar Tolet. *Pedium* legit, non *Phedium.* De Phedio porro, seu Pedio, qui pro patria occubuerit, nihil comperi, sed de Tello Atheniensi, qui auctore Herodoto libro primo, et apud nostros Ausonio Poëta, in prælio quod apud Eleusinem inter Athenienses et finitimos commissum est, cum hostes in fugam vertisset, pro patria fortiter dimicans mortem oppetiit. Quam ob rem interrogatus Solon a rege Crœso, quem ex mortalibus fortunatissimum judi-

caret, Tellum respondit. Iterum rogatus, quem post Tellum putaret, Cleobin et Bitonem respondit. Etsi Ausonius, ab Herodoto discrepans, secundas non Cleobi et Bitoni datas a Solone dicat, sed Aglao. Notandum autem Ausonium non *Tellum* vocare, sed *Telena*, quasi Telen quintæ sit apud Græcos inflexionis. *Pint.*

Iterum a Gyge rege tunc amplissimo, &c.] Lydorum, qui post Midam Gordii filium primus Delphos pretiosissima dona misit, quæ *θήσαυρον Γυγάδα* vocaverunt. Ejus annulus multorum scriptis celebratus est, præsertim a Cicerone, et Platone lib. II. de Justo. Rhodig. VI. 11. Vide XXXIII. 1. Val. VII. 10. Solinum quoque. *Dalec.*

Nunquam ex eo egressus] Sic Ælianus sophista nunquam extra Italiam pervagatus est, navem nunquam ascendit, mare ne movit quidem. Apud Platonem in Phæd. Socrates, potius hospiti, quam incolæ similis, extra mœnia non egrediebatur, civitatis fines non transibat. Rhodig. XXI. 32. *Dalec.*

CAP. XLVII. *Quem viventem, ut Deum, coli jusserint.*

Euthymus pycta, semper Olympiæ victor, et semel victus] Quo pacto, quæso, semper victor ille dicetur, qui semel victus? Emendaverim, *Euthymus picta, sed ter Olympiæ victor, &c.* Quater decertavit Euthymus: ac semel victus, ter victoriam reportavit. *Meurs.* Att. Lect. pag. 301.

Semel victus] A Theagene, non justo quidem bello, sed dolo, unde nec Theageni honos decretus, sed mulctæ nomine talentum Euthymo coactus est repræsentare. Pausanias in Eliacis. *Dalec.*

Vico factitatum et mortuo] Mortuum non esse, sed alio quodam modo hominem esse desiisse, narrat Pausanias. *Idem.*

CAP. XLVIII. *De spatiis vitæ longissimis.*

De spatiis vitæ longissimis] Lucian. *μακροβίοις*, Phlegon Trall. de Mirac. et Longæv. Jac. Panton Tyrocin. Poët. II. 19. *Dalec.*

De spatio atque longinquitate] Qua ratione brevior ætas longiorve nobis contingat, vide luculenter disputatam a Rhod. XIX. 21. In antiquis inscriptionibus Romæ: 'L. Clodius Hirpanus vixit annos 155. dies 5. puerorum halitu refocillatus ac educatus.' Cujacius in Nov. V. *Idem.*

Anacreon poëta Arganthonio Tartessiorum regi CL. tribuit annos] Legendum videtur *CLII.* si credimus divo Augustino citanti hunc Plinii locum, de Civitate Dei XV. 12. his verbis: 'Plinius Secundus cum commemorasset relatum fuisse in literas quendam vixisse CLII. annos, alium decem amplius,' &c. Hæc Augustinus; puto tamen eum in mendosum Plinii exemplar incidisse. Fidelior enim mihi videtur nostrorum exemplarium et item excusorum lectio, in qua semper *CL.* nunquam *CLII.* legitur. Lucianus in libro de Macrobiis, CL. annos Arganthonium vixisse asserit. Idem Strabo summus auctor libro tertio, adductis etiam verbis Anacreontis poëtæ, quem advocat hic Plinius. Ea sunt; 'Εγὼ τ' ἂν οὔτ' Ἀμαλθείης Βουλοίμην κέρας, οὔτ' ἔτεα Πεντήκοντά τε χἠκατὸν Ταρτησσοῦ βασιλεῦσαι. *Equidem Amaltheæ cornu nolim, neque annorum CL. imperium tenuisse Tartessi.* Valer. Maximus libro octavo, capite de senectute, CL. annos vixisse scribit: octoginta namque annos patriam suam rexisse ait, cum ad imperium quadragesimo accessisset. Quod et Herodotus primo volumine, et Cicero in Catone Majore asserunt. Secundum autem Pollionem Asinium, CXXX. vixit. Illud non dissimulaverim, nescire me, qua ratione inductus Hermolaus *Argathonius* dicendum esse asseveret, non *Arganthonius*, contra vetera omnia et nova exemplaria, contraque auctores cunctos, tam Græcos quam Latinos,

apud quos *Arganthonius* semper cum n in secunda, nunquam secus, legas. *Pintian.*

Theopompus] Val. VIII. 14. *Dalec.*

Xenophon in Periplo maritimorum regem] Quis ille rex maritimorum? Libri scripti habent, *in Periplis Latmiorum, &c.* lege, *Xenophon in Periplu Latmiorum insulæ regem.* Latmus vel urbs vel insula, unde 'sinus Latmicus.' *Salmas.*

Maritimorum regem] Vetusti codices, *Latiniorum insulæ regem.* Valer. Maximus libro octavo, capite de senectute, *Latinorum regem.* Sequitur statim: *DC. atque ut parce mentitus filium ejus DCCC.* Valerius Maximus loco nuper allegato, *DCCC.* scribit, non *DC.* regem hunc vixisse. Et paulo post ubi *DC.* scriptum est, Valerius Maximus *DCCC.* ponit, nimirum ordine verborum commutato. Item magna librariorum allucinatione, (nam Plinii inhumanum esset dicere,) ubi scribi *patrem* debuit, *filium* positum est. Val. Max. 'Sed multo,' inquit, 'liberalius Xenophon, cujus Perigeros legitur. Is enim Latinorum regem octingentis vitæ annis donavit. Ac ne pater ejus parum benigne acceptus videretur, ei quoque DC. assignavit annos.' *Pintian.*

Inscitia temporum acciderunt] De statuendi anni spatio perquam multa Alex. ab Alexand. III. 28. Solin. Polyhist. c. 3. Censorin. de Die Nat. seu, ut alius, Pictorius Philol. I. 2. Diod. Sicul. lib. I. *Dalec.*

Gorgiam Siculum CVIII. vixisse] Cicero in Catone Majore, et Valerius Maximus, CVII. Lucianus in Macrobiis cum Plinio CVIII. Pausanias CV. Quintilianus in tertio, CIX. *Pintian.*

Q. Fabius Maximus LXIII. annis augur fuit] Valerius Maximus loco toties allegato LXII. scribit, uno minus. 'Q.' inquit, 'Fabius Maximus et LXII. annis auguratus sacerdotium sustinuit, robusta jam ætate id adeptus.' *Idem.*

Statilia Claudio principe] Seneca Epistola LXXVIII. 'Nulla vita est non brevis. Nam si ad naturam rerum inspexeris, etiam Nestoris et Statiliæ brevis est, quæ inscribi monumento suo jussit, annis se nonaginta novem vixisse. Vides aliquem gloriari senectute longa. Quis illam ferre potuisset, si contigisset centesimum implere?' &c. *Dalec.*

Emboliaria] Τὰ εἰσόδια jocularia, quæ ante mimos et Attellanas vel alta voce recitabantur, vel canebantur ad citharam aut psalterium, a scurris mimicis, urbicis, urbicariis. Eadem mediæ fabulæ interposita, τὰ ἔμβολα dicebantur, unde fit *Emboliaria mulier*, id est, *Scenica*, θυμελική: ad finem vero fabulæ, Exodia. Juvenalis Sat. VI. 'Urbicus exodio risum movet Attellanæ.' Sunt autem Mimi, ut ait Claudianus, qui lætis salibus faceti risum movent: Pantomimi vero, ut idem ait, 'nutu manibusque loquaces.' Scalig. in Manilium. *Idem.*

Saltare instituit] De saltationis ac musices studio et exercitatione vide plura apud Alex. ab Alex. II. 25. *Id.*

CAP. XLIX. *De varietate nascendi.*

Tetartemorion] Est *tetartemorion* Græce, qui *quadrans* Latine dicitur, constans ex quatuor partibus signiferi circuli, hoc est, signis tribus, ut annotavit Budæus de Asse lib. I. *Dalec.*

Quod anaphoras vocant] Eam cœli partem intelligit, quæ 30. partibus, hoc est, duobus signis, ab horoscopo distat. *Idem.*

Rursus Æsculapii secta quæ stata vitæ spacia] Exemplar Salmanticense, *Æsculapii sententiam secuti qui vitæ spacia, &c.* Verbum enim *rursus* in eo non legitur. Item non *Æsculapii*, sed *Asclepiadæ* fortasse legendum ex Indice, in quo duo hujus nominis auctores referuntur: alter Medicus, Philosophus alter, qui scripsit tragodu-

mena. Medici Asclepiadis et Plinius supra et Galenus frequenter et omnes meminere. *Pintian.*

Scansili annorum lege occidua] Gellius xv. 7. annum vitæ 63. cum periculo et clade aliqua venire tradit, quod septies novem contineat. De hac re fusius Firmicus iv. 14. et Censor. de Die Nat. c. 14. Cæl. Rhod. 26. *Dalec.*

Census] Census ea fuit ratio. Cives omnes bona æstimabant, et jurejurando obstricti æstimationem deferebant: præterea nomen et ætatem uxoris, liberorum, libertorum, servorum: ac cum Romæ id fiebat, qua regione urbis habitarent. Qui secus fecisset, bona publicabantur, verberatus ipse venibat, et civitatem amittebat. Institutum hoc a Servio Tullio. Sigonius de Ant. Jur. Civ. Rom. i. 14. Onuph. Panvin. super Fast. pag. 53. et 87. De censu vero in coloniis peracto, singulatim Justus Lipsius de Milit. Rom. i. 7. p. 49. *Idem.*

Polydamanta] Alius Polydamas fuit, corporis prodigiosi, viribus Miloni vel æquandus, vel etiam anteponendus, de quo Rhod. xxix. 26. *Idem.*

Cap. l. *In morbis varia exempla.*

P. Cornelius Rufus qui consul] In Epitome Livii lib. xiv. 'P. Cornelius Rufinus' nominatur hic, non *Rufus.* Valerius item Maximus libro secundo, capite de censoria nota: 'Quid de Fabricii Licinii censura loquar? Narravit enim omnis ætas et deinceps narrabit, ab eo Cornelium Rufinum, duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, in ordine senatorio retentum non esse.' Astipulantur Florus libro primo, Eutropius secundo, Gellius xvii. 21. *Pintian.*

E diverso Phalereus tum deploratus a medicis] Romana et omnis impressa lectio, *Phalereus jam tum deploratus, &c.* Duo nostra exemplaria, *Phareus jam tum.* Scribo, *Phereus Jason,* ex Valerio Maximo libro primo, capite de miraculis: 'Divinæ fortunæ vulnus Phereo Jasoni quidam exitii ejus cupidus intulit,' &c. Magna Hermolai memoriæ hæsitatione, et aliorum qui post eum in Plinium aliquid annotaverunt, in restitutione loci qui maxime omnium ad manus et in expedito erat. *Idem.* *Phalereus dum, &c.*] Phereus Jason, Cicero de Natura Deor. Prometheus Thessalus, Plutarch. lib. Quid intersit inter amicum et adulatorem. Τύραννος Προμηθεὺς, Simplicius in ii. φυσικῆς ἀκροάσεως. Victorius vii. 9. Idem et Proclus. Brodæus i. 21. *Dalec.*

Q. Fabius Maximus] Æmilianus is fuit, adversus quem ad confluentem Isaræ et Rhodani, deinde qua Sulgas Rhodano miscetur, adversus Domitium Ænobarbum, Bituus Zaarii filius Avernus, summus et fortissimus Imperator cc. m. hominum, generose, quamvis infœliciter, conflixit. Strabo lib. iv. *Idem.*

Quid quod æstimatione nocturnæ, &c.] Id nimirum est quod scripsit Plato de Leg. lib. vii. Καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. Et Aristot. lib. i. Ethicorum, οὐδὲν διαφέρειν τὸ ἥμισυ τοῦ βίου τοὺς εὐδαίμονας τῶν ἀθλίων. Scopelianus tamen apud Philostratum lucubratam noctem inter Deos πλεῖστον σοφίας μέρος ἔχειν dicebat. Rhodig. xx. 11. Mnesimachus comicus scite dixit, 'Somnum esse parva mortis mysteria.' Idem auctor xxx. 6. ex Plutarch. Consolat. ad Apollon. Insigne est et Aristonis dictum, 'Vivendi breve tempus homini datum, quoniam somnus veluti publicanus dimidium aufert.' Gorgiam senio fessum et dormientem cum familiaris quidam excitasset, et ecquid valeret sciscitaretur, respondit is, ἤδη με ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. Præclarum et illud Ovid. 'Stulte, quid

est somnus, gelidæ nisi mortis imago?' De somno ænigma lepidissimum apud Athenæum legitur ex Alexi comico, quod recitat Hadr. Jun. VI. 26. Ejus ultimus versus est: Ὕπνος βροτείων ὁ κόρη παυστὴρ πόνων. Hygino e Nocte et Erebo lethum et somnus nati sunt: unde Virg. 'Tum consanguineus lethi sopor.' Infra XXXVI. 1. *Dalec.*

Non senecta in pœnam vivacis] Apud Ciceronem, in Catone Majore, senibus quibusdam ita odiosa est senectus, ut se onus Ætna gravius dicant sustinere: quod et senum chorus apud Euripidem in Hercul. Furente queritur, Ἁ νεότας μοι φίλον· ἄχθος δὲ τὸ γῆρας αἰεὶ βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται. Callimachus Priamum sæpius quam Troilum plorasse scripsit, nempe quod diutius vixerit. *Idem.*

Hebescunt sensus] De senibus præclare Plaut. in Merc. 'Senex cum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit: Aiunt solere eum rursum repuerascere.' *Idem.*

Xenophilum Musicum] Valerius VIII. 14. Xenophilus is fuit Chalcidensis et Pythagoricus. *Idem.*

Qualiter nullis aliis animalibus, &c.] Leones tamen et capræ febre vexantur. *Idem.*

Per sapientiam mori] *Desipientem*, φρενιτίζοντα. male hoc Plinius. *Idem.*

Quadrini circuitus febrem] Quartanam Octavius Horatianus, medicus, vetustate commendabilis, Saturni filiam esse tradit, ob tarditatem et malignam contumaciam. In ejus curatione Democritus flagitium aliquot insigne committere putavit necessarium, ut hominem jugulare aut sauciare, sanguinem bibere, menstruum adlinire, sacras aves et animalia religione prohibita comesse. Hadrian. Jun. III. 1. *Dalec.*

Universis gentibus] Ἐνδημικοί. *Idem.*

CAP. LI. *De signis mortis.*

Furoris morbo] Maniæ. *Idem.*

Risum] Hippocrates Aphoris. VI. 63. desipientiam, quæ cum risu fit, tutiorem esse vult; quæ cum studio, periculosiorem. At hic risum intelligo, non quidem hilaritatis indicium, sed Sardonium risum, nempe convulsionem faciei, risui similem. *Idem.*

Sapientiæ vero ægritudine] Sapientiæ morbum vocat, non in quo ægri sapiunt, et mente constant, sed in quo læditur et offenditur eorum sapientia; in quo desipiunt; φρενῖτιν. Celsus II. 6. Hippoc. lib. Progn. *Id.*

A somno moventium] Scribe, *a somno morientium*. Sic utrumque præfert exemplar. Est autem periphrasis lethargi. *Pintian.*

Neglectum] Vide infra IX. 39. *Dalec.*

Præfandi humoris] Urinæ. *Idem.* *Præfandi humoris*] Sic Plinius more suo verecunde genitale semen circumloquitur; ac si dicat, cum præfatione honoris aurium nominandi. *Gelen.*

Venarum inæquabili aut formicante percussu] Hippocratis more sic arterias appellat, quod et annotavit Rhodigin. III. 14. Priscis enim duplices venæ fuerunt: ἄσφυκτοι, priores, quæ citra motum sanguinem dispergunt: aliæ micantes et pulsatiles, σφύζουσαι, quas arterias vocavit posteritas, ὅτι ἀείρονται, *quoniam* dilatantes sese *attolluntur*. Dalec.

Innumerabilia sunt mortis signa] Celsus II. 6. *Dalec.*

Ut Pherecydes Syrius copia serpentium, &c.] Ὑπὸ τοῦ τῶν φθειρῶν πλήθους τελευτῆσαι, Suidas scribit, quos 'animalia tetra' vocavit Serenus. Laërtius, versibus de illo editis, ad hunc modum scripsit: εἰς φθεῖράς ἐστιν ἀλλάξαι τὸ πρὶν εἶδος. Idem sua ad Thaletum Epistola totum se pediculis opertum queritur: quæ cum ita sint, mirum cur hic Plinius serpentum copia tradat expirasse, quasi τῶν ἑρπετῶν nomine pediculi significari possint. Hæc cum attentius considerarem, occurrit apud Ælianum sub fi-

mena. Medici Asclepiadis et Plinius supra et Galenus frequenter et omnes meminere. *Pintian.*

Scansili annorum lege occidua] Gellius xv. 7. annum vitæ 63. cum periculo et clade aliqua venire tradit, quod septies novem contineat. De hac re fusius Firmicus iv. 14. et Censor. de Die Nat. c. 14. Cæl. Rhod. 26. *Dalec.*

Census] Census ea fuit ratio. Cives omnes bona æstimabant, et jurejurando obstricti æstimationem deferebant: præterea nomen et ætatem uxoris, liberorum, libertorum, servorum: ac cum Romæ id fiebat, qua regione urbis habitarent. Qui secus fecisset, bona publicabantur, verberatus ipse vænibat, et civitatem amittebat. Institutum hoc a Servio Tullio. Sigonius de Ant. Jur. Civ. Rom. i. 14. Onuph. Panvin. super Fast. pag. 53. et 87. De censu vero in coloniis peracto, singulatim Justus Lipsius de Milit. Rom. i. 7. p. 49. *Idem.*

Polydamanta] Alius Polydamas fuit, corporis prodigiosi, viribus Miloni vel æquandus, vel etiam anteponendus, de quo Rhod. xxix. 26. *Idem.*

Cap. l. *In morbis varia exempla.*

P. Cornelius Rufus qui consul] In Epitome Livii lib. xiv. 'P. Cornelius Rufinus' nominatur hic, non *Rufus.* Valerius item Maximus libro secundo, capite de censoria nota: 'Quid de Fabricii Licinii censura loquar? Narravit enim omnis ætas et deinceps narrabit, ab eo Cornelium Rufinum, duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum, in ordine senatorio retentum non esse.' Astipulantur Florus libro primo, Eutropius secundo, Gellius xvii. 21. *Pintian.*

E diverso Phalereus tum deploratus a medicis] Romana et omnis impressa lectio, *Phalereus jam tum deploratus, &c.* Duo nostra exemplaria, *Phareus jam tum.* Scribo, *Phereus Jason*, ex Valerio Maximo libro primo, capite de miraculis: 'Divinæ fortunæ vulnus Phereo Jasoni quidam exitii ejus cupidus intulit,' &c. Magna Hermolai memoriæ hæsitatione, et aliorum qui post eum in Plinium aliquid annotaverunt, in restitutione loci qui maxime omnium ad manus et in expedito erat. *Idem.* *Phalereus deum, &c.*] Phereus Jason, Cicero de Natura Deor. Prometheus Thessalus, Plutarch. lib. Quid intersit inter amicum et adulatorem. Τύραννος Προμηθεὺς, Simplicius in ii. φυσικῆς ἀκροάσεως. Victorius vii. 9. Idem et Proclus. Brodæus i. 21. *Dalec.*

Q. Fabius Maximus] Æmilianus is fuit, adversus quem ad confluentem Isaræ et Rhodani, deinde qua Sulgas Rhodano miscetur, adversus Domitium Ænobarbum, Bittus Zuarii filius Avernus, summus et fortissimus Imperator cc. m. hominum, generose, quamvis infœliciter, conflixit. Strabo lib. iv. *Idem.*

Quid quod æstimatione nocturnæ, &c.] Id nimirum est quod scripsit Plato de Leg. lib. vii. Καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος. Et Aristot. lib. i. Ethicorum, οὐδὲν διαφέρειν τὸ ἥμισυ τοῦ βίου τοὺς εὐδαίμονας τῶν ἀθλίων. Scopelianus tamen apud Philostratum lucubratam noctem inter Deos πλεῖστον σοφίας μέρος ἔχειν dicebat. Rhodig. xx. 12. Mnesimachus comicus scite dixit, 'Somnum esse parva mortis mysteria.' Idem auctor xxx. 6. ex Plutarch. Consolat. ad Apollon. Insigne est et Aristonis dictum, 'Vivendi breve tempus homini datum, quoniam somnus veluti publicanus dimidium aufert.' Gorgiam senio fessum et dormientem cum familiaris quidam excitasset, et ecquid valeret sciscitaretur, respondit is, ἤδη με ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ. Præclarum et illud Ovid. 'Stulte, quid

est somnus, gelidæ nisi mortis imago?' De somno ænigma lepidissimum apud Athenæum legitur ex Alexi comico, quod recitat Hadr. Jun. VI. 26. Ejus ultimus versus est: Ὕπνος βροτείων ὁ κόρη παυστὴρ πόνων. Hygino e Nocte et Erebo lethum et somnus nati sunt: unde Virg. 'Tum consanguineus lethi sopor.' Infra XXXVI. 1. *Dalec.*

Non senectæ in pœnam vivacis] Apud Ciceronem, in Catone Majore, senibus quibusdam ita odiosa est senectus, ut se onus Ætna gravius dicant sustinere: quod et senum chorus apud Euripidem in Hercul. Furente queritur, Ἁ νεότας μοι φίλον· ἄχθος δὲ τὸ γῆρας αἰεὶ βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται. Callimachus Priamum sæpius quam Troilum plorasse scripsit, nempe quod diutius vixerit. *Idem.*

Hebescunt sensus] De senibus præclare Plaut. in Merc. 'Senex cum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit: Aiunt solere eum rursum repuerascere.' *Idem.*

Xenophilum Musicum] Valerius VIII. 14. Xenophilus is fuit Chalcidensis et Pythagoricus. *Idem.*

Qualiter nullis aliis animalibus, &c.] Leones tamen et capræ febre vexantur. *Idem.*

Per sapientiam mori] *Desipientem*, φρενιτίζοντα. male hoc Plinius. *Idem.*

Quadrini circuitus febrem] Quartanam Octavius Horatianus, medicus, vetustate commendabilis, Saturni filiam esse tradit, ob tarditatem et malignam contumaciam. In ejus curatione Democritus flagitium aliquot insigne committere putavit necessarium, ut hominem jugulare aut sauciare, sanguinem bibere, menstruum adlinire, sacras aves et animalia religione prohibita comesse. Hadrian. Jun. III. 1. *Dalec.*

Universis gentibus] Ἐνδημικοί. *Idem.*

CAP. LI. *De signis mortis.*

Furoris morbo] Maniæ. *Idem.*

Risum] Hippocrates Aphoris. VI. 63. desipientiam, quæ cum risu fit, tutiorem esse vult; quæ cum studio, periculosiorem. At hic risum intelligo, non quidem hilaritatis indicium, sed Sardonium risum, nempe convulsionem faciei, risui similem. *Idem.*

Sapientiæ vero ægritudine] Sapientiæ morbum vocat, non in quo ægri sapiunt, et mente constant, sed in quo læditur et offenditur eorum sapientia; in quo desipiunt; φρενῖτιν. Celsus II. 6. Hippoc. lib. Progn. *Id.*

A somno moventium] Scribe, *a somno morientium.* Sic utrumque præfert exemplar. Est autem periphrasis lethargi. *Pintian.*

Neglectum] Vide infra IX. 39. *Dalec.*

Præfandi humoris] Urinæ. *Idem.*

Præfandi humoris] Sic Plinius more suo verecunde genitale semen circumloquitur; ac si dicat, cum præfatione honoris aurium nominandi. *Gelen.*

Venarum inæquabili aut formicante percussu] Hippocratis more sic arterias appellat, quod et annotavit Rhodigin. III. 14. Priscis enim duplices venæ fuerunt: ἄσφυκτοι, priores, quæ citra motum sanguinem dispergunt: aliæ micantes et pulsatiles, σφύζουσαι, quas arterias vocavit posteritas, ὅτι ἀείρονται, *quoniam* dilatantes sese *attolluntur.* Dalec.

Innumerabilia enim mortis signa] Celsus II. 6. *Dalec.*

Ut Pherecydes Syrius copia serpentium, &c.] Ὑπὸ τοῦ τῶν φθειρῶν πλήθους τελευτῆσαι, Suidas scribit, quos 'animalia tetra' vocavit Serenus. Laërtius, versibus de illo editis, ad hunc modum scripsit: εἰς φθεῖράς ἐστιν ἀλλάξαι τὸ πρὶν εἶδος. Idem sua ad Thaletum Epistola totum se pediculis opertum queritur: quæ cum ita sint, mirum cur hic Plinius serpentum copia tradat expirasse, quasi τῶν ἑρπετῶν nomine pediculi significari possint. Hæc cum attentius considerarem, occurrit apud Ælianum sub fi-

nem Var. l. iv. Pherecydis historia, ex Laërtio, ut videtur, sumpta. Deinde mox v. 2. alia narratio petita ex alio quodam auctore qua refert: Ἐμπεσόντα εἰς ἀῤῥωστίαν πρῶτον μὲν ἱδρῶσαι ἱδρῶτα θερμὸν, ἰξώδη, ὅμοιον μύξῃ, ὕστερον δὲ θηριώδη, μετὰ δὲ φθειριᾶσαι, καὶ διαλυομένων τῶν σαρκῶν ἐς φθεῖρας, τῆξιν ἐπιγενέσθαι, καὶ οὕτως τὸν βίον καταλλάξαι. Hæc cum fortassis Plinius legisset, suspicor eum vocem θηριώδη ad serpentes retulisse, cum potius eo loco significet sudorem noxiorum animalium fœcundum, genitorem ac effectorem, quæ statim pediculos fuisse declarat, quamvis Gesnerus fœtidum et virosum interpretatus sit. Aurelianus, cap. de phthiriasi, pediculos, in eo morbo, infestissimos, non consuetos, aut simplicis formæ, sed ignotos, latiores, duros magis, vehementer morsu sævientes, qui sæpe corpora sub capillo penetrant. Ferales vocari tradit, eos fortassis, quos hic Plinius serpentes vocat. Nec iis assentior qui serpentes hinc significari putant medicorum dracunculos, morbum Arabibus, Æthiopibus, et corporibus in eo tractu melancholicis familiarem. Pediculos et vermes olim vocaverunt. Theoph. lib. i. de signis pluviarum, inter earum præsagia numerat, ἰούλους, id est, τοὺς ὀνίσκους πρὸς τοῖχον ἕρποντας: cum tamen ii non serpant anguium modo, sed instar pediculorum multis pedibus ambulent. *Idem.*

Syrius] Syrius non a Syria provincia, sed a Syro insula una ex Cycladibus. Illum cum inviseret Pythagoras, ac, πῶς διέκειτο, rogaret, digito per januam immisso, ἐν χροΐ δῆλα, respondit. Hunc etiam fato defunctum humi religiose ut magistrum mandavit. Narrarunt Delii pestiferum eum morbum ab Apolline immissum, quod in ejus templo sedens in frequenti corona circumstantium arroganter et superbe gloriatus fuisset, nulli Deo se unquam sacrificasse, nec ideo minus sanum degere, quam qui hecatombas immolant: offensum ergo Deum illam hominis κουφολογίαν tam diro morbo vindicasse. Quidam scribunt *Scyrium* a Scyro, Suidas tamen Σύρον et Σύριον scripsit. Rhod. ex Æliano xiv. 13. et xix. 30. *Idem.*

Antipater Sidonius Poëta] Valer. l. i. cap. ult. *Idem.*

Cap. lii. *De his qui elati revixerunt.*

Aviola Consularis in rogo revixit] Val. Max. i. 8. Vide et Celsum ii. 6. *Dalec.*

Nam C. Ælium Tuberonem] Cicero de Claris Oratoribus. *Q. Ælium Tuberonem* celebrat, L. Pauli nepotem, disciplina Stoicum, Gracchorum aliorumque clarissimorum oratorum tempore. *Pintian.*

Hermotimi Clazomenii, &c.] Sic eum Aristoteles primo Metaphysicorum appellat: item Lucianus in laudatione muscæ, et communis Græciæ nominatio. Verum Plutarchus maximæ auctoritatis scriptor *Hermodorum*, non *Hermotimum*, nuncupat, in libro de Dæmonio Socratis verbis: 'De Hermodori autem Clazomenii anima accepisti quo pacto e corpore egressa vagabatur per loca complura, deinde regrediebatur, cum et audisset et interfuisset multis quæ longe inde acciderant, quoad, uxoris proditione, inimici corpus illius, dum anima abesset, in suam potestatem redactum, domi exusserunt.' *Idem.*

Vagamque e longinquo multa annuntiare] Plato in Phædone pollutas et impuras animas, cum e corpore discesserint, circa monumenta et sepulchra vagari tradit. Quidam ejus auctoritate freti putant, eorum, qui mortem sibi consciverunt, post fatum animas cadaveri magis vinciri et adhærescere, illincque nata lemurum et Umbrarum terriculamenta. Virg. Æneid. iv. 'Et cum frigida mors anima seduxerit artus, Omnibus umbra locis adero.' Brod. v. 11. Magius iii. 5. de animarum post obitum recursu, et in

percussorem corporis odio, multa refert, quæstionem obscuram explicans et arduam. Quid causæ sit, cur præsente eo qui interfecerit ex ejus vulneribus qui occisus est sanguis manet? Homer. Iliad. I. 408. animam, quæ e corpore excessit, non amplius reverti his versibus docet: Ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λῃστὴ, Οὔθ' ἑλετὴ, ἐπεὶ ἄρ κεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων. Apud Plin. Jun. lib. VII. Epistolarum mirabilis est et terribilis historia domus pestilentis et infamis Athenis ob vagantem noctu senis umbram. Vide Magium IV. 12. Huc pertinet Miltiadis sepulchrum apud Pausan. et aliud in Lipara Æolica apud Arist. περὶ θαυμασίων ἀκουσμ. Ovid. Fast. II. 'Vix equidem credo: bustis exisse feruntur, Et tacitæ questi tempore noctis avi.' *Dalec.*

Aristæi etiam visam, &c.] Scribe *Aristeæ*, non *Aristæi*, ex Herodoto et Plutarcho in Romulo, et Suida, et gregatim omnibus qui Proconnesium hunc scriptorem *Aristeam* appellant, non *Aristæum*; ut erravit Plutarchi interpres, qui monstrato loco pro *Aristeam*, *Aristæum* vertit. *Pintian.*

Epimenide] De illo quidem Victorius XXIV. 1. Varro et Plutarchus quinquaginta tantum obdormisse tradunt. *Dalec.*

Rerum faciem mutationemque mirantem, velut postero experrectum die] Puto vitiatum esse ordinem verborum, scribendumque: *Experrectum velut postero die, rerum faciem mutationemque mirantem.* Pintian.

Huic malo] Ἀπνοίᾳ, spiritus et animæ interceptioni ac privationi. *Dalec.*

Conversione vulvæ] Sic vocat ὑστερικὴν πνῖγα Græcorum. Eo morbo vexatas fœminas ὑστερικῶς πνιγμένας Græci vocant. *Idem.*

Jussu ejus incisa cervice] Averrhoës, lib. VII. Physicon, tradit arietem se vidisse amputato capite huc illuc ambulantem. In Caria Jovis Hoplosimi sacerdos occisus, cum percussor ignoraretur, capite præciso Cereidam accusavit. Rhodig. III. 23. Apud Platonem in Politicis. Val. Max. lib. I. Clement. Alexand. lib. V. Stromaton. Eris Armenii filius, natione Pamphylius, multis acceptis vulneribus, inter mortuos ad decimum usque diem relictus, deinde duodecimo ad sepulturam sublatus, in rogo revixit, ac mira quædam sibi visa, dum exanimis jaceret, narravit. Leopard. IX. 2. *Dalec.*

CAP. LIII. *De mortibus repentinis.*

De quo diximus] Cap. 52. hujus libri. *Dalec.*

Mater pugna illa Cannensi] Vide Valer. Max. V. 12. *Idem.*

Kalend. Januarias] Quibus fiebant comitia consularia. Statum ea tempus non habuisse, sed ab eo Magistratu, penes quem tempore quovis ea constitit potestas, edicto significatum, notat Cl. Prævot. de Magistr. Rom. p. 94. et 101. Sed cum hoc tempore Kal. Jan. coss. anno præced. designati magistratum inirent, Quinctusque ad pridie Kal. Jan. ejus anni qui consulatum ipsius sequebatur fato concessisset, paucas tantum in horas ei suffici cupiebat Rebelius, non autem sequentem in annum cos. designari. *Idem.*

Rebilus paucissimarum horarum, &c.] Macrob. Satur. lib. II. de illo Ciceronis jocos refert: 'Uno die consulem fuisse: rostra cum ascendisset, honorem consulatus iniisse pariter, et expirasse: ὀλιγωρητέον fuisse, tanquam paucarum horarum: somnum toto suo consulatu non vidisse: hoc consecutum, ut quæreretur quibus consulibus consul fuisset: eo consule nihil mali factum. Sed ad eum consulem venientem, a nocte comprehensum: cum multi ad eum prehensandum et deducendum irent, properandum, priusquam ille occuparet sibi magistratum abrogare: eo consule neminem prandisse.' Sed et festive M. Otacilium Pitholaum, olim

Flamines diales fuisse, nunc consules diales fieri. Leop. III. 17. Macrobius idem et simile dictum de Vatinio refert, magnum ostentum ejus anno factum, quod nec ver, nec æstas, nec autumnus, nec hiems fuerit. Idem cap. 18. ejusdem libri. *Idem.*

Cornelius Gallus] Valer. v. 12. *Dalec.*

Felice russato auriga elato] Is Russatorum factionis fuerat. Aurigarum factiones vestis colore potissimum distinguebantur, XXXIII. 5. Nero publicis spectaculis arenam circi chrysocolla stravit, concolori panno aurigaturus. Russatus color, Ruscens Catonis, e viridi rutilus aut flavus. Turn. Advers. XVII. 8. Cassiodor. Var. Epist. III. 51. Xyland. ad M. Antonini Vit. p. 325. Fulv. Ursin. in Append. ad Ciacon. de Triclin. pag. 113. Fabr. Rom. c. 12. p. 155. *Idem.*

Jecisse sese, &c.] Lego, *Jecisse se, sed frivolum dictu.* Vide Dorleans in Tacitum, p. 26. a.

Frivolum dictu] Sic parvum dictu usurpat II. 7. *Dalec.*

Adversis studiis, &c.] Aurigis qui adversæ factionis seu adversarum partium erant. Quidam legunt, *adversis ludiis.* Idem.

Corruptum criminantibus] Mente alienatum. *Idem.*

Quem eventi anxietate diximus mortuum] Ambo nostri codices non *eventi*, sed *deverti*, agnoscunt. Scribo *diverti*, seu *divortii.* Nam superius cap. 36. ostensum fuit, M. Lepidum Apuleiæ uxoris charitate post repudium obiisse. *Pintian.*

CAP. LIV. *De sepultura.*

Non fuit veteris instituti] Cicero de Legib. lib. II. 'Hominem mortuum, inquit lex in XII. Tabulis, in urbe ne sepelito, neve urito. Credo, propter ignis periculum. Quod autem addit, 'neve urito,' indicat non sepeliri eum qui uritur, sed humari.' Tabulæ quidem earum legum anno 300. ab urbe condita scriptæ fuerunt, teste Gellio XX. 1. Apud Plut. Numa corpus suum uri vetat, itemque rogum vino aspergi cap. 12. 14. hujus operis. Ovid. Fast. IV. de Remi funere: 'Arsurosque artus unxit: fecere quod ille Faustulus, et mœstas Acca soluta comas, &c. Tunc juvenes nondum facti flevere Quirites: Ultima plorato subdita flamma rogo est.' Hæc omnia ostendunt antiquiorem cremandi corpora morem fuisse, quam Plinius censet. Quanquam a poëtis id per πρόληψιν scribi quidam volunt. Magius III. 10. Locum Romæ in quo plebeiorum et vulgarium hominum corpora comburebantur, Puticulos et Culinas appellabant. Cremandi morem sub Antoninorum imperio relictum et antiquatum fuisse tradit Alex. ab Alex. III. 2. magna diligentia omnia persecutus, quæ ad funerandi et sepeliendi cadavera leges pertinent. Vide Valer. Max. IX. 2. Rhodig. XVII. 19. 20. 21. *Dalec.*

Sepultus intelligitur quoquo modo conditus] Apud Jurisconsultos, de relig. et sumpt. fun. ex edicto divorum fratrum cavetur, ne inquietetur corpus sepulturæ traditum, hoc est, terra conditum, viderique terra conditum, etsi in arcula conditum sit, eo animo, ut non alio transferatur. Arcularum sepulchralium lapidearum mentio est apud Cassiodorum in epistola quadam regis Theodorici ad Danielem marmorarium lapidicidam. Senec. Epist. lib. I. 'In ipsa Scipionis Africani villa jacens hæc tibi scribo, adoratis manibus ejus et arca, quam sepulchrum tanti viri esse suspicor.' In Epitaphio An. Crestinæ: NE. QVIS. NOS. INQVIETET. EX ARCA. NEQVE. AB. ANTE. ALIAM PONAT. AVT. COMMVTET. Ræyard. Varior. II. 4. *Dalec.* *Sepultus intelligitur quoquomodo conditus, humatus vero humo contectus*] Hæc verba subdubito an sint Plinii, an vero alicujus grammatici, qui differentiam inter ea

duo verba in margine libri, ut fieri solet, notare voluerit. *Pintian.*

Humatus vero humo contectus] In ustrina mortui comburebantur: humabantur cum justa persoluta fuissent post Denicale sacrum, *sepulchro*, τῷ τύμβῳ, invecti. Siti vocabantur, imposito sepulchri titulo. Inferiarum et funerandi morem vide copiose a Vertranio explicatum commentario in lib. IV. Varronis de Ling. Lat. *Dalec.*

CAP. LV. *De Anima, vel de Manibus.*

Manium ambages] Manibus Diti et Proserpinæ sacros dies esse putavit antiquitas, quibus mundus patet, quod illis abdita et occulta religionis eorum numinum patefierent, et in lucem proferrentur, orcique fores, alias clausæ, iis aperirentur. Varroni autem mundus patet ter in anno: pridie Vulcanalia; tertio Nonas Octobris; sexto Idus Novembris. Gyrald. ex Varr. Alex. ab Alex. IV. 20. *Dalec.*

Nec magis a morte sensus ullus] Homer. Iliad. Ψ. Ὢ πόποι, ἦ ῥά τις ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισι Ψυχὴ καὶ εἴδωλον. Sic Cn. Mattius lib. XXIII. suæ Iliadis: 'An maneat specii simulachrum in morte silentum.' *Scaliger.* Plautus in Capt. 'Post mortem in morte nihil est quod metuam mali.' *Dalec.* Doctrina hæc seu sentina potius ex fœtulenta Epicuri schola hausta. Lucret. lib. III. 'Nunc age, nativos animantibus et mortalis Esse animos, animasque levis ut noscere possis,' &c. Primum autem Pythagoram apud Ethnicos animæ immortalitatem asseruisse notat Carrio Emend. II. 14. Aliter tamen Pausan. censente Messen. p. 142. Videatur et Plutarchus Consolat. Apollon. pag. 188. et Sympos. pag. 278. &c.

Manes colendo] Plinio Nepoti lib. VII. Epistolarum, manes condere, parentare, justa persolvere, quod Virg. Æneid. III. animam condere: 'Inferimus tepido spumantia cymbia lacte, Sanguinis et sacri pateras, animamque sepulchro Condimus, et magna supremum voce ciemus.' Ovidio condere umbras Fast. V. 'Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras, Et male veloci justa soluta Remo.' *Dalec.*

CAP. LVI. *Quæ quis invenerit in vita.*

Diadema] Quale diadema fuerit, et quæ insignia regum: corona, chlamys, et crepidæ, sceptrum, stola, cidaris, tiara, mitra, prolixe exponit Alex. ab Alex. I. 28. *Idem.*

Ceres frumenta] Quamobrem in ejus sacris placentæ, sesama, papaverum capita, et id genus alia mysticis cistis inclusa contrectabantur et offerebantur, nulla animalium cæde. Sacris iis qui initiabantur, hac formula religionem profiteri solebant, ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην: quod fuit occulti et arcani ejus mysterii σύμβολον. Had. Jun. ex Arnobio et Eusebio, VI. 28. Apud Pausaniam ea ficum arborem Pythalo prima ostendit: Ἔνθα δ' ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν Δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν, Ἣν ἱερὰν συκῆν θνητῶν γένος ἐξονομάζει, Ἐξ οὗ δὲ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως. *Idem.*

Glande vescerentur] Arcadas Pelasgus rex docuit glande vesci, tuguria, καλύβας, ædificare, pellibus vestiri. Inde βαλανηφάγοι Arcades in oraculo Pythiæ dato Lacedæmoniis: Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασιν Οἵ σ' ἀποκωλύσουσιν, ἐγὼ δέ τοι οὔ τι μεγαίρω. Arcas humaniorem vitæ rationem monstravit, nimirum panis usum, lanificiique, et texendæ vestis solertiam. Rhod. XVI. 3. *Idem.*

Molere] Pausanias in Laconicis Myletam, Lelegis filium, tradit in Alesia vico molam primo reperisse, et ejus usum in molendis frugibus do-

cuisse: indeque dictum vicum eam Alesiam, quasi pistrinam aut pistorium. *Idem.*

E Phœnice] Tyrios primos literas aut docuisse aut didicisse, tradit Q. Curt. lib. IV. *Idem.*

Palamedem adjecisse] Palamedem aiunt Υ literam invenisse ex ordine gruum volantium. Martialis: 'Turbabis versus, nec littera tota manebit, Unam si tollas, hinc Palamedis avem.' Φ, vero a figura crucis, quæ in inferiore parte ejus literæ spectatur: 'Hæc crucis effigies Palamedica porrigitur Φ.' *Scaliger in Auson.*

Simonidem' Melicum] E Cæo insula fuit Simonides, Melicus vero ἀπὸ τῶν μελῶν. *Dalec.*

Laterarias ac domos constituerunt, &c.] Legend. *Lateritias domos constituerunt primi Euryalus ac Hyperbius fratres Athenis, &c.* Agrolas ac Hyperbius homines Pelasgi, qui sub arce Athenarum habitarunt, muro eam cinxere. Pausan. Attic. accepta in extructi ejus mercede regione sub Hymetto quam colerent. Herodot. lib. V. Hos οἰκοδομητικῆς auctores indicare voluit Plin. Mutandum igitur alterutrius nomen. Vid. Reines. Var. Lect. II. 7. pag. 169.

Cyclopes] Virg. Æneid. VI. 'Cyclopum educta caminis Mœnia conspicio.' Nam ii fabricam ferrariam invenerunt, et munitiones oppidorum, ut Tyrinthes Pausaniæ, et quod quidam putant, Mycenarum. Turneb. XXVIII. 46. *Dalec.*

Æs conflare et temperare] Pausan. in Arcadicis Rhœcum Philæi et Theodorum Teleclis filium, ambos Samios, æs conflare et cudere primos docuisse tradit, a Theodoroque cælatum smaragdum, quo Polycrates Samius maxime delectabatur. *Idem.*

Ærariam fabricam] Ferri fundendi modum Theodorum Samium invenisse ex Pausania constat, et Rhod. scribit XVIII. 5. *Idem.*

Cyclopas] Cyclopas fulminis Jovis fabros Virgil. et Hesiodus Asteropen, Brontea, Argen nominant. Hos cum Apollo sagittis occidisset, quod Jovi fulmen cudissent, quo Æsculapium necaverat, cœlo depulsus Admeto famulari coactus est. Panyasis apud Clementem Alexandrinum, τλῆ δ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων Ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ θητευσέμεν εἰς ἐνιαυτόν. Leopard. II. 9. *Idem.*

Ferrum Hesiodus] Ferri ferruminandi rationem primum invenisse Glaucum Chium, Pausanias in Phocicis tradit. Strab. lib. XX. Idæi Dactyli ferrum primum fabricati sunt. Eidem l. XIV. Telchines primi ex ære et ferro varia opera fecerunt. *Idem.*

Prometheus] Pausanias non a Prometheo, sed a Phoroneo, ex Argivorum sententia, repertum ignem, et cum mortalibus communicatum, scribit. Vide Rhodig. XV. 14. et 15. *Dalec.*

Oleum et trapetas Aristæus Atheniensis] Diodorus quinto docet nos, *Cyrenensis* hic legendum esse, non *Atheniensis*, his verbis: 'Nunc Aristæi acta sequentur. Hic ex Apolline ac Cyrene Hipsei filia genitus est. De cujus genere quidam ita tradunt. Cum Cyrene apud Pelium virgo educaretur, Apollo ejus forma captus raptam virginem in Libyam detulit ad ea loca, in quibus postmodum civitas condita est ab ejus nomine Cyrene. Ex ea filium suscepit Aristæum, quem infantem tradidit Nymphis nutriendum, a quibus triplici nomine est appellatus Nomius, Aristæus, Agræus. Ab his nymphis cum lac coagulare, mel atque oleum conficere didicisset, primus ea in usum hominum traduxit.' *Pintian.*

Cretas catapultam] Ælianus inventam scribit in Sicilia a Dionysio tyranno: ideoque allata e Sicilia catapulta Græcum quemdam dixisse, ὤλετο ἀρετά. Siculos Machinalis scientiæ peritissimos fuisse ostendit Archimedes. Turn. XXIX. 18. *Dalec.*

Syros, Phœnicas balistam et fundam] Scribe conjunctim *Syrophœnicas*, tum ex vetusto utroque codice, tum ex geographis. Mentio et in Sacris Literis mulieris Syrophœnissæ. *Pint.*

Fundam] Ætolos Strabo invenisse scribit. Pollux fundam Acarnanum, qui Ætolis vicini sunt, laudat. Had. Jun. I. 2. *Dalec.*

Epeum ad Trojam] Septimius Florens inventum fuisse a Carthaginensibus ait; Vitruvius in oppugnatione Gadium id factum fuisse scribit. Vide Turn. VIII. 20. Adversar. *Idem.*

Pelethronium] Virgil. 'Frena Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere, Impositi dorso,' &c. Contra quam Plinius scribit, Lapithas Pelethronios Virgilius nominat, a Pelithronio Thessaliæ monte, quem incolebant, ubi primum domitos equos fuisse tradunt. Turn. Advers. XXI. 9. *Idem.*

Quadrigas Erychthonius] Cicero de Natur. Deor. lib. III. quadrigarum inventricem fuisse tradit quartam Minervam Jove natam, ex Coryphe Oceani filia, quam Arcades a matre Coryphasiam vocaverunt. Victorius XI. 15. *Idem.*

Tesseras] Idem scribunt et Philostratus in Heroicis, et Nazianzenus in I. στηλιτευτικῇ, Pausanias in Argolicis, cubosque abs se inventos consecrasse illum in Fortunæ templo. Sophocles in Palamede: Οὐ λιμὸν οὗτος τόνδ' ἀπῶσε, ξὺν θεῷ Εἰπεῖν, χρόνου τε διατριβὰς σοφωτάτας Ἐφεῦρε, φλοίσβου μετὰ κόπον καθημένοις, Πεσσοὺς, κύβους τε, τερπνὸν ἀργίας ἄκος; Polemonis ætate apud Ilium saxum monstrabatur, super quo Græci tesseras jacebant. Celebratur et ab auctoribus ἀβάκιον Παλαμήδειον. Plato tamen in Phædro Ægyptios invenisse ait numerandi ac calculos subducendi rationem, tum etiam πεττείαν atque κυβείαν. Hadrian. Jun. II. 4. *Idem.*

Ignispicia Amphiaraus, auspicia avium Tiresias Thebanus] Verbum *auspicia* desideratur in utroque exemplari. Reliqua sic lego, *ignispicia Amphiaraus aut Tiresias.* Nam si auspicia tribuas Tiresiæ, discordabit Plinius a seipso: supra enim auspicia assignaverat Cari. *Pintian.*

Somniorum] Quorum alia sunt ἀλληγορικὰ, alia θεωρηματικά. Ὀνειροκριτικοὺς libros de his præscitis scriptos vocant, ut οἰωνιστικοὺς augurales, et θυτικοὺς, de aruspicina. Clemens Alex. ἐν στρώμασι, Telmisseos narrat primos excogitasse, τὴν δι' ὀνείρων μαντικήν. Cicero quidem in Telmesso oppidulo Lyciæ excelluisse testatur aruspicum disciplinam, ut et Arrianus de Gest. Alex. lib. II. Hadr. Jun. cap. 18. eos recenset, qui suis scriptis eam artem illustrarunt. *Dal.*

Tibiam Midas in Phrygia] Vide notata infra ad XXXV. 8. Tibias porro funebres, quibus Næniæ, Lessi, Mortualia, θρηνῳδή sive θρηνητικὰ αὐλίσματα canebantur a præficis, quæ, ut ait Papinius, ficta pietate alienos dolores colunt, nec sua plorant funera, Phryges invenerant, nempe θρηνητικοὺς αὐλοὺς. Quamobrem apud Nonium Varro Pergameam præficam requirit, in voce 'Nænia.' Cares a Phryg. id didicerunt, unde Καρικὸν μέλος Polluci, et Καριναὶ Hesych. θρηνῳδοὶ μουσικαὶ, αἳ τοὺς νεκροὺς τῷ θρήνῳ παραπέμπουσαι πρὸς τὰς ταφάς. *Scaliger.*

Phrygios] Auditis illis semiviri Galli, matris Deum sacerdotes, in furorem quasi ex imperio agebantur, non item reliqui homines. Seneca Epist. CIX. Lucianus in Nigrino, Philostratus, Brodæus V. 13. *Dalec.*

Pyrrichen Pyrrhus] Aristoteli Achilles. Quidam ab ardore, id est, velocitate dictam volunt. Ardere enim festinare est. Poëta, 'Instant ardentes Tyrii:' ac rursum, 'Ardet abire fuga.' Nicolaus apud Stobæum, οἱ δὲ Κρητῶν παῖδες ἀγελάζονται κοινῇ, καὶ τὴν ἐνόπλιον πυῤῥίχην ἐκπονοῦντες, ἥντινα πρῶτος εὗρε Πύῤῥιχος Κυδωνιάτης, Κρῆς τὸ γένος. Pyrricha lusus et saltatio cum simulachro pugnæ, vel

equestris, Dioni πρύλις et ἱππασία, vel pedestris. Cujacius Observ. XIII. 10. Apud Apuleium l. x. Asini, pueri et puellæ Pyrricham saltant, dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrantes, nunc in orbe rotarum flexuosi, &c. Vide locum. *Dalec.*

Prosam orationem, &c.] 'Prosam orationem condere Pherecydes Syrius instituit,' &c. Et v. 29. 'Nec fraudanda cive Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit:' iisdem verbis eandem rem diversis locis, diversis auctoribus attribuit in eodem opere. Vide Salmas. pag. 840. b. 841. a.

Funebres Acastus] Romanis duplex funus fuit, alterum in quo adhibebantur ludi et desultores, indictivum: alterum, in quo ludi tantum, Simpludearium, quasi simplex. *Scaliger in Ausonium.*

Post eum Theseus in Isthmo] Legendum opinor, *Sisyphus in Isthmo;* non *Theseus,* auctore Pindari enarratore in argumento Isthmiorum. *Pintian.*

Pilam lusoriam] Lydos omnium primos pilæ, tesserarum, aleæ lusum, institoriam cauponariamque artem invenisse, aureum item et argenteum nummum primos cudisse, scribit Rhod. XXIV. 14. *Dalec.*

Gyges Lydius] Archetypum Toletanum, *Cynges, luctus,* ut forte scribi posset, *Cynges Lyctius,* ab urbe Lycto. *Pintian.*

Inventis in mari rubro] Navem primum a se inventam gloriatur apud Æschylum Prometheus: Θαλασσόπλαγκτα δ' οὔτις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ Λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα. Muret. Var. I. 11. *Dalec.*

Jasonem] Jasonem pro quovis ditissimo rege dixit Plautus in Pseud. 'atque adeo ut frumento afflnam, Ut civitas mihi nomen commutet, meque ut prædicet Lenone ex Ballione regem Iasonem.' *Idem.*

Thucydides] Φαίνεται δὲ, inquit, καὶ Σαμίοις Ἀμεινοκλῆς Κορίνθιος ναυπηγὸς ναῦς ποιήσας τέτταρας. *Dalec.*

Cyprii] Corcyræi interpreti Thucydidis: cujus opinionem utcumque asserit τοῦ Κερκούρου appellatio. Turn. XXIX. 18. *Idem.*

Vela Icarus] Hoc Dædalo tribuit Pausanias in Bœoticis. *Idem.*

Hippagum Samii aut Pericles Athenienses] Ambo exemplaria, *Hippagum Damias, aut Pericles Atheniensis.* Hippagines has vocat Festus, quibus equi vehantur, quas, inquit, Græci *Hippagus* vocant. *Hippagogus* appellat Aristophanes ejusque expositores in comœdia Hippis. Suidas quoque *Hippagogus.* Quid vero in hoc loco sibi velit Hermolaus, minime intelligo. *Pintian.*

Rostra addidit Piseus. Tyrrheni anchoram. Eupalamus eandem bidentem: Anacharsis Hippagonas, &c.] Præpostera punctorum interlocatio et lectionem, et sensum et rerum fidem depravavit, nonnullosque nostræ ætatis doctos alioqui viros in errorem invexit. Scribendum igitur sic: *Rostra addidit Piseus Tyrrhenus, Anchoram Eupalamus. Eandem bidentem Anacharsis.* De Piseo enim Tyrrheno hoc ipso capite supra Plinius. Bicipitem autem anchoram ab Anacharsi inventam, auctor est Strabo lib. VII. *Pintian.* Vide Rhodig. XVIII. 24.

Harpagonas et manus Pericles Atheniensis] Si sic legatur, duas res esse quispiam putabit, cum una tantum sit. Curtius lib. IV. 'Omnia belli apparatu strepunt. Ferreæ quoque manus, (harpagonas vocant,) quas operibus hostium injicerent, corvique, et alia tuendis urbibus excogitata præparabantur.' Proinde lego hic, *Harpagonas aut manus.* Pintian.

Classe princeps depugnavit Minos] Iis viribus, auctore Arist. lib. II. de Repub. insulas partim subegit, partim, oppidis conditis, populosas, et frequentes reddidit: ad extremumque cum Siciliæ bellum intulisset, ad Camicum oppidum, cui imperabat

Cocalus Dædali filius, *dolo interfectus est*, ἐδολοφονήθη. Victorius ex Strabone et Stephano XVI. 18. *Dalec.*

CAP. LVII. *In quo primus gentium consensus.*

CAP. LVIII. *De literis antiquis.*

CAP. LIX. *Quando primum tonsores Romæ.*

In Italiam ex Sicilia] Antea, ut apud Nonium Sisennas ait, immissa barba, id est, demissa, populus fuit. Vide Gell. III. 4. An. Hot. πωγωνίᾳ. *Dalec.*

Varro] XI. 11. *Idem.*

Primus omnium radi quotidie instituit Africanus] Eum, qui primus Athenis radi se passus est, per ludibrium Κόρσην vocatum fuisse Chrysippus scripsit. Hadrian. Jun. de Coma Alexis: Τί γὰρ αἱ τρίχες λυποῦσιν ὑμᾶς πρὸς θεῶν, δι' ἃς ἀνὴρ ἕκαστος ὑμῶν φαίνεται; Adductis ante Romam e Sicilia tonsoribus, juvenibus mos fuit barbam radere, et comam tondere: ad annum usque 40. postea vero minime. Alex. ab Alex. V. 18. *Id.*

CAP. LX. *Quando primum horologia.*

Post aliquot annos adjectus est et meridies accenso consulum id pronunciante, cum Curio, &c.] Florianus Senticensis, vir eruditissimus et antiquitatum Hispaniæ illustrator, alio modo legendum censet. Subjiciam autem ejus verba ex epistola quam ad me misit nono ferme ab hinc anno. Mitto, inquit, ad te pro hoc beneficio vicem ultimi capitis septimi libri historiæ naturalis emendationem, ubi cum de horologiis Romanis Plinius agat, statim a principio sic legitur: *Post aliquot annos adjectus est et meridies accenso consulum id pronunciante, cum Curio, &c.* In Gottico meo codice particulæ illæ, *id pronunciante*, non reperiuntur, sed tota dictio sic legitur: *Post aliquot annos adjectus est meridies a Cæso consule, dum ad Curiam inter rostra et Græcostasin prospexisset talem solis umbram e columna ærea qualem carcerem inclinato sidere supremum medontavit.* Hactenus Gottica lectio: in ultimis voculis duntaxat mendosa, sed ex qua veram facile elicias, sic videlicet: *Post aliquot annos adjectus est et meridies a Cæsone consule, dum ad curiam inter rostra et Græcostasin prospexisset talem solis umbram columna ærea, qualem ad carcerem inclinato sidere supremum medio notavit*, hoc est, in puncto medio quod esset inter umbras ad ortum et ad occasum supremum notavit solis sidus, id est, altissimum, et maxime sublime, quo tempore est meridies ubique. Cæterum Cæso Consul, de quo nunc agitur, is videtur esse, qui et T. Quintius Cæso dictus sit, C. Sulpitii Potiti collega, quorum magistratus in annum incidit Urbis conditæ, CCCCIV. non CCCCLXXVII. ut Plinii habet corruptus calculus, qui fuerit ante Christum natum annus CCCXLIV. Nam Cæsones alii consules fuerunt perplures: sed is primus Cæso post leges XII. tabulis scriptas. Infra etiam: *Nec congruebant ad horas ejus lineæ, paruerunt tamen ei annis undecim, &c.* Tu ex codice Gottico *annis undecentum* scribe. Quæ lectio vel hoc uno verior est, quod a Messalæ consulatu, quando horologium deportatum est, adusque consulatum Q. Martii Philippi, anni interfuere septem et septuaginta. Id quod in Cassiodori libello de Consulibus liquida computatione reperias. Gessit autem Philippus censuram annos aliquot post consulatum, ut jam tanto annorum interstitio natus esse non potuerit Valerio Messala consule: quod oportebat si non plus annis undecim censor fuit post Messalæ consulatum, ut habet impressa lectio Pliniana. Quæ tu omnia in Annotationibus tuis repones cum honorifica nostri mentione, qui tuus est candor, ut dum te noverit posteritas, noscant et juvenes amicos quibus cum vixeris, non omnino indiligentes. Quod si hæc forte placuerint, habebis et alia plurima et

docta pariter et jucunda. Vale. *Pintian.*

Cum Curio inter Rostra et Græcostasin, &c.] Legend. *quum ab Curia inter Rostra et Græcostasin prospexisset talem Solem.* Accensus Consulum quum ab Curia Solem prospiciebat inter Rostra et Græcostasin, meridiem pronuntiabat. *Salmas.*

A columna ænea ad carcerem, &c.] Sic legend. *a columna Mænia ad carcerem inclinato sidere supremam pronuntiavit:* ita quum eundem Solem prospexerat a columna Mænia ad carcerem radios mittentem, quod fiebat inclinato sidere, tum *Supremam* pronuntiabat. *Suprema* igitur dicebatur ante Solis occasum. *Idem* pag. 649. a, b.

Princeps Romanis solarium, &c.] Sic lege: *Princeps solarium horologium statuisse ante IIIdecim annos;* id est, ante tredecim. L. Papirius Cursor consul fuit, et ædem Quirini dedicavit anno urbis quadringentesimo septuagesimo quinto. *Idem ibid.*

Aqua] Per Clepsydram stillante: de cujus verbi notione vide Victorium XXII. 1. *Dalec.*

LIBER VIII.

Cap. i. *De animalibus terrestribus, elephantorum commendatio, et de sensu eorum.*

Quippe intellectus illis sermonis, &c.] Legend. *Quippe intellectus illis sermonis patrii, et in priorum obedientia officii, eorum quæ didicere memoria, amoris et gloriæ voluptas:* intellectus, inquit, illis sermonis patrii et officii in priorum obedientia, τοῦ καθήκοντος ἐν τῷ ὑπακούειν τοῖς πρεσβυτέροις. Priores ætate elephantos intelligit, quibus minores obedientiam præstant, officii intelligentes sunt in priorum obedientia. *Salm.* 305. b.

Intellectus illis sermonis patrii, et imperiorum obedientia, officiorumque, quæ didicere, memoria] Quid quæso dici potest expressius et elegantius? Est *illis imperiorum obedientia*, obsequium in rebus imperatis: legitima patiuntur imperia: accipiunt jussa et exsequuntur. Sive *obedientiæ* malis cum Chifletiano, a quo non facile recedendum: est *illis imperiorum obedientiæ memoria*, meminerunt jussa et illis obsequi, meminerunt obedire imperiis. Dein, est eisdem *officiorum, quæ didicere, memoria*, id est, operarum, laborum, ministeriorum; quæ agere, præstare consueverunt, qua in re inservire hominibus semel edocti sunt, pulchre callent. Tamen hæc displicent Salmasio. *Imperiorum obedientia*, inquit, vix est Latinum, nedum Plinianum. Ego vero qui magis id efferam Latine, non invenio. At veteres libri, qui sanioris scripturæ retinentissimi sunt, *in priorum obedientia*. Quid ergo ex *in priorum* mitius et minore cum violentia fingi potest quam *imperiorum?* Et tamen in manuscriptis suis sic lectum testis Gelenius. Commodius Salmasio: *in priorum obedientia officii, eorum, quæ didicere memoria;* et explicat illis esse intellectum *officii in obedientia priorum;* quod sit, minores obedientiam præstare ætate prioribus. Quid potest esse distortius? Posse et legi ait *officium;* et hanc pulcherrimam emendationem vocat ad Solin. p. 305. Judicet lector. *Gronov.*

Amilo] Dion ait pergere πρὸς ὕδωρ ἀείναον, *perennem aquam.* Vetusti codices habent *Annulo*, quæ vox a Græca ἀείναος fortassis depravata est. Rhodig. x. 18. Primus ex Europæ regibus Indis victis elephantos Alexander habuit: plurimos Antigonus: multos Pyrrhus in prœlio captos superato Demetrio, quos Romanis objecit. Idem Rhod. xxii. 20. *Dalec.*

Atque ita salutato sidere in silvas reverti] Id est, salutata luna. *Salmas.* p. 306. a.

Cap. ii. *Quando primum juncti.*

Arma jacere non auferentibus ventis] Velut quadam prælusione, more pilariorum et ventilatorum, ea quæ emiserant, ut scribit Quintilianus lib. x. ita librantium, ut venire in manus viderentur, et qua juberent, decurrere. Rhodig. c. 8. Vide quæ adnotata sunt infra ad finem lib. xxxvi. *Dalec.*

Aut lasciviente pyrrhiche colludere] Est autem πυῤῥίχη saltationis genus Cretensibus imprimis familiare. *Gelen.*

Cap. iii. *De docilitate eorum.*

Funibus subire] Apud Labeonem

Jurisconsultum his verbis: *Si per catadromum servus curreret*, funis protensus intelligitur, per quem histriones ac etiam elephanti ingrederentur ac currerent. Apud Suetonium, in Nerone, notissimus eques Romanus, elephanto supersedens, per catadromum decurrit. Brod. III. 6. *Dalec.*

Cornua] Varro quoque de Ling. Lat. lib. VI. esse cornua putavit. Qua de re infra ad c. 10. *Idem.*

Dentes] Juvenalis Sat. XI. 'Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes, Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus, Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu, Jam nimios, capitique graves.' *Idem.*

CAP. IV. *De clementia eorum, et quod pericula sua intelligant, et de tigridis truculentia.*

Mirum in plerisque animalium, &c.] Lege: *Mirum in plerisque animalium scire quare petantur, sed et fere cuncta quid caveant.* Vide Salmas. p. 306. b.

Iras proflare, nec calcare, sed erutum proximo tradere] Constantius Fanensis non *erutum* hic, sed *cretum*, scribit, sensum Plinianis verbis accommodans parum, ut sentio, congruentem, cum tamen et Romana et cætera impressa exemplaria, Salmanticensis item codex, *erutum* habeant. Hermolaus quoque *erutum*: propius veram lectionem, sed sensu inepto et falso. Apogr. Tolet. eximie hic, ut in plerisque omnibus, *derutum* agnoscit. Petendusque est sensus horum verborum ab Æliano, libro de Natura Animalium primo, ubi de Elephantis ad hunc modum disserit: 'Tum etiam sagacissime odorantur, tum acerrimis sensibus existunt, tum vero ex his partim antegredientes, partim subsequentes ordinatim eunt. Atque horum primus narium sagacitate herbam, ante pedes suos positam, sentiens humanis vestigiis esse transitam, eam evellit, et ei qui a tergo proximus odorandam tradit. Is rursus alteri qui post eum stat, ac deinceps per omnium quasi manus sagaciter contrectatur, quoad ad illum ipsum qui extremum agmen ducit, perventum fuerit. Is simul ac olfecerit, barritum vastum edens, quasi signum ad fugam dat.' *Pintian.*

Nudorum quidem pedum] Sed calceis tectorum, qui efflatum humani corporis impediunt. *Dalec.*

CAP. V. *De intellectu et memoria eorum.*

Novere ea] Cognomina. *Dalec.*

Mas quinquennis] Aristot. Histor. VI. 27. non nisi post vigesimum annum coire, aut gignere tradit. *Idem.*

Initur autem biennio] Scribendum videtur, *Initur a triennio*, hoc est, post triennium exactum, ex Aristot. Hist. Animal. V. 13. 'Coitum,' inquit, 'triennio interposito repetit.' Nec me fugit in Solino *biennio* etiam legi. *Pintian.*

Cum Bocchus rex] Seneca de Brevit. Vitæ, c. 13. *Dalec.*

CAP. VI. *Quando primum in Italia.*

Elephantos Italia primum vidit] Manium Curium Dentatum victis Pyrrho, Sabinis, Samnitibus primum in triumpho elephantos duxisse scribit Seneca de Brevit. Vitæ, cap. 13. *Idem.*

In Lucanis visos] Varro de Ling. Lat. lib. VI. nec a Libya, nec a Lucania dictos putat, sed a luce, quod longe relucebant propter inauratos regios clypeos, quib. turres eorum ornatæ fuerunt. *Idem.*

Victoria L. Metelli Pontificis] Hanc ob causam in multis denariis antiquis, Metellorum gestas res indicantibus, nunc elephas unicus impressus fuit, nunc ad currum juncti duo, cum Imperatore stante, quem coronat victoria, nunc sub biga, cui insidet Imperator, Elephanti caput. Ursinus 38. *Idem.*

Centum quadraginta duo fuere] Adde ex utroque exemplari: *Aut ut quidam, centum quadraginta.* Sic capite sequenti: 'Pugnavere in circo XX.

aut, ut quidam tradunt, XVII.' Verum de numero horum elephantorum parum sibi auctores constant. Livius, in Epitome libri decimi noni, CXX. fuisse tradit; L. Florus, libro secundo, centum circiter asserit. Paulus Orosius lib. IV. CIV. Eutropius CXXX. Seneca de Brevitate Vitæ CXX. cum Livio. *Pintian.*

CAP. VII. *Pugnæ eorum.*

Dimicare inter se coëgisset] Val. IX. 2. *Dalec.*

Ædilitate curuli] Scenam in iis ludis magnam picturæ admirationem habuisse traditur infra XXXV. 4. *Idem.*

Pugnavere in circo XX. aut ut quidam tradunt, XVII.] Scribo, *Aut ut quidam tradunt, XVIII.* Seneca in libro de Brevitate Vitæ: 'Num et Pompeium primum in circo elephantorum duodeviginti pugnam edidisse, commissis more prælii noxiis hominibus, ad ullam rem bonam pertinet?' *Pintian.*

Pugnavere et Cæsari dictatori] In denarii antiqui altera parte cusa sunt flaminis dialis insignia, albogalerus, secespita, aspergillum, sympulum, in altera elephantus serpentem obterens cum his literis: CAESAR; nempe ad ostendendum et celebrandum spectaculum id elephantorum. *Dalec.*

In consummatione gladiatorum] Absoluto et consummato gladiatorio munere, fine gladiatorii spectaculi, velut corollarium ad concludendos finiendosque ludos. Rhodigin. tamen XI. 11. exponit adversus gladiatores jam consummatos, emeritos, rude donatos, manumissos, longa digladiandi consuetudine confirmatos, et animosiores, qui præmiorum magnitudine interdum in harenam et ludorum certamina revocabantur. Ego vero intelligendum arbitror simplicius, singulos elephantes dimicasse, cum gladiatores pugnare desiissent. Vide Turn. XXX. 33. Lips. Saturn. II. 16. *Idem.*

Occurrentia manu dimoveat] Turbam dimovere dicitur, qui viam sibi in turba manu facit. Malo legere: *in grege pecudum occurrentium, manu dimovet;* id est, cum grex pecudum occurrit, et conferta pecorum multitudo, manu dimovet, gregem scilicet: dimovetur grex aut turba cum in duas partes finditur viæ faciendæ. *Salmas.* p. 307. a.

Ac velut imperio ac ratione per vices subeunt] Ambo exemplaria scripta, et Romana, ac reliqua omnia excusa, non *ac ratione* habent, sed *aut ratione:* neutra mihi lectio satisfacit. Perspecto itaque diligentius loco, legendum arbitror: *Ac velut imperio auctorati, onus per vices subeunt.* Toletanum tamen Archetypum non *subeunt*, sed *subeuntes*, præfert. *Pintian.*

Hordei succo] Ptissana. πτισσάνῃ τραφέντα. *Dalec.*

CAP. VIII. *Quomodo capiantur.*

Capiuntur autem in India] Aliam capiendi domandique rationem vide apud Strab. lib. XV. *Dalec.*

Antea domitandi gratia greges equitatu cogebant in convallem] Scribo contra omnia exemplaria, *Antea militandi gratia, reges equitatu cogebant in convallem.* Probant fere hanc correctionem verba, quæ infra habentur cap. 10. 'Domiti militant, et turres armatorum in hostes ferunt.' Est igitur increpatio morum: antea militandi gratia, nunc dentium, ad delitias. *Pintian.*

Cujus inclusos ripis fossisque fame domabant] Lego *euripis*, non *ripis*, ut capite præcedente: 'Qua de causa Cæsar dictator postea simile spectaculum editurus euripis arenam circumdedit.' *Idem.*

CAP. IX. *Quomodo domentur.*

Domantur autem rabidi fame et verberibus, elephantis aliis admotis] Iterum mihi cum Constantio Fanensi negocium est. Is in sua centuria, non *elephantis aliis*, legendum in Plinio affirmat, sed *elephantarchis*. Cui, ut

non assentiar, sunt causæ, tum quod omnis vetus et recens refragatur lectio, quod in superioribus bis mentione facta rectoris non elephantarcham, sed rectorem appellavit: deinde quod sicut in captura mansueti adhibentur ad verberandos feros, ut proximo capite relatum est, et confirmant Aristoteles, Strabo, Ælianus, sic rationi consentaneum videtur, ut in domitura eadem utantur arte, qui illos mansuefaciunt. Accedit novissime Aristotelis auctoritas, qui eos ita domari prodit VI. 19. 'Elephanti,' inquit, 'ad coitum efferari solent, quam ob rem apud Indos his haudquaquam initum permitti aiunt. Libidinis enim rabie agitati casas prosternunt male conditas, pluraque alia incommoda faciunt. Mitigari pabuli copia narrantur. Plagis etiam temperant, adductis aliis quibus ferire præcipiunt.' *Pintian.*

Elephantis aliis admotis] Arist. Histor. VI. 19. *Dalec.*

CAP. X. *De partu eorum et reliqua natura.*

Decem annis gestare in utero vulgus existimat] Plautus in Sticho: 'Audivi sæpe vulgo a multis dicier, Solere elephantum gravidam perpetuos decem Esse annos: ejus ex semine hæc certo est fames.' *Dalec.*

Maxime odere murem] Suem odisse, non murem, scribit Ælianus Hist. VII. 31. et XVI. 36. Plutarchus: Εἰκότως δὲ καὶ τῷ λέοντι πρὸς τὸν ἀλεκτρυόνα, καὶ τῷ ἐλέφαντι πρὸς τὸν ὗν, μῖσος ἰσχυρὸν γεγεννηκέναι, καὶ τὸν φόβον. Deceptus est Plinius affinitate vocum ὗς et μῦς. *Constantinus Robertus.* Cæterum auctor sub finem præcedentis capitis suis quoque minimo stridore terreri scribit. *Dalec.*

Durissimum dorso tergus] Hinc Plauti jocus in Milite: 'Herus meus elephanti corio circumtectus est, non suo: Neque habet plus sapientiæ, quam lapis.' *Dalec.*

Dentibus ingens pretium] Cornua esse, quos dentes vocant, multis rationibus probare conatur Pausanias, quas Rhodiginus repetit XIII. 18. Et Jubam ejusdem fuisse sententiæ supra cap. 3. attigit auctor. *Dal.* Contrarium sentit Ovid. ex Ponto IV. 'Et totum Numidæ sculptile dentis opus.' Vide sis Jacobi Palmerii Exercitationes nuper editas ad Pausaniæ Eliaca, p. 395. ubi prolixe hanc quæstionem tractat.

CAP. XI. *Ubi nascantur, et de discordia eorum et draconum.*

Tantæ magnitudinis, ut et ipsos circumflexu facili ambiant] Converte verba: *Tantæ magnitudinis et ipsos, ut circumplexu facili ambiant.* *Circumplexu* enim legunt, non *circumflexu*, ambo exemplaria: et sic esse legendum Plinius ipse paulo post ostendit, cum dicit: 'Victusque corruens complexum elidit pondere.' Item pro verbo illo *facili*, in eisdem *faciunt* habetur, ut non absurde *fasceatim* pro *faciunt* substituere posses. *Pintian.*

Commoritur ea dimicatio, &c.] Leg. *Commorituris dimicatio vict. &c.* *Salm.*

CAP. XII. *De solertia animalium.*

Mira animalium pro se cuique, &c.] Lege: *Mira animalium pro se cuique solertia, ut hic una lacessendi tantam altitudinem difficultas draconi: itaque iter ad pabula speculatus, &c.* Mira, inquit, animalibus solertia in vitandis ac declinandis quæ contraria sunt, et sectandis quæ utilia; ut heic in pugna elephantis et draconis, una difficultas draconi adoriendi ac lacessendi tantam altitudinem, quum animal sit per humum repens. Quid igitur facit ut hanc difficultatem evincat? speculatur iter quo ad pabula eunt elephantes, ex alta arbore se injicit. *Salmas.* 307. b. 308. a. *Mira animalium pro se cuique præcipua solertia est*] Adde particulam *que*: *præcipuaque solertia est*, ex eisdem: in Toletano tamen verba illa, *pro se cuique*, non leguntur. *Pintian.*

Ut iis una scandendi in tantam alti-

tudinem difficultas. Draco itaque] Idem exemplar non *Draco* præfert, sed *Draconi*. Totum ergo hoc cæsum aliter lego et interpungo: *Ut his una, scandendi in tantam altitudinem draconi; nam verbum difficultas*, adjectivum, ut puto, sensum alioqui perspicuum conturbat, difficilemque reddit: posset etiam non absurde legi, *Ut ex imo scandendi, &c.* Idem.

Itaque iter ad pabula speculatus] Exemplar Salmant. *Itaque ut tritum iter ad pabula speculatur*. Commodior fortasse lectio sit: *Itaque ut itantem ad pabula speculatur;* ut lib. IX. de delphinis: 'Divo autem Augusto principe Lucrinum lacum invectus, pauperis ejusdem puerum ex Baiano Puteolos in ludum literarum itantem.' *Idem.*

Itaque arborum aut rupium attritum, &c.] Lege, *arborem aut rupem adfrictui quærunt;* arborem quærunt aut rupem cui se adfricare possint, ad dracones atterendos. *Salmas.* 308. a.

Quam quis aliam tantæ discordiæ causam, &c.] Leg. *Qua quis aliam tantæ discordiæ causam attulerit, nisi naturam spectaculum sibi ac paria componentem? est et alia dimicationis hujus fama elephantis frigidissimum, &c.* Natura, inquit, causa est tantæ discordiæ, quæ spectaculum sibi parat et paria componit: quam quis aliam causam attulerit? est alia tamen dimicationis hujus: aiunt elephantis frigidum esse sanguinem qui expetitur a draconibus. *Salmas.*

Paria componentis] Apogr. Tolet. *componentem*, non *componentis*. Quod si admittimus, *naturam* scribendum habebimus, non *naturæ;* nam et Salmant. codex *natura* legit, non *naturæ*. Et in eodem ac Romana impressione, *spectaculum sibi ac paria* habetur. *Pintian.*

Quamobrem in amnes mersos, &c.] Lege: *Quamobrem in amnes mersos insidiari bibentibus, arctiusque illigata manu morsus in aurem defigere.* Salm. p. 308. a. b.

CAP. XIII. *De draconibus.*

CAP. XIV. *De serpentibus maximis et bois.*

Megasthenes scribit] Apud Strabonem lib. XV. Onesicritus refert apud Abisarum Indiæ regem duos fuisse dracones, alterum pedum 140. alterum 80. Nearchus autem visam viperam fœminam cubitorum sedecim. *Dal.*

Bagradam] Nunc *Megarada*. Vide Val. Max. lib. I. cap. ult. Liv. XXIX. Decad. primi belli Punici. Nam Senecam non dubito huc spectasse lib. I. de Clement. cap. 25. his verbis: 'Lenis et privata pernicies non solas urbes movet. Quod late furere cœpit, et omnes appetit, undique configitur. Serpentes parvulæ fallunt, nec publice consequuntur: ubi aliqua solitam mensuram transit, et in monstrum excrevit, ubi fontes potu infecit, et si afflavit, deurit, obteritque quacunque incessit, balistis petitur.' *Dal.*

Appellatæ boæ] Talis draco fuit, qui Lanuvii colebatur et alebatur a virgine, memoratus a Plutarcho in Parallelis, et a Propertio IV. 8. signatus in vetusti denarii Romani altera parte, cum virgine cibum oblatura, canistro ad cingulum suspenso. *Idem.*

Aluntur primo bubuli lactis succo] Apogr. Tol. et Salm. non *primo*, sed *trimo*, agnoscit, hoc est triennio: quam recte, libera sit æstimatio. *Pintian.*

CAP. XV. *De Scythicis animalibus, et Septentrionalibus.*

Jubatos bisontes] Ælianus IV. 44. Bisontem describit, eumque unico tantum cornu armatum esse tradit. De iisdem eorumque venatione Pausanias in Phocicis. *Dalec.*

Vituli potius cervive] Rangiferos his describit: cornutos equos ex antiquis scriptoribus nonnulli vocarunt. Strabo lib. XV. equos in India unicornes esse tradit ex Megasthene, et

cervi capite. *Dalec.*

Septentrio fert et equorum greges ferorum] Nascuntur et in Africæ vastis solitudinibus equi feri, quorum historiam, mores, naturam, venationem, capturam Joannes Leo suis de Africa libris diligenter exposuit. Medicinam ex iis vide infra XXVIII. 18. Fert et India Æliano de Animal. XVI. 9. *Idem.*

Item notam in Scandinavia, &c.] Lege: *Item natam in Scandinavia insula, nec unquam visam in hac urbe, multis, &c.* Salmas. 232. b.

Labrum ei superius prægrande. Ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens involvatur] Hæc verba non ad Machlin attinent, sed ad Alcem, si Solino credimus cap. 22. Itaque illuc transferri debent, ubi paulo ante de Alce agebatur. Legendum itaque hoc pacto: *Præterea Alcem, ni proceritas aurium et cervicis distinguat, jumento similem. Labrum ei superius prægrande, &c.* Pintian.

Quæ bonasus vocetur] Arist. Hist. II. 1. vocat βόνασσον· libro vero περὶ τῶν θαυμασίων ἀκουσμ. eam vocat βόλινθον· item Hist. IX. 35. vocat et βόνασσον et μόναπον, quæ ultima vox est Pæoniæ incolarum. *Dalec.*

Reddentem in ea fimum, interdum et trium jugerum longitudine] Aristotelis, a quo locus hic tralatus est, verba sunt ex libro nono, cap. 45. de bonaso: 'Cum percussus est, fugit: nisi defatigatus, nunquam consistit: repugnat calcitrans, et proluviem alvi vel ad quatuor passus projiciens; quo præsidio facile utitur, et plerunque ita adurit, ut pili insectantium canum absumantur.' Ex his Aristotelis verbis planum fit, non *trium* apud Plinium legendum esse, sed *quatuor*. De cætero discrimen tralationis inter Plinium Theodorumque attulit ambiguitas verbi Græci *orgyla:* quod tum jugerum significat, tum etiam passum ulnamque. Plinio prior significatio magis placuit, Theodoro posterior. Cui subscribunt, modo non sit mihi fraudi inconditos et barbaros scriptores interdum citare, Albertus Magnus libro de Animalibus octavo, capite primo tractatus V. et Avicenna libro etiam octavo, capite septimo. A quibus in hac parte, quod cum bona Plinii venia dictum sit, magis sto, quam ab ipso Plinio, tanto alioqui inter illos Pliniumque interstitio, aut potius chao. *Pintian.*

CAP. XVI. *De leonibus.*

Leoni præcipua generositas] Leones Porphyrius dictos vult παρὰ τὸ λάω, vel λεύσσω, quod acerrimo sint visu: σμερδαλέους vocat Homerus ab oculis radiantibus; nam μέρδειν μαίρειν significat, *lucere, splendere.* Dalec.

Aut longius comitatur] Ne propius accedens odore crimen suum prodat. *Idem.*

Semel autem edi partum] In Æsopi fabulis, leæna vulpi glorianti multos se fœtus edere, unum respondit se tantum parere, sed leonem. Herod. lib. III. et Gellius hanc fabulam in vulgus sparserunt. Apud Philostratum, ingens leæna octo catulos in utero gestare comperta. Idem auctor scribit, leænam sex mensibus uterum ferre, parere ter, primum tres, post duos, ac unum postremo. Rhodigin. XXIX. 9. *Idem.*

Ac per annos singulos uno minus, &c.] Legend. *ac per annos singulos minus ab uno sterilescere.* Salmas. p. 325. b.

Nec minus halitum] Hinc putant quidam vetulæ pudendum mucidum jam ac fœtens a Martiale dici leonem, hoc versu: 'noli, noli, Barbam vellere mortuo leoni.' Ob hanc causam Catullo Cæssius 'leo' dicitur hoc versu: 'Cæssio veniam obvius leoni.' Non, ut vulgo legunt, 'Cæsio.' Nam Græcis καίσσειν *cacare* est. Inde 'Cessale' privata et familiaris sella, Italis *Cesso.* Apud Plautum in Menæch. Leoninum cavum domus est in qua mulier habitat gravem halitum et virosum spirans: 'Etiam nunc

concede audacter ab leonino cavo.' *Dalec.*

Ut si fugiendum sit, non in satietatem abeant] Cod. Tol. *Aut si fugiendum in satietate habeant*, eximie. Quidam scribunt: *Ut si fugiendum sit, non satietate habeant.* Quæ lectio, etsi non displicet, non tamen perinde atque superior placet, quam et Solinus confirmare videtur cap. 29. his verbis: 'Tum quod carnes justo amplius devoratas cum gravant, insertis in ora unguibus sponte protrahunt. Sane et cum fugiendum est in satietate, idem faciunt.' *Pintian.*

Quod plerique dentibus defecti reperiantur] Aristoteles IX. 44. de leonibus loquens, 'Vivere,' ait, 'annos multos putantur: et quidem qui captus est claudus, dentes complures fractos habebat. Quo argumento quidam leonum vitam longam esse existimarunt: haud enim hoc accidere, nisi longo tempore potuisse.' Ex his Aristotelis verbis censeo hic scribendum, non *plerique*, sed *plerisque*: nec *defecti*, sed *defractis*. Idem.

Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum] Locutio quidem hæc usitata Plinio, ut hoc ipso volumine, c. 36. 'Cerebro veneficium inesse Hispaniæ credunt,' et alias sæpe. Nihilominus subdubito num hoc loco non *Libya* scribi debeat, sed *Juba*: ut supra cap. 13. 'Id mirum, unde cristatos Juba crediderit.' Idem Solinus cap. 29. *Juba* in Plinio videtur legisse, non *Libya*. Sic enim ait, 'Getulæ etiam mulieris nomen Jubæ libris comprehensum est, quæ obtestata occursantes feras, impune rediit.' Hoc si recipimus, legendum erit paulo post, *audivit*, non *audivi*, ut ad eundem Jubam referatur. *Idem.*

Cæterisque imperantis] Scribe, *Ac cæteris imperitantis*, ex utroque exemplari; ut infra cap. 38. 'Quo gustato tanta illis vis est, ut cæteris quadrupedum imperitans illico spiret.' *Id.*

Quippe ubi etiam serpentes, &c.] Legend. *quippe ubi jam serpentes extrahi cantu, cogique in pœnam verum falsumne sit, vita decreverit*: an feræ mulceantur alloquiis variam opinionem esse dicit, ex cujusque ingenio vel casu: præsertim cum jam vita decreverit, verum falsumne sit, serpentes protrahi cantu et cogi in pœnam. *Vita decrevit*, ὁ βίος κέκρικεν, communis scilicet hominum consensus sanxit. *Salm.*

Extrahi cantu] Atque adeo rumpi. Virg. 'Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.' Ovidius: 'Vipereas rumpo et verbis et carmine fauces.' Horatius: 'Caputque Marsa dissilire nænia.' Turn. XXX. 39. *Dalec.*

Namque et has notas generosissimo cuique natura tribuit] Dicit generosissimo cuique animalium hujusmodi notas insitas a natura, quales leoni et equo. *Salmas.*

Immota ergo placidus, &c.] Lege: *immota ergo placido, clemens blandienti.* Dicit immotam esse caudam leoni placido, clementem autem blandienti. *Clemens cauda* quæ in leni et blando motu est, ἡ προσηνής. Et sic lege sequentia: *clemens blandienti quod rarum est, crebrior enim iracundia, cujus in principio terra verberatur, incremento terga, seu quodam incitamento flagellantur.* Idem.

Spernens tela diu se terrore solo, &c.] Lege: *Quod spernens tela diu se terrore solo tuetur, ac velut cogitat statum*; tantum abest a timore, ut diu terrore se tueatur, ac terreat potius quam timeat: tantum vero abest a fugiendi voluntate, ut statum velut cogitet, ut de resistendo potius cogitet, quam de fugiendo. 'Status' verbum pugnatorum: hinc 'statu dimovere,' 'statum componere:' sic et 'cogitare secessum,' &c. Quod sequitur, sic lege: *Velut abscondens rem turpem loco. Dum sequitur, insilit: saltu in fuga non utitur.* Idem.

Spernens tela diu se solo terrore tuetur, ac velut cogi testatur] Salmasio ad

Solinum pag. 326. non magna in eo generositas videtur, quod *cogi* potest; multo minor, quod *cogi se testatur;* præterea *cogi* absolute positum in ea significatione, quæ ibi desideratur, vix Latine reperiri: natam autem sibi emendationem ex ipso ductu literarum: *ac velut cogitat statum.* Miror, quid tandem ei Latinum sit. *Velut cogi testatur*, est, parvula mora velut antestatur; nam ad eum morem vim facturorum juris causa omnino alludit; quasi testes facit præsentes, se ad vim inferendam contumeliis non ferendis invitum adigi; non temere, non quasi promptum ad injurias prosilire. Quod etiam generosissimorum hominum et populorum est in bellis suscipiendis, aut propulsanda invadentium lascivia et temeritate. Ovid. Met. II. 'At pater omnipotens Superos testatus, et ipsum, Qui dederat currus, nisi opem ferat, omnia fato Interitura gravi.' Quid hoc aliud quam testatus se cogi? Apud eundem, lib. v. 'Quoniam, dixit, certamine vobis Supplicium meruisse parum est, maledictaque culpæ Additis, et non est patientia libera nobis; Ibimus in pœnas, et, qua vocat ira, sequemur.' Testatur se cogi, id est, testatur non esse sibi patientiam liberam. Nec vero eidem Salmasio aut Pintiano accedimus pro nec sano nec Pliniano delentibus quæ sequuntur: *cooriturque non tanquam vi coactus, sed tanquam amentiæ iratus;* sunt enim et hæc magnifica pariter et elegantia: tandem impetum facit, non ut metuens sibi, sed ut succensens stultitiæ lacessentium. Quid aliud apud Statium Jupiter Theb. lib. x. in Capaneo: 'ipse furentem Risit, et incussa sanctarum mole comarum, Quænam spes hominum tumidæ post prælia Phlegræ? Tune etiam feriendus? ait.' Par exemplum Neriades ille apud Samnelem II. 2. Sed in Mss. est *cogiturque*, et *amentia*. Recte igitur sic, ut editur, restitutum est, nec potest quidquam propius vestigia veterum librorum reperiri. *Gronov.*

Amentiæ] Illorum, qui invadentes lacessunt. *Dalec.*

Illa nobilior animi significatio] De leonum moribus et ingenio perquam multa Rhod. XIII. 8. et 19. *Idem.*

Insilit saltu] Theocritus in Hercule leonis interfectore, Idyll. XXV. τηλοῦ δὲ μιῇ πήδησεν ἐφ' ὁρμῇ. *Dalec.*

L. Sylla] Seneca de Brevit. Vitæ cap. 13. auctor est Syllam in Circo leones solutos dedisse, cum alioqui alligati darentur, ad conficiendos eos missis a Boccho rege jaculatoribus. *Idem.*

Cum dimicatum esset in Pharsalicis campis] An id verum sit, exquirit et pensitat Victorius XVI. 3. qui et legendum putat apud Ciceronem Philippica II. 'Sequebatur rheda cum leonibus,' comites nequissimi, non 'lenonibus.' *Dalec.*

Prodigio significante] Elegans graveque dictum Senecæ, magnis telis magna portenta feriri, fabula leonem non excipi. *Idem.* *Et ostendere mansuefactum*] Plutarchus ἐν τοῖς πολιτικοῖς παραγγέλμασι tradit, eum leonem in castris habuisse σκευοφόρον, ideoque solum vertere coactum, quod ad tyrannidem adspirare id argumento foret. *Idem.*

Mentor Syracusanus in Syria leoni obvio] Gellius v. 14. *Idem.*

Præcipuus votorum locus est] Sic vetustus Homeri scholiastes δυστυχίας ἐπίτασις, καὶ σωτηρίας ἀπόγνωσις, εὐχὴ θεῶν. Victor. XXVIII. 14. *Idem.*

CAP. XVII. *De pantheris.*

Servatum a dracone narrat] Ælianus id prolixe narrat VI. 63. de Animalibus. *Dalec.*

Cum essent expositi] Χαμαιῤῥιφεῖς, χαμεύνεται: qui hos tollit et educat, inventor est, ac nutricius. Inventi enim proprie dicuntur. *Idem.*

Panthera et tigris] Inde tigrinæ et pantherinæ mensæ, XIII. 15. Apud

Plautum in Epidico, cum Epidicus dixisset varie se valuisse, festive respondit Thesprio: 'qui varie valent, Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.' *Idem.*

Odore earum mire solicitari] Vide Theophr. Caus. 5. et 26. *Idem.*

Senatusconsultum fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere] Ibi enim per Africanas solas pantheras intelligit. *Salmas.* Hist. Aug. 371. b.

Cn. Aufidius Tribunus plebis] Cnei Aufidii civis Romani, oculis capti, qui cum eorum sensu careret, ne atrum ab albo posset discernere, videbat tamen in literis, et Græcam historiam scribebat, meminit Cicero Tuscul. lib. IV. Victorius III. 20. *Dalec.*

CAP. XVIII. *De tigridis natura, et camelis, et camelopardali, et quando primum visa Romæ.*

Velocitatis tremendæ, et maxime cognitæ, &c.] Sic interpunge: *velocitatis tremendæ et maxime cognitæ dum capitur totus ejus fœtus qui semper numerosus est. Ab insidiante rapitur equo quam maxime pernici, atque in recentes subinde transfertur.* Salmas. De tigri loquitur. p. 210. b.

Ocyor acta remeat] *Remittit*, non *remeat*, præfert exemplar Toletanum: hoc est, restituit, reponitque catulum in cubili. *Pintian.*

Camelos inter armenta pascit Oriens] Artemidorus primo Onirocriticôn, ex Eunæni sententia in Eroticis, Camelos dictos vult, quasi καμμήρους, ὅτι βαδίζοντες μέσους τοὺς μήρους κάμπτουσι. Rhodig. VII. 18. *Dalec.* *Camelos inter armenta pascit Oriens, &c.*] Lege: *Camelos inter armenta pascit Oriens, quarum duo genera, Bactrianæ et Arabicæ.* Et mox, *illæ bina habent tubera in dorso, hæ singula.* Salmas. 986. a.

Quod illi bina habent tubera in dorso] Διτύλους et δικύρτους Græci vocant. Hesychio, τύλοι, ὀχθώδεις, ἐπαναστάσεις, καὶ τὰ τῶν ἀχθοφόρων ἐπὶ τῶν ὤμων τυλώματα. De iis Diodor. Biblioth. lib. III. πλεῖστα δὲ καὶ διαφορώτατα γένη καμήλων τρέφει, τῶν δὲ ψιλῶν, καὶ δασέων, καὶ διπλοῦν ἀνατετακότων τὸ κατὰ τὴν ῥάχιν κύρτωμα, καὶ διὰ τοῦτο διτύλων ὀνομαζομένων. *Dalec.*

Omnes autem jumentorum in iis terris, &c.] Legend. *Omnes aut jumentorum ministeriis dorso funguntur, aut vicem equitatus in præliis, his velocitas ut equis, sed suæ cuique mensuræ, sicut vires.* Vide Salmas. pag. 987. a.

Utcunque rabiem et ipsi sentiunt] Lege, *Utcunque rabiem et ipsæ sentiunt.* Plinius genere fœminino 'Camelos' ubique vocavit, ut testantur libri veteres. Sic etiam Græci τὰς Καμήλους dicunt. *Salmas.* 986. a.

Camelopardalis] Varro de Ling. Lat. 'Camelus suo nomine Syriace in Latinum venit: ut Alexandria camelopardalis nuper adducta, quod erat figura ut camelus, maculis, ut panthera (vulgo *Giraffe*).' Eam Dion accuratissime descripsit lib. XLIII. περὶ δὲ τῆς καμηλοπαρδάλεως ὀνομασμένης λέγεται, ὅτι τότε πρῶτον εἰς τὴν Ῥώμην εἰσήχθη, καὶ πᾶσιν ὑπεδείχθη. Heliodorus Æthiopicôn X. Solin. c. 33. Horat. 'Diversum confusa genus panthera camelo.' Politianus Miscellan. cap. 3. *Dalec.*

CAP. XIX. *De chao et cepho.*

Chaum] Fortassis Thoën: vulgo lupum cervarium: qui Gennettam nostram esse putant verisimiliora loqui videntur. Alii sic dictas putant zibetas, sive catos zibetas. *Dalec.*

Cephos] Strabo lib. XV. κῆπον vocat, esseque tradit facie Satyro similem, cætera inter ursum et canem, et in Æthiopia nasci: semivulpem nunc appellant. *Idem.*

CAP. XX. *De rhinocerote.*

Rhinoceros] Pausanias Æthiopicum taurum esse putat, ac super cornu, quod in nare prominet, alterum habere, sed exiguum. Rhinocerota et Hippopotamum Romæ primum visos Dion scribit, Augusto triumphante de Cleopatra. Martial. III. 22. 'Nam-

que gravem cornu gemino sic extulit ursum, Jactat ut impositas taurus ad astra pilas.' Vide Politian. Miscell. cap. 56. *Dalec.*

CAP. XXI. *De lyncibus, et sphingibus, et crocutis, cercopithecis, Indicis bubus, leucrocutis, eale, tauris Æthiopiæ, mantichora, monocerote, catoblepa, basilisco.*

Crocutas, velut ex cane, &c.] Leg. *Crocottas velut ex cane lupoque conceptas, &c.* Mens Plinii est, *crocottas* mixtam ex lupo et cane formam habere, quasi horum duorum animalium mixto semine conceptæ essent. *Salmas.* pag. 337. a.

Indicos bove unicornes tricornesque] Scribendum puto: *Indi equos unicornes, tricornesque;* nam dictionem *boves* adjectitiam putamus; paulo enim post, boves Indicos reddit. De equis autem Indicis, Strabo l. xv. 'Equos ubi unicornes esse, cervinis capitibus,' &c. *Pintian.*

Leucrocutam pernicissimam feram] Quid si legas *Leocrocutam*, quasi compactam ex leone et crocuta; sequitur enim, 'collo, cauda, pectore leonis.' *Idem.*

Cruribus cervinis] Scribo, *Clunibus cervinis*, ex utroque exemplari, et item Solino cap. 53. astipulante etiam Romana impressione. *Idem.*

Tauros silvestres majores agrestibus] Potiorem lectionem ducimus, *Aggregibus:* aut si mavis, *congregibus*, quam *agrestibus;* nam differentiam inter silvestres et agrestes tauros non satis intelligo. *Idem.*

Velocitate ante omnes] *Ante aves*, non *ante omnes*, legendum colligitur ex Solino cap. 53. si castigatiora ipse, quam nos, nactus est exemplaria. Alioqui quantum fidei homini habeamus, supra testati sumus. *Idem.*

Mantichoram] Pausanias in Bœoticis vocat Martioram: Philostratus in Apollonio, Martichoram. Idem Ctesias, e quo Plinius hanc fabulam ad verbum sumpsit, vanissimus homo, Pygmæos, Steganopodas, Pegasos, Sphinges impudenti mendacio posteritati tradidit. Brod. v. 24. *Dalec.*

Unicornes] Unicornes et Asini Indici et Oryges, infra XI. 46. ad quem locum septem animalium genera unico armata cornu adnotavimus. *Idem.*

Axin] Quidam eam esse volunt e qua fit moschus, suavissimum et pretiosissimum odoramentum: vulgo *Chat de Musc.* Idem.

Catoblepas] Eadem de Gorgone animante prodit Athenæus sub finem lib. v. *Idem.*

XII. non amplius digitorum] Aëtio παλαιστῶν τριῶν, quod cum Plinio convenit. *Idem.*

Sibilo omnes fugat serpentes] Similis ἱερὸς ὄφις in Asia, cujus meminit Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Vide infra XXIII. 4. *Idem.*

Sed celsus et erectus in medio incedens] Legend. *Sed celsus et erectus medio incedens;* id est, media parte; scribit enim Plinius basiliscum media parte corporis serpere, media erectum et celsum incedere. *Salmas.* pag. 371. b. Et circa finem lege: *infercíunt eas cavernis;* per vim scilicet eas infulciunt intrare nolentes: vulgo legitur *injiciunt*. Salmas. pagina 372. a.

Injiciunt eas cavernis, facile cognitis sola tabe] Apogr. Tolet. *Facile cognitis soli tabe:* eximie. Solinus cap. 29. 'Nec hominum tantum aliorumve animalium exitio datum, sed terræ quoque ipsius, quam polluit, et exurit, ubicunque ferale sortitus receptaculum.' *Pintian.* *Injiciunt eas cavernis, facile cog.*] Injiciunt eas, mustelas scil. regiæ cupiditatis mercenarii ministri. Alioqui mihi non fit verisimile, mustelam esse adeo nocendi avidam, ut ultro latebras basilisci pervestiget, et vel cum certa sua pernicie tam dirum monstrum lacessere non dubitet. *Gelen.*

CAP. XXII. *De lupis.*

Vocemque homini] Virgil. Bucolicis:

'vox quoque Mœrim Jam fugit ipsa: lupi Mœrim videre priores.' Vide proverbium, Lupus in fabula. *Dalec.*

Homines in Lupos verti] Animi is morbus est, ac melancholiæ genus, quod λυκανθρωπίαν medici vocant. Aët. XI. 6. Arabes Charab. Avicen. I. 3. *Idem.*

Versipelles] Plautus in Amphitr. de Jove in Amphitruonem mutato: 'Ita versipellem se facit, quando lubet.' *Idem.*

Auctores Græciæ] Vide Pausaniam initio lib. IX. *Dalec.*

Tradit Arcadas scribere] Plautus in Amphitruone: 'Nam verum est, quod olim est auditum Fabularier, mutatos Anticos in Arcadia homines: Et sævas belluas mansitasse, nec unquam denuo parentibus Cognitos.' Videatur et Pollet. Hist. For. Rom. lib. II. in fine. *Idem.*

Demænetum Parrhasium] Demarchum vocat Pausanias in Eliacis, narratque Olympiæ statuam ei positam cum hac inscriptione: 'Dinytta genitus Demarchus dedicat hancce Effigiem, Arcadico Parrhasius genere.' *Idem.*

Restitutum Athleticæ, &c. victoremque Olympia, &c.] Sic Horatius: 'Magna coronari quis victor Olympia.' et Athleticæ est τῇ Ἀθλητικῇ. *Gelen.*

Inter auguria ad dexteram commeantium] Lupum ad dexteram euntem ore pleno, fœlicissima promittere aiunt. Prodigiosum fuit Lupos in Capitolio vidisse. Lupus ingressus castra, et obviis laceratis egressus incolumis, exitium Romanis portendit insigne. Lupi in foro visi incolumes evaserunt. Id significavit armis oppressam iri patriam. In Africa lupi metas, quibus ager designabatur, dissipantes, ne colonia deduceretur effecere, Alex. ab Alex. V. 13. et Jul. Obseq. de Prodig. *Dalec.*

CAP. XXIII. *De serpentibus.*

Quod ad serpentes attinet, &c] Leg. *Quod ad serpentes attinet, vulgatum est colorem ejus plerasque terræ habere in qua occultentur:* pleræque serpentium ejus terræ in qua delitescunt colorem præferunt, inter eas maxime hammodytes. *Salmas.* 343. b. *Quod ad serpentes attinet, vulgatum est colorem plerasque terræ habere, qua occultentur*] Ambo codices ad veram lectionem propius accedentes, sic habent: *Quod ad serpentes attinet, vulgatum est colorem ejus plerasque terras habere in qua occultentur.* Unam tantum literam si mutaveris, et *terræ* pro *terras* scribas, verissimam elicies scripturam: docente id Nicandro in Theriacis, tradente accidere, quod hic prodit Plinius, serpentibus sepedoni et sepi. Scribit hoc ipsum et Oppianus de leporibus Cynegeticon quarto. *Pint.*

Plerosque terræ, &c.] Præsertim Sepa et Sepedona. Nicander in Theriacis. *Dalec.*

Nullo ictus remedio] Eadem de causa imagine aspidis reges Ægyptii diadema ornabant, vim principatus invictam significantes. Gignuntur interdum quinum cubitorum aspides, atri ut plurimum coloris, nonnunquam cinerei, aliquando fulvi. Rhodig. XXV. 31. Somniculosam aspidem Sisenna vocat, quoniam lethalem somnum morsu affert, et, ut inquit Plutarch. κάρον ἐπνέδη, καὶ καταφορίν. Idem auctor XXVII. 14. *Idem.*

Eosque non in fronte ex adverso cernere, &c.] Lege: *Eosque non in fronte, ne adverso cernere, sed in temporibus:* *adverso* pro *adversum.* Salmas. p. 344. a.

Itaque excitatur sæpius auditu quam visu] Lege, *Itaque ex auditu sentit citius quam visu.* Solinus ait, *citius audire quam aspicere.* Salmas. 344. a, b. priora sequentis capitis cum præcedenti conjungit.

CAP. XXIV. *De ichneumone.*

Habet deinde internecinum bellum] Verbum *habet* supervacaneum est, ex utroque exemplari: repetendum enim

verbum *dedit*, quod paulo ante præcessit: ut sit, dedit deinde internecinum bellum, &c. *Pintian.*

CAP. XXV. *De crocodilo, et scinco, et hippopotamo.*

Crocodilum] Crocodili ἀπὸ τοῦ δειλαίνεσθαι omnes dicuntur, marini quidem, τὰς κρόκας, nempe litorum vel lapides, vel testas, nam ad terræ contactum expavescunt: terrestres vero τὸν κρόκον· nam quamvis mel valde appetant, alvearia tamen illita croco non attingunt. Rhodig. XV. 21. *Dalec.*

Unum hoc animal terrestre, &c.] Leg. *Unum hoc animal terrestre linguæ usu caret: unum superiore mobili maxilla imprimit morsum alias horribilem pectinatim stipante se dentium serie.* Salm. p. 442. a, b.

Parit ova, quanta anseres] Lege, *Parit ova quanta anseris.* Idem, 442. b.

Noctes in aqua teporis utrunque ratione] Lege, *Noctes in aqua teporis utique ratione.* Idem 443. a.

Hunc saturum cibo piscium] Aristot. Hist. IX. 6. et lib. περὶ θαυμας. ἀκουσμ. *Dalec.*

Quin et gens hominum est huic belluæ adversa] Scribendum reor, *Quin et genus hominum est huic beluæ adversum.* Nec sum oblitus Virgiliani carminis in Æn. VIII. 'Gensque virum truncis et duro robore nata.' Permissum illud poëtis fuerit, qui muscarum etiam et apum gentem appellant: non ideo et oratoribus. Denique Plinius ipse paulo post ostendit, quomodo hic locus sit legendus, cum dicit: 'Olfactuque ejus generis hominum, ut Psyllorum, serpentes fugantur.' *Pintian.* *Quin et gens hominum est huic, &c.*] Lege: *Quin et gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo a Tentyris insula in qua habitat appellata.* Salm. 147. b.

Tentyritæ] Vide Senecam Quæst. Natur. IV. 2. et infr. XXVIII. 3. ubi scriptum *Tentyri*, sed perperam. Vide Strabonem Geograph. lib. ultimo, et Ælianum Histor. Animal. X. 21. *Dalec.*

Mensura eorum parva, &c.] Sic legend. *Mensura eorum parva, sed præsentia animi in hoc tanto ausu mira.* Salmas. p. 453. a.

Impenetrabilis] Idem scribit auctor Historiæ Africanæ de corio animalis, quod *Lant*, aut *Dant* vocant. *Dalec.*

Depascitur segetes, destinatione, &c.] Legend. *Depascitur segetes, destinatione ante, ut ferunt, determinatas, indidem et ex agro ferentibus vestigiis*: determinat ante ac destinat segetes quas depasturus est *indidem*, id est, ex eo loco ipso segetis, *et ex agro ferentibus vestigiis.* Salmas. p. 456. b.

CAP. XXVI. *Quis primus Romæ hippopotamum et crocodilos ostendit: et medicinæ ab animalibus repertæ.*

Exit in litus, recentes harundinum cæsuras speculatus, &c.] Legend. *Exit in littus recenti harundinum cæsura speculatum, atque ubi acutissimam videt stirpem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat*: recenti harundinum cæsura, id est, cum recens cæsæ sunt harundines, exit in littus speculatum, atque ubi videt acutissimam stirpem, ibi corpus imprimit. *Salmas.* 456. b.

CAP. XXVII. *Quæ animalia quas herbas ostenderunt, cervi, lacerti, hirundines, testudines, mustela, ciconia, aper, anguis, draco, panthera, elephas, ursi, palumbes, columbæ, grues, corvus.*

Dictamnum herbam extrahendis sagittis cervi monstravere, percussi eo telo, pastuque ejus herbæ ejecto] Hæc sunt corruptissima, nec sensum habent. Scribe, *Dictamnum herbam extrahendis sagittis cervi monstravere percussi telo, pastu ejus herbæ ejecto.* Salm. 224.

Cervi monstravere] Idem repetit XXV. 8. At Valerius lib. I. cap. ult. et Arist. Hist. IX. 6. id capris tribuunt: auctor vero libri τῶν θαυμασ.

ἀκουσμ. capris. Dioscorides et Virgilius capris: 'non illa feris incognita capris Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.' *Dalec.*

Testudo cunilæ] Idem scribitur et XX. 16. et ab Arist. Hist. IX. 6. et in lib. τῶν θαυμασ. ἀκουσμ. *Idem.*

Mustela rutæ in murium venatu] Aristoteles IX. 6. 'Mustela, quoties cum serpente dimicatura est, rutam comedit: odor enim ejus herbæ infestus serpentibus est.' Ex quibus Aristotelis verbis videtur legendum hic non *murium*, sed *anguium*. Certe Romana exemplaria sic habent. Alioqui scribi posset, non *in murium venatu*, sed *in murium venantes:* aut *in murium venatores*, ut sic Plinius vertat Latine, quos citato loco Aristoteles 'myotheras' appellat: 'Quin et mustela,' inquit, 'prudenter capere aves videtur: jugulat enim quas cepit, ut lupus ovem. Serpentem quoque impugnat: eum præcipue qui mures venatur; videlicet ea causa, quia etiam ipsa mures persequitur.' Hæc Aristoteles. Præterea quæ potest esse dimicatio mustelæ cum muribus, serpentes quoque debellanti? Sed ut ad priorem castigationem redeam, si *ruta* legas, sensum obscurabis; nam ambiguum erit, pastu an frictione et contactu refoveat vires. Ob id quod sequitur, *Ciconia origano*, recte auferendi casu expressum est. Neque enim origani pastu ciconiæ et aliæ volucres medentur vulneribus in dimicatione acceptis, sed applicatu ejus herbæ ad plagam, auctore Arist. loco prædicto. *Pintian.*

Obtorpuere] Tardius et difficilius separantur. *Dalec.*

Pantheras perfricata carne, &c.] Lege: *Pantheras perfricatas carnes aconito, venenum id est, barbari venantur.* Salm. pag. 212. b.

Carne aconito] Παρδάλειον φάρμακον hoc vocat auctor libri τῶν θαυμ. ἀκουσμ. a quo et sequentia de hominis stercore traduntur, sumpta tamen ex Aristotele Hist. IX. 6. Cicero de Nat. Deor. lib. II. Auditum est Pantheras, quæ in Barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, hominis nempe excrementa. Vide infra XXVII. 2. *Dalec.*

Alioqui vivacitatis adeo lentæ, &c.] Leg. *Alias vivacitatis adeo lentæ ut ejectis interaneis diu pugnet.* Salmas. pag. 213. a.

Ursi] Plutarchus, de Animal. Prudentia, hoc remedio uti scribit ursos, cum sunt ἀσώδεις, id est, cum *cibum fastidiunt, aversantur*, et *abhorrent:* ἄλλως δ' ἀσώδης γενομένη, inquit, πρὸς τὰς μυρμηκίας τρέπεται, καὶ κάθηται προβάλλουσα λιπαρὰν καὶ μαλακὴν ἰκμάδι γλυκείᾳ τὴν γλῶσσαν, ἄχρις οὗ μυρμήκων ἐμπλέως γένηται· καταπίνουσα δ' ὠφελεῖται. Cæterum fortassis aliquis suspicari possit esu fructus mandragoræ ursis τὴν ἄσην nasci. Victorius XIII. 17. Vide infra IX. 6. *Dalec.*

Cervus herba cinare venenatis pabulis resistit] Scribe, *herba cinaræ;* sic Horatio, 'herba lapathi;' nam κίναρα dicitur Græce, non κινάρη. *Salmas.* pag. 225.

Palumbes, gracculi, merulæ, perdices, &c.] Lego: *Palumbes, gracculi, merulæ, lauri folio annuum fastidium purgant: perdices, columbæ, &c.* Hinc namque Perdicium Helxine vocatur, quod ea comesa se perdices purgent, ut idem scribit XXII. 10. *Dalec.*

Siderite] Seride ex Colum. VIII. 14. Ideoque Virg. Georg. I. inter segetum noxas cum memorasset improbos anseres, Strymoniasque grues, adjecit, 'et amaris intyba fibris.' Quæ radicum fibris terram defrugant, triticum angunt, et anseribus expetitæ illos invitant. Turn. XXVII. 25. *Idem.*

CAP. XXVIII. *Prognostica animalium.*

Ruinis imminentibus musculi præmigrant] Cicero ad Atticum: 'Tabernæ mihi duæ corruerunt: reliquæ rimas agunt. Itaque non solum inquilini,

sed mures etiam migraverunt.' *Idem.*

Auguria quidem artem fecere, &c.] Lege: *Auguria quidem artem fecere apud Romanos et sacerdotum collegium: vel maxime solenne est inter ea locis rigentibus et vulpis, animalis alioquin solertia diri: amnes gelatos lacusque non nisi ad ejus itum reditumque transeunt.* Vide Salmas. pag. 440. b. *Auguria quidem, &c.*] De augurum numero, dignitate, disciplina, officio, habitu, vide Alex. ab Alex. v. 19. et Fenestell. seu potius Floccum de Sacerd. Rom. cap. 4. Onuph. Panvin. Civit. Roman. pag. 459. *Dalec.*

In Thracia locis rigentibus et vulpes animal alioqui solerti auditu amnes gelatos lacusque non nisi ad pastus ituræ rediturœque transeunt. Observatum eam, et reliqua] Sensum pulcherrimum verba vitiosissima adumbrant, neque sinunt percipi ad plenum. Ambo exemplaria verba illa, *non nisi ad pastus ituræ rediturœque*, aliter legunt, ut puto recte, *Non nisi ad ejus itum reditumque.* Beneficio igitur scriptæ lectionis totus hic locus sic restituetur: *In Thraciæ locis rigentibus et vulpes, animal alioqui solerti auditu;* repetendum hic, *artem periculis fecit:* tum sequitur: *Amnes gelatos lacusque non nisi ad ejus itum reditumque transeunt. Observatum eam, &c.* Confirmat hanc correctionem Plutarchus in libro, cui titulum fecit, Utra animalium sagaciora aquatica an terrestria, ubi multis verbis persequitur, quod hic Plinius paucis complexus est. *Pintian.*

CAP. XXIX. *Civitates et gentes a minutis animalibus deletæ.*

Citra Cynamolgos Æthiopas, &c.] Leg. *Circa Cynamolgos Æthiopas late deserta regio est, a scorpionibus et solpugis* (an *solifugis?*) *gente sublata.* Salmas. p. 100.

Scolopendris] Terrestribus; nam et marinæ sunt. *Dalec.*

CAP. XXX. *De hyæna, et crocuta, et mantichora, et fibris, et lutris.*

Crocuta] Arabes vocant, *Adib.* Vide infra XXVIII. 8. *Idem.*

Collum et juba continuitate spinæ porrigitur] Scribe, *Collum et jubam ei unitatem spinæ porrigitur;* hoc est, quod ait Solinus, collum ei cum spina rigere continua unitate. Dicit ergo collum et jubam unitate spinæ ei porrigi, id est, collum cum spina unum esse, et jubam per totum porrigi. *Salmas.* 336. b. *Collum et juba continuitate spinæ porrigitur*] Citra vertebrarum distinctionem, cum dorsi spina continuatur, quæ in nodos et articulos divisa est in cæteris animalibus, quemadmodum videre est infra, XXVIII. 8. *Dalec.*

Item vomitionem hominis imitari] Ælianus de Animal. VII. 22. *Dalec.*

Præterea umbræ ejus] Aristot. περὶ θαυμ. ἀκουσμ. Ælianus de Animal. III. 7. *Idem.*

Hujus generis coitu leæna Æthiopica parit crocutam] Nulla ratione defendi potest, *crocutam.* Nam cap. 21. ex cane lupoque crocutas concipi tradit: confirmaturque auctoritate Strabonis lib. XVI. hic vero ex hyæna leænaque Æthiopica. Itaque ne a seipso dissentiat Plinius, commodius legetur *leocrocutam*, quam *crocutam.* Nam leocrocutam voces humanas imitari superius scripsit, et item dentium loco os habere perpetuum, quam duplicem naturam hic repetit. Sed repugnant tum auctoritas Solini c. 29. tum quod Plinius Indicum animal supra fecit leocrocutam, non, ut hic, Æthiopicum. Apogr. Tolet. *corocotiam* legit, non *crocutam:* ut forte animal sit diversum corocotia a crocuta. Non placet hoc nimis, nec item nimis displicet. Ita ad Aristotelicum in ambiguis remedium confugiendum erit, ut consideretur melius. *Pintian.*

Acies ei perpetua in utraque parte oris] De acie dentium perpetua debet accipi, ac continuo dentium acumine. *Salmas.* 338. b. 338. a. *Acies ei*

perpetua in utraque parte oris, nullis gingivis] Legendum opinor: *Acies ei perpetua in utroque orbe, oris nullis gingivis.* Solinus cap. 29. 'Nunquam connivet aciem orbium, sed in obtutum sine nictatione contendit. In ore gingiva nulla.' *Pintian.*

Easdem partes sibi ipsi Pontici amputant fibri] Juvenalis Sat. XII. 'imitatus Castora, qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculorum, adeo medicatum intelligit inguen.' Falsum tamen vanumque id esse Sextius tradit infra XXXII. 3. *Dalec.*

Alias animal horrendi morsus, arborem juxta flumina ut ferro cædit. Hominis parte comprehensa, non antequam fracta concrepuerint ossa, morsu resolvit] Locus inter cæteros hujus operis insigniter vitiatus, ac prope conclamatus: qui si opera mea non fuerit in integrum restitutus, elegantiorem tamen habitum, ut puto, assumet. Scribo igitur sic: *Latax animal horrendi morsus, arbores juxta flumina ut ferro incidit. Homine Lutra comprehenso, non antequam fracta concrepuerint ossa, morsu resolvit.* Aristoteles VIII. 5. 'Sunt inter quadrupedes ferasque quæ victum ex lacu et fluviis ferant, at vero a mari nullum, præterquam vitulus marinus. Sunt etiam in hoc genere fiber, satherium, satyrium, lutris, latax, quæ latior lutre est, dentesque habet robustos, quippe quæ noctu plerumque egrediens virgulta proxima suis dentibus ut ferro præcidit. Lutris etiam hominem mordet, nec desistit, ut ferunt, nisi fracti ossis crepitum senserit.' Hæc Aristoteles; a quo tamen longissime abeunt quæ subjicit Plinius, utrique molliorem pluma esse pilum. Nam lataci Aristoteles eodem loco pilum esse tradit durum, specie inter pilum vituli marini et cervi. Nisi quis dicat non *utrique* scribendum in Plinio, sed *lutræ*. Lutræ præter alios et Athenæus undecimo, et Herodotus primo meminere. *Pintian.*

CAP. XXXI. *De ranis, et vitulis marinis, et stellionibus.*

Juxta flumina] Festo fiber quasi fimber dicitur, quod in extremis fluminum oris ac tanquam fimbriis degat. *Dalec.*

Cædit] Aristoteles id scripsit περὶ τῆς ἐνύδριδος, quam *lutram* vocamus, Hist. XI. 5. Plautus: 'Sic me subes quotidie, quasi fiber salicem.' *Idem.*

Ranæ quoque rubetæ] De rubetarum veneno et sumpto, et afflatu incusso, vide Ælianum de Animal. XVII. 12. et infra XXXII. 6. *Idem.*

Coagulum] Theoph. in fragmento de animalium invidia. Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Dalec.*

Senectutem exuere] Aristoteles et Theophrastus citatis locis. Senectutem stellionis tunicalam auctor vocat XX. 10. *Idem.*

Eosdem mortiferi in Græcia morsus, innoxios esse in Sicilia] Imo e contrario scribendum videtur verbis permutatis: *Eosdem mortiferi in Sicilia morsus, innoxios esse in Græcia.* Aristoteles in libro de Admirandis Auditionibus: 'Et in Sicilia autem aiunt et in Italia stelliones letali esse morsu, non sicuti nostrates.' *Pintian.*

CAP. XXXII. *De cervis.*

Feminæ autem ante partum purgantur herba quadam quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero. A partu duas habent herbas quæ aros et seselis appellatur, &c.] Multa hic animadversione digna. Seselim et a partu et ante partum cervas pasci. Quod non fit mihi verisimile. Alia ergo herba est, quam seseli, qua post partum pascuntur. Helxinen eam appellat lib. XXV. ut habent libri scripti. Iidem libri hoc loco sic scribunt: *a partu duas, quæ Tamo et siselicis appellantur: pastæ redeunt ad fætum;* carent enim illis verbis, *herbas habent.* Puto scribendum: *a partu duas, quæ Tamus et sideritis appellantur, pastæ*

redeunt ad fœtum. Salmas. p. 224.

A partu duas habent herbas, quæ aros et seselis appellantur, pastæ redeunt ad fœtum] In voce *seselis* nihil mutandum. Sed pro *quæ aros*, legendum *chorion*, quod æque ac *seselin* pro herbæ genere accepit Plinius insigni errore; cum χόριον Græce dicatur ea membrana, qua fœtus involvitur. *Bouchart.* 891.

Saltumque demonstrant] Cubile et lustrum, Turneb. III. 22. Adversariorum. Quidam exponunt editum montem; alii, saliendi pernicitatem. *Dalec.*

Ut vestigia cum ipsis abeant] Vestigiis persequi feras dicuntur qui odorem earum sequuntur. Hinc *vestigia* pro odore. *Salmas.* pag. 220. b.

Latent amissis velut inermes, &c.] Sic scribe: *latent amissis velut inermes, sed et heic bonum suum* (an *bona sua?*) *invident: dextrum cornu negant inveniri.* Cervi cum cornua amittunt dexterum defodiunt, quod multis in rebus efficacius ad medelam esse creditum: sic bona sua invident cervi, non bono suo; nec enim hoc illis prodest, sed ne homini prosit, ideo putantur subtrahere. *Salmas.* pag. 221.

Sed et hi bono suo invidentes] Scribo alterutro modo, aut expuncta particula *sed*: *Et ipsi suo bono invidentes.* aut certe, *Sed et ipsi bono suo invident.* Pintian. *Bono suo invidentes*] Inter lapides Orpheus, suo de illis poëmate, cornuum cervi dotes et medicas vires diligenter prosequutus est. Theophrast. de Invidia Animal. *Dalec.*

Dextrum cornu negant inveniri] Solinus *dextrum* quoque cum suo Plinio: sed magis est ut *sinistrum* legatur. Aristoteles IX. 6. 'Fertur autem sinistrum cornu a nemine unquam visum: abscondi enim ab his tanquam medicam quandam vim habens.' Sed quoniam idem Aristoteles, in libro de Admiranda Auditione, Epiri cervas dextra cornua defodere ait, videtur Plinius, aut quivis alius, lapsu memoriæ, quod est proprium cervarum Epiri, cervis omnibus tribuisse. *Pintian.*

Accensis autem utrislibet, &c.] Sic leg. *accensi autem utriuslibet odore et comitiales morbi deprehenduntur*: scil. adusto cervino cornu. *Salmas.* pag. 221. *Accensis autem utrislibet odore serpentes fugantur, et comitiales morbi deprehenduntur*] Duo illa verba, *serpentes fugantur*, in neutro exemplari habentur: non male; nam ejus rei paulo post fit mentio. Reliqua in eisdem sic leguntur: *Accensi autem utrius collibeat odore, et comitiales morbi, &c.* Pintian.

Indicia quoque ætatis in cornibus gerunt, singulos annis adjicientibus ramos usque ad sexennes] Lege, *singulis annis adjicientibus ramos.* Usque ad sexennes id incrementum perseverat. In trimatu ramosa habere cornua incipiunt. *Salmas.*

Erumpunt autem renascentibus, &c.] Sic leg. *Erumpunt autem renascentibus tuberibus primo aridæ cutis similia: eadem teneris increscunt ferulis, harundineas in panniculas molli plumata lanugine.* Plumata molli lanugine in panniculas harundineas, id est, ad instar panniculariım harundinearum. *Idem.*

Q. Sertorii cervam] Val. Max. lib. I. cap. de simulata relig. *Dalec.*

CAP. XXXIII. *De tragelapho et chamæleonte.*

Cervos Africa propemodum sola non gignit] Licet cum Plinio id Aristoteles asserat, in Africa tamen cervorum greges multos pasci notum est. *Idem.*

Et spina simili modo. Eminet rostrum, ut in parvo haud absimile suillo] Verbum *eminet*, cum minore litera scriptum, superioribus annecte. Aristoteles lib. XI. cap. 12. 'Et spina erigitur æque ut in piscibus.' Reliqua sic legenda sunt: *Rostro, ut in parvo, haud absimili suillo.* Porro in impressione Romana, et plerisque

aliis, *ut in parvo sit* legitur. Existimo igitur hunc locum truncatum sic posse in priorem, aut priori propinquum, statum reponi: *Rostro, ut in parvo, simiæ haud absimile suillæ.* Arist. loco prædicto: 'Rostrum simiæ porcariæ simillimum.' *Pintian.*

Nec cibo nec potu alitur] Quamvis famem multos menses toleret, lingua tamen sesquipalmum longa exerta, ac vibrata, mucoque oblita, locustas, formicas, muscas, scarabæos, et alia insecta quibus vescitur corripit, retinet, ad se adducit. Brod. VI. 21. *Dalec.*

Nec alio quam aëris alimento] Theophrasto auctore, parum abest quin pulmo totum corpus impleat, ideoque dum auram captat, et consectatur avidius, ea vivere sola creditur: eadem quoque causa et colorem mutare idem censet, nempe raro et pellucente corpore, ob aëris copiam distendentis. *Idem.*

CAP. XXXIV. *De tarando, et lycaone, et thoë.*

Tarandus] Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. et Theophrastus fragmento de iis quæ colorem mutant. *Dalec.*

Thoës] Φιλανθρωπότατον, nempe *homini amicissimum* esse, occurrentemque venerari, ac si feræ cæteræ invadant, opitulari et defendere, scribit Rhod. XXIII. 27. *Idem.*

Habitum, non colorem mutant] Falsum hoc est, si Aristoteli plus fidei quam Plinio habetur. Is IX. 43. mutari ait colorem a thoë, ut a quibusdam aliis generibus piscium, quadrupedum, avium. *Pintian.*

Per hiemes hirti, æstate nudi] Ex eodem Aristotele sumptum hoc, capite eodem. Cujus verba Theodorus, maxima Plinianarum vocum laverna, sic vertit: 'Atque æstate nudi, hieme hirti redduntur.' Sed pensitandum, an verbum Græcum λεῖοι, etsi aliquando *nudos* significat, melius hic versum esset *læves, tersi, nitidi.* Pintian.

Sed cum libuit sui coloris esse, asini similis est] Videtur Solinus *ursini* legisse in Plinio, non *asini.* Ejus verba, cap. 32. 'Mittit et tarandum, boum magnitudine, bisulco vestigio, ramosis cornibus, capite cervino, ursino colore pariter et villo profundo.' Cæterum prædictorum Plinii verborum ordo luxatus sane est, debentque subjici illis quæ paulo post sequuntur: *Colorem omnium arborum, fruticum, florum, locorumque in quibus latet, reddit metuens, ideoque raro capitur: sed, cum libuit sui coloris esse, ursini similis.* Postremum autem verbum *est* in neutro exemplari legitur. *Id.*

CAP. XXXV. *De hystrice.*

Hystrices generat India, &c.] Legend. *Hystrices generat India et Africa spinea cum tecta ac herinaceorum generis. Spinea cum tecta*, id est, cum spineo integumento: *tectam* dixit, pro tergoris tegmine. *Salmas.* pag. 890. a, b. *Hystrices generat India*] Mures Africanos Plautus in Pænulo: 'Non audis? mures Africanos prædicat In pompam ludis dare se velle ædilibus.' *Dalec.*

CAP. XXXVI. *De ursis et fœtibus eorum.*

Eorum coitus hiemis initio] Aristoteles lib. VI. cap. 30. coire ursos tradit mense Elaphibolione. Theodorus Februarium vertit. Si igitur Theodori tralationi credimus in re præsertim peculiaris illi commentationis, male hic Plinius coire hiemis initio ursos scribit, cum Februarius finis sit hiemis, non initium, Varrone auctore lib. primo de Re Rustica, cap. 28. Et sane major animalium pars in venerem excitatur appetente vere, teste Aristot. Hist. Anim. V. 8. *Pintian.*

Hi sunt candida informisque caro] Hoc falsum. In utero gravidæ ursæ a venatoribus captæ et exenteratæ omnibus suis membris distinctos catulos formatos vidi. Fabulæ causam præbet catulorum ortus crassissimis

secundinis obvolutorum, quas non nisi diu lambendo mater revellere potest. Sic videlicet contecti informis carnis speciem monstrant. *Dalec.*

Nec quicquam rarius quam parientem videre ursam] Exemplar Salmant. et pleraque excusa: *Nec quicquam rarius homines quam parientem videre ursam.* Vera porro sit an falsa hæc Plinii traditio, mihi sane haud liquet: fides penes Plinium venatoresque esto. Nos quod sentimus, libere, more nostro, promemus. Putamus igitur Plinium male Græca Aristotelis verba accepisse. Neque enim Aristoteles raram esse visu parientem ursam uspiam tradit, sed difficilem esse captu prægnantem ursam scribit VI. 30. Cujus verba sic Theodorus transtulit: 'Gravidam capi ursam difficile est.' Rursus VIII. 17. 'Fœtu gravida ursa vel a nemine vel a paucissimis capta est.' Videlicet Plinius pro eo, quod dixit Arist. 'capere,' accepit *videre*, pro 'gravidam,' *parientem*. Quid igitur est? in ordinem Plinium redigis, ignorantiamque ei Græcarum literarum objicis? Minime ædepol. Imo vero peritissimum utriusque fuisse linguæ, omnesque absolutissimi scriptoris numeros consummasse fatemur: mirandum tamen non esse ducimus, si, in tanta rerum varietate, homo, in aula principum versatus, deflexa interdum aliorsum mentis acie, pro eo, qui Socrates erat, Calliam salutaverit. *Pintian.*

Ideo mares quadragenis diebus latent] Legendum reor: *Hieme mares, &c.* non *ideo mares.* Aristot. VIII. 17. 'Quadrupedum quæ animal generant, hystrices conduntur et ursi: sed utrum propter frigus, an alia de causa, ambigitur.' *Idem.*

Impenetrabiles imbribus, mollique fronde constratos] Error solitus, et familiare malum Plinianorum exemplarium, verborum permutationis. Legendum: *Molli fronde constratos, impenetrabilesque imbribus;* ut præcedat causa, sequatur effectus. Nam arceri imbres constratis frondibus, X. 33. monstrat, de galgulo loquens: 'Jam publicum quidem omnium est tabulata ramorum sustinendo nido provide eligere, cameraque ab imbri fronde protegere densa.' Et XVI. 11. de abiete: 'Folio,' inquit, 'pinnato, denso, ut imbres non transmittat.' *Idem.*

Gravi somno premuntur] Juvenalis Sat. III. altissimo somno correptos ursos vocat et Phocas: 'rhedarum transitus arcto Vicorum inflexu, et stantis convicia mandræ, Eripiunt somnos ursis vitulisque marinis.' Virgilius: 'Sternunt se somno deserto in litore Phocæ.' *Dalec.*

Ab iis diebus residunt] Legendum reor *resident*, et intelligo in clunes, ut ex capite sequente planum fit: 'Similiter,' inquit, 'resident in clunes, et in binis pedibus gradiuntur, prioribusque, ut manibus, utuntur.' In quibus verbis dictionem illam, 'similiter,' nisi ad ursas referas, quo referri possit, non invenies. *Pintian.*

Priorum pedum suctu vivunt] Ursi manus esse gustatu dulces ac suaves, ejusque rei causam ex Plutarcho quæsitam, vide apud Rhodig. XXVI. 19. *Dalec.*

Non alio incubitu quam ova volucres] Ambo exemplaria: *Non aliter incubitu, &c.* Proinde commutatis verbis sic scribo, *Non aliter quam incubitu ad ova volucres.* Pintian.

Cujus rei causa non prompta est] Tunc fructuum silvestrium in latebras congestorum magna copia devorata inertes crassescunt. *Dalec.*

Exeuntes herbam quandam aron nomine laxandis intestinis alioquin concretis devorant] Ubi tamen in omnibus libris constanter legitur: *herbam quandam caram nomine.* Cara herba qualis, vide Salmas. Plin. Exercit. pag. 225. a. *Exeuntes herbam quandam Aron nomine*] Hujus inter bulbos me-

minit infra XIX. 5. et XXIV. 16. *Dalec.*

Circaque surculos cum dentiunt prædomantes ora] Ita Hermolaus castigavit; melius facturus si *præmandentes* correxisset ex suo quem citat Aristotele: ut legendum in totum putem, *Circa surculos quasi dentiant præmandentes.* Dictio autem quæ sequitur, *ora*, cum aspiratione scripta legitur in codice Toletano, ut forte adjuncta sequentibus sic legendum sit: *Hora eorum oculi hebetantur*, hoc est, vere: id enim ea dictio inter alia significat apud Græcos. Quid si legas, non *Ora oculi eorum hebetantur*, sed *Orbes oculorum hebetantur?* Nam verbum quod sequitur, *crebro*, desideratur in utroque exemplari. Aristoteles IX. 6. 'Ligna etiam manducant quasi dentiant.' Fieri tamen posse non negaverim, ut sensum Plinius, non verba exprimens, *prædomantes ora* scriptum reliquerit; nam in antiquis exemplaribus *prædomantes* habetur, non *præmandentes.* Locum indico: liberum sit unicuique judicium intelligendi. *Pintian.* *Circaque surculos seu dentium prædomantes ora, &c.*] Leg. *circaque surculos seu dentientia prædomant ora.* Salmas. 217. b. 218. a.

Arborem aversi derepunt] Hoc est, non proni, sed posterioribus primum pedibus, anterioribus interim molem corporis sustentantes, ne ruant: id quod notum est omnibus, qui modo vel semel ursum ab arbore descendentem viderunt. Atque in hoc quoque hominem imitantur præter morem quadrupedum. *Gelen.*

Ursos non gigni constet] Ursinus, in Romanis familiis, legendum putat *leones:* denariique ab hoc Ænobarbo cusi imaginem ostendit, in quo cum leone homo pugnat. *Dalec.*

CAP. XXXVII. *De muribus Ponticis, et Alpinis, et herinaceis.*

Hi duntaxat albi] Vulgo, *hermines;* alii, *rosereaux, menuver.* Idem.

Supra se complexo fasce herbæ] In apographo Tolet. *subrosæ* legitur, non *supra se:* et *fascem* accusandi casu, non *fasce:* ut commodius forte sic scribas: *Subrosæ complexos fascem herbæ.* Pintian.

Sunt his pares et in Ægypto] Theophrastus περὶ ἀθρόων φαινομένων ζώων. *Dalec.*

Herinacei] Herinaceus 'eres' quoque dicitur Plauto in Menæch. 'Cur ausus facere, cui ego æque ac eres hæreo?' Nemesianus in Cynegeticis: 'Implicitumque sinu spinosi corporis erem.' *Idem.*

Iidem mutationem aquilonis in austrum condentes se in cubile præsagiunt] Non magis erinacei præsagiunt mutationem aquilonis in austrum, quam retro austri in aquilonem. Quam ob rem puto scribendum, *aquilonis et austri;* aut sic, *aquilonem et austrum.* Aristoteles IX. 6. 'De erinaceorum sensu locis multis perpensum est, ut qui in cavernis sunt, commutent sua cubilia, aquilonum et austrorum mutatione.' Theodorus Græcam dictionem ὀπὰς *cubilia* convertit: quod ego, cum bona Theodori venia, minime fecissem. Nam *cubile* Græcis κοίτη seu κοιτίον dicitur, ὀπὴ autem *foramen.* Quanto melius nobis summus auctor Plutarchus Aristotelicum sensum expressit, eo libro cui titulus est, Utra animalium solertiora, aquatica an terrestria, in hunc modum scribens: 'Cubile autem ipsorum foramina duo habet, alterum ad austrum vergens, alterum ad aquilonem. Prævidentes igitur aëris mutationem venturam, foramina commutant, ceu gubernatores vela, et quod vento expositum erat obturantes, alterum aperiunt. Quod cum Cyzici homo quidam observasset, existimatus est a seipso futura flamina præsagire.' Hactenus Plutarchus. Eandem solertiam Plinius infra cap. 38. sciuro tribuit. *Pintian.*

Urinam ex se reddunt] Theophrast. in Fragm. de Animal. Invidia. Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Dalec.*

Quamobrem exinanita prius urina venari, &c.] Lege: *quamobrem exinanita prius urina venari ars est: et tum præcipua dos tergori: alias corrupto, fragili, putribus spinis atque deciduis, etiamsi vivat subtractus fuga.* Salmas. p. 390. b.

Suspendio ac fame necatur] Utrumque exemplar, *Suspendiosa fame necantur;* quæ lectio non magnopere mihi displicet; nam *suspendiosus* dictionem esse Latinam, etsi non ita frequentem, Ulpianus jurisconsultus ostendit tertio Digestorum volumine, titulo de his qui notantur infamia: 'Non solent,' inquit, 'lugeri, ut Neratius ait, hostes, vel perduellionis damnati, neque suspendiosi, neque qui manus sibi intulerunt, non tædio vitæ, sed mala conscientia.' *Pintian.*

Ipsum animal non verentur plerique dicere vitæ hominum supervacuum esse] Apographum Toletanum pulcherrime, *Ipsum animal non, ut rentur aliqui, vitæ hominum supervacuum est;* reliqua superfluunt. *Pint.* *Ipsum animal non verentur, &c.*] Legend. *Ipsum animal, non ut remur plerique.* Non quælibet vestes, sed quæ, e lana molliori factæ, erinaceorum cute, aut spinarum acervo pectebantur, hæ *pexæ* proprie dictæ. *Salmas.* 390. b.

Nulloque non principe adito querimoniis provincialibus] Quod panni fulloniis spinis, non echinorum aculeis polirentur. Quod herinaceorum corio vel putri, vel non sat diligenter id fieret. Quod ditiores mercatores ea sibi coria coëmerent, et foro intercepto apud se haberent, nec tenuiores in usum commodumque suum mercari paterentur. De quo importuno hominum genere, qui fraude et iniquitate varie annonam mercium onerant, vide Cujac. Observ. x. 19. *Dalec.*

CAP. XXXVIII. *De leontophono, lynce, melibus, et sciuris.*

Leontophonon] Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμάτων. *Dalec.*

Ergo corpus ejus adustum aspergunt aliis, &c.] Lege: *ergo corpus ejus exustum adspergunt carnibus aliis polentæ modo, insidiantes feræ, necantque etiam in hora, tam contraria est pestis. In hora,* id est, illa ipsa hora necant, qua gustaverit, *tam contraria est pestis;* adeo nempe præsentanea, ut illa ipsa hora necet, qua ex illis carnibus aliquid sumpserint. Græci dicunt αὐθωρί. *Salmas.* pag. 328. b.

Lyncum humor ita redditus, uti, &c.] Scribe: *Lyncum humor ita redditus ubi gignitur, glaciatur arescitve in gemmas carbunculis similes et igneo colore fulgentes, lyngurium appellant.* Dubitat Plinius utrum humor, quem reddunt lynces, frigore concrescat an calore: quæ frigore indurantur, 'glaciari' proprie dicuntur, quæ calore densantur, 'inarescere.' *Salmas.*

Gignuntur] Theophrast. de Lapidibus. *Dalec.*

Novere hoc, sciuntque lynces] Arist. loco proxime citato. Theophr. de Animalium Invidia. *Idem.*

CAP. XXXIX. *De vipera, cochleis, et lacertis.*

Serpentium vero vipera sola terra dicitur condi: ceteræ arborum aut saxorum cavis] Scribendum videtur commutatis verbis: *Serpentium ceteræ terra dicuntur condi. Vipera arborum aut saxorum cavis.* Aristoteles VIII. 15. 'Aliæ serpentes in terra condunttur. Viperæ sub petris abscondunt sese.' *Pintian.*

Illæ quidem iterum et æstatibus] Non hieme tantum ut serpentes. Plautus in Captivis: 'Quasi cum caletur, Cochleæ in occulto latent: Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit,' &c. Cochleæ tarditas in proverbium abiit. Plaut. in Pseud. 'Nunc vos quia mihi dixi et testes ducere, Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.' Potissimum cochleæ apparent cum imbre leni rorescit. Aristias comicus apud Athenæum: Καὶ κοχλίας γενομένου ψακαδίου Ἠγρεῦετ' ἄν,

καὶ λάχανα τῶν αὐτοχθόνων. Varro III. 14. de Re Rust. Victor. XXXIII. 23. De cochleis altilibus et earum vivariis vide infra IX. 56. *Dalec.*

Est et aliud genus] Pomaliæ. *Idem.*

Indiæ vero Nysa monte] Legendum reor: *In India, Mero Nyssæ monte.* Plinius VI. 21. 'Nec non et Nyssam urbem plerique Indiæ asscribunt, montemque Merum Libero patri sacrum: unde origo fabulæ, Jovis semine editum.' Eadem ferme verba et apud Melam Pomponium leges: nec est ullus ferme aut geographus aut historicus qui non ejus montis meminerit. *Pintian.*

CAP. XL. *De canibus.*

Fidelissimumque ante omnia homini canis] Plurima et memorabilia Rhodig. XVII. 28. Alex. ab Alexand. I. 3. Romæ fuisse in templo Vulcani pro æditui, solis sacrilegis adlatrantes, ejusdem Dei fanum custodisse in Ætna, in Daunia Achaiæ Minervæ delubrum, in Creta Dictææ matris, Græcis blandientes, barbaris infestos, &c. *Dalec.*

Ab alio in Epiro agnitum in conventu percussorem domini] Eadem fide interfecto Hesiodo canes assistentes latratu cædis auctores prodidere. Benevolentiam canum venatoriorum in Nician dominum refert Rhod. XXIII. 27. Canum mirum ingenium in Ætnæo Vulcani templo, ubi ignis ἀκοίμητος καὶ ἄσβεστος custodiebatur, et Minervæ Dauliadis, vide apud Rhod. XXIII. 29. et 30. *Idem.*

Memorat et Pyrrhum Gelonis tyranni canem Philistus] Scribendum puto, *Memorat et Gelonis tyrranni canem Philistus.* De cane Pyrrhi Pollux lib. V. Canes autem præstantes fuerunt, canis Pyrrhi Epirotæ, qui expergefactum dominum vociferantemque servavit, accurrens confestim. Postea eo vita functo, cum cadaver cremaretur, rogo se injecit. Plutarchus etiam libro, Solertiorane sint terrestria animalia, an aquatica, tum hujus canis Pyrrhi Epirotæ privati hominis, tum etiam alterius canis qui fuit Pyrrhi regis, mentionem habet. *Pintian.*

Qui Ceselium jus civile docuit] Jurisconsultum celebrem, Horatio in Sermon. Cascellium. Fuit et L. Cæsellius eruditione celebri grammaticus, cum cujus appellatione Lucii Cæcilii Vindicis, famosi quoque grammatici, memorati Agellio, Charisio, Prisciano, nomen confunditur ab imperitis. Vide Lipsium Var. III. 26. *Dalec.*

In gradibus gemoniis] Ἀναβάθμους vocat Dion in Tiberio: alii *scalas.* Tacitus confossum collaceratumque et abscisso capite truncum Sabini corpus in scalas Gemonias tractum fuisse prodit. A gemitu et planctu dictas vult Rhodig. X. 5. Fuerunt et gradus Castoris ad Græcostasin, et gradus Aurelii in foro, de quibus Cic. in Oratione pro Cluentio. Scalæ Gemoniæ fuerunt in Aventino, prope templum Junonis reginæ, a Camillo captis Veiis dicatum: locum, ubi damnatos suppliciis afficiebant, Sextricium vocaverunt. Alex. ab Alex. III. 5. quo plurima de carceribus, suppliciis, et damnandi modo refert. De gemoniis videatur Sueton. Tiber. c. 75. et Dio Cass. lib. LVIII. p. 712. Cæl. Rhod. VI. 5. et Jac. Fab. Semest. IX. 2. *Idem.*

Solertia et sagacitas præcipua est] Lepide Plautus in Milite: 'Si ita non reperio, ibo odorans quasi canis venaticus, Usque donec persecutus vulpem ero vestigiis.' *Idem.*

Quam silens et occulta, quam significans demonstratio] Adde ex Apogr. Tolet. particulam *sed*, quæ plurimum leporis conciliat orationi: *Sed quam significans demonstratio est.* Pintian.

E lupis Galli] Sic Laconici ex vulpe nati et cane ideo ἀλωπεκίδες vocabantur, Arcadicæ ex Leone λεοντομιγεῖς. *Dalec.*

Ductorem e canibus et ducem habent]

Ita vulgo fit et in Narbonensi provincia. *Idem.*

Indiam petenti Alexandro Magno] De canibus generosissimis Alexandro a Sepithe datis alia memorabilis historia apud Strab. lib. xv. *Idem.*

Jussit ursos, mox apros, et deinde, &c.] Lege: *Jussit ursos, mox apros, deinde damas emitti, contemptim immobili jacente eo, qua segnitie tanti corp. &c.*] Salmas. pag. 191. a. Et paulo post lege: *ingenti primum latratu insonuit, mox increvit assultans, contraque belluam, &c.* Idem.

Rabies canum Sirio ardente] Galenus ultimo κατὰ τόπους, et Aphrodisæus solum canem in rabiem agi ex quadrupedibus scribunt. Porphyrius eo quoque morbo equam tentari prodit, ut et tetano, febre, podagra: boves præterea vulpesque insania corripi. Rabiosi equi meminit Absyrtus. Hierocles eum morbum accidere tradit, vel æstu immodico, vel ob nimium esum ervi. Brod. III. 19. Vide supra II. 40. et infra XXIX. 5. *Dalec.*

Per XXX. eos dies] Fortassis per XL. Tot enim diebus caniculæ vis durat. Galenus de Aliment. Facult. lib. II. Dioscor. de Origano, Hippocr. de Medicam. Purgant. numerat 50. ut et vetus Kalendarium. *Idem.*

CAP. XLI. *Ad canis rabidi morsum.*

Oraculo quodam nuper repertum] Vide infra XXV. 2. et Barthol. Anglic. de Prop. Rer. VII. 67. latissime. *Idem.*

CAP. XLII. *De natura equorum.*

Bucephalon] A frontis latitudine. Strabo lib. xv. *Dalec.*

Neminem hic alium, quam, &c.] Lege: *Neminem hic alium quam Alexandrum regio instratus ornatu recepit in sedem, alias passim recipiens:* quum alias passim sessores reciperet, quum regio instratus erat ornatu, neminem recipiebat in sedem. Vide Salmas. p. 893. a. Et paulo post lege: *Scythici quidem equitatus equorum gloria hæc: repetunt occiso regulo ex provocatione dimicante, hostem cum victor ad spoliandum venisset, ab equo ejus ictibus morsuque confectum: alium detracto oculorum operimento, et cognito cum matre coitu petiisse prærupta atque exanimatum. Qua ex causa in agro Reatino laceratum prorigam accepimus.* Vide Salmas. p. 893. b.

Alios passim rejiciens] Scribo, *Alios passim recipiens*, ex Apogr. Tol. recte: hoc sensu, Instratum ornatu regio, neminem recepisse præter regem: sine illo, passim omnes. *Pintian.*

Urbemque tumulo circumdedit] Supra VI. 20. Aseni, inquit, trium urbium incolæ. Caput eorum Bucephala, Alexandri regis equo (cui fuerat nomen) ibi sepulto conditum. Strabo lib. xv. Bucephaliam ad Hydaspem et in adversa ripa Nicæam, Poro victo, ab eo conditas refert. *Dalec.*

Equum adamatum a Semiramide] Vide quæ notata sunt infra ad XXXV. 10. *Dalec.*

Equam eadem ex causa in Reatino agro, laceratumque pariter aurigam invenimus] Sic leg. alii: verum apographon Tolet. rectius: *Qua ex causa Reatino agro laceratum prorigam invenimus.* Lego *perorigam*, non *prorigam*. M. Varro de Re Rust. II. 7. 'Peroriga,' inquit, 'appellatur quisquis admittit: eo enim adjuvante equæ alligatæ celerius admittuntur.' *Pintian.*

Prorigam invenimus] Varro II. 7. apud eum legitur *peroriga*, sive *perauriga*, ut olim *claudus* et *clodus;* at in vetustis exemplaribus hujus auctoris, *proriga*, et fortassis aliquando rectius *pruriga*, ab admissuræ prurigine. *Scal.* Prurigam igitur, qui ad pruritum Veneris excitat admissarios. Similis huic est historia de Camelo apud Aristotelem περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Vide Varronem loco citato. *Dalec.*

Philarchus refert Centaretum e Galatis prælio occiso Antiocho potitum equo ejus] Lego: *Philarchus refert, Centaretrio e Galatis in prælio occiso. Anti-*

ochum potitum equo. Solinus cap. 46. 'Cum prælio Antiochus Galatas subegisset, Centaretrii nomine ducis qui in acie ceciderat equum ovaturus insiluit.' Consentiunt Solini lectioni præstantes duo auctores Græci. Alter est Lucianus, qui in Dialogo, cui est titulus Zeuxis, vel Antiochus, tradit beneficio elephantorum XVI. vicisse Antiochum regem Galatas, omni belli apparatu instructissimos. Alter Appianus Alexandrinus libro Syrio, quo auctore fuit hic Antiochus primus cognomento Soter, qui Stratonicen novercam amavit. *Pintian.* *Philarchus refert Centaretum*] Legend. *Philarchus refert, Centareto duce e Galatis in prælio occiso, Antiochum potitum equo ejus conscendisse ovantem.* Vide Salmas. 894. b.

Excusso in carceribus auriga, &c.] Lege: *Excusso in carceribus auriga Albati equo Corace occupavere, primatum obtinuere, opponentes, effundentes, omniaque contra æmulos quæ debuissent peritissimo auriga insistente facientes.* 'Corax' equus dictus in illa quadriga præcipuus. In Circensibus nomina equis indebantur vel a celeritate, vel a colore, &c. *Salmas.* 895. 900. b.

In Capitolium cucurrisse equos] Solitos per Latinas ferias illic agitari et exerceri quotannis vide infra XXVII. 7. Idem de Arione equo pernicissimo traditur, illum, in Nemeis deturbato rectore Polynice, reliquos omnes cursu antevertisse. Alex. ab Alex. v. 8. Fiebat id in equitum transvectione, de qua Cujacius Observat. XIII. 29. Just. Lips. de Milit. Rom. I. 5. p. 39. *Dalec.*

Ab Veiis cum palma et corona] Plutarchus in Publicola. *Idem.*

Effuso Ratumena] Vide Lucium Faunum cap. 24. *Idem.*

Mittantur ad sobolem reparandam] Postremum verbum superfluit, ex codice Salmanticensi. *Pintian.*

Et ad quadraginta durasse tradunt] Multum hoc in loco debemus Toletano archetypo, restituta nobis dictione in omnibus exemplaribus obliterata: scribendum igitur, *Opunte et ad quadraginta esse tradunt.* Aristot. VI. 22. 'Equum apud Opuntem gregarium fuisse accepimus qui annos quadraginta natus posset coire, sed adjumentum, quoad sui pedes priores attollerentur, desiderabat:' ridiculo Solini errore, qui Opuntem, nobilem in Locride Græciæ urbem, proprium equi nomen accepit. *Idem.*

Vixisse equum LXXV. annos proditur] Legendum, ut arbitror, *equam*, non *equum*. Nam etsi ambigue id profert Aristoteles VI. 22. unde hæc ferme cuncta hausit Plinius, quia equus dubii est generis apud Græcos, tamen quia paulo ante tradiderat fœminam in eo genere vivaciorem esse, propius vero est ut *equam* legatur, quam *equum*. Idem.

Hippomanes] Theophrastus fragmento de Animalium Invidia. Vide infra XXVIII. 11. *Dalec.*

Caricæ magnitudine, colore nigro] Solinus, *colore fulvo*, non *nigro*, male; nam Aristoteles *nigro* esse tradit, VI. 22. Depravatam in Solino dictionem reor, et pro *furvo*, indoctos librarios *fulvo* scripsisse. *Pintian.*

Quod statim edito partu devorat fœta, aut partum ad ubera non admittit, si quis præreptum habeat. Olfactu id genus in rabiem agitur] Vitiata interpunctio sensum elegantem obnubilat, et ex raro vulgarem facit. Legendum sic: *Quod statim edito partu devorat fœta aut partum ad ubera non admittit. Si quis præreptum habeat, olfactum in rabiem id genus agit.* Aristoteles VI. 22. 'Cum equa peperit, statim secundas devorat, atque etiam quod pupilli nascentis fronti adhæret, Hippomanes dictum, magnitudine minus exigua fico passa, specie latiusculum, orbiculatum, nigrum. Hoc si quis prærepto odorem moveat, equa excitatur, furitque agnito eo odore.' Accedit et Theocriti inter-

pres in expositione Pharmaceutriæ: 'Fertur,' inquit, 'equas, percepto odore hippomanis, furore correptas, impetum in eum qui habeat facere.' *Idem.*

Et Tagum amnem equas Favonio flante] Id fieri in Monte sacro, qui juxta Oceanum procurrit in Occidentem, Columella tradit VI. 27. pro quo apud Varronem Rei Rust. II. 1. corrupte legitur, 'in monte Tagro.' *Dalec.*

In eadem Hispania Gallaica gens, et Asturica equini generis quos Thieldones vocamus minori forma appellatos Asturcones gignunt] Lege: *In eadem Hispania, Calaica, gens est, et Asturica. Equini generis hic sunt quos Thieldones vocamus. Minori fama appellatos asturcones gignunt*, ex archetypo Tol. *Pintian.*

CAP. XLIII. *De asinis.*

Opera sine dubio geruli mirifica, &c.] Legend. *Opera sine dubio generi munifica arando quoque, sed et mularum maxime pro generatione.* Huic generi, inquit, præter dossuariam omnibus notam, opera quoque arando munifica, sed et mulorum progeneratione. Vide Salmas. pag. 338. b.

Mares in remissione operis deteriores] Aut legendum, *Mares intermissione operis deteriores;* aut certe præpositio *in* superfluit. Varro de Re Rustica II. 6. 'Mares non disjungunt ab opere, quod remissione laboris fit deterior.' *Pintian.*

Partus a tricesimo mense ocyssimus, sed a trimatu legitimus, totidem quot equæ, et reliqua] Fœdam verborum depravationem suspicor hic esse, et cum veniæ præfatione castigandam; dictionem enim *partus* in *coitus*, et *legitimus* in *gignunt*, sentio esse mutandam, ut in totum scribatur sic: *Coitus a trigesimo mense ocyssimus, sed a trimatu gignunt totidem quot equæ, et eisdem mensibus;* nam etsi asina et equa vivipara sunt animalia, pariunt tamen interdum geminos, et utraque duodecimo mense, ex Aristotele VI. 22. et 23. Hoc tractandi ordine usus est proximo cap. de equis agens: 'Coitus verno æquinoctio, Bimo utrinque vulgaris, sed a trimatu firmior partus.' Prius de coitu locutus est, deinde de partu. Eundem ordinem hic servari reor. Aristoteles V. 14. 'Asinus tam mas quam fœmina mense tricesimo coit, sed magna ex parte nequeunt generare.' *Idem.*

Sed incontinens uterus urinam genitalem reddit] Apographum Tolet. verius: *Sed incontinens uterus, urina genitale reddit;* hoc est, simul cum urina genituram emittit. *Idem.*

Per raritatem eorum] Alii *per raritatem plancarum;* quam vocem Dictionaria scribunt, hujus loci testimonio auctoratam, et Nonii. Ego malim, *sublicarum*, φάλαγγες Græcis, inquit Scaliger, priscis palangæ et palancæ, unde plancæ, teretes fustes, quibus subjectis naves ex alto subducuntur. Varro de Vita Pop. Rom. lib. IV. 'Cum Pœnus obviam venisset nostris, et quosdam cepisset, crudelissime pro palangis carinis subjecerat, quo metu debilitarat nostros.' Sic Appianus et Plutarchus scribunt: τοῖς τῶν αἰχμαλώτων σώμασι ποταμοὺς καὶ τάφρους γεφυρώσαντα ἐπιβῆσαι. Palare, extendere: inde palancæ, et plaustrum, quasi palaustrum, quod asseribus distentis fiat. *Dalec.*

Notum est, in Celtiberia singulas, &c.] Lege: *Notum est in Celtiberia singulas quadringentena millia nummorum enixas mulorum maxime partu. Aurium referre in his et palpebrarum pilos aiunt.* Reditus asinarum in mularum maxime partu consistebat. Sic singulæ asinæ quadringentena millia plerunque reddebant quotannis, mularum maxime partu. *Salmas.* pag. 338. a.

Pullos earum epulari Mecænas instituit, multum eo tempore prælatos onagris. Post eum interiit auctoritas saporis] Quæ sequuntur, *Asino moriente*

viso celerrime id genus deficit, Viri docti ita emendant: *Lalisionum oriente usu, celerrime id genus deficit.* Lalisio est onagri pullus. Idem cap. sequenti, ubi de onagris: 'Pullis eorum, seu præstantibus sapore, Africa gloriatur, quos lalisiones appellant.' Vide Martial. XIII. 97. *Bouchard.* 191. *Pullos earum epulari, &c.*] Lege, *Pullos earum epulari primum Mecænas instituit, multum eo tempore prælatos onagris: post eum interiit auctoritas sapori: lalisionum oriente usu celerrime id genus defecit.* Vide Salmas. pag. 388. a.

CAP. XLIV. *De mulis.*

Dentes quos pullinos appellant] Sic eos vocat, quibus ætas dignoscitur: unde ἀγνώμονες et λειπογνώμονες equi annosi, quorum ætas ex dentibus nequit cognosci. *Dalec.*

Equo et asina genitos mares hinulos antiqui vocabant] Lego *hinnos*, cum duplici *n*, non *hinulos*. Columella VI. 34. 'Qui ex equo et asina concepti generantur, quamvis a patre nomen traxerint, quod hinni vocantur, matri per omnia similes sunt.' *Pintian.* *Equo et asina genitos, &c.*] Fortassis burdos, buricos, et mannos veterum: de quibus Horatius, 'Appiam mannis terit.' Hieronymus in Ecclesiasten: 'Dignitate perflati vias publicas mannis terant, quos vulgo buricos appellant.' Cujac. Observ. II. 16. *Dalec.*

Vini crebriore potu] Vide quod adnotatum est infra ad XXXIV. 9. *Dalec.*

Cum equa muli coitu natum, quem vocaverint hinnum] Scribo *ginnum*, non *hinnum*. Aristoteles VI. 24. 'Mulus supervenire coireque incipit missis dentibus primis, sed septennis implere potest. Etiam cum equæ conjunctus ginnum procreavit.' Et mox paulo: 'Prodeunt quos ginnos vocant ex equa cum in gerendo utero ægrotant, more pumilionum in ordine hominum, aut porcorum depravatorum in genere suum.' Repetit hoc ipsum secundo de generatione animalium, capite ultimo. Verba autem quæ statim sequuntur, *parvum mulum*, Plinians non puto. *Pintian.*

Duritia eximia pedum, verum strigoso] Laudo, qui pro *rugoso*, ut antea legebatur, *strigoso* substituerunt: quod dubitanter id fecerint, non laudo. *Strigoso* enim, nec aliter legendum esse, monstrant tum ambo exemplaria, tum maxime Columella VI. 35. his verbis: 'Neque tamen ullum est in hoc pecore aut animo aut forma præstantius, quam quod seminabit asinus; quamquam possit huic aliquatenus comparari quod progenerat onager, nisi et indomitum et servire contumax, silvestri more strigosum patris præferret habitum.' *Idem.*

Onagro et asina genitus omnes antecellit] Quod ex onagro et asina procreatus cæteros antecellat, falsum est; idque eximiorum testimonio auctorum comprobabitur. Columella VI. 35. 'Neque tamen ullum est in hoc pecore aut animo aut forma præstantius, quam quod seminabit asinus.' Palladius lib. IV. tit. 14. 'Creantur ex equo et asina vel onagro et equa. Sed generosius nullum est hujusmodi animal, quam quod asino creante nascetur; utiles tamen admissarii nascentur ex onagro et asina, qui post in sobole secutura agilitatem fortitudinemque restituant.' Ex prædictis Columellæ et Palladii verbis palam est, in hoc pecore præferri cæteris quod asinus genuerit: patet etiam ex Palladio utiles esse admissarios ex onagro et asina genitos, quod et Columella ostendit loco ante citato his verbis: 'Itaque ejusmodi admissarius nepotibus magis quam filiis utilis est. Nam ubi asina et onagro natus admittitur equæ, per gradus infracta feritate, quicquid ex eo provenit, paternam formam et modestiam fortitudinemque et celeritatem avitam præfert.' Sed et M. Varro libro secundo, capite sexto, semini

onagros esse utiles scribit. Horum ergo trium auctorum verbis expensis, existimo legendum hoc loco sic: *Sed strigoso corpore, indomito animo. Generando onagro et asina genitus omnes antecellit*; hoc est, ad generandam sobolem. *Idem.*

Lalisiones appellant] Martialis: 'Dum tener est onager, solaque lalisio matre Pascitur, hoc infans, sed breve nomen habet.' *Dalec.*

Templum in arce facerent] Ἑκατόμπεδον id, ac παρθενῶνα, vocaverunt, in omnem partem centum pedum, ædificatum a Callicrate et Ictino architectis. Plutarchus in Pericle. Pausan. Att. pag. 22. 27. et Arcad. pag. 271. 26. Strabo lib. IX. *Dalec.*

Ne frumentarii negotiatores] Publica impensa ut aleretur, decretum fuisse scribit Rhod. XIII. 51. *Idem.*

CAP. XLV. *De bubus.*

Epiroticis laus maxima] Epiroticos boves dici et Larinos Rhodig. testatur cap. 76. a Larino pastore, ab Athenæo lib. IX. etiam nominato, cui Geryone victo educandos Hercules tradidit: alii a patulis naribus, quasi λαρίνους. Eosdem et Cestrinos vocatos fuisse reperio. Pyrrhicas boves, quas et ἀταύρους nuncupabant, quasi tauris intactas, non a Pyrrhi tantum regis nomine appellatas volunt, sed vel a colore, vel ab ignea mobilitate: oves etiam Pyrrhicas, ut et boves, dictas fuisse idem Rhodig. scribit. *Dalec.*

Non ante quadrimatum ad partus vocando] Scribendum non *quadrimatum*, sed *novimatum*, si licet dicere. Aristoteles VIII. 7. 'Augentur juvencæ amplius, cum plus temporis expertes Veneris degunt. Quam ob rem terræ Epiri incolæ, quas Pyrrhicas vocant, annis novem intactas Venere servant, ut incrementum ampliter capiant, et setauros nuncupant. Has numero *CCCC.* esse, et proprias regis accipimus, nec posse vivere locis aliis, quanquam tentatum ab aliquibus est.' Meminit etiam Varro II. 5. boum Epiroticorum, quos ait non Græciæ tantum meliores esse, sed etiam Italiæ. *Pintian.*

Tauri generationem quadrimi implent, et singulis denæ eodem anno traduntur. Si autem post coitum ad dextram partem abeant tauri, &c.] Hunc locum, vitiosissime scriptum, sic posse restitui puto, ex scriptoribus de Re Rustica: *Tauri generant optime quadrimi. Implent et singuli quindenas eodem anno. Traditur autem si post coitum ad dextram partem abeant tauri, &c.* Columella VI. 22. 'Unumque marem quindecim vaccis sufficere, abunde est.' Repetit idipsum Palladius VIII. 5. Secus Varro II. 5. 'Habeo,' inquit, 'tauros totidem quos Atticus: ad matrices LXXII. unum anniculum, alterum bimum.' Quod vero statim sequitur: *si post coitum in dextram partem abeant tauri, generatos esse mares, si in lævam, fœminas*: sumptum id quidem ex Varrone libro citato, sed addit Columella, hoc signum verum esse non aliter apparere, quam si post unum coitum forda non admittit taurum, quod ipsum raro accidit; nam quamvis plena fœtu, non expletur libidine. *Idem.*

Gignunt raro geminos] Omnis scripta et impressa lectio, *Nunc raro geminos.* Lego, *unum, raro geminos.* Aristoteles VI. 21. 'Pariunt singulos, raro geminos. *Idem.*

A Delphini exortu ad pridie nonas Januarii, diebus triginta] Legendum videtur, *diebus quadraginta.* Varro II. 5. unde hoc desumptum, 'Maxime,' inquit, 'idoneum tempus ad concipiendum a Delphini exortu usque ad dies quadraginta aut paulo plus.' *Idem.*

Gentibus quidem quæ lacte vivunt] Lacte potissimum aluntur Scythæ, ideoque servos excæcant, ut assiduam operam in eo agitando et quatiendo præstent. Herod. in Melpomene. Canterus IV. 25. *Dalec.*

Gibber in dorso] Tales vaccas in Americæ septentrionali parte qui His-

pani viderunt, eas sua lingua vaccas 'cocorbadas' vocant. *Idem.*

Socium enim laboris agrique culturæ] Ideo sancitum Athenis lege fuit ne immolaretur, quoniam, ut aiebant, *γεωργός ἐστι καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός.* Rhod. XIX. 26. Ælianus Hist. lib. v. et Sueton. Domit. c. 9. inter initia usque adeo a cæde ipsum abhorruisse ait, ut absente adhuc patre recordatus Virgilii versuum, 'Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,' edicere destinarit, ne boves immolarentur. Et Arat. Phænom. vs. 132. ait æreo demum seculo institutum uti boves aratores seu operarii ederentur. Numæ institutum vetus fuisse refert Bar. Brisson. de Ritu Nupt. mihi pag. 475. Nec abs re est quod Aristoteles in Œconomicis ait, *βοῦς ἀντὶ οἰκέτου τοῖς πένησίν ἐστιν.* Constantinus certe leg. Executores. Cod. Quæ res pig. obl. poss. ob civilia debita boves aratorios pignori capi vetuit, ne culturæ abstraherentur. Cujacius Observat. IV. 20. *Idem.*

Damnatus a populo Romano] Val. Max. VIII. 1. *Idem.*

Thessalorum gentis inventum, equo juxta quadrupedante, cornu intorta cervice tauros necare] Verba hæc Plinii absque dubio mendosa sunt; nam quid est, *cornu intorta cervice tauros necare?* nos scimus moris fuisse Thessalis illis equitibus in hac taurorum venatione, ut tauris adequitantes, injecto ad cornua vinculo, eos cernuare, et humi procumbere, magna vi cogerent. Legendum igitur apud Plinium: *cornu intorto restibus*, vel *retibus.* Πλέγμα et ἅμμα dixit in eadem re Philippus qui hanc Taurorum venationem Thessalis familiarem ita describit hoc epigrammate: *Θεσσαλίης εὔιππος ὁ ταυρελάτης χορὸς ἀνδρῶν Χερσὶν ἀτευχήτοις θηρσὶν ὁπλιζόμενος Δενδροτυπεῖ πώλους ζεύξει σκιρτήματι ταύρων, Ἀμφιβαλεῖν σπεύδων πλέγμα μετωπίδιον. Ἀκρότατον δ' ἐς γῆν κλίνας ἅμα κ' εὔροπον ἅμμα Θηρὸς τὴν τόσσην ἐξεκύλισσε βίαν.* Artemidorus quoque ostendit, in Thessalia qui generosissimi essent, et nobilissimi taurorum venationi operam dedisse. *Salmasius* Hist. Aug. p. 286. b.

Quamobrem victimarum probatio in vitulo] De cura apud veteres, delectuque anxio hostiarum, quas Diis offerrent non mancas aut mutilas, sed omni sui parte integras, vide Alex. ab Alex. III. 12. et Magium IV. 4. *Dalec.*

Nec claudicante, nec aliena hostia] Morbosa, vitiosa, fissis auribus, lingua nigra, cauda, pilo amisso, acuminata. Alex. ab Alex. loco citato. Aliena hostia est, quæ Deo non convenit. Apollini, Marti, Neptuno, taurus cæditur. Nundinis Jovi arietem Flaminica immolat. Idem. *Idem.*

Sub dio haberi solitum] Non in rostris aut curia, sed aprico loco, patentique cœlo, tamen inangurato, ne senatusconsulta irrita forent. Alex. ab Alex. v. 27. *Idem.*

CAP. XLVI. *De Api bove.*

Quem cantharum appellant] Cantharum a coloris nigredine, et scarabæi figura. Auctor est Porphyrius de carnis abstinentia, Ægyptios scarabæum imprimis venerari, quod Solis sit animata effigies. Lunæ eosdem Apin consecrasse, Solis et Lunæ signa gestantem: Solis quidem, nigrum pilum, et sub lingua cantharum: Lunæ vero maculam albam, nascentis Lunæ modo sinuatam. *Dalec.*

Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, &c.] Legend. *Tum delubra ei gemina, quæ vocant thalamos: augurio populorum alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit: responsa privis dat e manu consulentium cibum capiendo.* Populi universi augurabantur læta cum alterum ex his delubris intrasset, in altero dira portendebat; at *privis*, id est, singulis, dabat responsa cibum capiendo e manu. *Salmas.* pag. 440. b.

Omnibus annis ibi auream pateram]

Seneca Quæst. Natural. IV. 2. de Nilo tractans: 'Post magnum deinde spatium duo eminent scopuli, (Nili venas vocant incolæ,) ex quibus magna vis effunditur, non tamen quantum operire possit Ægyptum. In hæc ora stipem sacerdotes, et aurea dona præfecti, cum solenne venit sacrum, jaciunt.' *Dalec.*

CAP. XLVII. *De natura pecorum, et generatione eorum.*

Placamentis Deorum] Herodotus in Euterpe narrat Ægyptios, qui Thebas accolunt, et omnino Thebanam præfecturam habitant, non oves, sed capras Diis immolare: alias vero in præfectura Mendesia oves sacrificare, non capras. Muret. Var. VIII. 18. *Dalec.*

Coitus omnibus ad arcturi occasum, &c.] Scribo, *Coitus omnibus ab arcturi occasu.* Varro XI. 11. 'Tempus optimum ad admittendum ab arcturi occasu ad aquilæ occasum, quod quæ postea concipiunt, fiunt vegrandes atque imbecillæ.' Astipulatur et apographon Toletanum, in quo *ab arcturi occasu* scriptum est ad verbum. *Pintian.*

Rubis vescatur] Colonicum vero solo gramine. *Dalec.*

CAP. XLVIII. *De generibus lanarum, et vestium.*

Lana autem laudatissima Apula] Martialis: 'Velleribus primis Apulia, Parma secundis, Nobilis Altinum tertia laudat ovis.' *Dalec.*

Laodiceæ] Hieronymus in Jovinianum: 'Nunc lineis et sericis vestibus, et Attrebatum, ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis.' *Idem.*

Vellendi mos] Varro de Ling. Lat. l. IV. 'Velise unde essent plures accepi caussas, in queis, quod ibi pastores palatim ex ovibus ante tonsuram inventam vellere lanam sint soliti, ex quo vellera dicuntur.' Idem de Re Rust. lib. II. 'Quam demptam ac conglobatam alii vellera, alii velumina appellant: ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram, quam tonsuram inventam.' Victor. XVI. 24. *Idem.*

Hispania nigri velleris præcipuas habet, &c.] Legendum: *Hispania nigri velleris præcipuas habent; et Pollentia juxta Alpes. Canusium rutili, quas Erythræs vocant, item Bætica. Fulvi Tarentum et suæ pulliginis.* Salmas. pag. 816. b.

Pexis aliena vestibus] Pexæ vestes, in quibus nec stamen, nec subtegmen apparet, eminente et operiente villo. Nam quibusdam licia numerare licet, ut in quarum textis et tramis lana est propior. Tales sunt Istrianæ. Turn. Advers. v. 14. *Dalec.*

Scutulato textu] Scutulas vocat auctor τὰ πλινθία, nimirum quadra, similia retium maculis, quas Græci vocant τοὺς βρόχους. Gallos Diod. ait Saga gestare *ῥαβδωτὰ, πλινθίοις πολυάνθεσι καὶ πυκνοῖς διαλελημμένα, scutulata, et reticulatim distincta*: 'virgata' Propertio et Virgilio, Polluci ῥαβδοειδῆ, non assuto purpureo limbo ornata, ut exponit Servius. Scutale Livio in funda, quod est reticulatum. Polluci βρόχος, sive *macula*, τὸ συνεχὲς ἐν τοῖς δικτύοις διάστημα τετράγωνον, συνεστηκὸς ἐκ τεττάρων ἀμμάτων, ὃ τεινομένης τῆς ἄρκυος γίνεται ῥαβδοειδές. Scutulatus ergo textus, virgatus est, macularum instar cancellatim et reticulatim distinctus. *Lausagias* Galli vocant, a similitudine foliorum Lauri, quasi Laurangias. *Scaliger.* Scutulæ forma quadrata et oblonga. Censorinus, ἑτερομήκεις, quadrangulum imparibus lateribus, et angulis minime rectis, scutulæ simile, XI. 24. Araneorum rete scutulatum est. Turn. XXVII. 24. *Dalec.*

Lanæ et per se coactæ vestem faciunt, &c.] Ad desperationem usque vitiatus hic Plinii locus: lege: *lanæ et per se coactæ vestem faciunt, et si addatur acetum, etiam ferro resistunt: immo vero etiam ignibus.* Hæc ad vestem e coacta lana factam pertinent, quam

faciunt coactilia: πιλωτὰ Græci vocant. quæ sequuntur nihil huc spectant, et longe sunt depravatissima. *Salmas.* 391. b.

In tomenti usum veniunt] Sic legend. Loquitur enim de lanarum purgamentis. Est autem tomentum, culcitræ fartum. Martialis: 'Culcitra tomento quam viduata suo.' Et de tomento, non de indumento accipiendum alioqui satis indicant quæ sequuntur: 'Antiquis enim torus e stramento erat.' *Gelen.*

Antiquis enim torus e stram. &c.] Lege: *Antiquis enim torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. Gausapa patris mei memoria cœpere: amphimalla nostra, &c.* Dicit toros antiquitus e stramento fuisse, et sua adhuc ætate in castris ita esse. *Salmas.* p. 398. a.

Qualiter nunc etiam in castris gausape. Patris mei memoria cœpere, &c.] Aliter in Apographo Toletano: *Qualiter etiam nunc in castris causa patris mei memoria, &c.* Ut forte scribendum sit: *Qualiter etiam nunc in castris gausape. Avorum memoria cœpere amphimalla, sicut nostra villosa etiam ventralia.* Movet me quod non ea fuit conditione Plinius, ut non desiderata fuisset ejus prudentia si in commentatione rerum naturalium, quam ad communem totius humani generis utilitatem componebat, et præsertim Romano imperatori dicata, patris sui meminisset. *Pintian.*

Amphimalla nostra] Ἀμφιτάπητες Hesychio. Lucilius: 'Psilæ, atque amphitapæ molles cum ingentibus villis.' Talia amphimalla hodie sunt, quæ vocamus *couvertes de Cathelogne.* Dalec.

Ventralia] Ventrale, κοιλιοδεσμὸς, φοῦνδα. Glossæ. Jurisconsultis zona, crumena, quam et Fundum vocaverunt et Profundum. Cujacius Observ. x. 27. Gausapa et Gausapia, tapetes insignes mollitia villorum, et artificio texturæ, quibus mensæ teguntur. Martial. xiv. 138. 'Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum.' *Idem.*

Caia Cæcilia] Caia usu super omnes celebrata est. Fertur enim Caia Cæcilia, Tarquinii Prisci regis uxor, optima lanifica fuisse: et ideo in ejus memoriam sempiternam institutum fuit, ut novæ nuptæ ante januam mariti interrogatæ quænam vocarentur, Caiam se esse dicerent. Alex. ab Alex. II. 5. Vide Festum in 'Recta' et 'Regilla.' *Idem.*

In templo Sangi] Equidem demiror quod hic Sangus tantopere ignotus fuerit recentioribus Grammaticis, ut etiam in Liviana historia uno atque altero loco in Janum sit demutatus. Et est quidem unius numinis utrumque nomen: sed hæc Romana appellatio est, illa altera Sabina. *Gelen.*

Colus compta] Vide quod notatum est xxix. 2. *Dalec.*

Rectam tunicam] Recto filorum ductu textam, ὀρθοστάδιον, ἄῤῥαφον, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸν δι' ὅλου. Recta tunica Isidoro, quam sursum versus stantes texunt: *qu'on fait au mestier droit.* Idem.

Soriculata defluxit] Interpretantur quidam Soriculatas vestes ex lino et sparto consertas et condensatas, a conserendo. Turn. ut et Man. legit *Suroriculatas*, sive *Suroreclatas*, quod idem est, exponitque suris et latioribus regulis virgatas, ac eo toto texendi genere confectas, tanquam suro regulatas. *Surus*, ramus, inde fit *surculus.* Quidam a Sura et rica, sive ricula deducunt, non a regula. *Idem.*

Phrygianasque] Seneca de Benef. I. 3. de Gratiis: 'Inveniam alium poëtam apud quem præcingantur, et spicis auro Phrygianis prodeant.' E vetusto codice sic Muretus legit XII. 1. Variar. Turn. tamen *Phryxianas*, quæ Phryxæi velleris crispos ac eminentes villos imitantur: vulgo, *de la frise.* Dalec.

Papaveratæ] Papaveratæ, Isidoro 'Pavitenses:' graviter pressæ et cal-

catæ. Contra 'rallæ,' quas tamen idem Isidorus interpretatur rasiles. *Papaveratæ* Sophocli σπαθητὰ ἐσθῆτες, quoniam κροτοῦνται καὶ σπαθοῦνται. *Pavire*, ferire, παίειν. 'Pavera' frumenta Festo, quorum granum obtritu multo deglubitur, et glumis evaginatur. *Scalig.*

Prætextæ] Lucilius Sat. lib. I. 'Prætextæ ac tunicæ Lydorum opus sordidum omne.' *Dalec.*

Trabeis] Triplex trabea fuit. Prima Diis consecrata, texta sola purpura: altera ex purpura immixto albo, regibus et consulibus peculiaris: tertia ex purpura et cocco, auguribus permissa, dum auguria captant. Alex. ab Alex. v. 18. *Idem.*

Pictas vestes] Palmatas. Tertullian. de Coron. Milit. 'Picta vestis, quæ nunc toga dicitur, antea purpurea vocitata est, eratque sine pictura. Ejus rei argumentum est pictura in æde Vertumni, et Consi, quarum in altera M. Fab. Flaccus, in altera T. Papyrius Censor triumphantes ita picti sunt.' Fest. ἀνθινὰς et ἀνθηρὰς Græci vocarunt. Pollux καταστίκτους, ζωωτοὺς, ζωδιωτούς. Artem. ὀνειροκρ. locupleti fœminæ et meretrici permissas tradit: huic, ut majorem corpore faciat quæstum, illi, luxus causa. Idem Suidas in distinctione ἑταιρῶν. Philarch. Hist. v. tradit, Syracusis mulieri non licuisse uti picta veste, aurove caput redimire, nisi publice prostans cuivis sui copiam faceret: Strab. xv. refert Persarum duces æstate vestem gestare aut purpuream, aut pictam. Had. Jun. I. 13. *Idem.*

Acu facere id Phryges invenerunt] Ægyptii quoque artem illam exercuerunt: eleganter et egregie Martial. 'Quando eques et picti tunica Nilotide Mauri.' Lucanus: 'Quod Nilotis acus compressum pectine Serum Solvit, et expanso laxavit stamina velo.' *Idem.*

Babylon maxime celebravit] Lucretius de amoris insani damno: 'Adde, quod alterius sub nutu degitur ætas: Labitur interea res: tum Babylonia fiunt: Languent officia, atque ægrotat fama vacillans.' Plutarchus auctor est, cum hereditate obvenisset Catoni Βαβυλώνιον πρόβλημα, statim jussisse vendi. *Idem.*

Polymita appellant] Filis diversi coloris in longum et transversum ductis, ut fit hodie. Quidam 'multitia' vocant. Meminit Trebellius Pollio in Quieto, cum ait in ejus familia tunicas, limbos, penulas matronales variantibus liciis effigiem Alexandri monstravisse. Pithæus I. 2. Trilicem loricam tribus liciis ornatam et distinctam fuisse tradit. Turn. XXIX. 35. *Idem.*

Sesquipedalibus libris infecta, &c.] Nam vivarum ovium cum lanam et vellus tingere vellent, adhibitis corticibus sive libris sesquipedalibus medicamento imbutis, qui conservarent inhærentem velleribus infecturam, id faciebant. Turn. Alii *sesquilibris*, id est, in singulas oves adhibita libra et dimidia infectura. Fortassis, *sesquipedalib. fibris*, ut in manuscript. id est, lanæ villis. Isidoro XXX. 22. Fibræ, lana caprina, unde Fibrina vestis, quæ ex ea tramam habet. *Idem.*

Apicas vocabant] Ovis apica, mina Varroni II. 2. *Idem.*

CAP. XLIX. *De musmone.*

De musmone] Vide in Lexico Constantini vocem μούσμονες. *Idem.*

Genus musmonum] Alii *Musimonum*: alii *Musmonium*. Olim Musimonas etiam vocarunt asinos, mulas, equos breves. Lucil. 'Pretium emit, qui vendit equum Musimonem.' De Musimonibus Strabo: Γίνονται δ' ἐνταῦθα οἱ τριχὰ φύοντες αἴγειαν ἀντ' ἐρέας κριοὶ, καλούμενοι μούσμονες, ὧν ταῖς δοραῖς θωρακίζονται. Inde *Sardos Mastruccas* Cicero vocat in oratione pro Scauro, Musimonum pellibus munitos et loricatos. Turn.

Advers. XX. 9. Id animal fortassis est quod XXVIII. 9. 'ophion' vocari tradit, item XXX. 15. *Idem.*

Umbros vocarunt] Umbri, Ibri, Imbri, priscis spurii. Græcis ὀμβρίκαλοι, et ὀμβρίκια, *ferarum catuli.* Hinc Ibridæ canes, Lyciscæ. In veteri glossario, *Umber*, ἡμίονος πρόβατον· *Iber*, ἡμίονος. *Scalig.*

CAP. L. *De capris, et generatione earum.*

Trimæ minus utiliter generant] Archetypum Toletanum et Ch. *Ante trimos minus utiliter generant:* recte, ut de hircis intelligas; nam de caprarum conceptu paulo post. *Pintian.*

Et in senecta, nec ultra quadriennium] Particula *nec* in neutro habetur exemplarium scriptorum: optime; nam teste Columella VII. 6. 'Senecta his ante sextum annum, et quinquennis parum idoneus habetur implendis fœminis.' *Idem.*

In trimatu inutiles] Scribendum proculdubio *utiles*, vel *haud inutiles*. Columella loco proxime signato: 'Anniculæ vel bimæ capellæ, nam utraque ætas partum edit, submitti hœdum non oportet: neque enim educare nisi trima debet.' Palladius XII. 13. 'Trimæ educare optime possunt. Quod teneriores matres generant, transigendum est.' *Idem.*

Longis auriculis infractisque, armis quam villosissimis] Legendum *auribus*, non *auriculis*, ex archetypo Toletan. Confirmat id quoque Columella VII. 6. 'Optimus,' inquit, 'habetur amplissimi corporis, cruribus crassis, plena et brevi cervice, flaccidis et prægrandibus auribus.' *Pintian.*

Laciniæ] Festus vocat Noneolas, vel, ut quidam legunt, Nævolas. Varro II. 3. mammillas pensiles. *Dalec.*

Archelaus auctor est] Ab Alcmæone id proditum, non Archelao, scribit Arist. sed οὐκ ἀληθῶς, ὅτι ἄπνουν ἐστὶ μόριον. Vide Rhodig. V. 29. Victor. XXXVI. 9. Varronem de Re Rust. II. 3. Oppianus capras silvestres scripsit non quidem auribus spirare, ut Alcmæon apud Aristot. sed fistula, quæ a palato pertinet ad interstitium cornuum. Spirare utraque parte putat Ælianus de Animalibus I. 51. *Idem.*

In Cilicia, circaque Syrtes villo tonsili vestiuntur] Alii leg. *circaque Syrias*, non male. *Bouchart.* 625.

Quem aruncum vocant] Græci ἤρυγγον. Inde apud Plutarch. de herba Eryngio male hoc ipsum scriptum, quod hic Plinius ex Arist. tradit. Locus est in lib. de iis qui sero a numine puniuntur. Vide in Lexico Constant. ἤρυγγος. *Dalec.*

Olivam lambendo quoque, &c.] Huc refer illa XVII. 24. 'Oleam quidem etiam si lambat capra, sterilescere auctor est Varro, ut diximus.' Vide et Ursin. Not. Var. pag. 19. *Idem.*

Minervæ non immolantur] Vide et quæ supra cap. 47. hujus libri adnotavimus. *Dalec.*

CAP. LI. *De suibus et natura earum.*

De suibus] De hoc animali, et multis ejus nomenclaturis, vide Rhod. XXV. 26. *Idem.*

Partus bis anno] Plutarch. in Caus. Natur. sues domesticas sæpius ait parere et incerto tempore, feras autem semel duntaxat æstatis initio. *Idem.*

Flaccidas aures] Id est, pendulas et demissas: quod accidit porcis natu jam grandioribus; nam junioribus subriguntur et erectæ manent. *Id.*

Anginæ maxime] Plaut. in Trinum. 'Sues moriuntur angina hic acerrima.' *Idem.*

In luto volutatio generi grata] Id nimirum est, quod Heraclitus Ephesius scribit, sues cœno lavari, ut cortales aves pulvere et cinere. Aristophani γρυλλίζουσι et κοΐζουσι sues. *Idem.*

Quin et duces in urbe] Habet et vetus exemplar sic. Sed quid sibi volunt hæc duo vocabula, *et duces?* Possem hic aliquid comminisci pro illorum expositione. Verum ut inge-

nue fatear, mihi locus videtur esse depravatus, et *cicures* forte legendum, non *et duces*. Quia autem insolens verbum erat, corrupit librarius quod non intelligebat; nam sequitur statim *et feri*. Disserit itaque prius de cicurum porcorum natura, mox de feris. *Rhenanus.*

Castrantur fœminæ quoque sicuti cameli post bidui inediam suspensæ pernis prioribus] Aristoteles libro nono capite ultimo, *posterioribus*, non *prioribus*, ait Græca voce ὀπισθίων. Theodorus tamen *prioribus* transfert : causam ignoro, nisi quod ita in Plinio invenerat. *Pintian.* *Castrantur fœminæ quoque*] Vide quod adnotatum est ad XI. 37. *Dalec.*

Celerius ita pinguescunt] Et caro suavior est. Galen. lib. I. de semine. *Idem.*

Abdomina] Vide infra XI. 37. *Id.*

Publii] Syri, qui Laberium vicit eo genere poëmatis. *Idem.*

Aprugnum] Sumen aprugnum : quod cum sua vulva convivis Heliogabalum apposuisse Lampridius testatur. *Idem.*

CAP. LII. *De vivariis bestiarum.*

CAP. LIII. *De semiferis animalibus.*

Solidum aprum Romanorum] Juvenalis Sat. I. 'quanta est gula, quæ sibi totos Ponit apros, animal propter convivia natum?' *Dalec.*

Hybridas] Vide quod annot. in superius caput proximum 49. ad vocem 'Umbros.' *Idem.*

Quanquam onerato capite vastis cornibus gladiorumque vaginis, in hæc se librant, ut tormento aliquo rotati, in petris potissimum e monte aliquo in alium transilire cupientes, atque recursu pernici quo libuerit exultant] Difficilis est hic locus, et dubio procul a nemine intellectus. Exemplar manuscriptum hujusmodi lectionem continet : *Quanquam onerato capite vastis cornibus gladiorumque vaginis in hæc se librat ut tormento aliquo rotatus in petras potissimum et monte aliquo in alium transilire quærens atque recursu suo pernicius quo libuit exultat.* Nodus vero omnis in his duobus vocabulis est, *gladiorumque vaginis*, quidnam hæc sibi velint; nam alioqui vetus lectio cum vulgata consentit, nisi quod doctus quispiam in plurativum numerum mutavit quæ illic in singulari ponuntur, nihilo melius quam *petras* in *petris*, et *recussu* in *recursu*. Christophorus Longolius, huic loco manum admolitus, *in his se librant* legendum putavit, ut referatur ad vaginas gladiorum, quod esse debet, *in hæc se librat*, quemadmodum vetus exemplar testatur; hoc est, germanam Plinii lectionem mutavit in adulterinam. Quod si etiam *in iis se librant*, non *in hæc se librat* legamus, id quod tamen faciendum non est, quid tum? An bene propterea habebit sententia? Minime sane. Quis interim docet quid sibi velit *gladiorum vaginæ?* Mirabile vero animal quod gladiorum vaginis oneratum caput habet; num in vaginis conditi sunt gladii, an vacuæ vaginæ sunt? Vastis certe cornibus et alia quædam animantia prædita reperiuntur : at monstro similis est, imo monstrum potius, belua gladiorum vaginas in capite circunferens. Itaque cum reliqua satis recte habeant, video nodum omnem, ut ante dixi, in his duabus dictionibus *gladiorumque vaginis* consistere, quarum utramque mendosissimam reor, qui putem a Plinio scriptum fuisse *lateque vagis*; quod vocabulum cum distantioribus syllabis exaratum esset, hoc forte pacto, *la te que va gi s*, librarius, aliquid deesse existimans, expletis per sinistram suam diligentiam lacunis, hoc est, *g* litera addita, et *t* in *d* mutata, (nam *glate* non placebat,) et *orum* genitivi plurativi terminatione annexa, ac postremo *ni* syllaba introserta, in hunc tandem modum tam fœde depravarit. Enimvero dum hunc locum curiosissime excuterem, cum quo, crede mihi,

diutissime sum luctatus, visum est mihi legendum esse: *lateque vagis. Ibix in hæc se rotat;* nam conjicio *ibix* in *ivix*, primum eo quod *u* pro *b* usurpent librarii, mox in *ivis*, et postremo in *inis* facile mutari potuisse. Quæ vox ad *vagis* addita, *vaginis* indubie constituit: quanquam etiam si non exprimatur *ibix*, subintelligitur tamen in hac oratione, *in hæc se librat;* additum vero, sensum illustriorem reddit; imo plane vaginas gladii consecuti sunt. Nam cum hoc erratum admissum esset, ut *vaginis* pro *vagis ibix* scriberetur, jam non quadrabat præcedens dictio *lateque;* male enim sonabat in auribus librarii quamlibet crassis hæc oratio, *lateque vaginis.* Quare cum vaginæ fiant, ut in iis gladii condantur, vocabulum *lateque* mutavit in *gladiorumque* pulchro futuro sensu, *gladiorumque vaginis*, ut stipiti illi videbatur. Profecto nusquam verius est illud Aristotelis, ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, τὰ ἄλλα συμβαίνει, quam in depravationibus auctorum, ubi unum erratum admissum statim multa consequuntur. Leges itaque et distingues totum Plinii locum hoc modo: *Sunt ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite vastis cornibus lateque vagis. Ibix in hæc se librat, ut tormento aliquo rotatus in petras, potissimum e monte aliquo in alium transilire quærens, atque recussu pernicius quo libuit exultat.* Sententia nunc est clarissima, quæ hactenus obscurissima fuit. Restituimus præterea e codice manuscripto *petras*, ubi perperam in vulgatis editionibus *petris* legebatur, et *quærens*, quod doctus quispiam in *cupientes* mutarat, non putans satis Latine dici, *quærens transilire.* Item *recussu pernicius quo libuit exultat*, quod prius scriptum erat, *recursu pernici quo libuerit exultat.* Rhenan.

E monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recursu pernicius quo libuerit exultant] Scribo, partim ex veteribus codicibus, partim ex conjectura: *E monte aliquo in alium transitum quærentes, æque recursu pernici quo libuit exultant.* Nam scripta lectio *transitum*, non *transilire*, et *pernici*, non *pernicius*, agnoscit. *Pintian.*

CAP. LIV. *De simiis.*

Hominis figuræ proximæ] Habes infra hujus argumenti integrum XI. 44. 'Nam simiarum,' inquit, 'genera perfectam hominis imitationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris,' &c. Vide locum. *Dalec.*

Caudis inter se distinguuntur] Simias curtas et cauda carentes Græci πιθήκους nominant, caudatas vero κερκοπιθήκους. Harum genera sunt κῆβοι, Aristot. οὐρὰν ἔχοντες, ut et callitriches. Festive Juvenal. Sat. X. de rugoso sene: 'deformem pro cute pellem, Pendentesque genas, et tales aspice rugas, Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus, In vetula scalpit jam mater simia bucca.' Festus: 'Cercolopis (alii *Cercalopex*) genus simiæ, quæ ultimam partem caudæ villosam habet.' Idem clunas simias a clunibus tritis dictas existimat. Vide ad eadem Scaligerum. De simiis multa Solinus Polyhist. c. 40. qui eadem quæ hic fere tradit: Arist. Histor. Animal. II. 8. *Idem.*

Mutianus et latrunculis lusisse, &c.] Lege: *Mutianus latrunculis lusisse, fictas cera icones visu distinguere:* ceræ icones optime et ad nativum vultus repræsentant, et nulla pictura veritatem magis imitatur quam cera; at simiæ sciunt visu ipso distinguere icones cera fictas a veris vultibus. *Salmas.* pag. 376. a.

Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio] Lege: *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio: gestant catulos: quæ intra domos peperere, omnibus demonstrant, tractarique gaudent, gratulationem intelligentibus similes.* Vide Salmas. pagina 377. a.

Tractarique gaudent similes gratula-

tionem intelligentis. Itaque magna ex parte, &c.] Locus est corruptissimus. Exemplar Toletanum: *Tractarique gaudent, gratulationem intelligentibus. Similiter magna ex parte, &c.* Salmanticense propius veritatem: *Tractarique gaudent, gratulationem intelligentibus. Similis itaque magna ex parte, &c.* Scribo: *Tractarique gaudent, gratulationem intelligentes. Simiolas itaque magna ex parte, &c.* Oppiani sententiam hoc loco præterire nolui; scribit enim libro Cynegeticôn III. simias semper duos parere, quorum alterum amant, alterum odere, quem statim arctiore complexu enecent. *Pintian.*

Satyris et Sphingibus] Quales fuerint Satyri et Sileni, Bacchi, et cur ita dicti, vide Rhodig. XIX. 25. *Dalec.*

CAP. LV. *De leporibus et cuniculis.*

Leporum generis sunt] Πτωκὰς Græci vocant a pavore; nam, ut inquit Pollux, δειλίᾳ ὑπερβάλλει τοῦτο ζῶον ἔμπληκτον ῥᾷστα γιγνόμενον καὶ ἀναπτοούμενον. Quamobrem ei lustra sunt θάμνοι συνηρεφεῖς, καὶ ἀμφιλαφεῖς, *densa umbrosaque dumeta.* Dicitur et λαγὼς *ab aurium magnitudine*, ἀπὸ τοῦ λὰ καὶ τῶν ὤτων, vel, ut aliqui volunt, ἀπὸ τοῦ λάειν, id est, βλέπειν, quod dormiat oculis apertis. ἐν πᾶσι τοῖς λαγῴοις Græci aiunt, lautissimas delicias significantes. Hujus animalis colorem ἐπίπερκνον dicunt, qualis est olivæ nondum maturitate nigrescentis. Varroni leporum genera sunt, Italicum, Gallicum, Hispanum; Xenophonti montanum, campestre, palustre; Polluci Elymæon describitur vulpis magnitudine. Chelidonios memorat Athenæus: Moschias quidam citant, tanta vi spiritus, ut in furorem canes agant. Rhod. XXVI. 29. et 30. Vide quod notavimus ad XXVIII. 19. *Idem.*

Archelaus auctor est, quot sint corporis cavernæ ad excrementa lepori] Ex Varrone hoc mutuatus est, diversis quidem verbis, an sensu eodem, non statuerim. Varronis verba sunt de Re Rust. III. 12. 'Itaque de his Archelaus scribit, annorum quot sint qui velit scire, inspicere oportere foramina naturæ, quod sine dubio alius alio habeat plura.' *Pintian.*

Benigna circa hoc] Herodotus lib. XIII. *Dalec.*

Superfœtat] Ἐπικυΐσκεται. Equas et mulieres quoque superfœtare, pro indubitato habetur. Hæc non leguntur apud Herodotum. *Idem.*

CAP. LVI. *De semiferis.*

CAP. LVII. *De muribus et gliribus.*

Arrosis Lavinii clypeis argenteis] Plautus in Persa: 'Pater, avos, proavos, abavos, tritavos, Quasi mures edere semper alienum cibum.' *Dalec.*

Theophrastus auctor est] Fragmento περὶ τῶν ἀθρόων φαινομένων ζῴων. Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Stephanus de Urbibus. *Idem.*

Vænisse murum CC. nummis] Valerius VII. 6. ducentis denariis. Strabo lib. V. μέδιμνον, non *murem*, vænisse διακοσίων δραχμῶν. Nummi enim sestertii intelliguntur. Pollux Onomast. lib. IX. δύνασθαί φησι νοῦμον οἷα ἡμιοβόλια, non, ut legitur, ὀμόλια, id est, *quantum sestertium.* Mitaler.

Nam soricum occentu] Audito soricis occentu Fabius Max. dictatura, Caius Flaminius magisterio equitum se abdicarunt. Valer. Max. lib. I. Mures in fundamentis urbis, quæ ad Strymonem ædificabatur, pugnantes reperti, cives ostenderunt feroces ac bellicosos fore. Alex. ab Alex. V. 13. et 19. Lepide Plautus in Truculento: 'sed tamen Cogitato, mus pusillus quam sapiens sit bestia, Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam; Quia si unum obsideatur, aliud perfugium erit.' *Dalec.*

Quos censoriæ leges, princepsque M. Scaurus in cons.] Hoc est, Censores, et ante eos Scaurus Consul, cœnis ademere. Sic enim dictum est hic *Prin-*

ceps, quomodo apud Poëtam: 'Princeps ærata Tarchon secat æquora prora,' id est, primus. *Gelen.*

Senium finitur hiberna quiete] Videtur scribendum *somnus*, non *senium*, ex Oppiano Cynegeticon lib. XI. prodente totam eos dormiendo hyemem exigere: et Aristotele VIII. 17. 'Glires etiam latent in ipsis arboribus, pinguescuntque per id tempus vehementer.' Martialis in Xeniis: 'Tota mihi dormitur hyems, et pinguior illo Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.' *Pintian.*

Rursus æstate juvenescunt] Depravata priore dictione *somnus*, detortaque in *senium*, hoc est, senectutem, cutemve, exuviasque illas quæ exuunt nonnulla animalium quæ conduntur, consentaneum erat ut posterior illi conjuga eandem subiret aleam. Existimo igitur legendum non *juvenescunt* sed *vivescunt*, hoc est, reviviscunt, quasi tota hieme, quam dormiendo transegerunt, mortui potius quam vivi jacuerint, quando, ut summus ait poëta: 'consanguineus est leti sopor.' Hoc verbo 'vivesco' tum alias Plinius utitur, tum IX. 51. de anguillis loquens his verbis: 'Anguillæ atterunt se scopulis: ea strigmenta vivescunt.' *Idem.*

Nitelis quiete] Nitedulæ, parvi mures, subterranei puto, a nitore pilorum et cutis dicti: vulgo *rate courte*, Northmannis *mulots*, quasi *nilots*. Cic. pro Sestio: 'Quum id etiam civitatis fatum fuit, ut illa ex veprecolis extracta nitedula Remp. conaretur arrodere.' *Dalec.*

CAP. LVIII. *Quæ animalia quibus locis non sint.*

In Lycia dorcades non transeunt montes Syris vicinos] *Cilicia* verior lectio quam *Lycia;* nam Ciliciam conterminam esse Syriæ, haud Lyciam, in aperto apud omnes est. *Pintian.*

Onagri montem qui Cappadociam a Lycia dividit] Eadem hic quæ statim ante menda. Scribendum enim, *a Cilicia*, non *a Lycia:* tum ex utroque exemplari, tum ex Ptolemæo tradente, Tauro monte Cappadociam a Cilicia dirimi. Item Lycaoniam partem esse Cappadociæ, idem prodit Ptolemæus. At in Lycaonia multos esse onagrorum greges, et M. Varro tradit de Re Rustica, XI. 6. et Plinius hoc ipso libro, cap. 43. *Pintian.*

In Bœotiæ Lebadia illatæ, &c.] Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Dalec.*

Cyrenis mutæ fuere ranæ] Idem ibid. vide et inf. XI. 51. *Idem.*

Nec in Creta insula] Nec in Britannia. *Idem.*

Maleficum animal] Addit Solinus: 'Serpens nulla:' quamvis incolæ spectati viri in ea serpentes gigni narrent, sed morsu innoxio: quidam etiam perniciosos. Brod. III. 11. *Idem.*

Item apros et attagenas herinaceos] Scribendum videtur permutato conjunctionis loco, *Item apros, attagenas, et herinaceos.* Cæterum inter animalia terrestria, et quadrupedes, de quibus non tantum hoc capite, imo vero toto hoc volumine, disseritur, quis locus est, obsecro te, humane lector, attageni avi Ionicæ? Nam etiamsi in Creta non esset Attagen, alienum erat hoc loco indicari id quod erat proprium X. 29. cujus lemma est: 'Quæ aves in quibus locis non sunt:' ubi Plinius scribit noctuam in Creta non esse: non utique prætermissurus de attagene. Et ut quod sentio dicam ingenue, puto hanc dictionem inter eas esse connumerandam, quæ falso in Historiam Naturalem irrepserunt. *Pintian.*

Nec ursos] Supra cap. 36. hujus libri, sub finem, Domitius Ænobarbus Ædilis Curulis ursos Numidicos centum, et totidem venatores Æthiopas in Circo dedit. Juvenal. Sat. IV. 'Profuit ergo nihil misero quod cominus ursos Figebat Numidas Albana nudus arena Venator.' Martial. 'Et freno Libyci domantur ursi.' Virgil. 'Horridus in jaculis, et pelle Libys-

tidis ursæ.' Solinus forma Numidicos ursos cæteris præstare tradit. Fortassis legendum, *Uros*. Dalec.

CAP. LIX. *Quæ advenis noceant.*

LIBER IX.

CAP. I. *De aquatilium natura.*

CAP. II. *Quare in mari maxima animalia.*

Mollique ac fertili accremento] Antiqua lectio, *Mollique ac fertili nutrimento*. Nec displicet. Aristoteles de longitudine ac brevitate vitæ capite secundo: 'Oportet enim intelligere, quod animal est natura humidum et calidum, et vivere tale quippiam est: at senectus frigida et sicca.' Et de Generatione Animalium I. 16. 'Nutrimentum enim omnium humidum magis.' *Pintian.*

CAP. III. *De Indici maris belluis.*

Tunc illic ruunt turbines] Nam ea pars anni illis hiems est, non, ut nobis, frigoris asperitate, sed assiduis imbribus, tonitruis, tempestatibus, nimbis, procellis. *Dalec.*

Gedrosos] Strabo lib. XV. de Ichthyophagis inter Carmanos et Oritas sitis id tradit, non de Arbiis. Verisimile est autem vicinos Gedrosios id de illis narrasse. *Idem.*

Exeunt et pecori similes belluæ] Onesicritus apud Strab. lib. XV. narrat circa Taprobanen Indiæ belluas marinas ancipitis vitæ nasci, alias bobus similes, alias equis, alias variis animalibus terrestribus. *Idem.*

CAP. IV. *Quæ in quoque Oceano maxima.*

CAP. V. *De Tritonum et Nereidum, et elephantorum marinorum figuris.*

Concha canentem] Interpres Homeri scribit, ante inventam a Tyrrhenis tubam priscos ejus loco usos fuisse concha: unde Virgil. Æneid. VI. 'Sed tum forte cava dum personat æquora concha.' Turn. XXVIII. 44. *Dalec.*

Nereidum] Sic Poëta vocant Nerei et Doridis filias, Νησαίην, Κυμοθόην, et alias permultas. Nereum, Orpheo in Argonaut. Deorum antiquissimum, Virgilio grandævum, Oceani et Tethyos filium, ex imitatione Pherecydis Syrii, vaticinantem et futura prædicentem inducit Horatius Protei modo. Hadr. Jun. IV. 22. Tritonis figuram, qualis sit, accuratissime describit Pausanias, et Vitruv. de Architect. I. 6. et Hub. Goltz. Græc. Vet. tab. I. num. 4. et 6. &c. *Idem.*

Squamis modo hispido corpore, etiam quo humanam effigiem habent] Exemplar Salmant. *etiam in qua* legit, non *etiam in quo*. Scribendum censeo: *Squamis modo hispido corpore, ut in aqua humanam effigiem habente*. Pintian.

Marinum hominem] Juvenal. Sat. XIV. 'Grande operæ pretium est, ut tenso folle reverti Inde domum possis, tumidaque superbus aluta, Oceani monstra et juvenes vidisse marinos.' *Dalec.*

Contra Lugdunensis provinciæ littus in insula] Scribere mallem, *Contra Lugdunensis provinciæ littus impulsas*; ut capite sequente: 'Et dum saginam persequitur in littus fluctibus propulsa.' *Pintian.*

Elephantos] Elephantus, Rosmarus Olai Magni. Vide quod adnotatum est XXXII. 11. *Dalec.*

Cornibus assimulatis] Exertis dentibus, ut in elephantis terrestribus. Horum autem dentes cornua vocari Juba et Pausanias ostendunt. *Idem.*

Nereidas] Apud Alexand. ab Alex. III. 8. Gaza Nereidem in Peloponnesi littus ejectam vidit, Trapezuntius in mari natantem, Draconetus Bonifacius Neapolitanus Tritonem melle conditum, multi vivum captum in maritimis Epiri. *Idem.*

Belluæ, cui dicebatur exposita, &c.] Πίστρικα, πρίστιν, et πρῆστιν hoc ceti genus auctores vocant. Pistricem Festus in voce 'Balæna,' Cicero in hoc versu: 'Tum vero fugit Andromeda, et Neptuni pistrix:' Arati Græcus est: Οὐδὲ μὲν 'Ανδρομέδης, καὶ κήτεος ὅσσ' ἐλέλειπτο. Pristin Virgil. 'Frons hominem præfert, in pristin desinit alvus.' Florus III. 5. Epicharmus in nuptiis Hebes: Ἦν δὲ ζύγαιναι, πρίστιες, ῥῖναι τε τραχυδέρμονες. Polycharmus in Lyciæ commentariis, quo loco scribit, vati augurium captanti e piscibus interdum apparere Orphos et Glaucos, interdum φαλαίνας et πρίστεις. 'Από τοῦ πρίζειν dictam volunt, quod tenuis corporis longo tractu fluctus secat et findit. Seneca e Pedone: 'Qui ferat Oceanum, qui sævas undique pristes, Æquoreosque canes ratibus consurgere pansis.' Πρῆστιν dixit Oppianus 'Αλιευτικῶν l. I. ἐν δὲ δαφοινῇ Πρῆστις. Pristin et poculi genus, et navis item dixerunt. Quadrigarius apud Nonium, Livius lib. IV. Decad. V. Polybius. Virgil. 'Velocem Mnestheus agit acri remige pristin.' Had. Jun. II. 13. *Idem.*

CAP. VI. *De balænis et orcis.*

Et cujus imago nulla repræsentatione, &c.] Balænarum plana et lævis cutis est, orcarum canaliculatim striata, qualem vidimus in litus ejectam prope Monspessulum. *Idem.*

Ora balænæ] Tubulatas fistulas. *Dalec.*

CAP. VII. *An spirent pisces, an dormiant.*

Aliæ spirabilia inesse viscera] De hac quæstione multa Rhodig. IV. 15. *Id.*

Dormiunt in terra] Vide quæ supra notata sunt ad cap. 36. hujus libri. *Dalec.*

CAP. VIII. *De Delphinis.*

Ut plerunque vela navium transvolent, &c.] Lege: *ut plerumque vela transvolent, vagantur fere conjugi: pariunt catulos decimo mense.* Salm. pag. 185. *Ut plerunque vela navium transvolent*] Aristoteles non vela navium, sed malos transgredi ait libro nono cap. 48. 'Quo,' inquit, 'impetu fit, ut sese ejaculentur in aërem, et supersiliant malos navigiorum quæ forte affuerint.' Decepit Plinium similitudo quæ apud Græcos est duorum nominum, *veli* et *mali*, hoc est, ἱστίον et ἱστός. Vidit hoc ante me Franciscus Massarius, et ante Massarium Matthæus Fortunatus in Castigationibus naturalium Senecæ quæstionum. *Pintian.*

Agunt fere conjugia] Scribo, *Agunt vera conjugia.* Naturalia enim conjugia veraque sunt marium cum feminis. Aristoteles eodem libro et capite, *Degunt conjugatim mares cum feminis.* Romana quoque impressio *vera* habet, non *fere*, neque, ut alia præferunt exemplaria, *vere.* Pintian.

Pariunt catulos decimo mense] Arist. Hist. VI. Κύει δὲ δέκα μῆνας· τίκτει δὲ ὁ δελφὶς ἐν τῷ θέρει· ἐν ἄλλῃ δὲ ὥρᾳ οὐδεμίᾳ. Solinus: 'Catulos edunt; decimus mensis maturum facit partum; Lucinam æstivus dies solvit.' Vide locum cap. 22. Polyhist. ubi ad verbum hoc caput fere citatur. *Dalec.*

Solent in terram erumpere incerta de causa, et statim tellure tacta moriuntur] Scribo: *Nec statim. Tellure tacta moriuntur.* Significat autem hic *statim*, non confestim et illico, quod Hermolao causa erroris fuit, sed stato, certo, ac definito tempore. Aristoteles libro nono, cap. 48. 'Ambigitur autem de ipsis, cur in terram erumpant. Facere enim ipsos hoc temere, et ut casus tulit, non certa de causa prædicant.' Sic enim melius Aristotelis mens exprimitur, quam ex

Theodori tralatione. Quod ergo Aristoteles *temere*, Plinius *incerta de causa*; quod ille, *ut casus tulit*, Plinius *nec statim*. Nam quod Hermolaus ait, statim tacta terra delphinos emori, falsum est. Tacta terra emori fateor, statim tacta nego. Idque in Plinio Cæcilio, nisi ei excidisset, Hermolaus legerat libro epistolarum octavo: 'Incredibile,' inquit, 'tam verum tamen quam priora, Delphinum gestatorem collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum ubi incaluisset in mare revolvi.' Vetus quoque et omnis impressa lectio *nec statim* habet, non aliter. *Pintian.*

Tellure tacta moriuntur] Inde proverbium: 'Delphinus in litore.' Ovid. 'Quem postquam bibulis injecit fluctus arenis, Unda simul miserum, vitaque destituit.' Loquitur de Delphino. *Dalec.*

Lingua mobilis] Liberam et absolutam esse negat Aristoteles Histor. lib. IV. *Idem.*

Nomen Simonis] Apud Nonium in Pecus, Livius, vel, ut legit Scaliger, in Ægistho, delphinos vocat 'lascivum Nerei simum pecus.' *Idem.*

Delphinus non homini tantum, &c.] Lege: *Delphinus non hominis tantum amicum animal, verum ex musica arte mulcetur, symphoniæ cantu, &c.* Salmas. pag. 185. a.

Ni res Mæcenatis et Flaviani] Scribendum *Fabiani*, non *Flaviani*, tum ex Indice operis, tum etiam ex Solino, cap. 17. 'Pigeret,' ait, 'asseverare hoc, ni Mæcenatis et Fabiani, multorumque præterea esset literis comprehensum.' Utitur etiam testimonio hujus Fabiani Seneca, in libro de consolatione ad Martiam, et alibi sæpe. *Pintian.*

Per magnum æquor in ludum ferebat] Parem fere historiam in Laconicis Pausanias refert ad Emporoselenen visum a se Delphinum, qui puero a quo sanatus fuerat, cum piscatores eum caperent, mercedem curationis pendebat, dicto se audientem præbebat, et quocunque jussisset, dorso transvehebat. *Dalec.*

Inhospitales] *In hospitales* divisim legendum: hoc est, Hipponenses, qui magistratus magno sumptu excipiebant. *Dalec.*

Puerum Alexander Magnus, &c.] Lege: *Puerum Alexander Magnus Babylonem nomine, Neptuni sacerdotio præfecit.* Salm. *Puerum Alexander Magnus, &c.*] Athenæus Dionysium vocat lib. XIII. ubi ejusdem argumenti pleraque alia leguntur scitu dignissima. Vide locum, non procul a fine. *Dalec.*

Ad intercipiendos ejus quæstus] Ut pecuniam auferrent, quam is arte sua quæsiverat. *Idem.*

Ut prius caneret cithara] Magnam vim Musices non solum in ea quæ ratione carent, sed etiam in animos corporaque hominum, vide apud Magium IV. 13. et Carpentar. super lib. VI. Aristot. de Divina Sap. Ægypt. et Martian. Capell. Philolog. lib. IX. pag. 369. Apollon. Hist. Mirabil. pag. 48. Boëth. Music. in princip. Cæterum id quod de vi ejus in morbis quibusdam curandis scribitur, dubitationem habere, ait Muret. Var. VI. 14. *Idem.*

Est provinciæ Narbonensis et in Nemausiensi agro, &c.] Lege: *Est provinciæ Narbonensis et in Nemausiensi agro stagnum Latera appellatum, ubi cum homine delphini societate piscantur. Innumera vis mugilum stato tempore angustis faucibus stagni in mare erumpit, observata æstus reciprocatione. Qua de causa prætendi non queunt retia aquæ, molem ponderis nullo modo toleratura. Jam si non solertia insidietur tempori, simili ratione in altum protinus tendunt, quod vicino gurgite adfligitur, locumque solum pandendis retib. habilem effugere festinant. Quod ubi animadvertere piscantes, concurrit autem multitudo, temporis gnara, et magis etiam*

voluptatis hujus avida, totusque populus e litore quanto potest clamore conciet Simonem ad spectaculi eventum. Celeriter Delphini exaudiunt desideria, Aquilonum flatu vocem prosequente, Austro vero tardius ex adverso referente astum, tum quoque improviso in auxilium advolant. Properare apparet; aciesque protinus disponitur in loco, ubi conspectus est pugnæ: opponunt sese ab alto, trepidosque in vada urgent, &c. Vide Isac. Voss. in Melam, pag. 179.

Stagnum Latera appellatum] Vide quod adnotatum est supra III. 4. *Dalec.*

Angustis faucibus stagni, &c.] Eas fauces Monpessulani vocant, *la Craus pres de Mangueil.* Idem.

Quod ubi animadvertere piscantes, concurrit autem multitudo temporis gnara et magis etiam voluptatis hujus avida, totusque populus e littore quanto potest clamore conciet Simonem, ad spectaculi eventum] Luxatus est, ni fallor, dictionum sensuumque ordo, et permista ac confusa omnia. Tolerabilior autem lectio et rationi magis consentiens ad hunc modum: *Quod ubi animadvertere piscantes totusque populus (concurrit autem multitudo temporis gnara, et magis etiam voluptatis hujus avida ad spectaculi eventum) e littore quanto potest clamore conciet, &c.* Pintian.

CAP. IX. *De tursionibus.*

CAP. X. *De testudinibus, et quomodo capiantur.*

Testudines tantæ magnitudinis] Vide XXXII. 4. Pausanias lib. I. marinas terrestribus dissimiles tantum esse scribit magnitudine, et pedum figura vitulo marino simili. *Dalec.*

In terram egressæ in herbis pariunt ova] Verba illa, *in herbis*, puto non esse Pliniana. Plutarchus in libro, Utra animalium, &c. 'Parit enim,' de testudine loquens, 'egressa in littus prope ipsum mare, sed cum ovis incubare nequeat, neque in terra diutius commorari, arenæ gremio ova mandat, tenuissima mollissimaque ejus parte cooperta.' Quid si legas sine præpositione, et adscribas dictionem *herbis* superioribus? ut sit sensus: Testudines in mari vivere conchyliis, egressas in terram herbis. Quod autem sequitur continuo, *Avium ovis similia*, ex Aristotele sumptum v. 33. Verum notandum, comparari ab Aristotele ovis avium ova testudinis terrestris, non testudinis marinæ, ut hic comparat Plinius, tumultuaria fortasse lectione deceptus; gallinarum enim ovis comparat ova testudinum marinarum Aristoteles prædict. lib. et capite. *Pintian.*

Educant fœtus annuo spatio] Scribo, *Educant fœtus*, hoc est, *excludunt*, non *educant*. Aristoteles loco antedicto: 'Fœtumque sequente anno excludit.' Similis autem hic allucinatio priori; nam de testudine terrestri hæc scribit Aristoteles, non marina. Ova enim testudinis marinæ non indigere tam longa incubatione, docet Plutarchus libro illo toties allegato, his verbis: 'quod autem hoc admirabilius, diem quadragesimum observantes, tot enim diebus excoquuntur abrumpunturque ova, accedit ad locum, agnoscensque unaquæque depositum suum, ut solertius nequiret homo ullus auri repositum agnoscere, avide prompteque aperit.' *Pintian.*

Operibus Chersinæ vocantur] Laminis sectilibus, quæ ex ejus cortice fiunt. *Dalec.*

CAP. XI. *Quis primus testudines secare instituerit?*

Testudinum putamina] Vide XXXII. 4. *Idem.*

Secare in laminas] Seneca de Benefic. VII. 9. 'Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, et fœdissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emptas, in quibus illa ipsa quæ placet varietas sublitis medicamentis in si-

militudinem veri coloratur.' *Idem.*

CAP. XII. *Digestio aquatilium per species.*

Silicum duritia, ut ostreæ] Inde facetus jocus Plauti in Pœnul. 'Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito;' id est, durum, asperum, tuberosum. *Dalec.*

CAP. XIII. *De vitulo marino.*

Ut pistris] Vide quæ notata sunt paulo ante cap. 5. hujus libri. *Idem.*

Hic parit in terra pecudum more, secundo partus reddit initu. Canum modo cohæret] Longolius seu Longoliani discipuli locum hunc sic legunt: *Hic parit in terra pecudum more. Secundas cum partu reddit. Canum modo cohæret:* verbum *initu*, quod omnis scripta lectio agnoscit, sine causa detrahentes, et adjicientes a se præpositionem *cum*, minime necessariam, et perperam pungentes post illa verba, *pecudum more.* Nos sic scribendum et distinguendum censemus: *Hic parit in terra pecudum more, secundus partu reddit. Initu canum modo cohæret.* Hæc est vera genuinaque Plinii lectio. Aristoteles VI. 11. 'Ergo hic animal concipit statim intra se, et parit, secundas quoque emittit et lac reddit more pecudum.' Rursus V. 2. 'Vituli marini modo animalium retro mingentium coëunt, et diu ligati in coitu cohærent, ut canis.' *Pintian.*

Et parit nunquam geminis plures] Scribo, *Parit nonnunquam geminis plures;* nam conjunctio *et* in exemplari Salmanticensi redundat; et geminis plures nunquam parere vitulum marinum, falsum est. Aristoteles VI. 12. 'Parit singulos aut geminos, et cum plurimum, tres.' *Idem.*

Ipsis in somno mugitus] Apographon Toletanum, item Salmanticense, Romana quoque exemplaria, et omnes ante Hermolaum impressi codices *sono* habent. Hermolaus, derasa ea dictione, *somno* substituit. Et ad confirmationem erroris sui testimonium petit ab Aristotele libro sexto. Qua in re Hermolai ingenuitatem requiro. Nam si unquam ab Aristotele tale quippiam tradi inventum fuerit, quale asserit Hermolaus, fiam ego, ut Theocriti utar verbis, Melantius pro Comata. Imo e contrario patrocinatur Plinianæ lectioni Aristot. VI. 12. his verbis: quæ ad faciendam fidem repetere altiuscule necessarium fuit: 'Vitulus marinus generis ambigui est; nam et mari degit, quanquam humorem non recipit, sed spirat ac dormit, et egressus in terram, parit in littore, ut terrestre.' Et post multos versus, nulla jam dormitionis mentione: 'Emittit,' inquit, 'vocem similem bovi.' Quæ verba Theodorus, maximus Plinianarum vocum, ut dixi, assectator, sic vertit: 'Mugitus ei in sono.' Allucinatus est cum suo Hermolao Franciscus Massarius, vir alioqui perdoctus, et de Plinio optime meritus. *Pintian.*

Accipiunt tamen disciplinam] Τὴν ἀναγωγὴν δέχονται. *Dalec.*

Voceque pariter et visu populum salutant, incondito fremitu] Legendum arbitror: *Vocique parent, et jussi populum salutant.* Vel sic: *Vocati parent et jussi, &c.* nam Toletanum apographon *jussu* habet, non *visu*. Pintian.

CAP. XIV. *De piscibus pilo carentibus, et quomodo pariant, et quot eorum genera.*

Pilo carentium duo omnino animal pariunt, delphinus ac vipera] Scribo: *Pilo carentium non omnia animal pariunt, ut delphinus ac vipera;* vel sic: *Pilo carentium non omnia. Animal pariunt delphinus ac vipera.* Pendet enim sensus ab initio capitis prioris. Illic dixerat: 'Quæ pilo vestiuntur animal pariunt, ut Pistris,' &c. hic subdit: *Pilo carentium non omnia animal pariunt, &c.* Idem. *Pilo carentium duo omnino, &c.* Falsum hoc esse monstrat Rondelet. Hist. XVI. 11. Piscium. *Dalec.*

Nunc enim naturæ tractantur insignium, &c.] Cap. 14. et 15. conjungenda: lege: *Nunc enim naturæ tractantur insignium præcipua magnitudine. Thynnum invenimus talenta quindecim pependisse: ejusdem caudæ latitudinem duo cubita et palmum. Fiunt et in quibusdam amnibus haud minores. Silurus in Nilo, Esox in Rheno, Attilus in Pado inertia pinguescens ad mille aliquando libras.* Vide Salmas. pag. 1314. a.

CAP. XV. *De nominibus et naturis multorum piscium.*

Silurus in Nilo] Silurus Plinii a Gesnero luculenter descriptus est, malefica et vorax bestia. Silurus Ausonii ab eo diversus, Sturio noster. Probatur id versibus poëtæ coætanei Ausonio de Ægirtio fluvio Aquitaniæ scribentis: 'Obtinet expulsus stabulum campestre silurus, Plus rapitur terris, quam modo piscis aquis.' Scalig. in Auson. Silurus Ungaris, *Harcha:* Illyricis, *Sum:* Bernensibus, *Salvi:* Suevis, *Waller*, quasi Balæna: Danubii accolis, *ein Schaid.* Dalec.

Esox] Vide imaginem apud Gesnerum, Galei Rhodii figuræ utcunque similem. *Idem.*

Attilus] Vulgo, *Adano.* Idem.

Minimus piscis appellatus clupea] Minimum dicit, comparatione ad cetaceum piscem, quem jugulat. *Idem.*

Silurus grassatur, ubicunque est, &c.] Lege: *Silurus grassatur ubicunque est, omne animal appetens, equos innatantes demergens, præcipue in Mœno Germaniæ amne. Protelis boum in Danubio extrahitur, porculo marino simillimus.* Salm. 1314. b. et 1318. b. *Silurus grassatur, ubicunque est omne animal appetens, equos innatantes sæpe demergens, præcipue in Mœno Germaniæ amne prope Lisboum, et in Danubio. Mario extrahitur, porculo marino simillimus*] Hoc loco nominatim recensentur pisces magnitudine insignes, non marini: sed fluviorum, Nili, Rheni, Padi, Danubii, Borysthenis, Gangis. Horum medio catalogo non satis apte inseritur marinus quidam piscis innominatus. Sequenda igitur antiquorum codicum lectio, ut post *Lisboum* novæ orationis initium faciamus: *Et in Danubio mario extrahitur, porculo marino simillimus.* Is vulgo Italorum etiam nunc semilatino nomine *Moro* appellatur, ob salsamenta illis notus, gustu aspectuque porcinam salitam nonnihil referentia: Germanis *Husio* dictus, quasi ὗς, sicut *Mario* ἀπὸ τῆς μάρεως. *Gelen.*

Præcipue in Mœno] Plinii tempore nullus fuit in Germania Mœnus fluvius: sic posteritas eum vocavit, quem tali nomine seculum nostrum agnoscit. Quapropter legendum Rond. putat: *præcipue in Rheno.* In Hermo et Mæandro Siluros esse, Pausanias in Messenicis auctor est. *Dalec.*

Amne prope Lisboum. Et in Danubio mario extrahitur] Lege, *Protelis boum et in Danubio extrahitur.* Nec 'protelum,' jugum est, sed tenor inducendo quidam, tractusque longus et continuatus. Et 'ducere protelo,' idem est atque uno tenore et continuo tractu ducere. Hinc 'protelare' verbum pro longe pellere vel incessanter persequi. Vide Salmasium pag. 1318. b. 1319. a. *Amne prope Lisboum*] Beatus Rhenanus Rerum Germ. lib. II. legit: *amne prope Erlisbornim. Et in Danubio, &c.* Erlisbornimque, id est, fontem alnorum, vicum esse tradit ad Mœni ripam situm, vulgo *Erlenbrunnen* dictum, qua trajectus est, vadosusque locus, abluendis equis et potu reficiendis commodus. *Dalec.*

Nullis ossibus] Sed cartilagine tantum. *Dalec.*

Vermes branchiis binis, &c.] Lege: *Vermes branchiis binis, senum cubitorum, cæruleos, &c.* ipsi, inquam, vermes longi sunt cubita sena, non ipsorum branchia, multo minus verum de brachiis quibus carebant. Vide Salmas. pag. 1012. a. *Vermes branchiis binis*]

De vermibus Gangeticis Solinus ex Seboso longe aliter quam Plinius refert, esse colore cæruleos et nomine, cubitos sex longos, bina brachia habere: tam robustos, ut venientem ad potum Elephantem mordicus comprehensum manu in profundum rapiant. *Dalec.*

Comprehensa manu eorum abstrahant] Legendum forte, *Comprehensa manu deorsum abstrahant.* Videtur ita in Plinio legisse Solinus de his loquens: 'Adeo,' ait, 'robustis viribus, ut elephantes ad potum ventitantes mordicus comprehensos ipsorum manu rapiant in profundum.' *Pintian.*

Thynni mares sub ventre, &c.] Elegantes Lucilii versus in Lupum, apud Varr. lib. VI. 'Tunnos captato: cordylum exclude: minores Occidunt, Lupe, saperdæ te: hæc jura, silurum Sumere te atque amiam.' Quidam legunt, *Thynno capto corvum excludendum foras:* quod videtur sumptum ex his Amphidis comici: "Οστις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον Γλαύκου παρόντος, οὗτος οὐκ ἔχει φρένας. *Dalec.*

Intrant e magno mari Pontum] Mare internum appellari magnum aut a Plinio alibi, aut ab alio auctore, non memini. Proinde castigatiorem hic lectionem existimo, *Intrant ex Ægæo mari Pontum.* Corrigamus in transitu locum in pulcherrimo historiographo Cornelio Tacito Annal. x. ubi de hac re agit, a nemine quod sciam visum: 'Quippe,' inquit, 'Byzantium fertili solo, fœcundoque mari, quia vis piscium in metapontum erumpens,' &c. Lege: 'Quippe Byzantium fertili solo, fœcundoque mari quia vis piscium innumera Pontum irrumpens,' &c. Quid si in Plinio verbum illud, *magno* ab indocto adjectum sit lectore? stolida enim nautarum multitudo mare nostrum magnum appellitat; ut legendum videatur, *Intrant e mari pontum verno tempore.* Quam lectionem videntur astruere verba mox paulo sequentia: 'Cordyla appellatur partus, qui fœtus redeuntes in mare autumno comitatur.' Non dixit, 'magnum mare,' sed simpliciter 'mare.' *Pintian.* *Intrant e magno mari*] Nempe Mediterraneo: sic Isidorus exponit. Cicero e quodam vetusto Poëta: 'Jamque mari magno classis cita texitur.' Turn. Advers. XIX. 20. *Dal.*

Verno tempore] Aristoteles Hist. VI. 17. *Idem.*

Limosæ vere a luto pelamides incipiunt vocari] Locum hunc audacter sic restituendum contendo: *Reversæ vere a luto Pelamides incipiunt vocari.* Aristoteles lib. VI. 'Eodem redeunt verno tempore jam adeptæ eam magnitudinem, qua Pelamides nomen accipiant.' *Pintian.*

Clidio] Clidia Thynni Festus, in voce Petimen, ex Nævio, Petimen piscinum, quod est inter duos armos ad pectus. Claviculas Medici vocant. Athenæus lib. VI. orcynos Gadibus esse pinguissimos tradit, proptereaque seorsum eorum cleidia sale condiri, ut Antacæorum palatum, et maxillas, ex iisdemque parari Melandryas dictos. Idem paulo ante laudatas fuisse Thynnorum κλεῖδας testatur citato Aristophane. In his verbis Athenæi observandum, quod μελάνδρυα neutro genere Plinius scripsit, masculino genere ab Athenæo usurpari. *Dalec.*

Melandrya vocantur] Melandryon, quercus medulla nigra, Theophr. Hist. I. 19. V. 4. Vide infra lib. XXXII. cap. ult. Melandryas magnos Thynnos Athenæus vocat lib. III. et VII. ex Archestrato et Sostrato. *Id.*

Caudæ proxima] 'Ωραῖα illa dicuntur, quasi οὐραῖα. *Idem.*

Quia pingui carent] Ideo ἄπιονα dicta. *Idem.*

Apolectos] Quales sint apolecti, pelamides, cordylæ, orcyni, Tritones, Sardæ, vide XXXII. 11. *Idem.*

Cybiorum dispartiuntur] Κυβία sal-

samenti frusta, in formam κυβοειδῆ dissecta. Cybium concisa pelamis XXXII. 11. *Idem.*

Gregatim cum suis quæque ducibus] Rectius forte, *Gregalesque suis quique ducibus.* Aristoteles VIII. 13. 'Sed thunni, limariæ, hamiæ, subeunt Pontum vere, æstatemque ibi traducunt, et reliqui fere plurimi fusanei et gregatilis generis eodem transeunt.' Et sane plurima piscium pars gregatilis, neque ullus grex caret duce. Petunt autem Pontum pastus gratia. *Pintian.*

Scombri] Salamentarii Chærephili civitate donati, quod Athenas magnam vim eorum piscium convexisset, cum filios equo insidentes vidisset Timocles, facete dixit: Scombros esse super Satyris. Alexis apud Athenæum. Vide quod notatum est XXXII. 7. *Dalec.*

Cetarias] Inde apud Nonium Cetarii, Varroni θυνοσκόποι. 'Non animadvertes cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, adscendere in malum alte, ut penitus per aquam perspiciant pisces?' Vide XXXI. 8. *Idem.*

Utroque hebete natura] Secus Aristot. VIII. 13. sinistro enim non clare cernere ait. Confirmat id quoque Plutarchus libro, Utra animalium, &c. Quare æstimandum, an hic legendum sit: *Altero utique hebete natura;* vel, *sinistro oculo hebete natura.* Pintian.

Byzantii promontorium ex ea causa appellatum auri cornu] Cum lib. IV. cap. 11. in relatione Thraciæ, promontorium hoc Plinius appellaverit, 'Chrysoceras,' Græco quidem nomine, sed jure Latii jam pridem donato; cur illic Græco et publico nomine, hic Latino et inusitato uti maluerit, considerandum. Certe Plinius Græca urbium et aliorum locorum vocabula vertere nequaquam solet, quod vitiosissimum esse, nisi summa urgente necessitate, in confesso apud doctiores est. Quam ob rem dictionem *auri cornu* pro vera Plinianaque non habeo, sed opinor ab imperito lectore suffectam in prioris locum, Græcum nomen, tanquam rem magnam faceret, ita Latine reddente: unde fit, ut Hermolai judicium hac in parte non probem. *Idem.* *Byzantii promontorium, &c.*] Lege: *Byzantii promontorium ex ea causa appellatum Aurei cornus;* id est, τοῦ χρυσοῦ κέρατος. Nam 'cornum' pro 'cornu' aliis locis usurpavit Plin. *Salmas.* p. 165. b.

Nec nisi intrantes Pontum Byzantii capiuntur] Quidam hunc locum restituere volentes pro verbo illo, *Pontum*, *Propontidem* substituerunt, depravatiorem quam antea erat reddentes. Nos alio modo curandum putantes sic legimus, *Nec nisi infantes tunc Byzantii capiuntur.* Planissime id ex Aristotele colligitur, VIII. 13. 'Sed cum peperit,' inquit, 'et proles jam adoleverit, exeunt post Vergilias statim. Et si hiems austrina sit, tardius, si aquilonia sit, citius, propter secundi flatus commoditatem; prolesque adhuc parva apud Byzantium capitur, utpote cum longior mora in Ponto non fuerit. Sed de cæteris et cum adeunt et cum exeunt constat.' Hæc Aristoteles. Usurpare autem Plinium hoc nomen *infantes* etiam in animantibus ratione carentibus, et supra curiosus lector observare potuit, et infra etiam leget, X. 41. de vespertilionibus: 'Geminos volitat amplexa infantes.' De hac pelamidum captura in Thraciæ sinu, cui nomen est 'melas,' cum e Ponto exeunt, Oppianus Halieuticon IV. copiose. *Pintian.*

Sed hi soli Istrum amnem subeunt] Fabulosum id esse putant multi, ac e vulgi sermonibus potius Aristoteli proditum quam verisimile. Nec enim creditu facile Danubium, tam longo spatio ab Adria dissitum, in id mare subterraneis cuniculis corrivari. *Dalec.*

Thynnorum captura] Qui Thynnos

speculantur sub aquis natantes et gregatim lusitantes, θυννοσκόποι Græcis dicuntur: rupes vero editior, in qua stantes observant, θυννοσκοπεῖον. Strab. lib. v. Quanquam in Ponto, alta trabe in vado defixa, ex summa speculatores intueantur: quæ forte piscatio Ulpiano l. Venditor D. Com. 'tignaria' dicitur, sive, ut alii legunt, 'thynnaria.' Brod. vi. 8. *Idem.*

Animal est parvum, scorpionis effigie, aranei magnitudine] Ex Aristotele hoc viii. 19. meminit et Oppianus secundo. Illud tamen notandum, Athenæum non legisse in Arist. *arachnes* magnitudine, hoc est, *aranei*, ut Plinius et Theodorus videntur legisse, sed *drachmes*, hoc est, denarii. *Pintian.*

Scorpionis effigie] Asylum et œstrum vocant: figura multum distat a scorpione. Depingit Rondelet. in Orcyno. *Dalec.*

Hoc se et thynno, et ei qui gladius vocatur, crebro delphini magnitudinem excedenti, sub pinna affigit aculeo] Particulam *se*, ut supervacaneam, detraho, et *aculeum*, non *aculeo*, lego. Cæterum Aristot. a quo cuncta hæc haurire videtur Plinius, nequaquam scribit vinci magnitudinem delphini, sed celeritatem æquari a Xiphia, hoc est, gladio. Ejus verba viii. 19. 'Thunni et gladii agitantur asilo canis exortu; habent enim utrumque per id tempus sub pinna ceu vermiculum quem asilum vocant, effigie scorpionis, magnitudine aranei. Infestat hoc tanto dolore, ut non minus interdum gladius quam delphinus exiliat, unde fit ut navigia sæpenumero incidant.' *Pintian.*

Cap. xvi. *De auguriis et diversitate piscium.*

Quo argumento vates respondere, Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sex. Pompeio repudiato. Tanta erat navalis rei gloria, sub pedibus Cæsaris futuros qui maria tempore illo tenerent] Apogr. Tolet. *tum* legit, non *eum*; et verbum illud, *repudiato*, in eodem non habetur; ut in universum legendum sit: *Quo argumento vates respondere, Neptunum patrem adoptante tum sibi Sex. Pompeio, tanta erat navalis rei gloria, sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempore illo tenerent.* Idem.

Aiunt et si iteretur gurges interesse capturæ. Itaque plures secundo tractu trahi quam primo] Potest quidem hæc lectio tolerari; sed melius magisque e mente Aristotelis legeres, *teratur*, quam *iteretur*, et *jactu*, quam *tractu*. Aristot. viii. 15. 'Aiunt etiam, si gurgitum ima sæpius terantur, plures eadem sagena capi secundo jactu quam primo.' Et verbum Græcum τρίβω, quo utitur Aristot. proprie *tero*, non *itero*, significat. *Idem.*

Iteretur gurges] Iterum et secundo retibus ambiatur. *Dalec.*

Dein modicis imbribus gaudent] Legendum diversa distinctione, *De immodicis imbribus gaudent.* Vidit hoc Massarius, confirmatque Aristot. testimonio viii. 19. *Pintian.*

Fluviatilium silurus, &c.] Lege, *Fluviatilium Silurus caniculæ exortu sideratur, et alias semper per fulgura sopitur;* id est, fulgurante et tonante cœlo. Vide Salmas. p. 1314. b.

Sideratur] De glanide hoc Aristoteles Hist. viii. 20. *Dalec.*

Fulgure sopitur] Tonitruo, Aristot. Siluri nusquam meminit Arist. *Idem.*

In mari accidere] Nihil de mari Arist. sed ex professo de fluviatilibus hæc tradit. *Idem.*

Cap. xvii. *De mugili, et aliis piscibus, et quod non iidem ubique placeant.*

Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, unus omnium squamis ad os versis contra quam in nando meat] Pisces omnes secunda squama natant. Solus Acipenser in nando meat contra quam habet squamam; nam ad os versa est. *Salmas.* 1315. b.

Acipenser] Plautus in Bacch. 'Quis est mortalis tanta fortuna affectus unquam, Quam ego nunc sum? cujus hæc ventri portatur pompa, Vel nunc

qui mihi in mari acipenser latuit antehac, Cujus ego latus in latebras reddam meis dentibus et manibus.' Varro: ἐπὶ τῇ ταφῇ μύρον: 'Nec multinumus piscis ex salo captus helops, neque ostrea ulla magna capta quivit palatum suscitare. Ab aquis vero qui pensera dictum vult.' Rhodig. XIII. 5. absurde, ut existimo: ἔλλοπα vero vel ἀπὸ τοῦ ἴλλεσθαι τῆς ὀπὸς, *quod voce privatus sit*, vel παρὰ τὸ ἐν λεπίσιν εἶναι: quæ duplex interpretatio partim omnibus piscibus convenit, partim plurimis. *Dalec.*

Asellorum duo genera] Τῶν ὄνων, sive ὀνίσκων. Muretus in Varr. VIII. 15. sic dictum putat, vel a colore asinis simili, vel quod in capite lapides habeat lapidi molari similes. Ὄνον Hesychius exponit superiorem in pistrino lapidem, et Eustathius: τὸ κινούμενον τοῦ μύλου. *Idem.*

Nunc scaro datur principatus] Ennius: 'Quid Scarum præterii, cerebrum pene Jovis supremi?' Petronius: 'Ingeniosa gula est, Siculo scarus æquore mersus Ad mensam vivus perducitur.' *Dalec.*

Qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci] Videtur scribendum *algis*, non *herbis*. Aristoteles VIII. 2. 'Muli vero et carne vescuntur, et alga, et concha, et cœno: Capitones cœno: Dasquilli cœno et stercore: Scarus et Oculata alga.' *Pint.*

Optatus] Macrob. III. 16. Saturn. *Octavium* vocat. Is fortassis est, quem Seneca Epist. XCVI. appellat 'Publium Octavium.' *Chifflet.*

Proxima est his mensa generis duntaxat mustelarum] Ambo exemplaria *pecoris* legunt, non *generis*; quæ lectio non magno opere displicet; nam et armentum et pecus de piscibus etiam dicitur: illud de majoribus, hoc de minoribus: ut Georg. IV. de Proteo summus poëta: 'Quippe ita Neptuno visum est, immania cujus Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.' Et Horatius primo Odarum: 'Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes.' De fucis quoque Virgilius: 'Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent.' *Pintian.*

Lacus Rhætiæ Brigantinus] Hodie *Hydrus*, unde oritur in finibus Tridentinorum Clisius fluvius. Mustela hæc Plinii, ut et Ausonii, Lampetra est: Dorioni apud Athenæum fluviatilis muræna: Archestrato apud eundem, ἔγχελυς ἀπύρηνος: Cassiodoro in descriptione Regini litoris, Exormistos. Reperiuntur et in Sebino lacu, qui Brigantino proximus est, hodie *Hiscio*, unde exit Ollius amnis, tales mustelæ, et in multis Galliæ fontibus, ac rivulis, marinis prorsus similes, sed minores vulgus eas vocat *lamproyons.* Dalec.

Pariunt ter anno] Hac de causa Hecatæ sacer est, quoniam τριοδῖτις τρίγληνός τ' ἐστὶν, καὶ ταῖς κατὰ νουμηνίαν αὐτῇ δεῖπνον φέρεται ὑπὸ τῶν πλουσίων, quam cœnam pauperes ac Cynici esurientes rapiebant ac diripiebant, ab Hecate consumptam esse jactantes. Athenæus Mœnidas inter cibos Hecates recenset. Plutarchus et Tzetzes canes ei sacrificari tradunt, unde versus Theocriti: Τᾷ χθονίᾳ δ' Ἑκάτᾳ, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι. Brodæus I. 24. *Dalec.*

Mullum exspirantem, &c.] Seneca Quæst. Natural. III. 18. *Idem.*

Apicius] Prodigam ejus luxuriam Seneca refert Epist. XV. et lib. de Consolatione ad Albinam. Dion in Tiberio, Rhod. IX. 11. Apicios duos fuisse luxuria gulaque infames, vide apud Victor. XVII. 6. *Idem.*

Asinius Celer e Consularibus, &c.] Lege: *Asinius Celer e Consularibus, hoc pisce prodigus, Caio principe unum mercatus R. VIII. mullum.* Cur *R.* insertum declarat Salmas. illo loco. At tempore Tertulliani recte legebatur: *unum mercatus VIIS. mullum;* hoc est, sex sestertiis: ex *VIIS.* proclive fuit facere *VIII.* Macrobius non sex sed septem millibus hunc

mullum emptum scribit. Vide Salmas. in Tertull. Pall. 453. 454.

Octo millibus nummum] Aureis nostris 80. *Dalec.*

Qui in conquestione luxus coquos emi singulos pluris quam equos quiritabant. At nunc coci, &c.] Juvenal. Sat. IV. 'Poterat fortasse minoris Piscator quam piscis emi.' Et Cato, 'carius emi piscem quam bovem.' *At nunc coci, &c.*] Paronomasia in *coquorum* et *equorum* vocabulis, vulgari verbo veterum olim elegantiam addit; eam etiam retinet Plin. expresso simul numero; ut cum priores illi singulos coquos pluris emi, quam equos singulos questi fuissent; posteriores quod coqui singuli trium equorum, vel trium horum, pretiis compararentur conqueri soleant, &c. Vide Reines. Var. Lect. II. 7. p. 170.

CAP. XVIII. *De mullo, et coracino, salpa, et salmone.*

De mullo] Mullei, calcei Regum, ac patritiorum deinde, a mullando, id est, suendo vocati. Ab eorum colore dicti Mulli pisces. Festus. *Dalec.*

Coracinus] Salsamentum ex eo paratum *Saperdam* vocabant, auctore Polluce. Persius Sat. V. 'en saperdam advehо ponto, Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica coa.' Festo piscis vilissimus. Varroni insipiens, inelegans, in Modio: 'Omnes nobis videmur belli et festivi, cum saperdæ simus σαπροί.' Sic enim legendum apud Nonium. *Idem.*

Omnibus præfertur] *Piscibus*, non *salmonibus*, ut quidam. *Idem.*

His aquam emittunt acceptam ore] Fallitur hic Plinius; branchiis enim pisces aërem accipiunt, et reddunt; ore aquam. *Idem.*

Larius] *Lac major.* Idem.

Verbanus] *Lac de Como.* Idem.

Vergiliarum ortu] Die 7. Maii. *Id.*

Squamis conspicui] Cypriani clavati Rondel. lacuum vero accolis Pigo. *Idem.*

Quam circa eum mensem] Sic in lacu Allobrogum, quem *Paladru* vocant, Gratianopoli vicino, Umblæ pisces delicatissimi Novembri et Decembri mense capiuntur, anno toto reliquo nunquam. *Dalec.* Alausæ vero circa Argentinam mense Maio tantum, in Rheno. Qua de re Gesnerus de Animal. lib. IV. Paralipom.

CAP. XIX. *De exocœto.*

In siccum somni causa exeat] Non de exocœto, sed de Pæcilia, id scripsit Pausanias in Arcadicis. Idem non in Clitore, sed in Aroanio, qui in Clitorem fluit, eos ait pisces reperiri. *Dalec.*

Et sine branchiis] Clearchus Peripateticus apud Athenæum lib. VIII. sub ipsum principium scribit, ἰχθύων τινὰς οὐκ ἔχοντας βρόγχον φθέγγεσθαι· *quosdam pisces vocem edere, quibus guttur non sit.* Pro βρόγχον, Plinius legit βράγχια. *Idem.*

Et qui marini mures vocantur] Testudines Theophr. de piscibus. *Idem.*

In Indiæ fluminibus] Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Idem.*

CAP. XX. *Digestio piscium in figuras corporum.*

Soleæ] Lingulacam a Festo eum piscem dictum volunt, quanquam et sic argutatricem mulierem vocarent. Canterius IV. 28. Vide infra XXXII. 10. *Idem.*

Dexter resupinatus est illis, passeri lævus] Passerem et Rhombum si ita statuas, ut mentum terram spectet, oculi cœlum, Rhombi pars supina dextra est, Passeris læva. *Dalec.*

Nullæ ut murænis] Nullas pinnas intellige, quibus natare possint. *Idem.*

Branchiæ] Arist. Hist. II. 13. Murænis branchias nullas esse minime ait, sed non integras. Rondel. III. 12. primi tomi. *Idem.*

Ut polypi] Aristoteles tamen et pinnis et pedibus natare polypos scripsit. *Idem.*

CAP. XXI. *De anguillis.*

Anguillæ] Lepide Plautus in Pseu-

dolo, de versuto et veteratore homine: 'Quid cum manifesto tenetur? CHAR. Anguilla est, elabitur.' *Idem.*

At hiemem eædem in exigua aqua non tolerant, nec in turbida] Andere aliquid par est, ut vitiosissimus locus restituatur. Primum ergo expungendam arbitror hanc dictionem *hiemem*, quæ totam interturbat sententiam. Deinde non *tolerat* legendum, sed *durat*. Sic omnia ad unguem cum Aristotele quadrabunt. Scribendum ergo: *Durant et sine aqua senis diebus aquilone spirante, austro paucioribus. Eædem in exigua aqua non durant, nec in turbida.* Aristoteles VIII. 2. 'Vivere exemptæ aquis vel ad diem quintum sextumve possunt: et aquilone plures durant, austro pauciores.' Et paulo post: 'Quin et si exigua in aqua stabulentur, pereunt.' Rursus eodem loco: 'Nam nisi aqua sit clara, brevi strangulatæ intereunt: branchias enim habent exiguas. Hinc turbare aquam soliti sunt qui eas piscantur.' Præterea si, ut Plinius asserit, non tolerant hiemem anguillæ in exigua aqua, nec in turbida, sequitur ut aliquid aliud ex cæteris tribus anni temporibus tolerent; nam si nullum tolerant, quid oportuit hiemem signasse? atqui anguillas tolerare ver, aut æstatem, aut autumnum, in exigua aqua aut turbida, falsum esse tum cotidiano experimento patet, tum confirmatur ab Aristotele et Athenæo, septimo. *Pintian.*

CAP. XXII. *De captura earum in lacu Benaco.*

Autumnali sidere] Arcturo oriente. *Dalec.*

Hiemato lacu] Velut tempestate procellaque agitato. *Idem.*

CAP. XXIII. *De muræna.*

In sicco littore lapsas vulgus, &c.] Verbum *littore* falso additum putamus, contento alias semper auctore *siccum* tantum dixisse, ad Græcorum imitationem, qui ξηρὸν vocant, hoc est, *aridam*, seu *siccam*. Sic paulo ante, cap. 20. 'In sicco quoque repunt;' et cap. 8. 'Delphinumque causam leti fatentem non reversum in maria, atque in sicco expirasse.' De hac vulgata opinione, coire serpentes cum murænis, Oppianus lib. I. Athenæus lib. VII. Ælian. lib. XII. et Nicander in Theriacis. *Pintian.*

Aristoteles Myrum vocat marem . . . Myrus unicolor et robustus] Lego priore loco *Smyrum*, posteriore *Smyrus*, tum ex vetere utroque exemplari, in quibus quod notandum est, per *Z* in principio scriptum invenies *Zmyrus*, ut *Zmyrna*, *Zmaragdus*, *Zagunthus*, antiqua consuetudine, de qua Priscianus et alii, tum ex Aristotele V. 10. 'Differunt,' inquit, 'Smyrus et Smyræna,' hoc est muræna; 'nam Smyræna varia est et imbecillior, Smyrus unicolor et firmus, colore pini arboris, dentesque intus et foris habet.' Theodorus Smyrum *Murum* transtulit, quia videlicet *Smyræna* Muræna vertitur; Athenæus *Myrum* enunciat, et *Myrænam*. Utroque igitur modo profertur, *Smyrus*, *Myrus*, *Smyræna*, *Myræna*. Idem.

Dentesque extra os habet] Liquet ex Aristotelis verbis paulo ante allatis, verba hæc imperfecta esse, unius defectu dictionis; nam cum locus sit ad verbum, ut aiunt, ab Aristotele sumptus, planum est scribendum esse, *Dentesque extra et intus habet*. Pintian.

Dextra in maxilla septenæ maculæ] Matron apud Athen. lib. IV. scribit, Murænam dum ad magnanimi draconis thorum pergit, ἀγαλλομένην περὶ δείρην ζώνην φέρειν, *lætabundam cingulum circa collum gestare*. Dalec.

Vedius Pollio] Seneca libro de Clementia, et libro de Ira. *Idem.*

Prætextatos] Prætextatis mulcta non est instituta, quod verberibus, non pecunia, facinoris admissi pœnas luerent, nec alio supplicio castigarentur. Ut adolescentes ferula, flagris, puerili verbere. Alex. ab A-

lex. II. 25. *Idem.*

CAP. XXIV. *De planis piscibus.*

Omnia autem carnivora sunt talia] Alii *carnosiora*: sed legendum *carnivora*, ex Aristotele VIII. 2. suffragante etiam apographo Toletano. Vidit hoc etiam Massarius. *Pintian.*

CAP. XXV. *De echeneide.*

Echeneis appellatus] Remoram Latini vocant. Inde 'remoram facere' Plauto in Trinummo: 'Ita vincunt illud conducibile gratiæ, Quæ in rebus multis obstant, odiosæque sunt, Remoramque faciunt rei privatæ et publicæ.' 'Remeliginem' apud Festum vocant Afranius et Plautus in Patina. Lucanus: 'Non puppim retinens Euro tendente rudentes In mediis echeneis aquis.' Vide XXXII. 1. *Dalec.*

Amatoriis quoque veneficiis] Vel ad amatorum castiganda et coërcenda desideria, ne amicarum damno et odio alias captent, vel ad cohibendam puellarum et amicarum facilem levitatem, ne aliis obsequantur. *Idem.*

Concha][a] Hic describitur Veneris concha Rondeletii, qua et chartas levigari ait, XIII. 12. *Idem.*

Plenam ventis stetisse navem portantem nuncios a Periandro, ut castrarentur nobiles pueri] Verbum *nuncios* redundat ex utroque exemplari. Et sane apud Herodotum, qui libro tertio ejus historiæ meminit, non invenitur ea vox, sed duntaxat misisse Periandrum Sardis ad Haliatten, &c. Itaque expositionem puto fuisse lectoris supra verbum *portantem*, explicare volentis quid navis Periandri portaret. *Pintian.*

Apud Gnidiorum Venerem] Plaut. in Rudente: 'Te ex concha natam autumant: cave tu harum conchas spernas.' Servus his Venerem alloquitur. *Dalec.*

CAP. XXVI. *De varietate naturæ piscium.*

CAP. XXVII. *De lucerna pisce, et dracone marino.*

Subit in summa maria piscis ex argumento appellatus lucerna] Verbum *subit*, cum tribus sequentibus verbis, annecte præcedentibus. Mox cum majore, lege, *Piscis est argumento appellatus lucerna;* de alio enim pisce loquitur. *Pintian.*

Attollit e mari sesquipedanea fere cornua] Cornutam Plinii cetaceam beluam esse, non Lyram Rondeletii, putant attentiores. *Dalec.*

Rursus draco marinus captus immissus in harenam, cavernam sibi rostro mira celeritate excavat] Lego: *captus atque missus, in arena cavernam, &c.* Et Romana exemplaria *missus* habent, non *immissus*. Aristoteles IX. 37. 'Serpens maxima colore et corpore congro proxima est, sed obscurior atque acrior. Hæc si capta dimittatur foris in arenam, rostro quam primum adacto terebrat, subitque tota.' *Pintian.*

Draco marinus] Northmannis *equille*, a lubrico sub arena lapsu; ii namque sua lingua *equiller* dicunt in humido loco labi. *Dalec.*

CAP. XXVIII. *De piscibus sanguine carentibus.*

CAP. XXIX. *De loligine, et sepiis, et polypis, et nautilis.*

Loligo] Τεῦθος vel τευθὶς Græcorum. Themistocles Eretrienses loliginibus similes esse dicebat, ὅτι μάχαιραν μὲν, καρδίαν δὲ μὴ ἔχοιεν· non absimili dicto Leosthenis sive Demadis, qui Alexandro mortuo exercitum illius Cyclopi excæcato similem aiebat, quoniam Imperatore orbatus esset. Rhodig. XXIV. 29. *Dalec.*

Sepiarum] Sepiis, cum in cibum parabantur, oculos adimi solitos, monstrat hic versus Plauti in Rudente: 'Jube oculos elidere itidem, ut sepiis faciunt coqui.' Apud Athenæum pag. 302. vs. 45. Antiphanes lepide vocat sepiam κυφόνωτον, *dorsogibbam*. Idem.

Terreni majores] Πρόσγειοι Arist. *litterales; terrenos* licenter Plin. vo-

cat. *Idem.*

Fistula] Αὐλὸς, φυσητὴρ Aristot. *Idem.*

Cætero per brachia velut acetabulis dispersis, eo hausto quodam modo cui adhærescunt, tenent supini] Vetusta exemplaria: *Cæterum per brachia velut acetabulis dispersis haustu quodam adhærescunt. Tenent supini.* Sunt autem acetabula Latine, seu cotyledones Græce, mammæ illæ seu caliculi in brachiis polypi, dicti a similitudine vasis acetabuli, quod alio nomine hemina dicitur. Cujus rei admonendos lectores duxi, ne Hermolai traditioni fidem habentes in errorem trahantur; ait enim brachia polypi modo cirros, modo acetabula a Latinis vocari, a Græcis plectanas, plocamos; cotyledonas, trichas, duas res diversas in unam confundens. Brachia enim polypi Latini cirros, barbas, pedes, crura, crines, brachia, vocant, Græci plocamos, plectanas, trichas. At quæ a Græcis cotyledones dicuntur, Latini a similitudine, ut dixi, vasculorum acetabula appellant. *Pintian.*

Acetabulis dispersis] Plautus in Asin. 'Ego istos novi polypos, qui ubi quid tetigerint tenent.' Ovidius: 'Utque sub æquoreis deprensam polypus hostem Continet, ex omni demissis parte flagellis.' *Dalec.*

Duntaxat asperum] Arist. μάλιστα, præcipue. *Idem.*

Colorem mutat] Phocyl. Μὴδ' ὡς πετροφυὴς πολύπους κατὰ χῶρον ἀμείβου, Πᾶσιν δ' ἁπλόος ἴσθι, τὰ δ' ἐκ ψυχῆς ἀγόρευε. Ion apud Athenæum: καὶ τὸν πετραῖον πλεκτάναις ἀναίμοσι Στυγῶ μεταλλακτῆρα πουλύπον χροός. Plutarchus περὶ πολυφιλίας· Πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ Τῇ προσομιλήσει, τοίος ἰδεῖν ἐφάνη, ex Theognide. Vide Theophrast. Fragm. περὶ τῶν μεταβαλλόντων τὰς χρόας. Inde Græcis dicitur τρεψίχρους et πολύχροος. *Idem.*

Ipsum brachia sua rodere, &c.] Athenæus, Horus, Pherecrates ipsum rodere scripserunt: item Alcæus, ἔδωδα ἐμαυτὸν ὡς πολύπους. Hesiodus, ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει, quo loco polypum Eledauem ab edendo dictum interpres ait significari. Oppian. in Halieut. id scripsit: Ἀλλ' οἵγε γλαφυρῇσιν ἐνεζόμενοι θαλάμῃσι Πτήξαντες δαίνυνται ἑοὺς πόδας, ἠΰτε σάρκας Ἀλλοτρίας. Hinc Joanni Grammatico polypi dicuntur κολοβόποδες. Ælianus mutuo se vorare polypos tradit. Rhod. XIII. 32. polypum suos cirros fame coactum absumere tradit, et Ælianus. Inde Græci αὐτοφάγον vocant. *Idem.*

Sed renasci sicut colotis et lacertis eandem, haud dubium est] *Colchotis* ante Hermolaum legebatur. Ipse *colotis* emendavit, genus lacertulæ apud Aristotelem ita appellari asserens. Aristotelis autem verba sunt, IX. 1. 'Colotæ hostis asinus; dormit enim colota in præsepibus, et narem subiens asini, ne comedat, impedit.' Hæc Aristotelis verba magis innuunt aviculæ genus esse *colotam*, quam lacertam: et ita Aldus sensit, vir impense doctus diligensque, ac de omni literarum genere quam optime meritus. Verum hoc loco neque *colchotis*, nec *colotis* legendum censeo, sed *colubris* ex Aristotele lib. II. cap. ult. 'Caudæ,' inquit, 'etiam serpentibus atque lacertis amputatæ renascuntur.' Dictio rara quidem est *coluber* apud Plinium, aliquando tamen ea utitur, ut XXXII. 6. Nec sum oblitus prodi a Plinio XXIX. 3. colotum eundem esse cum galeote et ascalabote, quem Nicandri interpres in Theriacis similem esse lacertæ scribit, quod fortasse materiam errandi Hermolao præstitit. Sed ille colotus, hæc colota; ille idem qui et galeotes et ascalabotes: unde fieri nequit, ut sit genus lacertæ. Nam quod est simile lacertæ, non continuo et lacerta est. *Pintian.*

Qui vocatur nautilos, &c.] Polypi ovum, Arist. καλούμενος ὑπό τινων ναύτιλος, καὶ ναυτικὸς, ὑπ' ἐνίων δὲ ὠὸν πο-

λύποδος. Rondelet. *Dalec.*

Supinus] Imo pronus. *Idem.*

Retorquens] Ἄνω ποιῶν, *attollens.* Athenæus. *Idem.*

Brachiis] Brachio ultimo, quod solum albicat, acutius est, et in extremo bifidum, adnexumque dorso in coitu polypum, uti scribit Arist. brachium id Plinius caudam vocat. *Idem.*

Ut gubernaculo] Alia duo brachia in mare demittit loco gubernaculi. *Idem.*

CAP. XXX. *De ozæna, nauplio, et locustis.*

Dicta a gravi capitis odore] Imo vero potius quod suave quidpiam oleat: Græci ideo vocant ὀσμύλην hoc seculo Neapolitani Muschardinum. Idem est Ozolis, Osmylus, Eledoie, Bolitæna. *Rondelet.*

Conduntur] Φωλεύουσι, *latent.* Dalec.

Pereunt autem tabe semper] A coitu mares, a partu fœminæ. *Idem.*

Sed si invertatur elanguescit vis] Plinius a seipso dissentire hic videtur, cum superiori cap. scripserit polypos ea, quibus adhærescunt, ita supinos tenere, ut avelli nequeant, quod expono, si jam altius dentes infixerint; alioqui facile resupinatos elanguescere. *Idem.*

Carteja in Cetariis assuetus] Eandem historiam de polypo Puteolano refert Ælianus VI. 13. *Idem.*

Et afflatu terribili] Odore; non enim flat, aut spirat. *Dalec.*

Barbas] Crines, cirros, brachia, flagella. *Idem.*

Pondo DCC.] Strabo circa Carteiam polypos talenti pondo reperiri auctor est. *Idem.*

Navigeram similitudinem] Nautili in mari ludentis et navigantis. Nauplium, ἀπὸ τοῦ ἐν νηΐ πλέειν, Mutianus solus vocavit. *Idem.*

Simulque eam descendere in duo sensu carentia, nisi forte tristi (*id enim constat*) *omine navigantium, humana calamitas in causa est*] Scripta Exemplaria, *simulque eandem descendere.* Cætera verba nihili sunt, apinæ, tricæque, falso Plinio adscriptæ: mirorque Hermolaum agnoscere ea, exponereque ut legitima. Nec enim Plinius *descendere mergive* naupliis tribuit, ut Hermolaus accepit, sed conchæ. Hæ cum visu careant, sensuque omni alio, nisi cibi et periculi, ut hoc ipso capite ostensum est, duo illa verba, quæ in suis codd. haberi ait, neque simul accipi possunt, neque conchæ tribui. *Pintian.*

Omine navigantium] Putant enim qui navigant, velificantem Nautilum grande aliquod malum et infortunium portendere, et maxime sinu clauso repente occultum et demersum. *Dalec.*

Locustæ crusta fragili] Plautus in Menæch. jocose: 'Medicus: Dic mihi etiam, solent tibi unquam oculi duri fieri? Menæch. Tu me locustam censes esse, homo ignavissime?' *Idem.*

Fluida carne] Laxa, molli, uda carne: non habet solidam duramque pulpam. *Idem.*

CAP. XXXI. *De cancris, echinis, et echinometris.*

Cancrorum genera, carabi, astaci, majæ, paguri, heracleotici, leones] Risum, scio, movebit castigatio hæc mea lectoribus, quibus fortasse videbitur, quod Horatius ait, 'ultra Legem tendere opus;' sed si diligentius animo versent portenta, quæ cotidie in scribundis imprimundisve libris committuntur, postrema excusorum imperitia, quibus interdum, imo sæpenumero, contingit, ut prima elementa Latinæ linguæ ignorent; ut correctores prætercam non multo illis aliquando peritiores; remittent, puto, multum ex opinione sua, bonique consulent meam hanc audaciam in restituendis aliquot jam obliteratis ex doctorum memoria locis, modo id fiat idonei scriptoris auctoritate, et potissimum ex eorum numero, quos se-

cutus est Plinius. Lego igitur non *leones*, sed *fluviales*. Aristoteles IV. 2. 'Cancrorum genus multiplex est, nec facile enumerandum. Maximum quas Majas appellant. Secundum paguri, et quos Heracleoticos vocant. Tertium fluviales. Cæteri minutiores et nullis pene nominibus annotati.' Hæc Aristoteles: quæ ad verbum mutuatus videtur Plinius. Sunt quidem in mari leones, Oppiano, Hippocrati, Plinio, Claudiano etiam alibi; sed nemo eos ex genere cancrorum esse prodit, nihilque ad præsens institutum illi. *Pintian.*

Ostrearum testis se condere] Lucilius: 'Ostrea nulla fuit, non purpura, nulla Peloris.' Afranius: 'Conchas, echinos, ostreas marinas.' *Dalec.*

Etiam retrorsum] Plaut. in Pseud. 'Ut transversus cedit, quasi cancer solet, non proversus.' *Idem.*

Echini] De iis Plautus in Parasito pigro: 'Addite lepades, echinos, ostrea.' Idem in Rudente: 'Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus, conchas, Marinam urticam, musculos, plagusias, striatas.' *Idem.*

CAP. XXXII. *De cochleis.*

Correptisque operari lapillis] Plutarchus in Dialogo, Utra prudentiora sint, terrestria an aquatica. *Dalec.*

CAP. XXXIII. *De pectinibus, murice, et concharum generibus.*

Navigant ex his Veneriæ] Sic legendum; sunt enim conchæ non gratæ modo Veneri, sed etiam cognatæ, ob communem e mari originem: celebrisque est ejus Deæ effigies, concham, atque haud scio an ex hoc ipso genere, pede premens. *Gelen.*

CAP. XXXIV. *De divitiis marinis.*

Conchylia] Buccina, quorum sanguine, et purpurarum, ad tingendas lanas utebantur. *Dalec.*

In gulas condi maria] A natura fieri. *Idem.*

Quid mari cum vestibus] Proverbium vetus, 'Qui natare vult, se exuit.' *Idem.*

CAP. XXXV. *Quomodo, et ubi inveniantur margaritæ.*

Non recipit hæc nos rerum natura, nisi nudos] Scribo non *hæc*, sed *hic*; ut sit anthypophora: Dicat, inquit, aliquis, haud clementer naturam facere, quæ nos hic protinus ex utero nudos et inopes excipiat: tunc adhibetur solutio: Fateamur, inquit, ita esse; caret vita cibis, petantur e mari; at vestes inde tingi, et se, non redimendæ nuditatis gratia, sed luxuriæ, periculis objicere, quis recte factum tueri possit? *Herm. Barb.* Multa Hermolaus in expositione hujus loci; quem tamen, nisi opinione fallor, neque emendate legit, neque sensum percepit. Mea igitur sententia locus hic cum interrogatione legendus est, *Num rite recipit nos hæc rerum natura, nisi nudos?* Neque enim de terra loquitur, sed de mari et elemento aquæ, quam ingressuri vestes ponimus. *Pintian.*

Esto sit tanta veneri cum eo societas] Scribo contra omnia exemplaria: *Esto, sit tanti ventri cum eo societas*, hoc est, constet tot laboribus periculisque hæc quam venter cum mari iniit societas. *Idem.*

Vescimur periculis] Sic legit Turneb. Advers. X. 9. *Dalec.*

Perimula promontorium Indiæ] Æliano Histor. Animal. XV. 8. Περιμοῦδα urbs Indiæ. *Dalec.*

In Persico sinu maris rubri] Ulpianus leg. X. ff. de auro et arg. legat. margaritas vult nec gemmis contineri nec lapillis, quia apud Rubrum mare crescit et coalescit concha. Tertullianus, de Habitu Muliebri, pustulam conchæ, sive duram et rotundam verrucam esse ait. Hieronymus 'Rubri maris grana' vocat. Martialis, 'Erythræos lapillos,' et 'geminas Erythræis erutas vadis.' Cujacius Observ. X. 18. Multa quoque de iis Jacob. Rævard. Varior. I. 4. *Idem.*

Conchæ] Conchas eas nunc Persæ *Cheripo* vocant. *Idem.*

Partumque concharum] De hac re vide Rondeletium. Androsthenes apud Athenæum lib. III. in ostrei carne gigni putat, non aliter quam grandinem in suibus. *Idem.*

Pro qualitate roris accepti, &c.] Lege: *pro qualitate roris accepti: si purus influxerit, candore conspici.* Pro candore conspicuas esse. *Salmas.* p. 1133. b.

Ex eo quippe constare, &c.] Legend. *ex eo quippe constare cœli quieti his majorem esse societatem quam maris: inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina serenum.* Dicit cœli quieti ac pacati majorem esse conchis societatem quam maris. *Claritatem matutinam* vocat, qualis esse solet matutino tempore, Aurora commodum exoriente. Vide Salmas. pag. 1134. b. 1135. a. Et paulo post, *Si fulgurat.* Aliud est 'fulgerare,' aliud 'fulgurare.' Illud ἀστράπτειν, hoc κεραυνοῦσαι. *Fulgurare* tamen apud eundem Plinium est ἀστράπτειν. In præfatione: 'Fulgurat in nullo umquam verius vis dicta eloquentiæ.' XI. 50. et alibi passim. Et quomodo differant 'fulmina' et 'fulgura,' vide Salmas. pag. 1135. b. et 1136. a.

Miror ipso tantum eos cœlo gaudere, &c.] Sic legendum: *Mirum ipso tantum eos candere cœlos, sole rufescere, candoremque perdere ut corpus humanum. Quare præcipue eum custodiunt, pelago altius mersæ quam ut penetrent radii.* Mirum, inquit, quum candorem a cœlo tantum habeant, a rore scilicet qui de cœlo liquitur, eum tamen sole perdere ac rufescere. Plinii ergo mens est, margaritas in conchis e cœlestis roris infusione concipi ac formari, et candorem illum acquirere. Postquam rorem eum hauserint conchæ, atque ex eo conceperint, gnaras partum suum Sole maculari, et candorem perdere, pelago altius mergi quam ut eo penetrent radii. Vide Salmas. 1133. b.

Nisi lima] Apud Pers. Sat. II. 'Hæc baccam conchæ rasisse.' *Dalec.*

Aversis planities ob id tympana nominantur] Τὰ τυμπάνια, exigua tympana. Idem.

Manumque si præveniat, acie sua abscindit] Isidorus Characenus: Κινδυνεύουσι δὲ θηρῶντες τοὺς μαργαρίτας, ὅταν εἰς κεχηνότα κόγχον κατ' εὐθὺ ἐκτείνωσι τὴν χεῖρα· μύει γὰρ τότε, καὶ πολλάκις οἱ δάκτυλοι αὐτῶν ἀποπρίονται, ἔνιοι δὲ καὶ παραχρῆμα ἀποθνήσκουσι. *Scalig.* in Manil. ex Athenæo lib. III.

Haud promptis rebus] Haud inventu facilibus, eximiis illis præstantiæ notis omnibus in unico unione. *Dalec.*

Ne apud Barbaros quidem inventores ejus aliud] Persæ vocant hodie *lulu*, Indi vero *moti* vel *mota*. Idem.

Summa laus coloris est exaluminatos vocari] *Exaluminati* dicebantur, quasi alumine infecti. Summa candoris claritas ea voce intelligitur, ab aluminis claro colore. *Salmas.* 1166. a, b.

Exaluminatos vocari] Quaquaversum sine fusco nitentes et pellucidos. *Dalec.*

Fastigiata longitudine] In pyri modum turbinatu. *Idem.*

Binos ac ternos auribus feminarum gloria est] Petronius tribaceam margaritam vocat: 'Quo margarita cara, tribacca, Indica, An ut matrona ornata faleris pelagiis, Tollat pedes indomita in strato extraneo?' Hadr. Jun. VI. 15. Juvenalis Sat. VI. 'Cum virides gemmas collo circumdedit, et cum Auribus extensis magnos commisit elenchos.' Seneca VII. 9. de Benefic. 'Video uniones non singulos singulis auribus comparatos; jam enim exercitatæ oneri ferendo sunt. Jungantur inter se, et insuper alii bini superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.' *Dalec.*

Subeunt luxuriæ ejus nomina et tædia exquisita perditiore portatu; siquidem

cum id facere, cretalia appellant] Hic locus et Hermolaum et multos post illum frustra torsit; diu me quoque suspensum tenuit. Tandem puto, aut restitutum omnino esse, aut parum ei deesse, quo minus in integrum restitutus sit. Scribo igitur sic: *Subeunt luxuriæ nomina, et tædia exquisita perditi nepotatus; siquidem cum illisere, cretalia appellant.* Primum utrumque exemplar *potatu* præfert, non *portatu*. Deinde verbum hoc *nepotatus* familiare est Plinio, quoties vult in luxum sui temporis invehi, ut ex sequentibus libris patebit. Item *illisere* scripsi, pro duobus illis verbis *id facere;* quia sequitur paulo post, 'Seu sono quoque gaudeant, et collisu ipso margaritarum.' *Pint.* Vide Turneb. Advers. x. 9.

Affectantque jam et pauperes lictorem fœminæ] Sensus est, Pauperes fœminas unionibus gaudere, quod, in publico cum sint, ipsis de via decedatur, videanturque divites, ut margarita pro lictore sit, et turbam summoveat; id enim fuit lictorum officium. Horat. 'neque consularis Summovet lictor miseros tumultus Mentis.' Quidam docti *licitatorem* legunt, quasi emptorem pudicitiæ matronalis, verbis vim afferentes, et pro arguta elegantique sententia turpem comminiscentes. Turneb. Advers. xv. 10. Carol. Sigon. de Ant. Jur. Civ. Rom. II. 15. *Dalec.*

Nec crepidarum tantum obstrigillis, sed totis socculis addunt] Vulgo *obstragulis:* sunt ansulæ vel corrigiæ quibus adstringuntur crepidæ, Græci ἀγκύλους vocant; unde ἀγκυλωτὰ ὑποδήματα apud Dicæarchum. *Salmas.* 56.

Socculis addunt] Tertullian. de Habitu Virginis: 'Latent in cingulis smaragdi: cylindras vaginæ suæ solus gladius sub sinu novit: et in peronibus uniones emergere de luto cupiunt.' Manilius lib. v. de margaritis et aliis gemmis: 'Perque caput ducti lapides, per colla manusque, Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.' Chares Mitylenæus apud Athenæum scribit ex margaritis σκευάζεσθαι ὁρμίσκους τε καὶ ψέλια περὶ τὰς χεῖρας, καὶ τοὺς πόδας. *Dalec.*

Myas appellant] Tales hodie reperiuntur in gelidissimis quibusdam Arvernorum rivis et torrentibus. *Idem.*

Similem pectini insecto] Insectam, οὐ διαγεγλυμμένην Athenæus, *minime striatam aut cælatam.* Dalec.

Hirsutam] Δασεῖαν Athenæus, *spissam*, ut recte vertit Rondeletius, non *hirsutam.* Idem.

Enormes fere] Minime aut rotundi aut leves. *Idem.*

Pondus ad hoc ævi semunciæ, &c.] Lege, *Pondus ad hoc ævi semunciæ paucis singulis scripulis excessere.* Aliud *scrupulum*, aliud *scripulum.* Tria scripula in drachma, sex drachmæ in uncia. Sic decem et octo scripulorum uncia est; semuncia, novem. Margarita igitur, quæ semunciæ pondus uno scripulo superaret, decem scripulorum esset. Paucas ad ætatis suæ tempus inventas Plinius affirmat, quæ penderet decem scripula. Vide Salmas. pag. 1170. b. 1172. a. *Pondus ad hoc ævi, &c.*] In India nunc ponderosissimæ pendunt centum sexaginta grana hordei. *Dalec.*

Alterno textu fulgentibus, &c.] Lege: *Altero textu fulgentibus, toto capite, crinium spira, auribus, colli monilibus, digitis; quæ summa quadringenties sestertium colligebat, ipsa confestim parata mancupationem tabulis probare.* Vide Salmas. 1172.

Spiris] Vittarum circumductus sic vocat. Vittis enim, stola, sellis, ac lecticis primariæ locupletesque matronæ a tenuioribus et impudicis distinguebantur. Ovidius: 'Scripsimus hæc illis, quarum nec vitta ligatos Attingit crines, nec stola longa pedes.' Brissonius I. 4. *Dalec.*

Non illos curru detractos, quam in hoc vicisse mallit] Sensus est, satius fuisse Curium et Fabricium non triumphas-

se, quam locupletatam eorum victoriis posteritatem ad tam immanem luxum pervenire. Turn. Advers. x. 9.

Aceti] Id nimirum est quod scribitur in leg. Seia, ff. de auro et arg. 'Seia unionem cum hyacinthis legavit, postea unionem solvit, nec ullum mortis tempore inter ornamenta sua unionem reliquit: quæsitum est, an hæres æstimationem rei, quæ in hæreditate non est, præstare debeat.' Eam vim aceti esse tradit Vitruvius viii. 3. Macrobius iii. 7. Saturnalium. Idem de Æsopi filio scribit Valer. ix. 1. De Caligula Suetonius. Brissonius i. 10. *Dalec.*

Injecit alteri manum L. Plancus, judex sponsionis ejus, eum quoque paranti simili modo absumere, victumque Antonium pronuntiavit] Legendum videtur *Munacius Plancus*, ex Macrobio Saturn. iii. Fuit hic unus ex amicis Octavii, cujus sententia 'Augustus' appellatus est. Construxit Romæ templum Saturni, auctore Suetonio in Augusto. Præterea opinor verba hæc partim permutata esse, partim etiam nonnihil corrupta, scribendaque hoc conceptu: *Injecit alteri manum, eumque parante simili modo absumere, Munacius Plancus judex sponsionis ejus, victum Antonium pronuntiavit.* Pintian.

Æsopi filius] Horatius: 'Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ, Scilicet ut decies solidum absorberet aceto, Diluit insignem baccam.' Vide Valer. ix. 1. *Dalec.*

Ælius Stilo] Varronis magister. Dicere is solebat, Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. Ejus meminerunt Grammatici Sosipater lib. i. Priscianus lib. vi. Pompeius in voce 'Sonticus,' Varro de Lingua Lat. lib. iv. Hadrian. Jun. vi. 12. *Dalec.*

Conchylia et purpuras omnis hora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pæne et margaritis pretia fecit] Purpuram a conchylio, hoc est, purpuream vestem a conchyliata, Plinius semper discernit. et xxii. 2. 'Transalpina Gallia herbis Tyrium atque conchylium tingit, omnesque alios colores.' Et xxi. 8. tria genera præcipua ac principalia statuit purpurei coloris, 'Tyrium, amethystinum, et conchylium.' Vide Salmas. in Tertull. Pall. p. 185.

CAP. XXXVI. *De natura purpuræ et muricis.*

Sicut murices] Apud Aristotelem *κήρυκες, buccina.* Muricem hic de buccino Plinius usurpat, supra vero cap. 25. de concha Veneria. *Dalec.*

Lentorem cujusdam ceræ salivant] Lentore cujusdam cerii salivant: *ποιοῦσι μελίκηραν*, id est, *οἷον κηρίον κηριάζουσι.* Aristot. Gaza vertit, *favare*, et *favificare.* Idem.

In mediis habent faucibus] Inter papaver et cervicem. Arist. *Idem.*

Vivas capere contendunt] Forte scribend. *vivas captas contendunt.* Bochart. 726. 2.

Detracta concha auferunt] Eam prius diffringebant, et ubi fracta esset, cervicem a papavere separabant; nam inter hæc supra ventrem flos situs est. *Dalec.*

Tyrii] Vide Pollucem lib. i. et Vitruv. vii. 13. *Dalec.*

Fasces securesque] Consulatus insignia fuerunt duodecim fasces, totidem lictores, purpurea prætexta, curulis sella. De comitiis consularibus, imperioque et potestate ac dignitate consulum, amplissime disserit Alex. ab Alex. iii. 3. et v. 18. *Idem.*

Pro majestate pueritiæ est] In prætextis. Qua de re Bayf. ad l. vestis ff. de aur. et arg. leg. c. 10. *Idem.*

Distinguit ab equite curiam] Vide quæ supra notavimus ad viii. 48. *Id.*

Diis advocatur placandis] Consules enim nonnisi purpurati sacrificabant. *Idem.*

Sed unde conchyliis pretia? queis virus grave in fuco, color austerus in

glauco] Πικρὸν χρῶμα ἐν τῷ κυαναυγεῖ, *τὸ κυαναυγέστατον* et c. 38. 'nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam,' &c. 'austeritatem' vocat saturitatem et superbiam nitoris. *Salmas.* in Tertullian. de Pallio p. 183.

Conchyliis] Ex iis, ut buccinis et purpuris, succus tingendis lanis colligitur. *Dalec.*

Irascenti similis mari] Conchylii triplex fucus est: unus Heliotropii, paulo saturatior quam auctor hic significat: alter floris malvæ ad purpuram inclinans: tertius violæ serotinæ. XXI. 8. *Idem.*

Purpuras et conchylia] Purpurei et conchyliati coloris infecturas. *Idem.*

Buccinum nonnisi petris adhæret, &c.] Verba Plinii sic continuanda, quæ perperam capitibus secta divelluntur: *Buccinum nonnisi petris adhæret, circaque scopulos legitur: purpuræ nomine alio pelagiæ vocantur.* Plane innuit purpuras alio nomine proprie vocatas 'Pelagias,' quod in alto mari caperentur: quum buccina circa scopulos et petras, quibus adfixa sunt, legantur. Hinc alibi passim 'Pelagium' pro purpuræ medicamento ponit, cui buccinum opponit. Vide cap. 40. ejusdem libri. Vide Salmas. p. 1132. b.

CAP. XXXVII. *Quot sint genera.*

Pelagiæ vocantur] Universo generi, quod situs ac loci proprium est, Plinius oscitanter tribuit; nam purpurarum aliæ sunt pelagiæ, aliæ litorales. Qua de re Gesner. de Animal. lib. IV. pag. 898. ex Rondelet. Idem tum discrimen auctor servat et infra cap. 40. *Dalec.*

Lutense putri limo, et algense, &c.] Lege: *Lutense e putri limo, et algense nutritum alga, vilissimum utrumque. Melius Tæniense, in tæniis maris collectum. Hoc quoque etiamnum levius atque dilutius Calculensi. Id appellatur a calculo maris, mire aptum Conchyliis. At longe optimum purpuris Dialocense, id est, vario soli genere pastum.* Dialocense sic dictum, quod varietate locorum gauderet, et pabuli diversitate. Videatur Salmas. p. 1133. a.

In Tenei maris ora collectum] Monuimus *in tæniis maris* hic ab aliis legi. Sunt autem tæniæ candidæ in mari cantes longo tractu fasciam imitantes. *Dalec.*

Dialutense] Quasi διαλυτὸν, *vagum, solutum, errabundum, eidem sedi minime adhærens.* Lego, *ut Dialetæ vario soli genere pasto: ἀλήτης, erro, vagus, sedem mutans, ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι,* unde ficta vox διαλήτης, nisi magis placeat διαλητεύουσαι, ἀπὸ τοῦ ἀλητεύειν.

Concharum flos Aristot.	1 Niger ex	1 Pelagiis. 2 Magnis. 3 Aquiloniis.
	2 Flavus aut Rubens ex	1 Litoralibus. 2 Parvis. 3 Austrinis.

Dalec.

Vario soli genere] Cœnoso, algoso, calculoso. *Idem.*

Clusiles mordacesque conchæ] Apud Athenæum lib. III. pag. 43. Concha ea μέλαινα dicitur et κογχόθηρα. *Idem.*

CAP. XXXVIII. *Quo capiantur tempore.*

Quoniam, cum fœtificavere, fluxos habent succos] Apographum Toletanum non *fœtificavere* habet, sed *cerificavere:* recte, puto. Aristoteles lib. V. 'Capiuntur purpuræ tempore verno, cum favos extruunt.' Et mox paulo: 'cum favificant purpuræ, tum deterrimum habent florem.' Ipse quoque Plinius in initio cap. 36. 'Congregantur verno tempore mutuoque attritu lentorem cujusdam ceræ salivant;' sive 'cujusdam cerii,' id est, favi, ut alii legunt: quod idem de verbo *cerificavere* dici potest, significare videlicet, aut ceras aut favos facere; quamvis verbum compositum ex Græco et Latino raro reperiatur. *Pintian.*

Cui addi salem necessarium] Quoniam liquor salsus, incisa vena, saniem, quæ velut purpuræ sanguis est, co-

piosiorem elicit. Sic medici, cucurbitis admotis et cute scarificata, ut sanguis fluat largius, nec coëat, vulnera aqua salsa madefaciunt. *Dalec.*

Ferme in libras centenas] Libram unam et bessem, sive uncias viginti. *Idem.*

In plumbo] Cortina plumbea; nam ferrea et ænea suos colores illinunt. *Idem.*

Aquæ amphoris] Aquæ libris octoginta. Ex hominis tamen lotio tincturam eam confici, capite sequenti docet, non aqua. *Idem.*

Medicaminis libras] Conchæ tusæ, aut carnis exemptæ. *Dalec.*

Æquari] Legendum *aquari*, id est, dilui. Seneca Natur. Quæst. I. 3. 'Sic enim et purpura eodem conchylio non in unum modum exit. Interest quantum macerata sit: crassius medicamentum, an aquatius traxerit: sæpius mersa sit, an excocta, an semel tincta.' *Idem.*

Ita despumatis subinde carnibus, &c.] Vide Salmas. notas pag. 345. a.

Liquata cortina] Quod satis est cocta. *Dalec.*

Vellus elutriatum] Μεταγγιζόμενον, *transvasatum*, a lutra vase, vel, ut quidam censent, a lura, culei ore: unde lurcones Festo, gulæ capacis homines. Laberio tamen 'elutriare lintea,' lavare est, et 'labandria,' sordida quæ lavari oportet. Rhod. XVIII. 40. et auctor infra XVII. 14. *Idem.*

Fucum remittit] Tincturam dilutiorem monstrat. *Idem.*

Pelagio admodum alligatur, &c.] Lege: *Pelagio admotum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam, &c.* Buccinum solum ac per se damnatur, quia fucum remittit. Pelagio admotum alligatur ac fucum suum tenet. Alligari dicuntur colores qui non facile eluuntur, nec fucum remittunt. Idem Plin. XXXII. 7. de alga marina: 'tingendis etiam lanis ita colorem alligans, ut elui postea non possit.' Ita alligatur buccinum, admotum Pelagio, vel admixtum, quum alias per se colorem non teneat. *Salmas.* pag. 1132. b.

Excitatur] Vividius fit aut obscurius. *Dalec.*

Amethysti color eximius ille] Tria purpuræ genera a varietate colorum sumpta memorant veteres, πορφυρίδα, coloris violacei saturati, et subnigricantis, quo colore πορφύρεον κῦμα, θάνατον πορφύρεον, Homerus dixit. Talis fuit Amethystina, et quæ e pelagiis purpuris solis fiebat atque buccinis: φοινικίδα, puniceum, rubentem, colore cocci, qualis fuit Tyria et Tarentina, a colore puniceo maturæ palmulæ dictam: ἁλουργίδα, colore glauco, irato mari simili, austero, diluto, qualis fuit conchyliata, et quæ fiebat e solis buccinis. Olim Odyssea Homeri agebatur ἐν ἁλουργοῖς ἐνθήμασιν, ad significandos per maria Ulyssis errores: Ilias ἐρυθροβαφέσι, indicandis vulneribus cruentis, et cædibus. Sextus Pompeius, Magni filius, ob hostium naufragia dum gloriabundus, imperatorium paludamentum phœnicium in cæruleum vertit, ad instar Neptuni, cujus se filium esse prædicabat, quoniam felicissima navigatione usus fuisset. Hadr. Jun. II. 2. *Dalec.*

Immatura viridique cortina] Nondum satis liquata et percocta. *Idem.*

Purpureus dicitur sanguis] A purpuræ illustri colore, *quicquid nitet ac splendidum est*, ἅπαν τὸ ἀγλαὸν, 'purpureum' Latini dixerunt. Catullus, 'quercus purpureos ramos;' Albinovanus ad Liviam, 'purpuream nivem:' 'purpurea sub nive terra latet.' Horatius: 'purpureis ales oloribus.' 'Αγλαοῖς, ἀγλαομόρφοις. Quin etiam Anacreon, πορφυρῆν 'Αφροδίτην. *Scaliger.*

CAP. XXXIX. *Romæ quando usus purpuræ.*

Denariis centum] Aureis decem. *Dalec.*

Denariis mille] Aureis centum. *Id.*

Ædilis curulis] Ædiles curules, et prætores et consules, prætexta olim ornabantur. *Brissonius.*

Dibapha tunc dicebatur] Proverbii 'Strumam dibapha vestire' quis sensus sit apud Ciceronem, vide explicatum a Rhod. XXX. 26. 36. *Dalec.*

Præterque jus temperatur aqua] Hoc est, præterquam quod buccinum detrahitur, etiam hoc interest, quod hic jus pro lotio aqua temperatur, et ex medicaminibus dimidium inditur ejus, quod in purpuræ tinctura indi solet. *Præter* Plinius utitur pro 'præterea.' *Gelen.*

Jus] Jus vocat succum infectorium conchylii, qui ad lanam coquitur tingendam, in purpurea veste, cum urina et duplicatis medicaminibus: in conchyliata, cum simplicibus tantum pigmentis, et aqua, urinæ loco. Urinam rubro colori et purpureo conciliando aptissimam esse monstrant infectores, qui pigmentum rubrum, vulgo dictam *orseille*, conficiunt ex acerrimo lotio marium et terræ muscosa crusta, quæ nudis saxis inhærescit candicans, et imbre aspersa veluti fungos exiguos rubentes gignit. *Dalec.*

Inviso humani potus excremento] Abominatos lotium hominis veteres fuisse, ostendit hoc, quod 'lotiulente' fœde et lutulente dixerint. Titinius: 'Lotiulente flocci fiet is cultor gulæ.' Turnebus Observ. XVIII. 20. Plaut. in Menæch. 'Summum me olfactare oportet vestimentum muliebre: Nam ex hoc loco sparcatur nasum odore illutibili;' nimirum, lotii. Romanis turpe fuit atque ominosum vel lotium tantum nominare. Quamobrem auctor XXVIII. 6. cum urinæ vires persequitur: 'Sua cuique autem' ait, 'quod fas sit dixisse, maxime prodest.' Idem VII. 51. inter signa mortis recenset neglectum effluvium præfandi humoris, id est, urinæ cum honore et præfatione nominandæ. Sic Seneca de Ira III. 2. irritationem humoris obscœni, id est, lotii et urinæ; et de Tranq. Vitæ II. 18. immundam aquam vocat. *Idem.*

CAP. XL. *De pretio earum.*

Non tamen usquam pelagii libras, &c.] Legend. *Non tamen usquam Pelagii centenas libras quingentos nummos excedere, et buccini centenos sciant, qui ista mercantur immenso.* Centenæ libræ pelagii quingentis nummis vænibant; at buccinum longe purpura vilius. Ideo centenæ ejus libræ centenis nummis dabantur. Sic libræ singulæ pelagii quinque nummis, buccini nummo uno exponebantur. Sequentia sic lege: *Sed alia e fine initia, juvatque ludere impendio, et luxus geminare miscendo utramque, et ipsa adulterare adulteria naturæ.* Vide Salmas. p. 1132. b.

Pelagii] Hoc est, Lanam pelagiæ purpuræ tinctura infectam libræ pondo nusquam excedere. *Dalec.* Meo quidem animo hæc mens Plinii est, Pelagii seu purpuræ mendicaminis seu succi libras non pluris quinquagenis, buccini vero centenis æstimandas.

CAP. XLI. *De tingendo amethystino, et cocco, et hysgino.*

Coccoque tinctum Tyrio tingere, &c.] Aperte coccum ab hysgino separat: si cocco tinctum Tyria purpura tingebant, ut fieret hysginum, color hysginus inter purpureum et coccinum fuerit oportet. *Salmas.* 272. b.

Hysginum] De hysgino vide quæ adnotata sunt in XVI. 8. et XXXV. 7. *Dalec.*

Dicemus] Lib. XVI. cap. 8. et XXIV. 4. *Idem.*

CAP. XLII. *De pinna et pinnotere et aquatilium sensu.*

Concharum generis et pinna est] Apud Ciceronem de Nat. Deor. Balbus, et de Finib. lib. III. Cato, idem narrant ex scriptis et disciplina Stoicorum, et præcipue Chrysippi, cujus verba ipsa Muretus refert in cap. 5. *Idem.*

Squilla parva] Hoc est, cancellus,

quem Græci vocant *καρίδιον*. *Herm. Barb.*

Illa ore compresso, quicquid inclusit, exanimat] Verbum *ore* in archetypo Tolet. non legitur. Et sane Aristoteles v. 16. non os comprimi a concha tradit. Ejus verba: ‘Nasci etiam in cubilibus spongiarum novimus bestiolam aranei similem, nomen pinnothera mutuantem. Degit hæc intra spongiarum cubile, et aperiendo claudendoque pisciculos capit. Aperit antequam ingrediantur, claudit et contrahit cum ingressi sunt.’ Hæc Aristoteles. Apud quem an legendum sit pinnothera, cum aspiratione, an sine illa, non absurde dubitari posset, ut sit ‘pinnoter’ quasi pinnarum custos, quod alterum nomen ‘pinnophylax’ ostendit. Confirmat id Plutarchus in libro, Utra animalium, &c. Nisi quis dicat appellari ‘pinnother,’ quod pinna venetur pisciculos. Lego igitur in Plinio, *Illa compressa quicquid conclusit exanimat;* ut quemadmodum ante venationem dixit pandere se, sic in venatione et captura dicat comprimi. *Pintian.*

Et rhombus] Arist. Hist. lib. IX. *περὶ τῆς ψήττης*, id est, *de passere*, hoc prodidit. Athenæus tamen, sub finem libri septimi, rhombum Romanis passerem vocari scribit. *Dalec.*

CAP. XLIII. *De scolopendris, vulpibus, et glanis.*

Hamo devorato omnia interanea evomunt] Oscitanter de Vulpe marina id scripsit Plutarchus Dialogo, Utra prudentiora, &c. *Idem.*

Cautius qui glanis vocatur: aversos mordet hamos] Hermolaus alterutro ex duobus modis hunc locum castigat. Unus est, *Glanius qui et glanis vocatur;* alter, *Glaucus et qui gelanis vocatur.* Neuter verus est, neque item vero similis; nam quod Hermolaus ait Aristotelem lib. IX. scribere de glani, hoc ipsum quod hic a Plinio traditur, falsum est. Id ut constet, Aristotelis verba de glani subjungam, ex eodem IX. 37. ‘Tunc si minor sit natu, minusque usu exercitatus, facile hamo capitur; sed si peritus, et hamifraga est, morsu dentis sui durissimi rumpit hamum, et fœtum assidue custodit.’ Hæc Aristoteles. De cætero Plutarchus libro, Utra animalium, &c. non glani hoc tribuit, qui silurus apud nos vertitur, sed cestreo, qui mugil: quo auctore, nisi dura esset castigatio, scribendum censerem: *Cestreus, qui mugil a nobis vocatur, aversus mordet hamos.* Nec mihi hac in parte satisfacit Franciscus Massarius, vir alias dignissimus qui maxime laudetur. Quo modo igitur hic locus restituendus sit, æstimandum exactiore diligentia. *Pintian.*

Glanis vocatur] Aristot. Glanidem *ἀγκιστροφάγον εἶναι*, *hamos devorare*, scribit. De Mugile hoc tradit Plutarch. Dialogo, Utra prudentiora, &c. Quare Pintianus ferme audet legere: *Cestreus, qui mugil a nobis vocatur.* Dalec.

CAP. XLIV. *De ariete pisce.*

Aries] Belua marina, nomine tantum cognita. *Rondel.*

CAP. XLV. *De his quæ tertiam naturam habent, non animalium, neque fruticum, et de urticis, et spongiis.*

Tertiam ex utroque naturam habent] Ζωόφυτα, ζωόδενδρα. *Dalec.*

Vagantur] Vagantur, quæ solutæ quidem sunt; nam alterum earum genus saxis affixum semper hæret. *Idem.*

Contactos] Hoc est, ab urtica ipsa pisciculos. Fit enim protinus, ut pruritum contacti sentiant, quem scalpere ad petram aliquam conantes apprimit urtica. *Herm. Barbarus.*

Tacta uredinem mittit] Admotam contrectantis manum pungit. *Dalec.*

Tragos id vocatur] Ab odore gravi; nam quia cœno et luto ea solum vivunt, male olent. *Idem.*

Penicilli] Turundæ sinuosis et cavis ulceribus immittendæ. Penis, ac

inde peniculus, penicillus, et peniculamentum, cauda. Et quoniam veteres caudis boum, ut nos vulpium, uti solebant ad pulverem excutiendum, peniculos et penicillos inde vocarunt ea, quibus mensas et soleas tergebant, prætereaque pictorium veluti calamum ex setis compactum. Plaut. in Menæch. 'Quis est iste peniculus quo extergentur baxeæ.' Afranius: 'Lares ludentes peni pinxit bubulo.' Arnobius lib. v. 'Peniculamenta decurtantem canteriorum, innectentem laqueos mobiles.' Ennius apud Nonium: 'Pendent peniculamenta unum ad quodque pedule.' Ælianus ex silvestrium boum caudis μυιοσόβας, *muscaria* olim factitata scribit. Itaque penicilli trium sunt generum, excussorii, abstersorii, pictorii. Caudis equorum tota fere Germania hodie pectines barbæ et capilli contactu sordidos deterget. Apud Plaut. in Menæch. Peniculus, parasiti nomen, quod instar spongiæ mensam tergeret: 'Juventus nomen fecit Peniculo mihi: Ideo, quia mensam, quando edo, detergeo.' In Rudente: 'Age jam hic te itidem quasi penicillus novus exugeri solet. Ni hunc amittis, exugebo quicquid humoris tibi est.' Theopompus lepide apud Athen. vetulam, quæ linctu lances detergebat, λεκάνης σπόγγον καὶ πτερὸν λεπαστῆς appellat, ut apud Nonium terginocalicem, qui calices terget, in voce 'cluo.' Cic. ad Famil. Epist. *Idem.*

Achilleum] Quoniam, ut inquit Eustathius, robustissimum est, sicut hordeum præstantissimum Achilleum vocatur, quale suis equis Achilles objecit. Rhodigin. xxiv. 6. Vide infra xxxi. 12. *Idem.*

Sunt et aliæ] Fistulæ, per totum corpus earum sparsæ; verum hæ superne occlusæ et obturatæ. *Dalec.*

Elui non possunt] Adeo sordidæ sunt et inquinatæ. *Idem.*

CAP. XLVI. *De caniculis marinis.*

Canicularum maxime] Plinius in universum galeorum, sive squalorum, species omnes, quæ multæ sunt, caniculas vocat; cum hoc nomen peculiare sit ei, quem Græci νέβριον, σκύμνον, σκυλάκιον appellant, Galli *Roussete*, et hæc canicularum adversus urinantes dimicatio intelligenda sit de galeo tantum cane, et de galeo glauco, magna feritate et immanitate spongotheras invadentibus: γαλεοὺς κύνας Arist. vocat. *Idem.*

Super capita] *Super oculos* dicere debuit. Est enim nubes non quidem malum, aut vitium, sed in galeo cane, et galeo glauco crassa membrana; quæ palpebræ avium modo ex inferiori oculi parte nascens totum eum contegit, et inter dimicandum visui plurimum obest. Eadem est et in raiis planis piscibus, sed et ex interiore oculi angulo in eum totum distenditur, prætereaque in ambitu velut serrata et fissa est. *Idem.*

Planorum] Cartilagineorum. *Idem.*

Reciprocando] Impetu resumendo, iterando morsu, repetendo impetu mordendi. *Dalec.*

Lineis annexos habere sese] Rhod. v. 14. in his verbis Quintiliani lib. xi. 'Transire in diversa subsellia parum verecundum est. Nam et Cassius Severus urbane adversus hoc facientes lineam poposcit:' lineam interpretatur longurium, nempe longiorem perticam, equis a præsepibus interjectam, et eos discernentem, ne inter se pugnent. *Idem.*

Ipsi adjuvere] Hic notatu dignum, quod scribit Rhod. xxv. 16. spongotheras in imo maris effuso oleo aquam illustrare, et luminis aliquid sibi præbere: quod etiam scriptum est supra ii. 103. *Idem.*

CAP. XLVII. *De his, quæ silicea testa includuntur, et quæ sine ullo sensu, et de reliquis sordidis animalibus.*

Certissima est securitas vidisse planos pisces] Videtur legendum, *anthias pisces*, non *planos pisces*. Quæ castiga-

tio, etsi aspera duraque est, devoranda tamen, ut in Plinio, in quo alias multo atrociores esse, constabit ex sequentibus et constitit ex præteritis; ad quas si quis pavitet, perinde faciat, ac malus chirurgus, qui adhibitus ad secanda exurendave inveterata ulcera, parcens ægrotantis cruciatibus, a curatione desistit. Aristoteles IX. 30. 'Quo in loco anthias sit, nullam ibi belnam esse confessum est; quo jam indicio secure spongiatores urinantur, et sacrum hunc piscem ob eam rem nominant.' Hæc Aristoteles. Porro quinam vocentur sacri pisces, longa est disputatio apud Athen. lib. VII. *Pintian.*

Urinantes] Spongotheres. *Pintian.*

Sacros appellant] Arethusæ pisces sacros vocat Diodorus; anthian Plutarchus; pompilum et delphina Athenæus; leucon Theocritus in Berenice; chrysophryn idem in Galatea; icien idem in Epigrammatibus. Rhod. XII. 12. *Idem.*

Adeoque nihil non gignitur] Scalig. in Propert. Conopeorum animalia, οἱ κώνωπες, *culices:* quæ capillus celat, οἱ φθεῖρες, *pedes.* Inde conopea dicta quæ adversus culicum morsus tendebant gentes quædam ab iis infestatæ, præsertim per æstatem. Horat. 'Interque signa, turpe, militaria Sol aspicit conopea.' Propertius de Cleopatra: 'Fœdaque Tarpeio conopea tendere saxo.' *Idem.*

Æstiva animalia] Arist. Hist. IV. 10. *Idem.*

Infestare] Idem ibid. *Idem.*

CAP. XLVIII. *De venenatis marinis.*

Pestiferum animal araneus] Idem et draco. *Dalec.*

CAP. XLIX. *De morbis piscium.*

CAP. L. *De generatione eorum mira.*

Nisi editis ovis inter se versando mares et feminæ vitale asperserint virus] Aliquot ex his verbis, si recte conjicio, supervacanea sunt, ab emendatore seu expositore inconsiderate adjecta; nam mares suapte natura circa tempus, quo fœminæ pariunt, copia seminis turgent, ut ad emissionem seminis non sit necessaria mutua illa versatio maris ac fœminæ. Item fœminæ vitale illud virus non aspergunt, sed mares duntaxat. Aristoteles de Generat. Animal. III. 5. 'Tempore enim eodem mares semen genitale, fœminæ ova habent; et quo fœmina propius ad partum accedit, eo copiosius et humidius redditur semen genitale in mare. Et ut incrementum seminis in mare, ovi in fœmina eodem tempore evenit, sic emissio. Neque enim fœminæ universum, sed paulatim pariunt; neque mares semen suum universum emittunt.' Et de Hist. Animal. VI. 13. 'Nec vero hæc omnia fœcunda, sed quibus mas semen asperserit genitale. Sub partu enim mas sequens semen ovis aspergit, et quæ vitale id virus contigerit, ex his pisciculi enascuntur, ex cæteris ut contigit.' Ex his Aristotelis verbis evidenter apparet, vera Pliniana que verba esse, *Nisi editis ovis mares vitale asperserint virus;* reliqua adulterina esse. *Pintian.*

CAP. LI. *Item de generatione, et qui pisces ova pariant.*

Plani piscium quibus cauda non est, aculeatique ut testudines in coitu superveniunt] Dictionem illam *testudines* pro Pliniana non agnosco. Nemo enim testudines planos pisces dixerit, imo nec simpliciter pisces; quippe quæ sint quadrupedes Aristoteli v. 3. et idem auctor tradit in lib. De spiritu, testacea omnia ex aquatilibus prædita esse pedibus, ob gravitatem. At pisces pedibus carere, Aristoteles idem prodit, II. 13. Quapropter etsi scio visum iri hanc, ut plerasque alias, asperam castigationem, contenderim tamen, non *testudines* hic, sed *pastinaca* legendum esse. Aristot. v. 5. 'Plani autem ejusdem generis, iidemque habentes caudam ut raia, pastinaca, et reliqua hujuscemodi, non solum admotis supinis,

sed etiam tergo fœminarum supinis marium superpositis, modo cauda impedimento nullo ob crassitudinem sit, coëunt.' *Idem.*

Naribus] *Fistulæ*, *αὐλῷ*, *φυσητῆρι*. Plinius apud Aristot. *μυκτῆρι* legit, pro *φυσητῆρι*. Plinii errorem Gaza secutus est, crine uno fistulæ adnexo. *Dalec.*

Sepiæ et loligines] Sepiis et loliginibus lingua non est. Pariunt illæ ore ori admoto, mutuo compositorum et applicatorum brachiorum complexu, fistulam (Gaza *narem*) fistulæ inserentes, natatu alterius retrorsum, alterius antrorsum. Pariunt fistula, qua et coire putantur. Lego inde: *loliginis fistulis*, &c. Idem.

Sed polypi in terram verso capite coëunt] Polypus fœmina, verso in terram capite nitibunda, explicat, porrigitque brachia: mas supervenit, passisque flagellis acetabula sua singula singulis fœminæ adjungens, adhærescit. Aristot. *Idem.*

Reliqua mollium tergis] Molli crusta tecta. Apud Arist. est: τὰ δὲ *μαλακόστρακα ὀχεύεται καθάπερ τὰ ὀπισθουρητικὰ τῶν τετραπόδων*, *ut quæ ex quadrupedibus retrorsum in caudam resiliunt.* Gaza vertit, *quæ retro meiunt.* Idem.

Cancri ore] Cancri priore parte copulantur, rugosos operculorum loculos conserentes. Aristot. *Dalec.*

Carnes nigras] Carnes hæ non pariuntur, sed e putri limo gignuntur. *Idem.*

Quas gyrinos vocant] Vide XXII. 10. De gyrinis id verum est sponte natis, non autem de ranarum vero fœtu. Rondel. *Idem.*

Salivario lentore] Ex salivario lentore folliculi fiunt, favi modo substructi. Illis autem ruptis et sanie, quam continent, in putrem limum effusa, gignuntur parvæ purpuræ et murices. Arist. Hist. v. 15. *Idem.*

In ostreariis] Ejus meminit XXII. 6. *Idem.*

Nomen ex utroque compositum] Rhinobatos. *Idem.*

Limaces] Limaces Varroni, scorta, limacibus similis, quæ olerum et plantarum fila rodunt, quemadmodum Menander *αἶγα* vocavit, quæ amatorem *θαλλὸν κατέφαγε*, *voraverat.* Quidam *a limando* malunt, ἀπὸ τοῦ *ῥινεῖν*, ob eandem causam, quod sui cupidos abrodant, et fortunis spolient. Apud Menandrum, ut scribit Ælianus, parasitus *Θήρων μέγα φρονεῖ, ὅτι ῥινῶν ἀνθρώπους αὐτοὺς ἐκείνους φάτνην εἶχεν*, *quod homines, quos arrodebat, haberet pro præsepi.* Scaliger.

Hirudines] Apud Plautum in Epidico festive Epidicus: 'jam ego me convertam in hirudinem, Atque eorum exugebo sanguinem, senati qui columen cluent.' *Dalec.*

Squali] Squali, galei, a squala, id est, sordida, aspera, et scabra cute. 'Squalum' enim prisca vox id significat. Ennius apud Nonium: 'Elavare lacrymas, vestem squalam et sordidam.' *Idem.*

Ova ejus, &c.] Arist. Hist. v. 10. *Idem.*

Pariunt vere, &c.] Corium sive favum edunt. *Idem.*

Silurus mas solus] De glanide id Arist. Hist. lib. IX. *Dalec.*

CAP. LII. *De vulvis piscium.*

Channæ vulvas habere traduntur] Channæ omnes vulvas, &c. nam quod scribit Arist. Hist. IV. 6. in eo piscis genere nulla est sexus distinctio, omnesque ovis gravidæ capiuntur. *Idem.*

Qui trochos appellatur a Græcis, ipse se inire] Falsum et ridiculum id Aristoteles existimat, Herodoto Heracleota duo eum genitalia maris et fœminæ sortitum credente. *Hermol. Barb.* De cinœdis hoc exponi potest, qui mutuo consequuntur *κατ' οὐρὰν*, ut Suidas, *κατὰ πυγὴν*, ut Athenæus, et alii aliorum clunibus natando invehuntur, ut qui nefandam et præposteram libidinem exercent. *Τρόχους* fortasse quasi *cursores* Græci

vocaverunt, a cursus pernici celeritate, non quasi rotas. Trochos diversus a cetaceo, quis et qualis sit ignorant. *Dalec.*

CAP. LIII. *De longissima vita piscium.*

CAP. LIV. *De vivariis ostrearum, et quis ea primus invenerit.*

De vivariis ostrearum] Vide XXXII. 6. *Dalec.*

Sergius Orata invenit] Val. Max. IX. 1. ejus luxuriam carpit. Vide et Ciceronem in Officiis. *Idem.*

Ostreis Lucrinis adjudicavit] Tarentina præfert omnibus Varro. Brod. IV. 14. Abydena Græci. *Idem.*

Sicut lupi pisces] Lucilius Sat. XVI. 'Fingere præterea afferri, quod quisque volebat: Illum sumina ducebant atque altilium lanx: Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo:' id est, lupus liguritor. Macrobius Saturn. III. 16. Horat. 'Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto Captus hiet?' *Idem.*

In Sicilia] Ἐν πορθμῷ τῷ Σικελικῷ. Flutas Latini vocant. Martialis: 'Quæ natat in Siculo grandis murænæ profundo, Non valet exustam mergere sola cutem.' *Idem.*

Britannica serviebant litora] Quæ ostrea præstantissima nutriunt. *Id.*

Lucullus] Vide Sallust. in Catilin. p. 9. n. 8. *Idem.*

Tricies piscinæ a defuncto illo vænire pisces] Lego, *quadraginta millibus ipsius piscinæ a defuncto illo vænire pisces.* Macrobius ait, Marcum Catonem, qui post Uticæ periit, cum Hæres testamento esset relictus, pisces de piscina ipsius quadraginta millies vendidisse. *Hermol. Barb.* Macrobius graviter errat, scribens Catonem hæredem a Lucullo relictum; quod sane neque in ipso, cujus utitur testimonio, Varrone, neque in alio Latino Græcove auctore Macrobius unquam legit. Sed quia in Plinio legerat, defuncto vita Lucullo, pisces Catonem ex piscina ejus venditasse, idcirco credidit bona Luculli hæreditario jure ad Catonem pervenisse, largiter allucinatus; nam ex eo ipso Varrone et Columella discere potuisset, Catonem tutorem Luculli relictum, non hæredem. Quod si etiam non percipiebat, sciat Lucullum imperatorem, fato defunctum, puerulum filium, Lucullum nomine, reliquisse, quem sustulerat ex Servilia Catonis sorore, muliere impudica, quam procreato hoc filiolo ob vitæ probra repudiavit. Hic igitur puer Luculli majoris filius, et illius, ut dixi, appellatus nomine, paternorum bonorum hæres fuit. Quæ cum per ætatem administrare non posset, tutor ei datus est Cato Uticensis avunculus. Auctor est Plutarchus in Vita Catonis Uticensis. Hic igitur Cato Lucillianas delicias exosus, parumque necessarias pupilli incrementis judicans, pisces illos quam potuit maximo precio permutavit. *Pintian.*

CAP. LV. *Quis primus murænarum vivaria fecerit.*

Mutuo appendit] In pondus dedit. Varro lib. III. cap. ult. *Dalec.*

Hujus villam intra quam modicam quadragies piscinæ vænierunt] Ambo exemplaria *vendiderunt* præferunt, non *vænierunt.* Budæus, cum quo iterum mihi res est, libro secundo de Asse hunc locum sic legit: *Hujus villam intra quam modicam XL. piscinæ vendiderunt;* profiteturque se id facere ex vetere lectione et Varrone ac Macrobio. Nos adversus veterem lectionem et Budæum ac Macrobium *pisces* legendum contendimus, non *piscinæ.* Nam Varronis auctoritas, qua nititur Budæus, mihi favet, non illi, confirmatque *pisces,* ut ego sentio, non *piscinæ,* ut Budæus, scribendum esse. Potuit enim unica duntaxat piscina villam Hirii tanti vendere: et possunt in una tantum piscina multi esse et magnæ taxationis pisces, ut ex fine capitis præcedentis patuit. Sed Varronis ipsius verba, de Re Rustica III. 17.

apponam, ut apertius fiat utro ex duobus modis legendum sit, *piscinæ*, ut Budæus, an *pisces*, ut ego sentio: 'Hirius,' inquit, 'circum piscinas suas ex ædificiis duodena M. sestertium capiebat. Eam omnem mercedem escis, quas dabat piscibus, consumebat. Nec mirum: uno tempore enim memini hunc Cæsari VI. M. murænarum mutua dedisse in pondus, et propter piscium multitudinem quadragies sestertium villam vænisse.' Hactenus Varro. Ex cujus verbis colligitur, ob pisces numerosos, non piscinas, villam Hirii vænisse tanti. Præterea, si ut ait Varro, ex ædificiis quæ circum piscinas erant duodena M. sestertium Hirius capiebat, insumebatque pascendo egregio illo pecore, qua ratione piscinæ illæ tantæ æstimationis simul cum villa mediocri pretio, quadragies sestertium, hoc est mille aureorum vænire potuerunt? Sed non universas dicet quis Hirii piscinas cum villa venditas, sed aliquot earum. Tantum abest ut eos probem qui ita sentiant, ut mirer potius attenta piscium, quæ illis temporibus erat, ingenti æstimatione, unicam etiam piscinam, cum villa quantumcunque mediocri, tam exiguo precio venalem inventam. Macrobius vero, qui aliter sentit, rem non accurate perpendit, ut pleraque alia, de quibus lis homini intendi non injuria posset; mendosum enim Plinii exemplar nactus in errorem ipse lapsus est, et Hermolaum una secum traxit. Parem invenies in Columella mendam; nam ubi *pisces* scribi debuit, *piscina* falso scriptum est: 'Attamen,' inquit VIII. 16. 'iisdem temporibus, quibus hanc commemorabat Varro luxuriem, maxime laudabatur severitas Catonis, qui nihilominus et ipse tutor Luculli grandi ære sestertium M. quadringentorum piscinas pupilli sui venditabat.' Scribendum, 'pisces pupilli sui venditabat,' tum ex Varrone libro tertio, unde id Columella transtulit, tum ex Plinio in fine capitis præcedentis: adde etiam, si placet, ex Macrobio Saturnalium. *Pintian.* *Murænarum vivarium privatum excogitavit C. Hirrius ante alios, qui cœnis triumphalibus Cæsaris dictatoris sex millia numero murænarum mutua appendit: nam permutare quidem pretio noluit aliave merce. Hujus villam (intra quam modicum!) quadragies piscinæ vendiderunt*] Ita recte Budæus, et summa est centenum millium Philippeum vel scutatorum. Sed acriter ei repugnat Pintianus, legique vult *pisces*, non *piscinæ*. 'Potuit enim,' inquit, 'unica piscina villam tanti vendere, et possunt in una tantum piscina multi esse et magnæ taxationis pisces.' Vide Gronov. de Sestertiis p. 622. 623.

Quam modicam] Minorem mediocri. *Dalec.*

CAP. LVI. *De cochlearum vivariis, et quis primus instituit.*

Cochlearum vivaria] Vide VIII. 39. *Idem.*

Separatim ut essent albæ quæ in Reatino agro nascuntur] Legendum videtur *albulæ*, non *albæ*, ex ipso, quem in fine capitis profitetur sequi, Varrone libro tertio, capite Cochleis: 'Genera,' ait, 'cochlearum sunt plura, ut minutæ, albulæ, quæ afferuntur e Reatino.' *Pintian.*

Cujus artis gloria in eam magnitudinem, &c.] Legend. *cujus artis gloria in eam magnitudinem perductas, ut octo quadrantes implerent singularum calices, auctor est M. Varro.* Vide Salmas. 1134. b.

CAP. LVII. *De piscibus terrenis.*

Piscium genera etiamnum a Theophrasto mira produntur] Libello de piscibus. Hoc ipsum tradit et Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Prope Mompessulum in vico quem vocant *Baillargnet*, ad ripam amnis Liriæ, vulgo *le Liz*, pisces effodiuntur. Idipsum fit et prope Salsas, arcem regis Galliæ

permunitam, quæ ultra Narbonam sita est. *Dalec.*

Circa Heracleam et Cromnam et multifariam in Ponto unum genus esse, &c.] Romana impressio, et Parmensis, itemque aliæ, aliter legunt, *Circa Heracleam et Toronem et Lycum amnem et multifariam, &c.* Apographon Toletanum et Salmanticense: *Circa Heracleam et Scrona et multifariam, &c.* Recte qui pro *Scrona*, *Cromnam* substituerunt. Est enim *Cromna* maritima Paphlagoniæ urbs in Ponto, prope Tium, et Heracleam ad Lycum, omnibus gregatim auctoribus; nam et in urbe ejusdem Paphlagoniæ Tio hujusmodi etiam pisces gigni, Athenæus tradit lib. VIII. ut verisimile fiat, eadem ratione, qua Tii reperiantur, posse etiam Cromnæ reperiri. Aristoteles in libro de Admiranda Auditione: 'In urbe,' inquit, 'Heraclea Ponti et in Rhegio gigni aiunt fossiles pisces:' ubi mendosissime 'et in Rhegio' scriptum est, pro 'et in Tio.' Sane verba illa, *et Lycum amnem*, quæ in impressis codicibus haberi, in scriptis desiderari dixi, Pliniana esse et legitima, incuria vero librariorum omissa, planum faciunt, quæ Plinius post scribit: *Circa Heracleam eandem, eodemque Lyco amne;* quæ tamen verba non suo loco posita sunt. Collatis igitur accuratius his quæ Aristoteles, Theophrastus, Athenæus, Plinius scribunt, videtur mihi, locum hunc vitiatissimum sic posse corrigi: *Circa Heracleam ad Lycum amnem, et Cromnam, et multifariam in Ponto, unum genus esse, quod extremas fluminum aquas sectetur;* nam Heraclea hæc Paphlagoniæ, ut ab aliis ejusdem nominis urbibus distinguatur, appellari ab scriptoribus solet, *Heraclea ad Lycum*, seu *Heraclea Pont.* Plin. VI. 1. 'Oppidumque Heraclea Lyco flumini appositum.' Theophr. libro de piscibus: 'Quædam enim non ex animalibus, ut anguilla. Videtur autem hæc fieri sicuti et qui vocatur centriscus apud Heracleam circa Lycum fluvium.' *Pintian.*

In limo generat pisces] Centrinas præcipue. Theophr. *Dalec.*

Qui ad pabula ptenda palpilent exiguis branchiis, quod fieri non indigo humoris] Scribendum reor diversa lectione et interpunctione: *Qui ad pabula petenda palpitent, exiguis branchiis, quo fieri non indigos humoris.* Ut sit sensus, habere eos pisces exiguas branchias, eoque fieri ne indigeant humoris; nam quæ ex aquatilibus exiguis branchiis prædita sunt, minore indigere refrigeratione quæ ex aqua percipitur, præter Aristotelem, Theophrastus quoque de Piscibus prodit, unde hoc videtur a Plinio tralatum. *Pintian.*

Gobiones] Viles pisces. Juven. Sat. X. 'Nec mullum cupias, cum sit tibi gobio tantum In locula.' Martialis: 'In Venetis sint lauta licet convivia terris, Principium cœnæ gobius esse solet.' *Dalec.*

Miraturque et ipse gigni sine coitu. Humoris quidem, &c.] Verbum *humoris* cum minori litera scribi et antecedentibus jungi debet, ut sit, *sine coitu humoris*, hoc est, sine restagnatione aquarum, ex Theophrasto de Piscibus. Quæ vero statim subtexuntur, inverso ordine scribi debent: *Vim quidem aliquam inesse quam puteis arbitratur.* Pintian.

Quam puteis, arbitratur, cum in nonnullis, &c.] Legend. *quam puteis arbitratur seu vero in illis reperiantur pisces.* Ex Theophrasti scripto, de Piscibus in sicco degentibus, hæc desumsit. *Isaac. Vossius* in Melam, p. 181. 182.

Quicquid est hoc, certe minus admirabile talparum facit vita] Ambo exemplaria et recentior omnis lectio: *Quicquid est hoc, certe minus admirabilem talparum facit vitam.* Hæc est vera et Pliniana lectio. Hermolaus tamen, parum accurate horum verborum sensum scrutatus, elegantiorem ait esse lectionem quorundam codi-

cum, in quibus habeatur, ut a principio legi. Qua in re, ut censeo, Hermolaus aberrat, idque existimo hac ratiocinatione probari posse. Mirum quidem videtur, Talpam animal terrestre sub terra degere; magis tamen mirum est, piscem sub eadem terra vivere; quia cum sit Talpa animal terrestre, utcunque vivit tamen in proprio elemento; at piscem, aquatile animal, extra proprium domicilium, in aliena sede sub terra degere, majus multo miraculum est. Hoc cum ita se habeat, constetque, mirum magis esse, piscem sub terra, quam talpam, vitam ducere; piscium vita miraculum talpæ elevabit, non retro; nam majus miraculum minus imminuit, non a minori imminuitur. *Pintianus.*

CAP. LVIII. *De muribus Nili.*

CAP. LIX. *De anthia pisce, et quomodo capiatur.*

Scopulosi maris] Eas propterea navigantibus esse pestiferas supra dicit v. 18. *Dalec.*

CAP. LX. *De stellis marinis.*

CAP. LXI. *De dactylis eorumque miraculis.*

Concharum e genere sunt dactyli ab humanorum unguium similitudine appellati] Verbum *dactyli* adlectitium opinamur. Reliqua sic legimus: *Concharum e genere sunt, ab humanorum similitudine ungues appellati.* Plinius supra cap. 33. 'Pectines in mari ex eodem genere habentur, reconditi et ipsi in magnis frigoribus ac magnis æstibus, unguesque velut igne lucentes in tenebris, etiam in ore mandentium.' Cum igitur illic Plinius *ungues* appellaverit, non est, quod credi debeat hic velut mutato proposito *dactylos*, hoc est digitos, nominasse: credibilius est adjectam ab aliquo temere eam dictionem. Aristoteles v. 15. 'Solenas' Græce vocat, Theodorus 'ungues' vertit. Dioscorides etiam libro secundo, capite octavo, 'concham onychem,' hoc est, 'unguem,' appellat, cujus suffitu strangulationem vulvarum tolli, et excitari comitiales scribit. Repetit idem Paulus septimo, 'ungues' operculum esse tradens Indicorum conchyliorum, quorum suffitu excitentur vulvæ strangulatione laborantes, et epileptici: item epotum ventrem ciere. *Pintian.*

Dactyli] Vide infra cap. 9. et XXXII. cap. ult. *Dalec.*

CAP. LXII. *De inimicitiis et amicitiis inter se aquatilium.*

Polypum in tantum locusta pavet, ut si juxta viderit, omnino moriatur. Locustam conger, rursus Polypum congri lacerant] Locus est ab Aristotele desumptus ad verbum fere ex libro octavo, capite secundo. Ergo Aristoteles nos docebit ejus curationem; ægrotavit enim hactenus, et quidem capitali morbo. Illius verba sunt: 'Locustæ vel pisces majores convincere possunt. Evenit usu ut locustis polypi superiores sint, et adeo ut si eisdem in retibus senserit locusta Polypum, præ metu emoriatur. Congros locustæ convincunt, nam elabi non queunt propter crustæ asperitatem. Congri Polypos superant, sed edere non possunt; læve enim et lapsum polypi corpus usum hostis effugit.' Ex his Aristotelis verbis constat legendum esse apud Plinium, non *locustam conger*, ut hactenus lectum est, sed *locustæ congrum*, rursus *polypum congri lacerant*. De reliquo, archetypum Toletanum *juxta viso* legit, non *si juxta viderit*. Pintian.

LIBER X.

CAP. I. *De natura avium.*

Conosque bellicos] Theophrastus Histor. IV. 5. *Dalec.*

CAP. II. *De phœnice.*

Cristis faciem caputque plumeo, &c.] Lege: *cristis fauces, caputque plumeo apice cohonestante.* Salmas. 548. b.

Vivere annis DCLX.] Exemplar Salmanticense, *D. LX.* Toletanum *D. XL.* vero propius, auctore Seneca, qui ait: 'Virum, qui vere dicatur bonus, quingentesimo quoque anno nasci, ut Phœnix.' *Pint.* *Vivere annis DCLX.*] Multi habent *XL.* pro *LX.* quidam etiam *DXL.* et vulgatior est opinio de quingentis annis. *Salmas.* 548. b.

Principioque justa funeri priori reddere] Lege, *principioque justa funerea priori reddere.* Prope Panchaiam igitur nidum suum sive rogum in solis urbem defert Phœnix, non prope Panchaiam concinnat: itaque pro *concinnat* memini alibi emendare *continuat*, id est, continuo defert. Vide Salmas. pag. 549. a.

Et fuisse ejus conversionis annum prodente se P. Licinio, M. Cornelio consulibus] Aliquid hic deest; nec enim dicit, quotus annus conversionis fuerit sub illis consulibus. Repono ex veteri libro Rigaltiano: *P. Licinio, M. Cornelio Coss. CCXV.* prodebat illa Manilius de Phœnice consulibus Licinio et Cornelio, quem annum ducentesimum decimum quintum agi volebat magni anni conversionis, id est vitæ Phœnicis; nam annis vitæ Phœnicis circuitum anni magni circumscribit ac terminat. Vide Salmas. 551. a, b.

CAP. III. *De aquilis.*

Secunda magnitudine et vi] Aristoteles, dum aquilas enumerat, primam omnium recenset Pygargum, eique mox subjicit Plangum, quam a Pygargo secundam esse vi ac magnitudine confirmat, non autem in universo aquilarum genere. *Dalec.*

Carentique lingua] Hoc falsum et fabulosum. *Idem.*

Eandemque aquilarum nigerrimam, prominentiore cauda] Duo ultima verba, *prominentiori cauda*, ad alium pertinent locum; hæc enim aquila, prominentioris caudæ, non est ex eo genere quod 'Morphnos' vocatur, sed alterius, de quo proxime tractabitur, nomine 'Percnopteros.' Aristoteles IX. 32. 'Quartum genus percnopteros ab alarum notis appellatum capite albicante, corpore majore quam cæteræ adhuc dicta hæc est, sed brevioribus alis, cauda longiore. Vulturis speciem hæc refert.' *Pintian.*

Consentit et Boëthus] Ita Hermolaus correxit in Indice, cum antea legeretur *Boëtius.* Sed cum Athenæus, nono, in testimonium vocet scriptorem Ornithogoniæ, hoc est, avium generationis, puto et hic et in Indice reponendum *Boëus*, pro *Boëthus.* Scio nihilominus publicam esse nominationem Græciæ *Boëthus*, sed non est aliena *Boëus*; nam Pausanias in Laconicis de Boëo quodam mentionem facit, qui Boëas urbem condidit, et in Phocicis de Bœone muliere divina: eo magis, quod in ipso Indice Romanorum et Parmensium exemplarium non *Boëtho* habetur, sed *Boëo.* Idem.

Media magnitudine] Æstimatione dignum, an hic non *media* legendum sit, sed *hemiolia*, ex Aristotele eodem loco: 'Maxima,' inquit, 'aquilarum omnium hæc est, major etiam quam

ossifraga; sed cæteras aquilas vel hemiolia proportione excedit.' *Pintian.*

Et discussis pectore aquis rapiens] Post hæc verba subsequi debent illa quæ non longe post sequuntur: *Sæpe et æquilæ ipsæ non tolerantes pondus apprehensum una merguntur.* Illuc enim commearunt indiligentia librariorum, hinc avulsa. Docet id Aristoteles his verbis: 'Quintum tum genus est quod haliæetus, hoc est marina, vocatur, cervice magna et crassa, alis curvantibus, cauda lata. Moratur hæc in littoribus et oris. Accidit huic sæpius, ut cum ferre quod ceperit nequeat, in gurgitem demergatur.' *Idem.*

Quam tertiam fecimus] De Haliæeto id scribit Arist. Hist. IX. 24. *Dalec.*

Aquila inde ictu abigente alæ] Sic castigatores emendarunt, cum omnia impressa exemplaria haberent, *aquila in dejectu abigente alio.* Duo quoque archetypa nostra *dejectu* agnoscunt. Hermolaus pro verbo illo, *alio*, *ala* supposuit, ex Aristotele se id facere professus; et sane ambo codices *ala* habent, non *alio.* Sed neque vetus lectio fidelis hac parte est, neque Hermolaus recte emendavit; parumque ei favent Græca, quæ affert, Aristotelis verba. Aliorsum ea spectant, quam Hermolaus aut intellexit, aut intelligi voluit. Nam paulo infra a Plinio redduntur, cum dicit: 'Respersu pennarum hostem occæcantes.' Scribendum igitur *alio*, hoc est, in aliam partem. Confer prius, deinde statue. *Pintian.*

Una merguntur] De Haliæeto hoc tradit Arist. Hist. IX. 24. *Dalec.*

Haliæetus] Apud Arist. est ἀετὸς, *aquila*, non *haliæetos.* Idem.

Suum genus non habent] Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Idem.*

Id quidem quod ex iis natum] Plinius incogitanter ossifragum, sive φήνη Græcorum, Gallice *Fresaie, Bris'os et Bif*, haliæetorum generi adscribit, cum teste Arist. ossifragus parum oculis valeat, quoniam illos nubeculis oblæsos habet; haliæetus vero clarissima sit oculorum acie. Quæ Plinius recitat de vulturum progenie, apud Arist. nusquam extant, fortassis ex aliquo augurum auspicumve libro hæc ille mutuatus est. *Idem.*

Tribus primis et quinto aquilarum, generi, &c.] Lege, *Tribus primis et quinto generi innidificatur lapis aëtites.* Innidificatur lapis, qui in nidificando vel nido faciendo adhibetur. Et pro *gagaten*, lege *gangiten.* Vide Salmas. p. 251. a, b.

Lapis aëtites] Vide XXXVI. 21. in principio. *Dalec.*

Gagatem] Gagates ab aëtite diversus est, ut res ipsa docet, et testantur Galenus et Dioscorides. Itaque necessum est utrumque lapidem in aquilarum nido reperiri, vocarique ideo aëtiten, quamvis natura plurimum dissideant. Serinus aquilas incubantes gagaten sibi subjicere tradit, refrigerationis causa, ne immenso calore ova percoquant; nam, ut inquit Lucanus, 'fœta tepefacta sub alite saxa.' Florus aquilam e terra vel mari sumptum lapidem quemvis nido inferre scribit, διὰ τὸ ἀσφαλῶς μένειν, *ut stabilis sit.* Hæc Plinius non satis distinxit. Vide infra XXXVI. 19. *Idem.*

Est autem lapis iste prægnans, &c.] Lege: *Est autem lapis iste prægnans intus alio, quum quatias velut in utero sonante.* Lapis iste prægnans est alio, subaudi 'lapide,' qui velut in utero sonat quum quatias. *Salmas.* 713. b.

Alterum expellunt tædio nutriendi] Apud Plutarch. in Mario, ex Musæo vetustissimo poëta, Aquila ova τρία μὲν τίκτει, δύο δ' ἐκλέπει, ἓν δ' ἀλεγίζει unum (ovum, non pullum, ut auctor) *corrumpit, perdit, duo excludit, tria parit.* Dalec.

Ossifragæ excipiunt] Ossifragum in

aquilarum numero et genere ab Arist. reponi diximus. *Idem.*

Oppetunt non senio] Post Arist. idem scripsit Demetrius Phalereus libro *περὶ τῆς ἑρμηνείας.* Vide quæ in hanc rem tradidit Rhod. XIII. 20. *Idem.*

CAP. IV. *Quando legionum signa esse cœperint, et cum quibus sit aquilis bellum.*

Romanis eam legionibus C. Marius, &c.] Dion lib. XL. aquilam militarem fuisse dicit aquilæ auream imaginem, in ædiculâ quadam collocatam, quam gestabat spectatæ virtutis miles, hasta parva suffixam, cujus inferiorem partem cuspidatam et acuminatam in terram adigeret: nec illam ex hibernis moveri solitam, nisi prodiret universus exercitus. Had. Jun. III. 2. De legione, centuria, decuria, manipulo, vexillo, turma, cohorte, et id genus militari ordinum, ac potestatis differentia, Alex. ab Alex. I. 5. Idem de Signis Militarib. IV. 2. et cur aquilam Rom. cæteris omnibus anteposuerint, et unde sumpserint. *Dalec.*

CAP. V. *Mirum de aquila.*

Est percelebris apud Seston urbem aquilæ gloria: educatam a Virgine, &c.] Vetusta exemplaria, *sæpe celebris apud Seston, &c.* Verbum *sæpe*, cum minore litera scriptum, fini præcedentis capitis annecte. Deinde lege cum majore, *Celebris apud Seston urbem aquilæ gloria est, educatam, &c.* Castigationem hanc confirmant Plinii verba inferius capite octavo: 'Bellum internecinum gerit cum aquila, cohærentesque sæpe prehenduntur.' *Pintian.*

Quod vocat Heroum] Monumentum. De hujus verbi significatione multa Rhodigin. XVII. 18. Auspicia ex aquilis et vulturibus vide apud Alex. ab Alex. III. 18. *Dalec.*

CAP. VI. *De vulturibus.*

Vulturum prævalent nigri] Magnas aves Plaut. in Rudente vocat: 'Nam, hercle, ego te barba continuo arripiam, et in ignem conjiciam, Teque ambustulatum objiciam magnis avibus pabulum.' Cur his potissimum Romani uterentur ad auspicia Plutarch. docet in Quæst. Rom. 93. *Idem.*

Nidificant enim in excelsissimis rupibus] Credidit Juvenalis in arboribus nidos facere Sat. XIV. 'Vultur, jumento et canibus crucibusque relictis, Ad fœtus properat, partemque cadaveris adfert. Hic est ergo cibus magni quoque vulturis, et se Pascentis, propria cum jam facit arbore nidos.' *Idem.*

Triduo autem ante] Plaut. in Truculento: 'Illud est: vide ut jam, quasi vulturii, triduo Prius prædivinant quo die esuri sient.' *Idem.*

CAP. VII. *De sanguale.*

Sangualem avem] Vide quod notatum est proxime sequenti cap. 19. *Idem.*

Augures Romani] Homero *μάντις, augur, οἰωνιστής· ἱερεὺς* vero, *ἱεροσκόπος, auruspex; ὀνειροπόλος, somniorum interpres.* Iliad. A. 'Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα, Ἢ καὶ ὀνειροπόλον.' Brod. VI. 1. *Idem.*

CAP. VIII. *De accipitribus.*

Accipitrum genera sedecim invenimus] Scribendum arbitror: *Accipitrum genera sunt decem, non minus.* Aristoteles IX. 36. 'Genera non pauciora quam decem esse accipitrum, aliqui prodiderunt.' Pari locutionis modo usus est infra cap. 12. 'Itaque parvis in vicis non plus una conjugia sunt.' *Pintian.*

Ex iis circon claudum altero pede, prosperrimi augurii nuptialibus negotiis et pecuariæ rei] Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri invento. O miserandam ac multis prosequendam lacrymis præstantissimi scriptoris vicem, in cujus monimenta, æternitate dignissima, tam fœde sæveque grassata est librariorum juxta ac correctorum imperitia et incuria, cum incredibili bonarum literarum jactura,

Hæc enim verba nec ad materiam accipitrum, de quibus hic agitur, pertinent; nec si pertinerent, *circon* scribendum erat, sed *ægithum*, ut vetus lectio rectissime habet: in utroque enim apographo *ægithum* manifeste scriptum est, non *circon*. Confirmant veterem lectionem Aristotelis verba IX. 15. 'Ægithus vitæ commoditate et partus numero commendatur, sed alterius pedis clauditate cedit.' Theodorus 'salus' vertit. Sed si quis velit luce clarius nosse, verba hæc aliunde huc esse advecta, (unde vero fuerint, postea ostendemus,) sublatis illis e medio, legat principium hujus accipitrum tractatus, quod sumetur a dictione *Triorchem*, et conferat cum Aristotelis verbis IX. 36. videbit unum idemque esse quod ab utroque scribitur. Præterea multa in hoc capite verba desiderari, intelliget qui rem accurate dispexerit. Nam ex decem generibus accipitrum, tot enim esse ex Aristotele præfatus est, duorum tantum meminit, aut cum circo trium, cum Aristoteles IX. 36. distincte suis quæque nominibus persequatur: 'Triorchem, æsalonem, circon, asteriam, palumbarium, pernem, hypotriorchen, percem, spizam, phrynolochon.' Cur enim hic Plinius facere neglexisset, quod in sex aquilarum generibus tam exacte persecutus est, præsertim cum inter aves tertium accipitri locum tribuat? *Idem.*

Nuptialibus negotiis] Nuptias advocatis duobus auspicibus, et totidem signatoribus, spondebant stipulabanturque noctu, ac interdum luce prima diei, magna cautione, id ne fieret motu cœli aut terræ, cœlo turbato, inquieto, procellosoque die, publicis festis, Lemuriis, quibus occisi Remi umbra placabatur, feralibus, sive parentalibus, ancilibus nondum conditis, postridie Nonas, Idus, Calendas, quoniam ii dies atri sunt. Macrob. Alex. ab Alex. II. 5. Plautus in Prologo Casinæ: 'Argentum si quis dederit, ut ego suspicor, Ultro ibit nuptum, non manebit auspices.' *Dalec.*

Familia etiam ex eo cognominata] M. Fabius Buteo a Livio nominatur lib. XXIII. et a Plutarcho in Fabio Maximo. Post Cannensem pugnam dictatores fuisse M. Junium et hunc Buteonem, annalibus cognitum est. Buteonis oratoris meminit Seneca in controversiis. Agathoclem κατὰ τὴν πρώτην ἡλικίαν κοινὸν πόρνον, Theopompus vocatum fuisse τριόρχην scribit. Rhod. XXIV. 4. Buteonis auspicium fœlix. Alex. ab Alex. V. 13. *Idem.*

Æsalona] Αἰσάρονα vocat Hesychius. Vetusta duo exemplaria habent, *Epileion Græci, &c.* Est autem ἐπίλειος, ἐπιχώριος, *indigena*, et qui minime abit. *Turneb.* Leios Arist. accipitris genus. De triorche tamen, vel, ut alii legunt, 'Hippotriorche,' scribit Aristot. ὅτι διὰ παντος φαίνεται. Postea cap. 74. Æsalon parva avis dicitur. Vide locum. *Dalec.*

In Oceano accipitres totius Massyliæ humi fatificant] Apographon Toletanum non *Massyliæ* legit, sed *Masæsyliæ*, rectius; est enim *Masæsylia* Africæ regio, contermina duabus Mauritaniis, auctore Stephano et reliquis. Sunt et Massyli gens Libyæ. Sed prior lectio magis casta, quamvis aliter putet Hermolaus. Scribendum autem *Masæsylia* per simplex utrobique *s*, et *æ* diphthongon in secunda, ex eodem Stephano. *Pintian.*

In Thraciæ parte super Amphipolim, &c.] Extat et id apud Aristot. libro περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. At in Hist. Animal. sic scribit: Ἐν δὲ τῆς Θρᾴκης καλουμένῃ ποτὲ Κεδροπόλει ἐν τῷ ἕλει θηρεύουσιν ἄνθρωποι τὰ ὀρνίθια κοινῇ μετὰ τῶν ἱεράκων. *Dalec.* *In Thraciæ parte supèr Amphipolin homines atque accipitres societate quadam aucupantur*] Hermolaus *Cedropolin*, non *Amphipolin*, probat, ex Aristot. IX. 36. sic prodentis, 'Thraciæ parte, quæ olim

Cedropolis vocabatur, homines societate accipitrum per paludes aucupantur.' Sed potest sustineri *Amphipolin*, ex eodem Aristotele, circa Amphipolin contigisse hoc scribente in libro de Admiranda Auditione. Cujus operis testimonio uti, cur vitaverit Hermolaus non intelligo. An quod Theophrasti, non Aristotelis, putabat? at citasset Theophrastum; sunt enim argumenta quæ Theophrasti esse suadeant. An quod neutrius esse duxit? at is error est manifestarius; nam præterquam quod dicendi character Aristotelem plane refert, apud Stephanum familiarem suum legisse Hermolaus potuit, non semel eam conscriptionem pro Aristotelica citari. In eo igitur, sive Theophrasti, seu Aristotelis, opere verba hæc leges: 'In Thracia super Amphipolin contingere monstrosum quoddam narrant, supra quam credi queat ab his qui experti non sunt. Prodeuntes enim pueros ex vicis regionibusque finitimis ad aucupium avicularum in societatem accipitres assumunt,' &c. *Pintian.*

Et cum tempus sit capturæ clangore ac volatus genere invitare ad occasionem] Si hæc verba ad aves referantur, non conveniet Plinio cum Aristotele. Quapropter ne discrepent inter se hi duo scriptores, quorum juniorem ab antiquiore mutuatum esse, in aperto est, legendum duxerim, non *clangore*, sed *clamore*, nec *volatus*, sed *vocatus*, et *invitari* potius quam *invitare*, ut totam rem ad pueros, non ad aves referas. Aristoteles id demonstrat loco citato: 'Hoc,' inquit, 'faciunt sic: cum pervenerint ad locum opportunum vocant accipitres, nominatim clamantes. Illi voce puerorum audita advolant, aviculas in frutices compellunt. Ibi pueri lignis percutientes comprehendunt, et quod præ omnibus admirationem auget, accipitres cum aliquam cepere avicularum, eam aucupibus projiciunt. Pueri, peracta captura, ex omni præda certa parte illis impertita abscedunt.' *Pintian.*

CAP. IX. *De coccyce, quæ a suo genere interimitur.*

Coccyx ex accipitre videtur fieri] Cucullum ex accipitre fieri, qui in cuculli formam sit mutatus, nonnulli putant, quoniam is accipiter, cui similis est, nusquam accipitur, cum cucullus apparet: cæterum nec reliqui quidem accipitres tum videntur, ovis edendis et incubandis in solitudinibus occupati, cum cucullus canere incipit, nisi perquam paucis diebus. Arist. Hist. v. 7. Hæc Plinius confuse et obscure. Accipitrum minimo (hic Gallice *émerillon*) magnitudine et volatu cucullum similem esse ibid. Arist. tradit. Cucullum veteres per convicium et opprobrium, fatuum, stolidum, insipientem vocaverunt. Horat. 'magna compellans voce cucullum.' Plaut. in Asinaria: 'At etiam cubat cucullus: surge, amator, i domum.' In Mercat. 'huic vero, ut mero cucullo, Id certum est, mentiri ampliter.' In Pseud. 'Quid fies, cuculle? vives.' In Persa: 'S. Cædere tu hodie restibus. P. tua quidem, cuculle, causa.' In Trinummo: 'Ibi ille cucullus: Ocelle mi, fiat et istud.' Vide infra XVIII. 26. *Dalec.*

Ac rictu columbi, &c.] Vetus lectio, *ac victu columbi potius;* ut intelligamus, eam et leguminibus vesci, præter reliquorum accipitrum morem. *Gelen.* *Ac rictu columbi potius*] *Ac visu columbi potius* exemplar Salmanticense. Scribendum reor, *ambobus columbi potius*, scil. unguibus et capite, ex Aristotele VI. 7. 'Est,' inquit, 'neque aduncis unguibus, ut accipiter, neque capite accipitri similis, sed ea utraque parte columbum potius quam accipitrem repræsentat, neque alio quam colore imitatur accipitrem.' *Pintian.*

Maxime palumbium] Aristoteles περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Dalec.*

Educat ergo subditum] De Carruca audienda sunt hæc omnia, in cujus nido sæpe Cuculus ova parit. *Idem.*

Suavitate carnis] Pinguis et suavis saporis est. Aristot. *Idem.*

CAP. X. *De milvis.*

Famelicam semper alitem] Plaut. in Menæch. *milvina mensa;* quæ cum aviditate maxima devoratur: 'Madida quæ mihi apposita milvinam mensam suggerant.' In Pseudolo idem: 'An invenire postulas quemquam coquum, Nisi milvinis aut aquilinis ungulis?' Idem perquam lepide in Pœn. 'Tene sis me arcte, mea voluptas: male ego metuo milvom: mala illa bestia est, ne forte me auferat pullum tuum.' Idem: 'Vidi petere milvium, etiam cum nihil auferret tamen.' *Dalec.*

Ex funerum ferculis] In funeribus cœna lauta apparabatur, quam ad rogum delatam cum defuncto cremarent. Virg. 'congesta cremantur Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.' Apuleius Florid. IV. 'Exclamavit hominem vivere: procul ignes amolirentur: rogum demolirentur: cœnam feralem a tumulo ad mensam inferrent.' Silicernium ea dicitur, quod silentes umbræ eam cernant: vel quod qui adstant, cernant, non attingant. Nam Diis inferis libata qui edisset, vel bibisset, funestabatur. *Idem.*

Videntur artem gubernandi docuisse] Circaneam avem nominarunt ideo veteres, quod oberret semper, agros circando, κυκλεύουσα, περινοστοῦσα, περιδινοῦσα. *Scalig. in Tibull.*

CAP. XI. *Digestio avium per genera.*

Aut digitos] Aduncos, ut Gallinæ. *Dalec.*

Ex parte magna] Arist. Hist. VIII. 3. *Idem.*

CAP. XII. *De inauspicatis avibus, cornice, corvis, bubone.*

Ipsa ales est inauspicatæ garrulitatis] Hinc 'cornicari' Persio, pressa et strangulata voce mussitare, Sat. v. 'Nescio quid tecum grave cornicaris, inepte.' Cornicem humanum sermonem discere monstrat hic versus Papinii in Silvis: 'Quæque refert jungens iterata vocabula cornix.' *Idem.*

A quibusdam tamen laudata] Quoniam magna sit in eo avis genere concordia maris et fœminæ, et ab iis perpetua servetur conjugii lex ac fides: quamobrem solitariæ cornicis occursus malum omen facit, et in nuptiis auspicato societatis præsagio accinebatur, ἐκκορεῖ κόρη κορώνην. Ex Æliano de Animal. lib. III. Oro, Apolline, Gregorio Nazianzeno, Politianus in Miscellaneis. Rhod. XXIX. 18. Had. Jun. I. 1. Alex. ab Alex. II. 5. *Dalec.*

Itaque parvis in vicis non plus bina conjugia sunt] Bina conjugia quatuor faciunt corvos; nam singula ex binis constant corvis, mare et fœmina. At Aristoteles non quaternos morari corvos in parvis vicis ait, sed binos tantum. Ergo hic *una* legendum erit, non *bina*. Verba Aristotelis sunt IX. 31. 'Corvi vicis arctioribus, et ubi non satis cibi sit pluribus, duo tantum incolunt.' Et de Admiranda Auditione, idem accidere circa Crannonem Thessaliæ urbem confirmat, quod statim Plinius refert. Posset etiam legi, *binûm conjugia*, eodem sensu. *Pintian.*

Genitores soboli loco cedunt] Arist. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Dalec.*

Ore eos parere aut coire vulgus arbitratur] Inde fellatores appellarunt. Martialis: 'Corve salutator, quare fellator haberis? In caput intravit mentula nulla tuum.' Ab Anaxagora id quidem fuit proditum, quod Arist. de Animalibus simul et ridet, et refutat. Rhodig. XIX. 25. *Idem.*

Ideoque gravidas, si ederint corvinum ovum] Recte Plinius dixit vulgus id arbitrari. Est enim hoc fabulosum. *Idem.*

Corvi in auspiciis soli videntur, &c.] Alexandro Babylonem ingressuro, et

Ciceroni fugienti, ii obstrepentes mortem imminere significarunt. Alex. ab Alex. v. 13. *Dalec.*

Nam cum Mediæ hospites occisi sunt] Sumptum hoc ex Arist. Histor. lib. IX. Περὶ δὲ τὸν χρόνον ἐν ᾧ ἀπώλοντο οἱ Μηδείου ξένοι ἐν Φαρσάλῳ ἐρημίᾳ ἐν τοῖς περὶ Ἀθήνας καὶ Πελοπόννησον ἐγένετο κορώνων ὡς ἐχόντων αἴσθησίν τινα τῆς παρ' ἀλλήλων δηλώσεως. Quo loco Vict. XXXVII. 2. ξένους vertit, non *hospites*, ut Plinius, sed *milites externos mercede conductos*, legendumque putat, δηλώσεως, non ἐδηδόσεως, *intellectum* significationis habere, non *pabuli*. Idem.

Pessima eorum significatio] Tempestatum atrocium. Infra XVIII. cap. ult. *Idem.*

In luce visus, dirum ostentum est] Ejus tamen conspectus Agrippæ captivo regnum Judæorum portendit. Alex. ab Alex. v. 13. *Idem.*

Cap. XIII. *De incendiaria ave.*

Incendiaria avis] Incendiaria avis, ambustanea, quæ circa busta versabatur. Ea si, ut inquit Servius, de busto sudem ad tectum detulisset, incendium portendebat: si cujus ædes insedisset, et vocem misisset, significabat mortem. Vide Scalig. in Festum, voce 'Bustum.' *Idem.*

Cap. XIV. *De clivina.*

Clivinam quoque avem] Cluinam, a cluendo, id est, clamando. Festo avis certa non est, sed quæcumque in auspiciis voce aliquid fieri prohibet. *Dalec.*

Prohibitoriæ] *Aves prohibitoriæ*, σκαιαὶ ὄρνιθες, quæ aliquid fieri prohibebant. Eædem et Festo dicuntur alteræ, præsertim cum superveniunt, quæ auspicio fœlici vitium faciant; arculæ ab arcendo; cliviæ, quoniam *clivia* προσάντη, *difficilia*; enebræ et inebræ, quod obstaculum dant, ab inhibendo; remores; fecilytræ; volsgræ, quia sese vellendo malum auspicium nuntiant. Statius: 'simul ora recurvo Ungue secant rabidæ, planctumque imitantibus alis Exagitant Zephyros, et plumea pectora cædunt.' Æschylus in Persis: Μεθύστερον δὲ κίρκον εἰσορῶ δρόμῳ Πτεροῖς ἐφορμαίνοντα, καὶ χηλαῖς κάρα Τίλλοντα. *Scalig.* Est in auguriis ægritis infœlix vox, qua ægritudo significatur. *Idem.*

Cap. XV. *De avibus incognitis.*

Cap. XVI. *De avibus nocturnis.*

Trogonem] Loxiam Gesnerus vocat. *Idem.*

Cap. XVII. *De noctuis.*

Novem voces habere] Auspicatissimæ illæ fuerunt Atheniensibus. Pyrrhi regis contra Argivos euntis hastæ insidens noctua exitii quod instabat augurium fuit. Alex. ab Alex. v. 13. Noctuæ cantus videtur 'tu' syllabam exprimere. Inde festivus jocus apud Plautum in Menæch. 'Tu istic, inquam, vin' afferri noctuam, Quæ, tu, tu, usque dicat tibi? nam nos jam hoc defessi sumus.' *Dalec.*

Cap. XVIII. *De pico Martio.*

Sunt et parvæ aves uncorum unguium, ut Pici, Marcio cognomine insignes et in auspiciis magni. Quo in genere arborum cavatores scandentes in subrectum, felium modo; illi vero et supini] Locus insigniter vitiatus, ita præpostero ac luxato ordine verborum, ut non casu et temere, sed consulto, et malefico depravandi animo factum videatur. Nos ex Aristotele IX. 9. deperditum hunc locum restitui in integrum posse speramus; sic igitur lego: *Sunt parvæ aves uncorum unguium, sed in auspiciis magnæ. Quo in genere pici, Martis cognomine insignes, arborum cavatores. Illi vero et supini scandentes in subrectum stellionum modo.* Porro verbum Aristotelicum δρυοκολάπτης Plinius *arborum cavatores* transtulit. *Pintian.*

Pullos in cavis educant avium soli] Scribendum videtur, non *avium*, sed *arborum*, ut ostendunt verba quæ paulo post sequuntur: 'Clavum vel cuneum adactum quanta vi libeat in arbores in quibus nidum habeat,' &c.

desumpta ex Aristot. IX. 9. Nam cavis simpliciter picos tantum pullos nutrire, a veritate abhorret, cum idem faciant columbæ, passeres, cypseli, et meropes, qui et subterraneos cavos vel ad quatuor cubita faciunt, auctore eodem Aristot. IX. 13. et trochilis, ut idem scribit, frutcta incoli, et foramina. Æstimandum item an sit verior lectio *educunt*, hoc est, excludunt, quam *educant*. Idem.

CAP. XIX. *De uncos ungues habentibus et digitos.*

In capite Prætoris, &c.] Frontinus in Stratagem. hoc Caio Cœlio sive Lælio tribuit. *Dalec.*

Oscines] Cicero Epist. ad Cæcinnam lib. VI. 'Non igitur ex alitis involatu, nec e cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec e tripudiis solistimis aut somniis auguror,' &c. Canterus IV. 28. legendum putat *occines*, ab occinendo, non *oscines*, ab ore. Oscines Festo, quæ ore canentes faciunt auspicium, ut corvus, cornix, noctua; alites, quæ volatu, ut aquila, buteo, vultur, immissulus, sangualis. In ambobus generibus habentur picus Martius, feroniusque, et parra. (*feronium* hic dici picum puto, coloris nigri, a furvo, quasi furvonium.) Vide Alex. ab Alex. V. 13. et 19. Fuerunt et præpetes, inferæ, admissivæ, arculæ, cliviæ, inebræ, quæ quidquam vetabant. Plautus in Asinaria: 'Impetritum, inauguratum est, quodvis admittunt aves: Picus et cornix est ab læva, corvos, parra ab dextra: Consuadent.' Præpetes augurium volatu faciunt, occines cantu. Et quoniam plurimi rapaces alis valent, κατ' ἐξοχὴν præpetes eæ vocantur. Turn. XXIX. 4. Virg. 'quem præpes ab Ida Sublimem rapuit pedibus Jovis armiger uncis.' Servio quæ aves pennis ac volatu faciunt omina, si prosperæ sunt, Præpetes appellantur; si adversæ, Inebræ. Vide Festum in voce 'Enebræ;' eundem in voce 'Præpes,' et Scaligerum in eum locum. Fuerunt et olim auctore Festo auspicia pedestria a vulpe, lupo, equo, serpente. Horatius: 'Rumpet et serpens iter institutum.' Turn. XXX. 29. *Dalec.*

CAP. XX. *De pavonibus, et quis eos primus cibi causa occiderit.*

Cum foliis arborum] Autumno et hieme, ad veris usque finem, æstatisque initium: unde Proverbium: ἔαρ ἤδη, καὶ ὅθεν ὁ ταώς. Rhodig. XVI. 9. *Idem.*

Orator Hortensius] Varro III. 6. Ælianus Hist. V. 2. qui addit, ob id factum Hortensium κριθῆναι, *in jus vocatum* fuisse, vel, ut alii legunt, κακοκριθῆναι, *condemnatum*. Idem.

Aditiali cœna] Affluente, lauta. Alii *adjiciali* legunt. Vide infra XXIX. 4. fere ab initio, ubi *epulum adjiciale* vocatur: nimirum ab adjiciendo. Fiebat inaugurandi gratia, aut in publica et festa lætitia. Cornel. Tacitus Annal. II. 'Rescuporis sanciendo, ut dictitabant, fœderi convivium adjicit, tractaque in multam noctem lætitia per epulas ac vinolentiam.' Adjicialis cœna adipalis et pontificalis, Macrobius III. 13. In ea enim cœna dicis causa Pontifex epulari dicebatur, id est, religiosi solemnisque instituti causa, ut infra XXVIII. 2. νόμου, ὁσίας, ὁσίου, ἀφοσιώσεως ἕνεκα, χάριν. *Idem.*

CAP. XXI. *De gallis, et quomodo castrentur, et de gallinaceo locuto.*

Quos excitandis, &c.] Gallicinium propterea veteres appellarunt. *Dalec.*

Diemque venientem, &c.] Hujus rei causam reddere conatur Cicero de Divin. lib. II. Eam multis explicatam vide apud Rhodigin. XIII. 16. Inde scilicet Tragœdi κήρυκας ἀλεκτρυόνας, tanquam vocales et clamosos præcones, appellant, ἀπὸ τοῦ γηρύειν Eustathio, *a vociferando*; quo etymo et εὐρυβόαι, ut Stentor, et εὐρυβάται, ut Homeri præcones, dici possunt, παρὰ τὸ εὐρὺ βάζειν, quod eorum sonora vox procul exaudiatur, Hadr. Jun. V. 20. *Idem.*

Quidam ad bella, &c.] Ὄρπαν Hesy-

chius vocat peculiari nomine. *Idem.*

Tripudia solistima] Læta, cum prodeuntes e cavea cibum oblatum capere non recusabant, et inter edendum nihil in terram ex ore decidebat. Horum alterutrum si accideret, triste ac perniciosum augurium censebatur. Festus in voce Puls. Vide Alex. ab Alex. I. 29. *Dalec.*

Habent ostenta præposteri eorum vespertinique cantus] Archetypum Toletanum, *Habent ostenta præproperi eorum vespertini cantus.* Confirmant eam lectionem verba quæ statim sequuntur: 'Namque totis noctibus canendo,' &c. *Pintian.*

Bœotiis nobilem illam, &c.] Sic Themistocli, priusquam in Xerxem exercitum duceret, pridie auditus gallorum cantus victoriam promisit. Gallinarum cantum futurum incommodum, vel diram quidpiam, significare putant. Alex. ab Alex. v. 13. Quod de Bœotiis tradit Plinius, accidit cum ii de bello oraculum Trophonii consulentes sacra facerent. Idem Alex. ab Alexan. VI. 2. *Dalec.*

Lumbis adustis] Parte postrema alvi, quæ in coitu procidit, Aristot. *Idem.*

Pergami omnibus, &c.] Factum id et Athenis, Persis a Themistocle victis. Commissæ quoque sunt et ad certamen coturnices. Severi filii invicem contendebant edendis coturnicum et gallorum pugnis. Socrates Iphicrati duci animos adjecit monstratis gallis coram Callia pennis ac rostro dimicantibus. Chrysippus, de Justitia, gallorum exemplo ad fortitudinem nos excitari tradit. Rhod. XVI. 13. et XVII. 32. *Idem.*

Seu gladiatorum] Hinc sumptum Alectoromachiæ exemplum in scholis nostris circa Hilaria. Vide Ælianum. *Idem.*

CAP. XXII. *De anseribus, et quis primus jecur anserinum comederit, et de adipe anserino Comageno.*

Per id tempus canum, &c.] Vide Livium et Gellium. *Dalec.*

Censores inprimis locant] Alex. ab Alex. IV. 13. Jan. Dus. super Arbitr. II. 17. *Idem.*

Quin et fama amoris] Sic apud Solos Ciliciæ formosum puerum amatum a cane fuisse, et Spartæ adolescentem a graculo, Rhodig. scribit XIII. 12. Clearchus primo Eroticôn Amphilochum Olenium ab ansere dilectum prodit; in Leucadia virginem a pavone eousque ut illa vita functa moreretur; Nicander pincernam regis Bithyniæ a gallo, quem Centaurum vocabant. Idem auctor XVI. 13. Vide supra de Delphinis. *Idem.*

Fartilibus in magnam, &c.] Saginatis, præsertim ficubus. Jecur id συκωτὸν olim vocavere. Juvenalis Sat. v. 'Anseris ante ipsum magni jecur, anseribus par.' Martialis: 'Aspice quam tumeat magno jecur ansere majus.' Persius Sat. VI. 'Ut tuus iste nepos divi satur anseris extis, Cum morosa vago singultiet inguine vena, Patritiæ immeiat vulvæ.' Minime fartos, herbaque tantum pastos, et ideo graciliores, 'herbiles' vocat Festus. Lucilius apud Servium: 'Anseris herbilis viris.' *Idem.*

Scipio Metellus, &c.] Vide Sigonium de Consulib. anno 750. creatis. Ejus mentio fit XXXII. 10. *Idem.*

A Morinis usque Romam, &c.] Inde fortassis ea Galliæ pars dicta est Comitatus anserum, *la Comté d'Oie.* Dalec.

Ita cæteris stipatione, &c.] Agmine stipato Anseres natura incedunt. E Morinis Romam producebantur, tum ut farto jecinore vescerentur, (Horatius: 'Pinguibus e ficis pastum jecur anseris albi,') tum ut molles plumas vellerent, culcitris et cervicalibus implendis. *Idem.*

Candidorum alterum] Eos plurimum ob id laudant Columella et Varro. *Idem.*

Durare jam ne virorum, &c.] Nam ex ea pluma cervicalia fiunt. *Idem.*

Anserini generis] Vide infra xxix. 3. circa finem. *Idem.*

Decet tetraonas suus nitor] Politianus Miscel. c. 37. hunc locum primus restituit. *Idem.*

Cap. xxiii. *De gruibus, ciconiis, oloribus, et peregrinis avibus, et coturnicibus, et glotte.*

Inducias habet gens] Vide supra iv. 11. *Dalec.*

Immensus est tractus] Ab ultimis Scytharum campis et Troglodytica regione advenire scribit Aristot. *Idem.*

Quando proficiscuntur consentiunt: Volant alte] Hermolaus non *consentiunt* legit, sed *consertim*, et conjunctim cum verbo sequente, *consertim volant.* Cæterum duo nostra exempl. *consentiunt* agnoscunt, non omnino male; nam potest hic significare *consentiunt*, conveniunt, coëuntque, et communi ceu consilio discessuræ mutuo sese operiuntur; ut de Pelecanibus Aristoteles tradit, de quibus simul et gruibus disserit viii. 12. et Plinius paulo infra de Ciconiis: 'Abituræ congregantur loco certo, similique ratione anseres et olores commeant.' *Pintian.*

Volant ad prospiciendum alte] Id est, alte volant ad prospiciendum. *Salm.*

Ducem quem sequantur eligunt: in extremo agmine per vices qui acclament dispositos habent, &c.] In extremo agmine est, qui cogit agmen: dux est qui præit: ad continendum agmen adclamare postremos qui hoc munus per vices sortiuntur scribit Plinius. *Salmas.*

Cum hæc nunc ales inter primas, &c.] Sempronium Ruffum mensis primum Ciconiam invexisse tradunt, ac de illo scriptos hos versus: 'Ciconiarum Ruffus iste conditor, Quanquam est duobus elegantior Plancis, Suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem.' Horatius: 'Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido, Donec vos auctor docuit prætorius.' Ciconiam Petronius Arbiter his epithetis honestat: 'Ciconia etiam grata peregrinahospita, Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,' (nempe a rostri et pedum colore, simili corallo,) 'Avis exsul hiemis, titulus tepidi temporis.' Vide Hadr. Jun. vi. 16. Jan. Dus. super Arbitrum i. 17. Ciconias in auspiciis concordiam polliceri, grues vero retrorsum a recto cursu deflectentes, ac remeantes, procellas ac infandas tempestates, notat Alex. ab Alex. v. 13. *Dalec.*

Hanc iis, &c.] Juvenal. Sat. xiv. 'serpente ciconia pullos Nutrit, et inventa per devia rura lacerta.' *Dalec.*

Ut in Thessalia, &c.] Arist. περὶ θαυμ. ἀκουσμ. *Idem.*

Olorum morte narratur, &c.] Κύκνειον ᾄδουσι, sive ἐπᾴδουσι, qui spem omnem salutis abjecerunt. Julianus παραβάτης· Ἐνταῦθα τί πράττειν ἐχρῆν ἄνδρα τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους ζηλωτὴν δογμάτων; ἆρα περιορᾷν ἀνθρώπους ἀθλίους τοῖς κλέπταις ἐκδιδομένους, ἢ κατὰ δύναμιν αὐτοῖς ἀμύνειν; οἶμαι ὡς ἤδη τὸ κύκνειον ἐξᾴδουσι, διὰ τὸ θεομισὲς ἐργαστήριον τῶν τοιούτων. *Idem.*

Invitare videri possunt] Ut tam longo itinere ad nos commeent. *Idem.*

Conquestio labore expressa] Arist. Hist. viii. 12. *Dalec.*

Comitatum solicitant] Prosecuturas comites de discessu admonent. *Idem.*

Asionem vocat] A plumeis auribus, asini modo eminentibus et exertis. *Gesner.* Mihi potius a voce, quæ rudentem asinum æmulatur. Athenæus de hac ave multa lib. ix. *Dal.*

Imitatrix alias avis ac parasita] Sic κόβαλον reddit Plinius, quanquam Dæmonas quosdam Dionysiacos olim κοβάλους appellaverunt, id est, *asperos ac immites;* eodemque nomine illos qui assimulato lusu fallerent. Rhod. ii. 7. *Idem.*

Quem solæ animalium, &c.] Addit et Plutarchus capram; quamvis Aris-

tot. Probl. Cur homini soli pervertantur oculi, affirmet, *μόνους ἀνθρώπους ἐν τῷ τῶν ζώων γένει ἐπιλήπτους γίνεσθαι.* Ego vero et canes, et feles, et arietem eo morbo periisse vidi. Rhodigin. VI. 9. Capras et oves eo modo vexari tradit Hippocrates *περὶ τῆς ἱερῆς νόσου*: equos Absyrtus, accipitres, et gracculos. Brod. III. 23. *Id.*

Simulque comitialem propter morbum despui suetum] Pintianus e Toletano, *suetæ*. Suspicor insiticium esse τὸ *comitialem*, et cum explicandi causa suprascriptum esset ab interprete, librario erranti admissum. Plinii fuit: *simulque propter morbum despui suetum, quem sola animalium sentiunt præter hominem.* Morbus *despui suetus* est comitialis. Plautus Captiv. 3. 4. 'Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.' *Gronov.*

CAP. XXIV. *De hirundinibus, merulis, turdis, et sturnis, turturibus, et palumbis.*

Nec Biziæ in Thracia] Lege, *Nec Bizyes in Thracia.* Salm. 166. b.

Illito victoriæ colore] Melius, *Illita victoria colore*; hoc est, e conchula victoriæ colore expressa illitaque; nam in apographo Toletano *victoria* scriptum est, non *victoriæ*. Pintian.

Merulæ] Merum, solum. Inde merula, quod sola volat. Græci hanc avem surdam esse putant. Unde proverbium: *κίχλης κωφότερος. Εὐβουλος ἐν Διονύσῳ μέμνηται.* *Dalec.*

Hieme maxime turdi, &c.] Juniperi, qui frequens ibi est, baccas hieme maturas et edules consectantes. *Id.*

Turtur] Turturem pro meretrice basiis et saaviis illiciente Plautus lepide dixit in Bacchid. 'Ubi ego capiam pro machæra turturem.' *Idem.*

Nonnisi in volatu pascitur] Muscis et culicibus, quos escam vilem, id est, frequentem, Nonius interpretatur. Varro dicit in Virgula divina: 'Ad quos tum volucres venit pusillos, Usque ad limina nidica esca vilis.' Fritinniunt hirundines sua minurritione, ut ait Festus. Attius apud Varr. de Ling. Lat. l. VI. 'Nefrende, fritinni suaviter.' *Nefrende, rudi.* Sic dicitur vel puer, qui per ætatem, vel senex, qui dentibus amissis cibum frangere non potest. *Scalig.*

CAP. XXV. *Quæ avium perennes, quæ semestres, quæ trimestres.*

CAP. XXVI. *De avibus miris.*

Ad Memnonis tumulum] Prope Ptolemaida et Belum fluvium Memnonis sepulchrum esse Josephus tradit; Strab. lib. XIII. ultra Esapi ostia, idemque alibi circa Paltum Syriæ, juxta flumen Badam, ex Simonide. De Memnonidib. Ovidius: 'Præpetibus subitis nomen facit auctor: ab illo Memnonides dictæ: cum Sol duodena peregit Signa, parentali morituræ more rebellant.' Memnonis et Sarpedonis, Jovis filii, funebrem diem luctu et jejunio celebrari solitum, indicant versus hi Comici veteris: *Πολλάκις δ᾽ ἡμῶν ἀγόντων τῶν θεῶν ἀπαστίαν, Ἡνίκ᾽ ἂν πενθῶμεν ἢ τὸν Μέμνον᾽, ἢ τὸν Σαρπηδόνα, Σπένδεθ᾽ ὑμεῖς, καὶ γελᾶτε.* Rhodig. XXII. 5. *Dalec.*

Memnonidas vocant] Sunt accipitribus similes, coloris nigri, seminibus tantum vescentes. Ælianus. Cornicularum genus esse puto, quæ ex diversis locis advolantes, et illic inter se obviæ dimicant, ut inter eas sæpe fit. *Dalec.*

CAP. XXVII. *De avibus Seleucidibus.*

Seleucides aves vocantur] De iis Galen. VI. 4. Loc. Affect. Eloriorum genus esse arbitror. *Dalec.*

Casii montis] Est is mons et in Ægypto, ubi Magni Pompeii tumulus; et in Syria Antiochene, ubi Seleucia cognomento Pieria, quæ vocabulum dedit avibus. 'Super Seleuciam,' inquit Plinius V. 22. 'mons est eodem quo alius nomine, Casius.' *Herm. Barbarus.*

CAP. XXVIII. *De ibi.*

Invocant et Ægyptii Ibes suas contra serpentium adventum: et Elei Myiagron] An *Elii Myiacoren Deum?* hoc

est, Ἠλεῖοι τὸν Μυιακόρην, vel Μυιοκόρην, *Deum* scil. *muscarum everritorem*, ἀπὸ τοῦ καθαίρειν καὶ κορεῖν τὰς μυίας. Et paulo post, lege: *quæ protinus intereunt, quam litatum est ei Deo.* Vide Salm. Plin. Exerc. pag. 12. b.

Myiagron] Sic apud Strabonem lib. XIII. Apollo σμινθεὺς et παρνοπίων a muribus, ἐρυθίβιος a rubigine vocatur; Hercules vero κωνωπίων a culicibus, et ἰποκτόνος a vermiculis tenella vitis germina rodentibus: μυιάδη auctor vocat eum Deum, XXIX. 6. ἀπόμυιον Pausanias v. *Dalec.*

CAP. XXIX. *Quæ aves in quibus locis non sunt, et quæ mutant colorem et vocem, et de lusciniis.*

In Creta insula non est] Ælianus v. 2. *Idem.*

Translatitium] Vulgare, publicum, omnibus notum. *Dalec.* Quid sit *translatitium* Salmasius pag. 176. docte explicat.

Quid est illud unius generis saluti adversum] Legendum reor, *Quid est illud unius generis aliti adversum?* Sciendum tamen in Toletano exemplari hæc verba redundare. Item quæ statim sequuntur sic ibi legi, *Quæ his naturæ invidia.* Pintianus.

Larium lacum amœnum arbusto agro] Lego, *arbustato agro.* Est enim *arbustare* Plinio, agrum arboribus conserere ad usum maritandarum vitium, ut XVII. 23. 'Italia præter supradicta, corno, populo, tilia, acere, orno, carpino arbustat agros.' *Idem.*

Gracculorum] Τῶν κολοιῶν, qui ἀπὸ τοῦ κολοιᾶν, *a tumultuando*, dicuntur. Avis est enim loquax et *obstrepera ac tumultuosa*, θορυβητικὴ, καὶ κραυγαστικὴ, de qua Pindarus: κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται. Agathocles κολοιὸς dictus est, vel ob ferocitatem, vel ob loquacitatem. Rhodig. XXIV. 4. *Dalec.*

Nuper, et adhuc tamen rara] Hinc illud Martial. XIV. 76. 'Pica loquax certa dominum te voce saluto: Si me non videas, esse negabis avem.' Vide Jan. Dus. super Arbitr. I. 14. *Idem.*

Perdices non transvolant Bœotiæ fines in Atticam: nec ulla avis in Ponto, insula qua sepultus est Achilles, sacratam ei ædem] Repetendum ex superioribus, *transvolant:* ait, ergo, nullam avem transvolare ædem Achilli sacram, id est, volatu transcendere, ὑπερπέτασθαι. *Salmas.*

Insula qua sepultus est Achilles] Albam Ptolemæus vocat. Sita est in ora Tartariæ minoris, ante Borysthenis ostium, supra IV. 12. *Dalec.*

In ædem Herculis] Vide quæ notata sunt XXXIV. 7. Herculi hinc bonorum decimam Romani dicabant, sacrabant, solvebant; unde lepidus jocus Plauti in Bacchidibus: 'Si frugi est, Herculem fecit ex parte: decumam partem ei Dedit, sibi novem abstulit.' Cic. de Nat. Deor. 'Neque Herculi decimam quisquam vovit unquam, si sapiens factus esset.' Inde Plauto in Mostel. Herculis divitiæ: 'unus isti servus est sacerrimus Tranio: is vel Herculis conterere quæstum possiet.' *Dalec.*

Hieme balbutit] Turdos, merulas, sturnos, turtures hieme latere scribit Arist. Hist. VIII. 16. *Idem.*

Primum tanta, &c.] Lusciniarum cantus suavitatem et varietatem his versibus eleganter Homerus expressit: Ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη, χλωρηῒς ἀηδὼν, Καλὸν ἀείδησιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο, Δένδρεων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν, Ἥτε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνὴν, κ. τ. λ. Festive Plautus in Bacchidibus: 'Pol magis metuo, in monendo ne mihi defluat oratio. BA. Pol ego quoque metuo, Lusciniolæ ne defluat cantio.' *Dalec.*

Stesichori] Scripsit is Helenes Epithalamium, sive γαμήλιον λόγον, κατακοιμητικὸν potius, ut arbitror, quam διεγερτικὸν, vespertinum, quam matutinum. Hæc enim epithalamiorum differentia est. Rhod. XXVIII. 15. *Id.*

Animosa contentio est] Vide quod adnotatum est e Charmide XXIX. 1. *Idem.*

Alia ratio ficedulis; nam formam coloremque mutant. Hoc nomen non nisi autumno habent, postea melancoryphi vocantur, &c. Mutat et upupa, ut tradit Æschylus] Præpostera verba, permutatæ sententiæ, omnia transposita et confusa. Quod upuparum est ficedulis tribuitur; quod ficedularum, upupis. Quippe ficedulas formam mutare, a vero alienum est: hoc si upupis tribuas, vera locutus fueris. Aristoteles de ficedulis IX. 49. 'Sic et ficedulæ melancoryphi vicibus commutantur; fit enim ineunte autumno ficedula, ab autumno protinus melancoryphus: nec inter eas discrimen aliquod nisi coloris et vocis est. Avem autem esse eandem constat, quia dum immutaretur hoc genus, utrumque conspectum est nondum absolute mutatum, nec alterutrum adhuc proprium ullum habens appellationis.' His verbis Aristoteles non formam mutare ficedulam tradit, sed vocem et colorem. Videamus rursus quid de upupa idem auctor eodem loco scribat: 'Nec non,' inquit, 'upupa cum colore tum vero specie immutatur.' Et capite quintodecimo ejusdem voluminis: 'Upupa nidum potissimum e stercore hominis facit. Mutat formam tempore æstatis et hiemis.' Patet ergo ex antedictis, ficedulas colorem tantum et vocem mutare, upupas et colorem et formam. Si ergo verba, quæ de ficedularum formæ et coloris mutatione hic habentur, ad upupas transfers, et rursus duo illa verba, a quibus de upupa incipit tractare, quæ sunt, *Mutat et*, ad ficedulas, omnia debitum ordinem recipient. Legendum ergo videtur in universum sic: *Pariunt vere primo, cum plurimum sena ova. Mutant et ficedulæ. Hoc nomen non nisi autumno habent, postea Melancoryphi vocantur. Sic et Erithacus hieme, idem Phœnicurus æstate. Alia ratio upupæ; nam formam simul colorémque mutat, ut tradit Æschylus, &c.* Non sum nescius visum hæc iri quibusdam, ludibria potius præstigiatorum, quam censorias castigationes. Sed meminerint humani lectores, in tanta verborum sententiarumque prope dixerim strage, violentia opus esse, et veritati quocumque discrimine viam patefaciendam, satiusque esse, vi aliqua literæ allata, scire nos aliquid, quam immutare verba non audentes, omnia in dubium vocare, et falsa sæpenumero pro veris admittere. *Pintian.*

Hoc nomen non nisi autumno habent] Distingue: *Hoc nomen autumno: non habent postea: melancoryphi vocantur.* Salm. p. 238. a.

Idem Phœnicurus] Aristoteles IX. 49. *Phœnicurgus*, modo exemplar vitio careat. Herum auctor Græcus in Georgico de antipathia agens, *Phœnicurus*, cum Plinio. *Pintian.*

Obscœna alias pastu avis] *Pastu* redundare videtur; pastu enim ea obscœna non est, sed nido, quem e stercore, præcipue humano, conficit. Aristot. IX. 15. Idem tamen Hist. VI. 1. upupam non nidificare sit, sed in cavis arborum parere sine ullo stramento. Pausanias lib. I. tradit upupam primum Megaris visam ad Terei sepulchrum. *Dalec.*

CAP. XXX. *De Merulis.*

Cæteris omnibus locis candida] Ægypti. Arist. Hist. IX. 27. *Dalec.*

CAP. XXXI. *Tempus avium geniture.*

CAP. XXXII. *De halcyonibus, et de diebus earum navigabilibus, et gaviis, et mergis.*

Halcyones] Pacuvius in Teucro: 'Flexanima, tanquam lymphata et Bacchi sacris Commota, in tumulis Teucrum commorans meum, Alcyonis ritu littus pervolans feror.' Apollon. lib. IV. τηλόθι δ' οἴη Λυγρῇσιν κατὰ πόντον ἅμ' ἀλκυόνεσσι φορεῦμαι. Plaut. in Prologo Casinæ: 'Tranquillum

est: Alcedonia sunt circa forum.' In Pseudolo: 'Jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, Quam mare est olim, cum ibi alcedo pullos educit suos.' Vide Varron. de Ling. Lat. lib. VI. *Idem.*

Colore cyaneo ex parte majore, tantum purpureis et candidis admistis pennis] Scribendum reor *pallidis*, non *candidis*: nullus enim halcyoni candor, si Aristoteli fidem habemus. Ejus verba sunt IX. 14. 'Alcedo non multo amplior passere est, colore tum cæruleo, tum viridi, tum etiam leviter purpureo insignis.' Et cap. 14. Meropis colorem, halcyonis colori comparat. De Meropis vero coloribus sic scribit: 'Pennæ hujus avis inferiores pallidæ sunt, superiores cæruleæ, ut halcyonis, postremæ pinnulæ rubræ habentur.' Et Plinius capite proximo: 'Merops vocatur, genitores suos reconditos pascens, pallido intus colore pennarum, superne cyaneo, primori subrutilo.' Si quis objiciat in Græco Aristotelis codice, non ὠχρὸν, hoc est, *pallidum colorem*, halcyoni tribui, sed χλωρὸν, hoc est, *viridem*, seu *luteum*; sciat duo hæc nomina pro se invicem poni apud Aristotelem; quod patet ex ejus verbis cap. tertiodecimo: 'Lutea,' inquit, 'dicta est a colore partis suæ inferioris pallido.' Et ubi Meropi pallidum Plinius tribuit, ibi Aristoteles ὠχρόν. Ergo luteus et pallidus color vel idem sunt, vel ferme idem. *Pintian.*

Alterum genus earum magnitudine distinguitur et cantu] Lego, *Alterum genus earum magnitudine distinguitur, nec canunt.* Aristoteles VIII. 3. 'Præterea genus alcedonum aquas adamat: quod duplex est. Alterum vocale, arundinibus insidens, alterum mutum, quod ampliore corpore est.' Notandum in transitu succurrit, in Aristotelis Græco codice atrocem inolevisse mendam. Pro ἀλκυόνων enim ἀηδόνων scriptum invenies, hoc est, *lusciniarum*. Idem.

Magnitudine distinguitur et cantu] Aristot. Maximis amplior magnitudo quam spongiæ. Sunt enim majores et minores. *Dalec.*

Brumamve] Vide infra XVIII. 36.

Qui dies halcyonides] Quinque Simonidi et Aristoteli; Demagoræ Samio septem; Philochoro novem; quibusdam quatuordecim, et iis ad octavum Calend. Martias. Vide Rhodig. XIV. 11. Cum Ceyx Trachiniorum rex, ejusque uxor Alcyon, tantum fastu elati fuissent, ut suo contempto nomine, ille Jovem, hæc Junonem vocari se vellent, vindice Deorum ira extincti sunt; hicque naufragio submersus in Cerylum, illa luctu exanimata ob mariti desiderium, in avem cognominem mutata est. *Idem.*

In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utique tractabile] Horum verborum sensus, proximis duobus verbis, breviter quidem, sed abunde, redditus fuerat. Quapropter credi hæc Pliniana non esse, nullum esse piaculum. *Pintian.*

Nidi earum admirationem, &c.] Colore subrufi. Cucurbitulis medicorum longioris colli similes esse ait Aristot. materia vero Pilæ marinæ, et Halosachne. *Dalec.*

Perquam angusto] Ut etiamsi invertatur, mare non influat. Aristot. *Idem.*

Ut spuma arida maris] Sic vocat ἀλοσάχνην: de qua vide XXXII. 8. Aristot. ἅμα δὲ κόπτοντι, καὶ ταῖς χερσὶ θραύοντι, ταχὺ διαθραύεται, ὥσπερ ἡ ἀλοσάχνη. *Dalec.*

Putant ex spinis aculeatis; piscibus enim vivunt] Scribo: *Putant ex spinis acus piscis; piscibus enim vivunt.* De acu pisce, qui Græce *belone* dicitur, Plinius supra IX. 51. Aristoteles quoque III. 11. 'Ambigitur,' inquit, 'ex quanam materia componatur. Videtur tamen ex spinis acus piscis constitui. Piscibus enim Alcedo vivit.'

Confirmat id quoque Plutarchus in lib. qui inscribitur De amore erga sobolem. *Pintian.*

Gaviæ in petris nidificant, mergi in arboribus. Pariunt plurimum terna; sed gaviæ æstate, mergi incipiente vere] Hic quoque locus ex Aristotele tralatus est: quapropter ad ejus exemplar dirigendus est. Forte autem legendum commutatis verbis: *Gaviæ et mergi in petris nidificant maritimis. Pariunt, &c.* Aristoteles v. 9. 'Mergi et Gaviæ saxis maritimis ova bina ternave pariunt, sed gaviæ æstate, mergi a bruma ineunte vere.' *Idem.*

CAP. XXXIII. *De avium solertia in nidificando, hirundine, argatili, cinnamologis, et perdicibus.*

Molem continuatione] Veluti aggerem quendam Nilo coërcendo. Jurisconsultis ff. de extraordin. crimin. l. saccularii: ea munimenta χώματα vocant. Magius I. 10. *Dalec.*

Juxta oppidum Copton] Apud Apul. Asini lib. II. quidam prophetam Ægyptium rogat per aggesta Coptica, incrementa Nilotica, arcana Memphitica, sistra Phariaca. *Idem.*

Rostrum ejus firmantes] Insulæ superiorem partem, quæ irruentis Nili impetum excipit. *Idem.*

Mortifero faucium malo] Anginæ. Celsus lib. IV. *Idem.*

Cui nidus ex musco arido] Talem reguli conficiunt. *Idem.*

Picorum aliquis, &c.] De Galgulis id verum est. Pici omnes in arborum cavis nidificant. Versus de Upupa Æschyli apud Aristot. IX. 49. sunt emendati: Τοῦτον δ' ἐπόπτην ἔποπα τῶν αὑτοῦ κακῶν Πεποικίλωκε κἀποδειλώσας ἔχει, Θρασὺν πετραῖον ὄρνιν ἐν παντευχίᾳ· Ὃς ἦρι μὲν φαίνοντι διαπάλλει πτερὸν Κιρρὸν μὲν ἐπ' ἀγροῦ· δύο γὰρ οὖν μόρφ' εὐφανεῖν· Παιδός γε αὐτοῦ μἰ' ἔνεστι νήδυος, Νέας δ' ὀπώρας, ἡνίκ' ἂν ξανθῇ σταχὺς Τίκτῃ, τότ' ἀμφιέννυσ' ἀλλ' αὖθις πτερά. *Hunc calamitatis Upupam testem suæ Variam fecit, tenetque perculsum metu, Ferum antea, armatum petrarum nunc avem; Vere appetente quæ novo pennas quatit Ruffas in agris: nam est figura duplici: Unus quidem juveni colos est pectoris, Autumno at illa, flava cum peperit seges, Mutata pennas rursus alias induit.* Scaliger vs. 2. legit, ἀποδηλώσας· 4. φαιόν τι· 5. κίρκου λεπάργου· δύο γὰρ οὖν μορφὰς φανεῖ· 6. παιδός γέ τ' αὐτοῦ νήδυος μιᾶς ἄπο· 7. τίκτει νιν αὖθις κ' ἀμφινωμήσει πτέρυξ: putatque hæc Cuculo convenire; Cuculumque ab Æschylo cum upupa confusum fuisse. Addend. sunt et hi versus duo: Ἀεὶ δὲ μίσει τοῦδε παλλήνης τόπου Δρυμοὺς ἐρήμους, ἢ πάγους ἀποικίσει. Quidam legunt: κἀπεδήλωσεν βραχὺ Δειλὸν πετραῖον· nam timidissima est avis illa, non ὄρνις θρασὺς deinde vs. 6. παῖς μέν γ' αὐτός· et vs. proximo: ἡνίκ' ἀβανθῇ στάχυς. *Dalec.*

In Arabia cinnamologos avis appellatur: cinnami surculis nidificat] An cinnamomos legend. quod indubitatum. Vide Salmas. p. 554. b. 555. a.

Cinnami surculis nidificat] Falsum hoc, minimeque probabile: in Arabia namque cinnamum non nascitur. *Dalec.*

In Scythis avis magnitudine otidis binos parit] Scribendum arbitror: *In Scythis aves magnæ, nomine otides binos pariunt.* Aristoteles IX. 33. 'In Scythia avium genus est otides. Hæ procreant pullos duos: et quæ peperit ova, non incubatu fovet, sed condita in leporina aut vulpina pelle relinquit, atque ita obvoluta in summa arbore locat. Cumque a venatione vacet, custodit ea: et si quis arborem scandat, oppugnat eum alis, aquilarum more everberans.' Sic Græci Aristotelis codices præferunt. Theodorus Plinium secutus, 'magnitudine otidis' transfert, quod non probo. *Pintian.*

Perdices] Perdix, ἀπὸ τοῦ πέρδειν, quoniam eum sonum edit, aut imitatur volando. Eadem ad Venerem incitata κακκαβίζει. *Dalec.*

Contra aucupis indicem exeunte in prælium duce totius gregis] Scribendum videtur, *contra aucupem illicem*. Vocatur enim illex, quæ conciliat aucupium, quamvis subest suspicio quædam, ipsam etiam dictionem *illicem* adjectam esse. Satis enim erat dicere aucupem, ut paulo post appellat, Aristoteles venatorem vocat. Ejus verba sunt IX. 7. 'Perdicem venatorem dux silvestrium primus invadit, pugnamque obviam conserit: quo capto compage, alter occurrit, tum alius, atque ita singulis dimicatur, si mas sit qui venatur. Sed si femina est, ubi dux ad ejus vocem occurrerit, cæteræ universæ eum invadunt, feriunt, fugant ab ea femina, invidentes quod non sibi, sed illi accesserit.' Ex quibus Aristotelis verbis rursus locus sequens restituitur. *Pintian.*

Rursus circa conceptum feminæ capiuntur, contra aucupum feminam exeuntes, ut rixando abigant eum] Legendum enim, ut Plinius cum Aristotele concordet: *Rursus circa concentum feminæ capiuntur, contra aucupèm feminæ exeuntes, ut rixando abigant eum;* hoc sensu, prodeunte duce ad aucupem fœminam canentem, capi etiam perdices feminas, exeuntes ut rixando abigant ducem ab aucupe; invident enim dolentque se contemni, et aucupem amari a duce. Mallem tamen legeres commutato ordine verborum: *Rursus circa concentum feminæ, capiuntur feminæ, contra aucupem exeuntes ut rixando, &c.* Idem.

Concipiunt supervolantium afflatu] Aristoteles de Gener. Anim. III. 1. ostendit, *olfactu* hic legendum, non *afflatu;* nam afflatu prægnantes fieri perdices, statim ante Plinius retulerat. Aristotelis verba sunt: 'Tum etiam perdices feminæ, et quæ nondum coierint, quarum usus in aucupiis, cum olfaciunt marem vocemque ejus audiunt, alteræ implentur, alteræ statim pariunt.' *Pintian.*

Voce tantum audita masculi] Clearchus apud Athenæum lib. IX. Perdicem Indicam vulture majorem Strabo memorat lib. XV. *Dalec.*

Rabie quidem tanta feruntur] Lege: *Rabie quidem tanta feruntur, ut in capite aucupantium sæpe cacæ velut sedeant.* Salmas. 152.

Ut in capite aucupantium sæpe cæcæ metu sedeant] Verbum *metu* Plinianum non est; neque enim metu cæcæ, sed rabie libidinis in aucupes ruunt, eorum capitibus insidentes. Aristoteles IX. 8. 'Usque adeo tum perdices, tum etiam coturnices copia libidinis gaudent, ut in aucupantes corruant, et sæpenumero capitibus eorum residant.' *Pintian.*

Procurrit ad pedes fœta, &c.] Inde fictum Aristophani in Avib. verbum ἐκπερδικίζειν, id est *astute elabi, periculumque vitare.* Nam πανοῦργον ὄρνεον πέρδιξ ἐστί. Rhodig. XXIX. 26. *Dalec.*

Eadem jam pavore libera ac materna vocante cura] Rectius: *Eadem in pavore liberà, ac materna vocans;* non enim narrat, quid perdix facere soleat abducto per dolum a nidis aucupe; nam tunc volans se proripit, sed quo ingenio adversus illum alioqui utatur, cum aut non habet pullos, aut longe alio loco habet. *Gelen.*

CAP. XXXIV. *De columbis.*

Columbarum maxime, &c.] Columbam Veneri sacram, quod libidinosa sit avis, Apollodorus scribit περὶ θεῶν. Ideo vero περιστερὰν Græcis vocari ὅτι περισσῶς ἐρᾷ, interpres ejus tradit. Virgilius: 'tum maximus heros Maternas agnoscit aves.' Æneæ ramum aureum optanti advolantes geminæ columbæ locum ostenderunt ubi servabatur. Apud Apollon. lib. III. Mopsus augur, conspectis iis avibus, bene sperare jubet heroas. Quod Phineus prædixerat, placere Veneri ut a periculosa illa navigatione redeant. Victorius III. 14. *Dalec.*

Pullis primo salsiorem terram, &c.]

Aristot. Hist. lib. IX. exclusis pullis, in os mas inspuit ὡς μὴ βασκανθῶσι, *ne fascinus officiat:* Æliano vero de Animalibus lib. I. ἀπελαύνων αὐτῶν φθόνον, ἵνα μὴ βασκανθῶσι δι' ἀρᾶς. *Livorem abigens, ne fascinantium noceant imprecationes.* Had. Jun. VI. 5. Apud Arist. pro φροντίζει τῆς ἁρμοττούσης τροφῆς, legendum ἁλμυρίζούσης. *Idem.*

Proprium generis ejus et turturum, cum bibant colla non resupinare, large bibere jumentorum modo] Addendam puto particulam *ni: Colla non resupinare ni large bibere,* ut *bibere* sit præteriti temporis. Postrema autem duo verba, *jumentorum modo,* criticorum jure fungentes, familia Pliniana eximimus. Aristot. IX. 7. 'Proprium columbarum, et palumbium, et turturum esse videtur, ne collum cum bibunt resupinent, ni satis hauserint.' *Pintian.*

CAP. XXXV. *De palumbibus.*

Palumbes] Palumbem lepide Plautus in Pœnulo vocat hominem peregrinum, ac hospitem, prædæ, insidiisque lenonis objectum, quo modo Galli *pigeon* dicunt, et *appigeonner:* 'Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus, Nunc te illum melius capere est, si captum esse vis.' *Dalec.*

Vere vocalibus] Auctor XVIII. 28. palumbum gemitus non nisi confecto peractoque solstitio audiri scribit. *Id.*

CAP. XXXVI. *De passeribus.*

Occultus fronde latro] Columella VIII. 8. *Idem.*

CAP. XXXVII. *De tinnunculo.*

Tinnunculus] Cenchris vocatur. XXIX. 6. *Idem.*

In ollis novis oblitis] Pullos sic conditos in angulo columbarii Columella suspendit. *Dalec.*

Amne] Pado. *Idem.*

CAP. XXXVIII. *De volatu et incessu avium.*

Rusticula] *Perdris grises.* Idem.

Pendentesque raro intervallo quatiunt] Milvi. *Idem.*

Aliæ crebrius] Ut Spiziæ, *Eperviers.* Dalec.

Aliæ et tota latera pandunt] Corvi. *Idem.*

Compressis volant] Pici. *Idem.*

Gemino ictu aëre feruntur] Carduelès. *Idem.*

Ejaculantur sese in sublime] Hirundines. *Idem.*

Impingi putes aliquas] Perdices. *Id.*

Ab altero cadere has] Alaudæ. *Id.*

Illas salire] Coturnices. *Idem.*

Anates solæ] Apud Nonium, in Pecudes, Anates Varro 'quassagipennas' appellat, quod veluti quassis pennis volent. Verba ejus sunt: 'Neque quassagipennas anates, tremipedas, buxeis rostris, pecudes palustres, nocte nigra ad lumina lampadis sequens.' *Idem.*

Atque e vestigio cælum petunt] Expende an legi debeat *solum* potius quam *cælum,* quia statim sequatur: 'Itaque in foveas delapsæ,' &c. *Pintian.*

Fere graviores nisi ex procursu, &c.] Ut grues, otides. *Dalec.*

Nonnullæ vescuntur ea, &c.] Aquilæ. *Idem.*

Semper in volatu silent] Ardeæ. *Id.*

Subrectæ, pronæ, obliquæ] Milvi, gaviæ. *Idem.*

Quædam et resupinæ feruntur] Ardeæ, infestante accipitre. *Idem.*

CAP. XXXIX. *De apodibus.*

CAP. XL. *De caprimulgis et plateis.*

Caprimulgi appellantur grandiores merulæ aspectu] Scribendum puto, permutatis verbis insuperque castigatis, hoc pacto: *Caprimulgi appellantur a suctu, grandiores merula.* Aristoteles IX. 30. 'Quem caprimulgum appellant, avis montana est, magnitudine paulo major quam merula: sugit caprarum ubera advolans, unde nomen accepit.' Et paulo post Plinius: 'Caprarumque uberibus advolant suctum propter lactis.' *Pintian.*

Se implevit conchis] Aristotel. περὶ

θαυμασ. ἀκουσμ. *Dalec.*

Testas excernens] Recte qui pro *excreans*, ut antea legebatur, *excernens* correxerunt, ex Aristotele IX. 10. et de Admiranda Auditione; suffragantibus etiam ambobus nostris exemplaribus. Subit hoc loco mirari Plutarchum, summum alioqui et nunquam satis laudatum scriptorem, quod Aristoteles, Plinius, Cicero, Ælianus quintodecimo volumine de Hist. Anim. pelecani seu pluteæ tribuunt, erodio ascribentem, libro, Utra animalium solertiora. In similem incidit lapsum et de vulpe marina loquens, quam tradit, devorato hamo, sese invertere, ex interioribus extera facientem, ut hamum excutiat; nam quod de scolopendra marina legerat apud Aristot. lib. IX. et Plinius etiam repetit, ut suo loco visum est, ipse vulpi marinæ dat: quia videlicet de utroque animali aquatico eodem loco Aristoteles agit. *Pintian.*

CAP. XLI. *De ingeniis avium.*

Villaribus gallinis et religio inest] Aristoteles non villaticis duntaxat gallinis hoc tribuit, sed omnibus. Neque vocem Latinam receptamque existimo esse *villaris* a villa, sed *villaticus*; qua et M. Varro et Columella et cæteri utuntur. Aristoteles VI. 2. 'Inhorrescunt a coitu, ac se excutiunt. Sæpe etiam festuca aliqua sese lustrant, quod idem et edito ovo interdum faciunt.' *Pintian.*

Excutiuntque sese] Theophr. fragmento περὶ τῶν ζώων λεγομένων φθονεῖν. *Dalec.*

Festuca aliqua sese et ova lustrat] Περικαρφισμὸν vocat Plutarchus. *Idem.*

CAP. XLII. *De carduele, et psittaco, et avibus quæ loquuntur.*

Super omnia humanas voces, &c.] Legend. *Super omnia humanas voces reddunt psittaci: quidam etiam sermocinantes. India, &c.* Salmas. p. 1018. b.

Sed expressior loquacitas, &c.] In hac re memoratu digna recitatur a Plutarcho historia lib. de Animal. Prud. dent. quam Victorius Latine reddidit IX. 14. de pica, quæ Romæ in officina tonsoris, ad Græcostasin, tubarum cantum imitari didicit. *Dalec.*

Habebant et Cæsaris juvenes sturnum] Papinius in Sylvis: 'plangat Phœbeius ales, Auditasque memor penitus dimittere voces Sturnus, et Aonio versæ certamine picæ, Quique refert jungens iterata vocabula perdix, Et quæ Bistonio queritur soror orba cubili.' Ubi etiam Perdicem inter vocales referri audis. Et vero Plutarchus in Symposiacis sermonem hominum discere Perdicem scripsit, ut et Athenæus, qui Aristomenem Atheniensem, Adriani libertum, appellatum ideo scribit Ἀττικοπέρδικα, quod esset histrio veteris comœdiæ. *Dalec.*

CAP. XLIII. *De corvorum intelligentia.*

Tiberio principe] Vide Macrob. Saturn. lib. III. *Idem.*

Funusque innumeris aliti celebratum exequiis] Legendum forte, *Funusque in humeris aliti celebratum;* nam verbum sequens *exequiis* adjectum reor ab eo qui *innumeris* legebat, non *in humeris;* statim enim sequitur, 'Super Æthiopum duorum humeros.' *Pintian.*

Nec non et recens fama, &c.] Lege: *Nec non et recens fama Crateri Monocerotis cognomine in Eresia regione Asiæ corvorum opera venantis, eo quod devehebat in silvas eos insidentes corniculo humerisque.* Per corniculo palam est intelligi galeæ cornua quibus insidebant corvi; atque inde monoceros cognomen habuisse videtur ille Craterus ab unico galeæ corniculo. Et pro *Erizena* leg. *Eresia*, ab Ereso urbe Lesbi insulæ. Vide Salmas.

CAP. XLIV. *De Diomedeis avibus.*

Nec Diomedeas, &c. oculosque igneo colore, &c.] Scribe: *et eis esse dentes oculosque igneos, colore cetero candidas*

tradens: quod catarractas ait Plinius Jubæ vocari, id epitheton omnium esse possit rapacium et impeteiarum avium. *Salmas.* p. 92. *Nec Diomedeas præteribo aves*] Arist. 'Charadrios:' in insula una ex Diomedeis, mari Adriatico, quam vocant *Santa Maria de Tromiti:* nunc Artenæ vocantur. *Dalec.*

Contra Apuliæ oram] Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσ. *Idem.*

CAP. XLV. *Quæ animalia nihil discant.*

CAP. XLVI. *De potu avium.*

CAP. XLVII. *De himantopode, et onocrotalis, et de peregrinis avibus.*

Fruge vescuntur] Σπερμολόγοι εἰσί. *Dalec.*

In Hercynio Germaniæ, &c.] Lege, *In Hercynio Germaniæ saltu invisitata genera alitum accep.* minus recte legitur *inusitata*, quod verbum et aliis locis pro illo positum frequens occurrit. *Salmas.* 230. a.

Inusitata genera alitum accepimus] Eæ sunt garruli Boëmici Gesneri, quorum pennæ in summa cauda luteæ, in extremis pennis cocco nitentes, sublustri nocte lucent. *Dalec.*

CAP. XLVIII. *De multarum avium nominibus et natura.*

Phœnicopteri linguam, &c.] Vide Suetonium in Caligula, Spartianum in Heliogabalo. *Idem.*

Est et alia nomine eodem] Alpinis, *Gelabre.* Idem.

CAP. XLIX. *De novis avibus et fabulosis.*

Venere in Italiam Bebriacens. bellis civil. trans Padum et novæ aves, &c.] Loquitur de bello civili Othoniano, quod, propter cladem ad Bebriacum Galliæ Cisalpinæ oppidum, Bebriacense nominat. Cæterum aves ipsæ *novæ* appellatæ sunt, cum recens advenissent, ac deinde appellatio mansit, etiam post multos annos ab earum adventu: id quod satis indicare poterat vel titulus capitis: *De novis avibus.* Gelen.

Bebriacensibus] Bebriacum, vicus situs inter Cremonam et Veronam, vulgo *Labina*, ad quem Othonianos Vitelliani superarunt. Sueton. in Othone. Tacitus Ann. XVIII. In exemplaribus Tranquilli manuscriptis, 'Betriacum,' sive 'Bretiacum,' legitur. Apud Plutarchum in Othone, 'Betriacum.' Turn. XXIV. 36. Huc pertinent Juvenalis versus, Sat. II. 'Et curare cutem, summi constantia civis, Bebriaci in campo spolium affectare palati.' Onuphrius in sua Roma Bebriacum Hostiliam vocari, propinquum Veronæ pagum. *Dalec.*

Novæ aves] Turdi montani. Caryocatactæ Gesnero. *Idem.*

Gryphas] Gryphum meminerunt Solinus, Pausanias in Arcadicis, Ælianus ex Ctesia, Philostratus in Vita Apollonii. Pegasos scribit Solinus præter aures nihil equinum habere. *Idem.*

Equidem et tragopanadem] Lege: *Equidem et tragopanem, quem plures affirmant majorem aquila.* Salmas. pag. 399. a. *Equidem et tragopanadem*] Lege, *tragopana.* Nomen impositum, quia Pan cornutus. Pomponio Melæ aves illæ dicuntur 'tragopomones.' Solino avis Æthiopica, cornibus arietinis armato capite. Ab hirco quidam dictam volunt. *Dalec.*

Scopes] Homeri versus est Odyss. E. 66. Σκῶπές τ' ἴρηκές τε, τανύγλωσσοί τε κορῶναι. Σκῶπας, vel ut Arist. Alexander Myndius, et alii plerique κῶπας, vocarunt, quasi σκαίαν ὦπα, id est, ἀτερπῆ φωνὴν ἔχοντας. Tyranion, tanquam σκιῶπας, ὅτι ἐν σκιᾷ ἔχουσιν ὦπα, *quoniam in tenebris canunt.* Rhodig. XII. 14. Aut quod varia gesticulatione, tanquam irridendo, σκώπτοντες, venatorum et spectatorum motus imitentur. Callimachus dici vult, ὅτι φωνὴν ἀφιᾶσιν ἐπισκώπτουσαν, quasi auribus *illudentem*, nempe *ingratam et injucundam:* κόβαλος, inquit Arist. καὶ μιμητὴς ἀντορχούμενος ἁλίσκεται, *ludifficator et imitator contra saltando ca-*

pitur. Vide quod not. est XXXV. 11. *Dalec.*

CAP. L. *Quis gallinas farcire instituerit. De aviariis, et quis ea primus instituerit.*

Gallinas saginare Deliaci cœpere] Cicero Academica II. 'Videsne, ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures salvis rebus illis, qui gallinas alere permultas quæstus causa solerent. Hi cum ova inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant.' Petronio Arbitro: 'Deliaci gallinarum curatores.' 'Molles, veteres, Deliaci, manu recisi,' id est, castrati. *Scal.* Vide Varr. III. 9. Columel. *Idem.*

Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum invenio] In exempl. Tol. non *cœnarum* legitur, sed *Eranon.* Dictio est Græca, significans quod a singulis amicis contribuitur ad cœnam, conviviumque celebrandum. Nec memini me alibi in Plinio eam aliove Latino auctore legere. *Pintian.*

Lege C. Fannii Cos.] Lege Fannia permittebatur ludis Romanis, plebeiis, Saturnalibus, et aliis quibusdam diebus, in dies singulos centum æris insumi, decem aliis diebus singulorum mensium tricenos, cæteris omnibus denos. C. Fannio et M. Val. Messala Coss. factum est Senatusconsultum, ut civitatis principes ludis Megalensibus antiquo ritu mutitantes, id est, mutua convivia agitantes, verbis conceptis jurarent apud consules, in singulas cœnas sumptus se amplius facturos non esse, quam centenos vicenosque æris, præter olus, far, vinum; vinoque patrio se usuros, non alienigena, argentique in convivio plus pondo, quam libras centum, non illaturos. Sigonius ex Gellio. Macrobius ex Gellio historiographo tradit, Fanniam legem latam fuisse anno ab urbe condita 88. eique similem fuisse Orchiam, qua cœnantium numerus cohibebatur. *Dalec.*

Per omnes leges ambulavit] Inter omnes alias leges sumptuarias, postea diversis temporibus publicatas, sumptuariæ leges fuerunt Fannia, Orchia, Didia, Oppia, Cornelia, Antia, Julia. De quibus Alex. ab Alexand. III. 11. *Idem.*

Gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis: multo ita gratiores approbantur] Neutrum ex scriptis exemplaribus, ullumve, quod sciam, ex impressis hoc verbum *madidis* agnoscit, sed *lacte additis cibis* legunt. Romana impressio et aliæ, *lacte addito cibis.* In Salmanticensi exemplari verbum *cibis* non habetur; recte, ut sentio. Ad hunc igitur modum legendum censeo hunc locum: *Gallinaceos quoque pascendi lacte, addito mulso. Ita gratiores approbantur.* Plinius supra cap. 22. de jecore anserino: 'Exemptum quoque lacte mulso augetur.' Et Columella VIII. 7. 'Jam illi qui volunt non solum opimas, sed etiam teneras aves facere, mulsa recente aqua prædicti generis farinam conspargunt, et ita farciunt.' Heron quoque Georgici volumine XIV. anseres melicrato saginari tradit. *Pintian.*

Ut dividantur in tergora] Juvenalis Sat. v. 'Nec minimo sane discrimine refert, Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.' Seneca ad Lucil. 'Alius pretiosas aves scindit, et per pectus et clunes certis ductibus circunferens eruditam manum, in frusta excutit.' *Dalec.*

M. Lælius Strabo] Videtur legendum *Lenius,* non *Lælius.* Varro III. 5. 'In quo,' inquit, 'diceris longe vicisse non modo archetypum inventoris nostri ornithotrophion M. Lenii Strabonis, qui Brundisii hospes noster primus in peristylo habuit exhedra conclusas aves quas pasceret.' Et supra capite proximo. *Pintian.*

Quibus natura cœlum assignaverat]

Ambo nostra exemp. *quibus rebus natura cælum assignaverat.* Scribo, *quibus rerum natura cælum assignaverat.* Diximus et alibi familiare Plinio esse jungere duo hæc verba, *rerum natura;* ut in fine capitis sequentis, 'Summas rerum naturæ opes,' et passim tibi exempla occurrent. *Pintian.*

CAP. LI. *De Æsopi patina.*

Maxime tamen insignis est, &c.] Lege, *Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Æsopi patina C. sestertiis taxata, in qua posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, IIS. VI. singulas coëmptas.* Sex autem sestertia, ut notum est, sunt sex millia nummum, hoc est, aurei nostri centum et quinquaginta: diversum itaque patinæ ipsius manupretium fuit, diversum avium pretium quæ in ea patina appositæ sunt. *Salmas.* Tertull. Pall. 457.

Clodii Æsopi] De Æsopi filio id narrat Val. IX. 1. *Dalec.*

Patina] Macrobius Saturnal. lib. III. *Idem.*

Diximus] Lib. IX. cap. 35. *Idem.*

Nisi quod minus est summas rerum naturæ opes quam hominum linguas cœnasse] Utrunque exemplar, *si quod minus est summas, &c.* Scribendum puto: *si quidem minus est summas rerum naturæ opes, quam avium linguas cœnasse?* *Avium* namque, non *Hominum* lego, cum nota etiam interrogationis ducentis ad negationem. *Pint.*

CAP. LII. *De generatione avium, et præter aves quæ quadrupedes ova pariant.*

Quoniam et quadrupedes ova gignunt] Commodior lectio archetypi Toletani, *quia et quadrupedes ova gignunt.* Idem.

Ova gignunt] Ennius: 'Ova parire solet genus pennis condecoratum, Non animas.' ἀρχαϊκῶs pro 'animans.' Scalig. in Festum, voce 'ommentans.' *Dalec.*

Pennatorum infœcunda sunt quæ aduncos habent ungues. Cenchris sola, &c.] Eam esse volunt, quam 'tinnunculi' nomine alibi idem Plinius appellat, columbis amicam avem. Non sane id mirum in Plinio, ut diversas nominibus aves faciat, quæ reapse eædem sunt, quia nescivit tinnunculum et cenchrida esse easdem. *Salmas.* 340. a.

Sali] Ægillii. *Dalec.*

Alia punctis distincta, ut meleagridi: alia rubri coloris, ut phasianis, cenchridi] Scribendum alio ordine, et aliis verbis: *Alia punctis distincta, ut meleagridum et phasianorum: alia rubri coloris, ut cenchridi.* Aristoteles VI. 2. 'Differunt et colore et inter se ova avium. Sunt enim alia candida, ut columbarum et perdicum; alia pallida, ut palustrium; alia punctis distincta, ut meleagridum et phasianorum. Rubrum cenchridis est, modo minii.' *Pintian.*

Lutei plusquam albi] Τὸν λέκιθον, καὶ τὸ χρυσοῦν Græci vocant. *Dalec.*

In quo nil candidi] Imo, *in quo plus candidi*, si Aristoteli credimus VI. 10. 'Ovum,' inquit, 'piscium non bicolor, ut avium, sed unicolor omnium est, et plus albi trahens quam lutei, tam ante quam postea cum fœtus insidet.' Nec tamen pœnitenda esset lectio, pro *in quo nil candidi, Æquabili candido.* Idem de Generatione Animal. III. 1. 'Quam ob rem omnia piscium ova unicolora sunt: atque ad lutea, candida, ad candida, lutea esse dixeris.' *Pintian.*

Quæ oblonga sint ova, &c.] Horat. II. Sat. 4. 'Longa quibus facies ovis erit, illa memento, Ut succi melioris, et ut magis alba rotundis, Ponere; namque marem cohibent callosa vitellum.' *Dalec.*

Fœminam edunt, &c.] Idem Columella lib. I. 'Cum deinde,' inquit, 'volet aliquis quam plurimos mares excludi, longissima quæque et acutissima ova subjiciet, et rursus, cum fœminas, rotundissima.' Contra Arist. in Histor. Ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ

ὀξέα τῶν ᾠῶν, θηλέα· τὰ δὲ στρογγύλα, καὶ περιφέρειαν ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξὺ, ἄρρενα. Qua in re multa philosophatur Albertus Rhodig. XXVII. 17. Ad hunc locum parum spectat, quod ex præparandi varietate medici ova dicunt ῥοφητὰ, τρομητὰ, seu ἁπαλὰ, ταγηνιστὰ, πνικτά. Item quod apud Græcos inter bellaria, quæ τραγήματα, ἐπιδειπνίδας, ἐπιδορπίσματα, μεταδόρπια, ἐπιφορήματα, ἐπιτραπεζώματα vocant, ova fuerunt. Apud Romanos prima mensa apponebantur. Unde proverbium: 'Ab ovo usque ad malum.' Rhod. ibidem. Brodæus III. 25. *Idem.*

CAP. LIII. *De ovorum generatione, incubatu avium, et coitu.*

Quædam omni tempore coëunt, ut gallinæ, et pariunt, præterquam duobus mensibus hiemis brumalibus] Scribendum mutato verborum ordine: *Quædam omni tempore coëunt et pariunt, ut gallinæ, &c.* Aristoteles VI. 1. 'Aves autem ova pariunt omnes, sed tempus coëundi pariendive non idem est omnibus; quippe cum aliæ coëant et pariant omni fere tempore, ut gallinæ, ut columbæ. Gallina enim toto anno, præterquam duobus mensibus brumalibus, parit.' *Pintian.*

Hadrianis laus maxima] Pumilis, nanis, proximo sequenti cap. 56. *Dalec.*

Pene contextim] Opere continuato, ut quasi nidorum quædam catena videatur. Arist. Hist. VI. 1. *Idem.*

A coitu X. diebus ova maturescunt in utero] De gallinis tantum id Arist. Hist. VI. 1. *Idem.*

Omnibus ovis medio vitelli parva inest veluti sanguinea gutta, quod esse cor avium existimant, primum in omni corpore id gigni opinantes. In ovo certe gutta salit palpitatque] Lege, *in medio albi*, non *in medio vitelli;* nam pullus ex albo corporatur, in vitello cibum habet, teste Aristotele et Plinio mox paulo; etsi non ignoro contra sentire Hippocratem in libro de Natura Fœtus. Præterea verba illa, *in ovo certe gutta*, falsa sunt et adulterina, et sine illis reliqua optime cohærent. Si cum Plinio Aristotelis verba conferas, omni dubitatione liberaberis. Is VI. 3. ita ait: 'Gallinis porro tertia die ac nocte postquam cœpere incubare, indicium præstare incipiunt. At majorum avium generi plus præterea temporis necesse est: minori autem minus sufficit. Effertur per id tempus luteus humor ad cacumen qua principium ovi est, atque ovum detegitur ea parte, et cor quasi punctum sanguineum in candido liquore consistit, quod punctum salit jam et movetur, ut animal.' Scribendum autem, *ea salit palpitatque*, ex utroque antiquo exemplari. *Pintian.* *Omnibus ovis medio vitelli parva inest*] Græci τὰ χρυσᾶ καὶ τὰ ὠχρὰ τῶν ᾠῶν vocant. Athen. lib. IX. ἐν λοπάδι ῥοδωνιὰ, καὶ τῶν ᾠῶν τὰ χρυσᾶ, μεθ' ἁλῶν, ἔλαιον, γάρος, πέπερι, οἶνον. Victor. XXXVIII. 4. *Dalec.*

Ex albo liquore ovi corporatur] Aliter sentit Hippocr. de Natur. Fœtus. *Idem.*

Aves omnes in pedes nascuntur, contra quam reliqua animalia] Cum duplex sit avium ortus, prior ex utero in ovo, potentia; posterior ex ovo actu, jam animal; ut omnis amphibolia tollatur, meliorem duxerim lectionem, *Ova omnia* quam *Aves omnes*, ex Aristotele, unde translata hæc a Plinio evidentissimum est, de Generatione Animal. III. 2. 'Partus ovorum contra atque animalium evenit. Animal enim in caput, summque principium nascitur. At ovum quasi in pedes conversum exit. Cujus rei causa quod diximus est, quod ovum ea parte, qua principium continetur, adhæret.' *Pintian.*

Plus vicena quina incubanda subjici vetant] Vide Varronem lib. III. et Columell. lib. VIII. *Dalec.*

CAP. LIV. *De vitiis et remediis incubantium.*

Vetera aut recentiora infœcunda]

Quæ *requieta* veteres appellabant. Rhod. XXVII. 17. *Idem.*

Inane fluitat] Τὸ ἀφανισθὲν, καὶ ἐξουρίσαν. ut integrum, ἀπαθές. Causam vide apud Rhodigin. XXVII. 17. Vocant et Græci ὑπηνέμιον, ut Latini *subventaneum*, οὖρος ἄνεμός ἐστιν. Inde Homero οὐρῆες muli, διὰ τὸ ἄγονον, quoniam illorum genitura infœcunda et subventanea est. *Idem.*

In Ægypti finetis] Nunc in eadem provincia furnis tepido calore foventibus magna industria et miranda. *Id.*

Donec cooperta terra fœtum ederent ova] Scribendum videtur, *Cooperta storea*, non *Cooperta terra.* Aristoteles VI. 2. 'Syracusis potator quidam ovis sub storea in terra positis, tamdiu potabat, donec ova ederent fœtum.' *Pintian.*

CAP. LV. *De auguriis ovorum.*

Livia Augusta] Vetus lectio, *Julia Augusta.* Nec erat mutanda; nam tametsi hæc ipsa gentilitio nomine Livia primum dicta est, tamen jam natu grandior, ut marito tam honorifica appellatione æquaretur, *Augusta* consalutata, et peræque honoris gratia in gentem Juliam ascita *Julia Augusta* vocari cœpit, relicto priore nomine, quemadmodum ex Tacito discere licet. *Gelen.*

Mox incertos incubitus solicite convocantis: postremo lamenta, &c.] Archetypum Tolet. *mox incertis incultus solicite, &c.* Lego, *mox incerti singultus solicite, &c.* Ut gradatim crescat oratio. Primo admiratio, deinde incerti singultus, postremo lamenta. *Pintian.*

CAP. LVI. *Quæ gallinæ optimæ.*

Primis nigris, ore rubicundo] Legendum *pinnis*, non *primis*, ex M. Varrone, qui etiam inter generositatis notas plumam rubicundam, non os, memorat. Ejus verba sunt de Re Rustica III. 9. 'E queis in parando eligat oportet fœcundas plerunque rubicunda pluma, nigris pinnis, imparibus digitis, magnis capitibus, crista erecta, ampla. Hæ enim ad partiones sunt aptiores.' Columellæ item VIII. 2. 'Eæ sint rubicundæ vel fuscæ plumæ, nigrisque pinnis.' *Pintian.*

Ad opertanea sacra] Quæ Opi fiebant in abdito, ne prophanorum oculis polluerentur; et seclusa quoque vocabantur. *Dalec.*

Pumilionum genus] Hadrianas Arist. vocat Hist. VI. 1. et auctor ipse paulo ante cap. 53. hujus libri. *Id.*

Sed quibus certa fœcunditas rara, et incubatio ovis noxia] Scribend. reor alio ordine: *sed quibus certa fœcunditas incubatio ovis noxia, et rara.* Ut sit sensus: Incubationem gallinarum, quibus certa fœcunditas sit, noxiam esse ovis. Item raram incubationem nocere etiam ovis. Quorum alterum Aristotelicum est Gener. Animal. III. 2. 'Et ut vinum,' inquit, 'æstu acescit fecibus in sublime ascendentibus, sic ovum luteo quod est terrestre contingit: et hoc in gallinis multiparis, cum nequeant æqualem ovis impertire calorem, sed aliis plus, minus aliis quam opus esset.' Alterum vero Plinius ipse docet infra c. 60. 'Urina,' inquit, 'fiunt, incubatione derelicta, quæ alii cynosura dixere.' *Pintian.*

CAP. LVII. *De morbis earum, et remediis.*

Pituita] E cerebro in nares et fauces descendens. *Dalec.*

Vitis albæ] Aut Staphysagriæ. Columell. *Idem.*

CAP. LVIII. *De conceptu et numero fœtus avium.*

Palumbes et turtures plurimum terna, nec plus quam bis fere pariunt] Scribendum non *fere*, sed *vere.* Aristoteles VI. 4. 'Columbæ omni tempore, ut dictum est, pariunt. Turtur et palumbes vere, nec plus quam bis; atque ita si prior fœtus corruptus est; frangunt enim ova mares avium complures.' *Pintian.*

Urinum] Κυνόσουρον et οὔριον. *Dalec.*

Columbæ marem semper et fœminam pariunt. Priorem marem, postridie fœminam] Scribe *sæpe*, non *semper;* et *post triduum*, non *postridie*. Aristoteles VI. 4. 'Columbæ magna ex parte marem et fœminam generant; priorem marem, posteriorem fœminam: et cum pepererint primum ovum, uno interposito die secundum pariunt.' Posset etiam legi *posteriorem*, non *postridie;* ut liquet ex Aristotelis verbis paulo ante citatis. *Pintian.*

Ipsi deinde pulli quinquemestres fœtificant] Legendum videtur *semestres* potius quam *quinquemestres*. Aristot. eodem loco: 'Coëunt intra annum columbæ, quippe quæ semestres nosse incipiant Venerem.' *Idem.*

CAP. LIX. *De pavone et anseribus.*

Aut in excelso cubantes] Particula *aut* superfluit. Nam pavones majore ex parte in excelso cubantes pariunt. Columella VIII. 11. 'Maximeque temporibus his quibus parturiunt pluribus stramentis exaggerandum est aviarium, quo tutius integri fœtus excipiantur. Nam fere pavones cum ad nocturnam requiem venerunt, prædictis perticis insistentes, enituntur ova, quæ quo propius ac mollius deciderint, illibatam servant integritatem.' *Pintian.*

Anseres in aqua coëunt] Lepide Plautus in Truculento: 'Sed est huic unus servus violentissimus, Qui ubi quamque nostrarum videt prope ædes hasce egrediens, Item ut de frumento clamore anseres absterret, abigit.' *Dalec.*

Bis anno si priorem fœtum gallinæ excludant] Columella *ter* scribit, non *bis*, VIII. 14. his verbis: 'Singulæque ter anno pariunt, si prohibeantur fœtus suos excludere.' Scripsit idem etiam ante eum M. Varro III. 10. 'Singulæ,' ait, 'non plus quam ter in anno pariunt:' quamvis in Varrone 'quater' mendose pro 'quam ter,' scriptum invenias. Eandem tuetur sententiam Heron Græcus auctor, Georgici sui lib. XIV. 'Pariunt,' inquit, 'anno ter, usque ad duodecim ova.' Nec me deterret comparativum, quod sequitur, *priorem;* sæpe enim apud Plinium proximum præcedentemve ante actum significat. Cujus rei ignorantia errandi materiam forte præstitit correctoribus, ut pro *ter* substituerent *bis*. Pintian.

Donec rumpantur] Nisi subjectis etiam suis. Columell. *Dalec.*

Si vero tepidiores sint, viginti quinque] Lego, *vicenis quinis;* dixit enim ante, 'tricenis diebus;' et paulo infra; 'Aquila incubat tricenis diebus, minores vicenis.' *Pintian.*

Apprehensa radice] Sic Varro. Columella vero frutice aut herba duriore. *Dalec.*

CAP. LX. *De ardeolis, et quomodo serventur optime ova.*

Aquila tricenis diebus incubat, et fere majores alites; minores vicenis, ut milvus et accipiter] Scribendum non *minores* sed *mediocres*, ex Arist. ad literam VI. 6. 'Aquilæ,' inquit, 'tricenis diebus, et cæteris quoque magnis alitibus tempus incubandi tantundem a natura statutum est, ut anseri, ut tardæ. Mediocribus viceni perficiunt incubationem, ut accipitri, ut milvo.' Ex quibus Aristotelis verbis, et ex ordine quo aves monstrant, adducor ut putem permutatis dictionibus legendum apud Plinium, *ut accipiter et milvus;* sic enim, nec aliter, quadrabit ad unguem correctio sequentium verborum. *Pintian.*

Singulos fere parit, nunquam plus ternos] Scribendum enim opinor, *Sed hic binos fere parit, nunquam plus ternos;* ut pronomen *hic* milvum referat, quem hoc loco Plinium indicare existimaverim. Arist. VI. 6. 'Pariunt milvi bina magna ex parte, interdum tamen et terna, totidemque excludunt pullos.' *Idem.*

Major parvis] Romana lectio, *paris*, non *parvis;* quæ nec placet nimis, nec

rursus displicet. Sed si ea lectio recipitur, aliter verba quæ præcedunt legenda sunt; nam uterque codex scriptus *tanta* legunt, non *tanto*. Est porro avicula parus, Græce dicta ægithalos, magnæ fœcunditatis, ut infra patebit. Cæterum Aristoteles de Gener. Animalium IV. 4. animalia tradit, quo majore sint corpore, eo minus esse fœcunda. Et Plinius id infra repetit, adducta ad probationem acanthide exigua avicula, quæ duodenos pariat. Illud autem attentiore cura advertendum, verba illa quæ capite octavo hujus voluminis, ut perperam locata, ex illo loco submovenda diximus, quæ sunt, 'Ex his Ægithum claudum altero pede,' &c. ad hunc locum pertinere. Nam Aristoteles IX. 15. post Melancoryphum statim Ægithum subjicit, his verbis: 'Parus ova plurima edit, ut aiunt. Atricapillam etiam plurima edere aliqui referunt, sed post Africanum struthionem. Jam et decem et septem atricapillæ ova reperta sunt, sed plura etiam quam viginti parit, et numero impari semper, ut narrant. Nidificat ea quoque in arboribus, et vermiculis alitur. Proprium et hujus lusciniæ, præter cæteras aves, ut linguæ summæ acumine careant. Ægithus et vitæ commoditate et partus numero commendatur; sed alterius pedis claudiitate cedit.' *Idem.*

Hirundini cæci primo pulli] Arist. Histor. VI. 2. *Dalec.*

Aut pulvere] Aristot. duplex est causa hæc ova gignendi, altera Favonii vere afflatus, quamobrem et Zephyria vocant: τὸ τῇ χειρὶ ψηλαφᾷν, *fricare, contrectare, palpare* clunes, dorsum, collum, pectus, caudam, et fortassis podicem, id quod velut ineuntis maris imaginem affert. Initus fœminarum inter se, libidinosæ imaginationis, pulveris nullam mentionem facit Aristot. Plinius pro ψηλαφὴ, videtur legisse ἀφή. Est autem ἀφὴ *pulvis*, et non quivis, sed qui luctatoribus post unctionem inspergitur. *Dalec.*

Cynosura] Κυνόσουρα, quod caniculæ tempore, ἐπὶ τῆς κυνοσουρᾶς, gignantur. Aristot. de Gener. III. 2. *Id.*

CAP. LXI. *Quæ volucrum sola animal pariat, et lacte nutriat.*

Eidem coxendix una traditur] Sine genuum, malleolorum, et pedum articulis. *Idem.*

CAP. LXII. *De conceptu viperæ et partu, et quæ terrestrium ova pariant.*

Viperæ mas caput inserit in os] Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Verum quod abrodere scribit, e poëtarum fabulis sumptum potius est, quam ex historia Aristotelis. *Dalec.*

Tertia die intra uterum, &c.] Brodæus III. 11. non tantum viperas vivos fœtus parere scribit, unde et nomen impositum, sed et Cerastas; quod facile nolim ei credere. *Idem.*

Perrumpunt latera] Fabulosum hoc Aristot. V. cap. ult. 'Vipera catulos parit, obvolutos membranis, (secundis,) quæ tertio die rumpuntur. Contingit vero nonnunquam, ut qui adhuc in utero sunt erosis membranis prorumpant.' *Idem.*

Occisa parente] Ob id parricidæ culeo cum vipera, cane, gallo, simia, insuti necabantur. A catulis viperam exedi, et interfici, tradunt Nicander, Plutarch. Apuleius in Magia, D. Hieronymus, Basilius Magnus, Horus lib. II. qui scribit viperæ fœtum ἐκβιβρώσκοντα τὴν γαστέρα τῆς μητρὸς ἐκπορεύεσθαι. Præterea Grammatici etymolog. ἔχιδναν dictam interpretantur, ὅτε γονὴν ἔχει ἐν ἑαυτῇ ἄχρι θανάτου. Ælianus de Animal. l. I. At, quod verissimum est, Apollonius apud Philostratum, et Maximus Tyrius superesse partui suo viperam tradunt, eumque fœtum editum lambendo polire, et, ut auctor ait, purificare. Vide Rhodig. cap. 13. vide et notata XI. 44. *Idem.*

Cæteræ serpentes contecta ova in terra incubant, et fœtum sequente excludunt anno] Ambo antiqua exemplaria *contexta* agnoscunt, non *contecta*, verissima lectione. Aristoteles v. 34. 'Cæteræ serpentes ova pariunt foris contexta ad monilis, hoc est, ornamenti mulierum, quod ambit collum, similitudinem. Incubant quæ peperint in terra, et fœtum sequente excludunt anno.' *Pintian.*

CAP. LXIII. *De generatione terrestrium.*

Cæteris animalibus, &c.] In hunc locum multa Rhodiginus accurate scripsit I. 11. *Dalec.*

In hominum genere maribus diverticula] In ambobus exemplaribus non *maribus*, sed *manibus* habetur; forte rectius; ut perstringat, (honor sit auribus,) quos masturbatores appellant. *Pintian.*

Diverticula] Aliæ partes, quam quas natura exercendæ Veneri destinavit. *Dalec.*

Hesiodus prodidit] Versus Hesiodi sunt ἐν Ἔργοις· θέρεος καματώδεος ὥρῃ... Μαχλόταται δὲ γυναῖκες, ἀφαυρότατοι δέ τε ἄνδρες Εἰσὶν, ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γούνατα Σείριος ἄζει. Vide quod adnotatum est XII. 22. *Idem.*

Elephantis] De elephantis et camelis aliter Aristot. Hist. v. 2. *Idem.*

Supra dictorum plerisque fœminæ priores superveniunt, reliquis mares] Dura castigatio, non dissimulanda tamen. Puto enim scribendum: *Dasypodum maribus fœminæ priores superveniunt, reliquis mares.* Aristoteles v. 2. 'Sed quæ retro urinam mittunt, aversa coëunt, ut leones, dasypodes, lynces. Dasypodum etiam fœmina marem prior supervenit. Cæterorum magna ex parte modus coëundi idem est; plurima enim quadrupedes more coëunt justo, fœminam scilicet mare supergrediente.' *Pintian.*

Ursi autem (*ut dictum est*) *humanitus strati*] Neque dictum est humanitus stratos coire ursos, neque si dixisset, vera dixisset. Lib. VIII. c. 36. ursos scripsit coire, sed ambobus cubantibus complexisque. Sumpsit id ex Arist. v. 2. tradente ursos venerem exercere cubantes, applicatis marium partibus supinis ad fœminarum pronas. At humanus concubitus non ita fit, sed applicatis mutuo complexu, supinis utriusque sexus partibus. Quapropter scribendum hic censeo, non *humanitus strati*, sed *humi strati.* Aristoteles VI. 30. 'Ursi coëunt, ut dictum est, non conscendentes, sed humi strati.' *Pintian.*

Cæcos autem gignunt canes, lupi, pantheræ, thoës] Lego non *pantheræ*, sed *pantheres.* Diversum omnino hoc animal a panthera. Theodorus *lupum canarium* vertit. Aristoteles VI. 35. 'Panther item, hoc est lupus canarius, cæcos parit luporum ritu, numero quum plurimum quatuor. Quinetiam thos coitu ut canes impletur, et cæcos generat, numero duos aut tres, aut quatuor.' *Idem.*

Canum plura genera] Columellæ villatici, pastorales, venatici, et omnes muti custodes. Lepide Plaut. in Captivis: 'Prolatis rebus, parasiti venatici Sumus: quando rure redierunt molossici, Odiosique et multi incommodistici.' *Dalec.*

Octonos Laconicæ pariunt. Propria in eo genere maribus laboris-alacritas] Scribe: *Octenos Laconicæ pariunt. Propria in eo genere major post laborem salacitas.* Aristoteles VI. 20. 'Peculiare generis Laconici est, ut cum laborarint, coire melius quam per ocium possint.' *Pintian.*

Felium] Feles Columella et Varro nostras fovinas appellare videntur, quæ sunt generis mustelarum. *Dalec.*

A partu statim implentur. Concipiunt quamvis ubera siccante fœtu] Impleri et concipere idem est. Itaque alterum ex duobus verbis redundet necesse est. Puto verbum *concipiunt*

expositionem fuisse illius, *implentur*. Item dispice an castigatior sit lectio *suctante* quam *siccante*. Aristoteles VI. 23. 'Habet fœmina lac antequam pariat, et a partu continuo repetit coitum, et lactans adhuc concipit fœtum.' *Pintian.*

Coguntque invitas] Festo id *testiculari* dicitur, nempe mares equos fœminis, vel maribus fœminas admevere. *Dalec.*

Mulier septima die concipere facillime creditur] Portentum verius quam menda. Scribendum non *mulier*, sed *asina*: de mutis enim hic animantibus, non de homine agitur. Aristoteles VI. 23. de asina: 'A partu die septimo mari jungitur, eoque die juncta maxime recipit initum.' Et Plinius VIII. 44. 'Fœminas a partu eptime septimo die impleri observatum est.' *Pintian.*

Currunt ex adverso, &c.] Ante coitum id facere tradit Aristot. Hist. VI. 18. ad Venerem incitatas et furioso procursu marem quærentes, neque id unquam ad orientem vel occidentem. *Dalec.*

Colorem illico mutant rubriore pilo, &c.] Legendum arbitror, *raviore pilo*; nam rubram equam quis vidit? nisi forte pictam. *Pintian.*

CAP. LXIV. *De varia generatione animalium.*

Sed superfœtant dasypus, &c.] Mures quoque superfœtare pro certo habetur. *Dalec.*

De quibus ante diximus] Lib. VII. cap. 15. *Dalec.*

CAP. LXV. *De murium fœtu.*

Sues tantum et numerosos edunt: item plures contra naturam, &c.] Sensus ineptus et Plinio indignus; quid enim significat, *numerosos edunt. Item plures?* Quod si verbum *plures* ad alia animalia referri dicas, cur dixit *sues tantum?* Re igitur curiosius pensitata, puto sic scribendum: *Ex omnibus quæ perfectos fœtus, sues tantum unum et duos edunt, item plures, &c.* Aristoteles de Genet. Anim. IV. 6. 'Sola inter multipara sus parit perfectos, eaque una evariat. Generat enim multos more multifidi generis, cum et bisulcum et solipes sit; sunt enim locis quibusdam sues solida ungula. Partu igitur numerosa est, quoniam alimentum quod in corporis magnitudinem absumeretur, in excrementum seminale decedit; id enim ut solipes magnitudine caret. Quin et potius quasi ambigens, cum natura solidipedum bisulcum est. Hac igitur causa, et unum parit, et duos, et, quod plurimum, multos.' *Pintian.*

Contra naturam solidipedum] Nam ut cap. 63. scripsit, 'quæ solidam ungulam habent, singulos; quæ bisulcam, binos; sus vero nonnunquam decem edit.' *Dalec.*

Supra cuncta est murium fœtus] Mures salacissimos esse Ælianus de Animal. lib. XII. ostendit, citatis multis scriptorum locis. Inde Cavum murinum Epicrati de libidinosissima muliere. Martial. 'Nam cum me murem, cum me tua lumina dicis.' Polit. Miscellan. c. 96. *Idem.*

Generatio eorum lambendo constare] Vide quod adnotatum XXIX. 1. *Dalec.*

Proventus eorum siccitatibus, &c.] Theophr. περὶ τῶν ἀθρόων φαινομένων ζώων. *Idem.*

Ægyptiis muribus] Aristoteles sub finem Hist. lib. VI. *Idem.*

Bipedes ambulant] Μυωξοὺς vocat Epiphanius libro Anchorato et contra Originem, et Galenus Aliment. lib. III. *Idem.*

Alpini] De certo murium Africanorum genere id scribit Herodotus. *Id.*

CAP. LXVI. *De spina hominis anguem nasci.*

CAP. LXVII. *De Salamandra.*

Huic tantus rigor ut ignem tactum extinguat] Id quidem Aristoteles scribit Hist. V. 19. sed Dioscorides refragatur. Theophrastus de Igne, ubi de Salamandra, quæ ignem extinguere dicitur: Ψυχρὸν γὰρ τῇ φύ-

σει τὸ ζῶον, καὶ ἡ ἀποῤῥέουσα ὑγρότης γλισχρὰ, καὶ ἅμα χυλόν τιν' ἔχουσα τὸν αὐτὸν, ὥστε διϊκνεῖσθαι ποῤῥωτέρω· σημεῖον δὲ καὶ τὰ ὕδατα ὀλέθρια γίνεσθαι, καὶ τοὺς καρποὺς ἐὰν καταμιχθῇ, καὶ μᾶλλον τεθνεώσης· ἔτι δὲ καὶ τὸ νωθὲς τῆς πορείας συνεργεῖ, πλεῖον γὰρ χρόνον ἐπιμένον μᾶλλον σβέννυσιν, ἡ δὲ σβέσις οὐκ ἐᾷ ὁποσονοῦν ἦν τὸ πῦρ, ἀλλ' ἐὰν σύμμετρον πρὸς τὴν φύσιν καὶ τὴν δύναμιν. Id est, ut Turnebus vertit: *Nam bestia frigida est sua natura, humore, qui effluit, lento, eumque habente succum, qui penitus pervadat. Argumento est letales reddi aquas et fructus, si misceatur, magisque ea mortua. Sed et incessus quoque languor confert, diutius morante, magisque restinguente, nec ignem quantumcunque restinguit, sed pro naturæ viriumque modo.* Et ad eundem sensum Franciscus Rabelesius medicus ait ignem quidem ex palea levem et infirmum id animal non lædere, sed ignem validum id consumere. Vide Doctissimi Jacobi Palmerii Exercit. pag. 613. ubi diversas Doctorum de Salamandra opiniones recenset.

Quacunque parte corporis humani contacta toti defluunt] Scribo, *Totius defluunt pili*, hoc est totius corporis. Plinius xxix. 4. 'Quippe cum saliva ejus, quacunque parte corporis, vel in pede imo respersa, omnis in toto corpore defluat pilus.' *Pintian.*

Cap. lxviii. *De iis qui nascuntur ex non genitis: et quæ nata nihil gignunt.*

Ut salamandræ] Gravida Salamandra mense Martio pede et baculo elisa, lactea sanies ex omnibus corporis partibus, capite, dorso, alvo, cauda, pedibus exiliit, non aliter quam ex papilla uberis, digitis compressa; tum etiam ex dirupto ventre plus quam triginta fœtus adhuc palpitantes et in aqua nantes, ac plus quam triginta ova prodierunt. Ego quidem fœminam dissecui prægnantem, tum ovis tum catulis plenam, aliis inchoatis tantum, aliis jam perfectis, gradientibus, et in aqua natantibus; ut falsum esse quod tradit Plinius, nihil eas gignere, manifestum sit. *Dalec.*

Per se generantur] Ex putri materia. Aristot. Hist. v. 1. *Idem.*

Privatim dicato opere narranda] Libro sequenti. *Idem.*

Cap. lxix. *De sensibus animalium.*

Cap. lxx. *Auditum et olfactum esse piscibus.*

Genera piscium ad nomen venire] Lucianus in Oratione de Syria Dea: οὗτοι δὲ καὶ ὀνόματα ἔχουσι καὶ ἔρχονται κεκλημένοι. 'Nostri principes,' inquit Cic. Epist. ad Attic. 'digito cœlum se putant attingere, si muli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.' *Dalec.*

Itaque produntur clarissime audire, mugil, lupus, salpa, chromis] Quatuor hic pisces nominantur qui clarissime audiunt; cum tamen apud Aristotelem quinque sint, iv. 8. his verbis: 'Sunt vero qui liquidius inter pisces audiant, mugilis, chremps, lupus, salpa, chromis: cætera piscium genera minus audiunt; quam ob rem imis gurgitibus versari potius solent.' Sic habetur in Græcis Aristotelis exemplaribus. In tralatione vero Theodori et *minus* pro *imis*, et *chremps piscis*, sicuti apud Plinium, desideratur. Expendendus igitur hic locus accuratius, nihilque temere statuendum. Athenæus lib. vii. *cremyos* piscis meminit, qui lapidem in capite habeat, citatque Aristotelem, apud quem tamen *chromis* est, non *cremys*. Pintian.

Salsamento illitis faucibus, &c.] Imo vero captos odore, ad escam salsamentorum objectam allectos, ac libenter prodeuntes. Aristot. Hist. Animal. lib. iv. ἔτι δὲ πολλοὶ τῶν ἰχθύων διατρίβουσιν ἐν σπηλαίοις, οὓς ἐπειδὰν βούλωνται προσκαλέσασθαι εἰς ἄγραν οἱ ἁλιεῖς, τὸ στόμα τοῦ σπηλαίου περιαλείφουσι ταριχηραῖς ὀσμαῖς, πρὸς ἃς ἐξέρχονται ταχέως. Victorius ix. 1. *Dalec.*

Cornus cervini odore serpentes fugantur] Fugari serpentes incenso cervino cornu, res est exploratissima, a Plinio supra tradita VIII. 32. et Dioscoride lib. II. Varrone lib. III. Columella lib. VIII. pluribusque aliis Græcis juxta Latinisque scriptoribus. Verum hic haud dubie non *serpentes* legendum, sed *insecta*. Ostendit liquido id Aristoteles, cujus fulgor tanquam clarissimi sideris in emetiendo hoc Pliniano gurgite subinde prospectari debet. Is IV. 8. sic scribit: 'Sulfuris item odore genera insectorum multa intereunt. Ad hæc formicæ origani sulfurisque pulvisculo insperso suas relinquunt cavernas, alioque migrant. Cornus præterea cervini facto incensu plurima insectorum pars fugiunt.' *Pintian.*

CAP. LXXI. *Tactum communem esse omnibus.*

CAP. LXXII. *Quæ venenis vivant, et quæ terra.*

Ut diximus] Sub finem cap. 23. hujus libri. *Dalec.*

Aut enim solida hauriunt] Sumptum ovum serpens iterum atque iterum sibi admovet, quoad summam partem rectam statuat, et tum parum contractum se colligit, ut distento corpore haustum ovum deorsum labatur. Arist. Hist. VIII. 3. Plin. hoc aliter. *Idem.*

Contentione plumas et ossa revomunt] Lego, *Contentione plumam excitam et ossa revomunt,* ex utroque antiquo exemplari, quanquam in Salmanticensi non *contentione*, sed *certione* habeatur: præcedente vacua areola, ut conjiciam *excreatione* legendum. Item in Toletano duo illa verba *et ossa* desunt. *Pintian.*

Eædem minimo et pene nullo cibo] Theophr. Hist. IV. 4. *Dalec.*

CAP. LXXIII. *De cibo et potu quorundam.*

Sues] Sues quomodo saginandi, et naturam earum, vide supra VIII. 51. *Idem.*

Omni cibatu] Et quavis colluvie; unde Festo 'colluviares porci.' Aluntur tamen fere in pistrinis furfuribus; unde pistores 'scrophipascos' Plautus appellat in Captivis. 'Colluviares' Varro de Ling. Lat. lib. VI. vocat et 'volutares:' Appion Grammaticus χαμευνάδας. *Scalig.* Vide quæ notata sunt VIII. 51. *Dalec.*

Ut diximus] Lib. VIII. cap. 22. *Idem.*

Pontici quoque mures] Vulgo, *rosereaux, hermines, menus verds.* Dalec.

In Africa] 'Η μὴ δομένη τῆς Λιβύης. Theophr. IV. 4. *Dalec.*

CAP. LXXIV. *Quæ inter se dissideant, et quæ inter se conveniant.*

Corvus et Chlorio noctu invicem ova exquirentes] Aristoteles avem pipram vocat IX. 1. Hanc Plinius soricem, ut paulo post constabit, Theodorus piponem vertit. Quare hic non *corvus* sed *sorex* forte legendum ex Aristotele loco ante dicto: 'Et sorex,' inquit, 'et chloreus; nam ova sibi ad invicem devorant.' *Pintian.*

Noctu invicem ova exquirentes] Mirum, cum aves illæ noctu non volent. *Dalec.*

Trochilus] Trochilum Aristot. cum noctua inimicitias gerere tradit. *Id.*

Aquaticæ anates et gaviæ. Harpe et triorches accipiter] Scribo: *Aquaticæ anates, gaviæ et harpe, triorches accipiter.* Aristoteles IX. 1. 'Inimica sunt etiam sibi mutuo quæ in aquis degunt, ut anas, gavia, harpe.' Quod autem sequitur de triorche, hoc est, buteone, locus est, ut censeo, mutilatus, multaque hic verba librarii indiligentia omissa videntur; nam Aristoteles buteonem adversari ait ranis, rubetis, anguibus; devorat enim ea. Triorche igitur præmisso, consequens erat ut animalia subtexeret, quibuscum bellum ei est. *Pintian.*

Harpe et triorches accipiter] Aristoteles dicit harpam et triorchen, (lego 'brenthum,') rubetam et serpentem, piponem (in Aristotel. exemplaribus

legitur ἵππιν) et ardeam mutuis se odiis prosequi. *Dalec.*

Æsalon vocatur parva avis] Falsum hoc; æsalon enim, vel Suida et Gesnero testibus, accipitris genus, quod nos vocamus *emerillon*, ideoque parvam avem a Plinio dictam putat Gesnerus. *Idem.*

Ægithum vero anthus, &c.] Plutarchus, περὶ Φθόνου· πολεμοῦσι δ' ἀετοὶ καὶ δράκοντες, κορῶναι καὶ γλαῦκες, αἰγίθαλλοι καὶ ἀκανθυλλίδες· ὥστε τούτων γέ φασι μηδὲ τὸ αἷμα κίρνασθαι σφαττομένων, ἀλλὰ κἂν μίξῃς, ἰδίᾳ πάλιν ἀποῤῥεῖ διακρινόμενον. *Idem.*

Merulæ et turdi] Aristot. Hist. Animal. IX. 1. sic habet: φίλοι κόττυφος καὶ τρυγών. Unde et hic legendum videtur, *merulæ et turtures.* Adde ex Oppiano in Halienticis non solum merulas et turtures aves mutuo se amare, sed etiam pisces iisdem nominibus. *Dalec.*

Dicta sunt] Lib. VIII. cap. 17. *Idem.*

De aspide miraculum Philarcho] Vult Plinius fidem rei quam narrat penes auctorem Philarchum esse. *Gelen.*

CAP. LXXV. *De somno animalium.*

Somniat statim infans] Infantes non statim somniare, auctor est Aristoteles de Insomniis cap. 3. et de Animal. Hist. IV. 10. Idem tamen lib. VII. somniare asserit. At rursus negat libro de Divinatione per insomnium. Familiare hoc Aristoteli, ut sæpenumero repugnantia sibi loquatur. Quod qui ignorat, parum se in ejus lectione versatum ostendit. Non quod sua ipsius placita Aristoteles refellat, rescindatve, sed quod varia et interdum dissidentia diversorum auctorum dogmata literis mandare, utile et e republica literaria esse duxerit. *Pintian.* *Somniat statim infans*] Negat hoc Aristoteles Hist. Anim. lib. IV. 'Nuper,' inquit, 'in lucem editi, et infantes ante quartum aut quintum ætatis annum fere non somniant.' Sed cur pavore expergiscuntur et suctum imitantur? Respondet de Animal. Gen. lib. V. 'Infantes,' inquit, 'dum vigilant non rident; cum dormiunt, et rident et flent quandoque.' Numquid ergo somniare dici possunt, qui ea dormientes faciunt, quæ nunquam fecere vigilantes? Igitur somnia, inquit, non sunt quæcunque dormiendo aguntur, sed præter somnia; ut iis, qui dormientes resurgunt, ambulant et loquuntur ridentque, inquit, eodem modo, quo qui vigilant, accidunt hæc, et observantur quidem penitus, sed non ut somnia. Idem tamen auctor lib. VII. 'Infantes,' inquit, 'somniant, sed sero meminisse possunt imaginum.' Quid igitur; contradicit ipse sibi Aristoteles? minime; sed hoc sentit, quod infantes, si minus proprie loquendum sit, somniant; si proprie, non somniant. Sed hæc alibi fusius edisserenda sunt. *Herm. Barb.*

Quibus mortiferum fuisse signum contra consuetudinem somnium, &c.] Exemplar Salmanticense, *contra consuetudinem somniorum.* Lego, *contra consuetudinem somniare.* Potest tamen legi *somnium*, idemque est sensus; nec aliter apographum Toletanum legit, sed nescio qua ratione implet magis animum *somniare.* Pintian. *Quibus mortiferum, &c.*] Ut Cleon ex Daulia, et Thrasymedes. Plutarch. de Oraculis. Rhodig. XXVII. 16. Tertullianus de Anima. Leopardus VIII. 2. *Dalec.*

Contra consuetudinem] Neronem nunquam somniare solitum, tradit Suetonius, sub extremum vitæ tempus evidentibus portentis somniorum territum fuisse. *Idem.*

In redormitatione vana esse visa] Horat. 'Atque ego cum Græcos facerem, natus mare citra, Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus, Post mediam noctem visus, cum somnia vera.' *Idem.*

Equos, canes, boves] Stantes; unde festive Plautus in Menæch. 'Certe hæc mulier cantherino ritu adstans somniat.' *Dalec.*

LIBER XI.

Cap. i. *De insectorum genere.*

Pennis et pedibus carentia] Ut lumbrici. *Dalec.*

Insecta] Græcis ἔντομα. *Idem.*

Fistula] Meatu fistuloso cibi et spiritus. *Idem.*

Cap. ii. *De subtilitate in his naturæ.*

Facilis officina, &c.] Animalium procreatio ac effectio, perfectio, ut paulo post. *Idem.*

Prælongavit pedum crura] Observa. *Dalec.*

Reciproca geminavit arte] Duplici, mutuo sibi consentiente. *Idem.*

Cap. iii. *Utrum spirent, an habeant sanguinem.*

Nexus spirabilis non inesset] Arteriæ, per quam spiramus, connexus ac contextus. *Idem.*

Unde numerosa quæstionum, &c.] Aristotelem tacite carpit Histor. iv. 4. *Idem.*

Docuimus] Lib. ix. cap. 7. *Dalec.*

Animatu carere in ipso, &c.] Observatione dignum. *Idem.*

Esse tamen his auditum, &c.] Hos sensus insectis Aristoteles tribuit Hist. iv. 7. *Idem.*

Cap. iv. *De corpore eorum.*

Cap. v. *De apibus.*

Cum sint neque mansueti generis, &c.] Apum feram esse naturam Justinianus in Instit. tit. de rerum divisione. et Caius l. 5. ff. de acquirendo rer. dom. Auctor posthac cap. 18. eas distinguit in rusticas sive silvestres et urbanas; Varro in feras et cicures. Aristoteles sex earum genera recenset. Apes feras novit Paulus in l. Si apes. ff. de furtis. Magius i. 8. *Dalec.*

Cap. vi. *Qui ordo naturæ in eis.*

Non ad veris initium] Quod Homerus αἰεὶ νέον ἐρχομένας μελίττας, veris tempus innui significarique Porphyrius censet, quo ad opus laboremque apes exeunt; νέον enim τὸ ἔαρ dixerunt. Pythagoras autem hiemem πατέρα τῶν καιρῶν vocat. Rhodig. xxiii. 35. *Dalec.*

Melliginem] Materiem e qua fit Commosis, Pissoceras, Propolis. Vide aliam melliginis significationem xii. 27. *Idem.*

His primum alveum ipsum, &c.] Primum tectorium κόμμωσις est, gummitio. Materia ex qua fit, amara et glutinosa, Aristot. μίτυς, Varroni lib. iii. Erithace, Plinio Melligo. Colligitur ea ex succo gummi, resinæ, salicis, ulmi, arundinis; Aristoteli quasi ceræ excrementum, valde nigra, acris odoris, ad plagas et suppurationes utilis, et longe Pissocero valentior. *Idem.*

His deinde fores quoque latiores circumstruunt] Verbum *His* superfluit, ex exemplari Toletano; et videtur mihi aptiorem *arctiores*, quam *latiores*. Pint. Aristoteles: καὶ τὰς εἰσόδους δὲ περιοικοδομοῦσιν, ἐὰν εὐρεῖαι ὦσιν.

Cap. vii. *De vocabulis operis.*

Commosin vocant periti] Corium primum. Quidam legunt κόνησιν vel κονίασιν, nimirum *tectorium* et *illitionem*, quæ favorum primum fundamentum est. Καλοῦσι δὲ οἱ μελιττουργοὶ τοῦτο κόνυσιν, inquit Aristot. Μίτυς Aristot. *commosi* Plinii respondere videtur, nempe illitus quidam præter imum tectorium. Hesychio tamen κόμμωσις est, ὁ τοῦ σώματος ὡραϊσμὸς, καὶ ὑπὸ τῶν μελιττουργῶν ἡ τοῦ σμήνους διάχρισις. Turneb. Advers. xxiii. 12.

κόμμωσιν Græci ἀπὸ τοῦ κόμμεως, *gummosi et glutinosi succi illitum.* Dalec.

Pissoceron] Corium secundum. *Idem.*

Propolin] Vide XXII. 24. *Idem.*

Inter coria cerasque, &c.] Inter crustas duas priores et favorum ceram. *Idem.*

Pissoceros super eam venit picantium modo seu dilutior cera, &c.] Scribendum puto *picatus*, non *picantium*, et *dilutioris ceræ*, casu patrio, potius quam *dilutior ceræ*, in recto; nam cum præierit verbum *venit*, commodius redditur nomen *picatus*, quam participium *picantium*, præcipue cum verbalibus quartæ inflexionis libentissime Plinius utatur, ut sunt 'luctatus,' 'cogitatus,' 'vocatus,' 'spiratus,' 'gustatus,' et id genus aliis. Verba autem illa, *seu dilutioris ceræ*, etymologiam compositionemque dictionis, *pissoceros*, monstrant. *Pintian.*

Ceræ initium plerumque e mitiore gummi] Scribo, *E vitium populorumque mitiore gummi*, ex utroque exemp. nam qua ratione tolerari potest, *ceræ initium?* cum de tertia crusta quæ in opere mellificii propolis dicitur, sequatur paulo post, 'Nondum tamen cera.' Legendum vero esse, ut dixi, *picatum*, non *picantium*, Theodori etiam tralatio confirmat; *pissoceron* enim vertit, 'cereum picatum,' IX. 40. *Idem.*

Propolis] Lib. XXIV. cap. 8. e gutta, quam in foliis populi ferunt, Propolin apes faciunt. *Dalec.*

Additis floribus] Euripides in Iphigenia: Καὶ τῆς ὀρείας ἀνθεμόῤῥυτον γάνος Ξανθῆς μελίσσης ἐς πῦρ ἐμβαλῶ σέθεν. Lib. XXIV. cap. 8. e gutta, quam in foliis populi ferunt, propolin apes faciunt. *Idem.*

Odore et ipsa etiamnum gravi] Dioscorides propolin esse vult jucundi odoris, et ad styracem accedentis, quod Plinio repugnat. Qui vero pro Galbano utuntur, facultatem ejus tantum, non odorem spectant, id quod Plinium fefellit. *Idem.*

Gignitur autem rore verno] Mel gigni rore verno, non erithacem, Aristoteles, Plinius, et alii acervatim auctores produnt. Quapropter verior hic erit lectio, *rore marino*, quam *rore verno*. Nam inter arbusculas quæ conseri debent circa apiarium ros marinus memoratur a Columella IX. 5. Item Varro III. 16. ex alia materia aliud mel fieri tradit, liquidum ex siseris flore, e contrario spissum e rore marino; et Plinius infra cap. 16. 'Marino e rore spissum.' *Pintian.*

Græcis nucibus] Amygdalis. *Dalec.*

Sed nemo præter eum] Decepit Menecraten ambiguus Cerinthi significatus, quo nunc herbam floremque intelligimus, nunc vel apum cibum, vel gluten, quo favorum obturant foramina. *Idem.*

CAP. VIII. *Ex quibus floribus opera fiant.*

Chenopode] Equinopode. Quidam tribulum interpretantur, alii echion, alii spinæ genus. Ejus mentio fit in veteri disticho: Ὡς ἂν ἐχινόποδας, καὶ ἀνὰ τρηχεῖαν ὄνωνιν Φύονται μαλακῶν ἄνθεα λευκοΐων. Turnebus Advers. XXIII. 12. *Idem.*

Spartum] Non quidem juncus sterilis, et flore fructuque privatus, descriptus XIX. 2. sed genista, iisdem locis, quibus et ille nascens, flore apibus jucundissimo. Vide quæ notata sunt in eum locum. *Idem.*

Falso et oleas excipi arbitror] Verum tamen id esse affirmat XXI. 12. *Idem.*

CAP. IX. *De amatoribus earum.*

CAP. X. *Ratio operis.*

Ad opera exeunt] Ex operariis apibus alias dici σειρῆνας, alias ἐργοφόρους, alias ἡγεμόνας, alias πλάστιδας, Ælianus adnotavit: κηφῆνας vero nunc apes masculas ἀπράκτους, nunc ἀκέντρους, et steriles, interpretantur. Rhodig. lib. XXIII. cap. ult. *Dalec.*

Struunt orsa ea concameratione alvei, textumque vel usque ad summa tecta perducunt] Scribendum videtur: *Struunt orsa a concameratione alvei, textuque vel usque ad ima telas deducunt.* Nam et in Salmanticensi exemplari, *tela* legitur, non *tecta*. Aristoteles IX. 40. 'Exordium operis a tecto alvei, textusque ad pavimentum perpetuo stabilimento agitur, pluresque ad pavimentum telæ deducuntur.' *Pintian.*

Limitibus binis circa singulos arcus] Aristoteles scribit favos construi similitudine poculorum geminos habentium fundos, et in diversa patentium, quæ Martialis hoc versu designat: 'Hi duo censentur longævo Nestore fundi.' Græci vocant ἀμφικύπελλα. Ejus verba sunt: περὶ μίαν γὰρ βάσιν δύο θυρίδες εἰσὶν, ὥσπερ ἡ τῶν ἀμφικυπέλλων. *Dalec.*

Favi superiore parte affixi] Mel olei crassitudine, absque favis, in Cappadocia confici ab apibus traditur. Apud Medos ab arboribus mel stillare Euripides in Bacchis scribit. Apud Ciceronem defluere dulces e ramis guttas memoriæ preditum, sicut et in Thracia mel in arboribus nasci et in Hyrcaniæ pagis fortunatis. Diodoro iisdem in locis ἀνθηδὼν, ape minor aliquanto, in saxorum rimis aut arborum cavis favos struit, et mellificat. In Mycone apes nullæ sunt, et si quæ inferantur, emori certum est. Rhodig. lib. XXIII. cap. ult. *Idem.*

Nunc obliqui, nunc rotundi, qualiter poscit alveus] Legendum puto: *nunc oblongi, nunc rotundi, qualiter poscit alveus;* nam quæ vicinitas comparative est inter obliquum et rotundum? Columella IX. 15. 'Cæterum figura cerarum talis est, qualis et habitus domicilii; nam et quadrata et rotunda spatia, nec minus longa, suam speciem velut formæ quædam favis præbent.' *Pintian.*

Ruentes ceras fulciunt] Favos cadentes erigunt, fulturam subjicientes, sic ut subire possit. Aristot. *Dalec.*

Intergerinis] Qui sint intergerini parietes notatur XIII. 12. *Idem.*

Ponduscule lapilli se librant] Idem Ælianus. *Idem.*

Unum congesta in locum] In favi semotam partem. *Dalec.*

CAP. XI. *De fucis.*

Sine aculeo] Κόθουροι, οὐρὰν κείθοντες. Hesiodus: Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς Ζώῃ, κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὁρμὴν, Οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ Ἔσθοντες. *Idem.*

Regias imperatoribus futuris in una parte alvei extruunt amplas, magnificas, separatas, tuberculo eminentes] Videtur Columell. sequi IX. 11. ita scribentem: 'Tum denique ceræ, quæ semina pullorum continet, partem recidere, in qua regii generis proles animatur. Est autem facilis conspectu, quoniam fere ipso fine cerarum, velut papilla uberis, apparet, eminentior et laxioris fistulæ quam sint reliqua foramina, quibus popularis notæ pulli detinentur.' Hæc Columella. Cujus verbis illis 'Fere ipso fine cerarum,' ductus forte Plinius, non *una parte*, sed *ima parte*, ut conjecturare licet, scriptum reliquit. Cæterum, cum dixit Columella, 'Ipso fine cerarum,' non intellexisse imam partem alvei, sed extremum favorum circuitum, monstrant Celsi et Higini opiniones, quas statim refert: 'Celsus,' inquit, 'affirmat in extremis favis transversas fistulas esse, quæ contineant regios pullos. Higinus quoque auctoritatem Græcorum sequens negat ex vernaculo ut cæteras apes fieri ducem, sed in circuitu favorum paulo majora quam sint plebei seminis inveniri recta foramina repleta quasi sorde rubri coloris, ex qua protinus alatus rex figuretur.' *Pintian.* Vide Senecam de Clementia I. 19.

Quod si exprimatur, non gignuntur soboles] Scribo *eximatur*, non *exprimatur*. Aristoteles V. 21. 'Sunt qui fucorum quidem fœturam comportari

ab aliquo ex his quæ modo dixi arbitrentur, sed apum generi ortum præstari a ducibus.' Et mox: 'Argumento referunt, quod fucorum fœtus editur etiam sine duce, apum nunquam.' *Idem.*

Et melle uno alterove, &c.] Sic legenda et cum sequenti capite continuanda: *At melle uno alterove die cellas replent. Venit hoc aëre, et maxime siderum exortu, præcipueque ipsa iri impendente. Nec fit omnino prius Vergiliarum exortu. Sublucanis temporibus itaque, cum prima aurora folia arborum melle roscida inveniuntur.* Vide Salmas. p. 1020. b.

CAP. XII. *Quæ natura mellis.*

Et melle uno alterove ad summum die cellas replent] Sic jam editum video Lutetiæ 1514. neque aliter Manutius, Venetiis 1559. At Jo. Andreas dederat, *uno alterove summum die.* Et sic scripti, verumque ac Latinum est. Vide ad Livium XXI. 35. *Gronov.*

Vergiliarum exortu] Oriuntur octavo Calend. Aprilis, id est, XXIII. Martii, in octava parte Arietis. Columel. IX. 14. *Dalec.*

Sublucanis temporibus] Apud Athenæum pag. 321. vs. 36. mel Alcman vocat ὀπώραν κηρίναν, *ceræ* vel *cereum fructum.* Epicharmus vero πόντον ὄρθριον, *matutinum more,* quod diluculo, sublucano tempore ex aëre fluat. *Idem.*

Suæ naturæ] Vide quæ adnotata sunt ad XXXII. 24. *Idem.*

Cœlestis naturæ, &c.] Alludit ad id Virgilianum: 'Protinus aërii mellis cœlestia dona.' *Dalec.*

CAP. XIII. *Quæ optima mella.*

CAP. XIV. *Quæ genera mellis in singulis.*

Vernum] Vergiliarum exortu, Varro. *Idem.*

Magnorum siderum exortu] Sirii, caniculi, arcturi, quæ magnam in cœlo et universo rerum statu mutationem efficiunt. *Idem.*

Ac jam melle non erithace pasci] Hoc est, si copia mellis adsit, fastidiri erithacen in cibo ab apibus. *Gelen.*

Ipso Sirio exsplendescente] Æstate acta, priusquam totus Arcturus oriatur. *Dalec.*

Post solstitium diebus XXX. fere] Sub vigesimumtertium Julii. *Idem.*

Namque ab exortu sideris cujuscunque] Leg. *Namque ab exortu sideris cujuscunque, sed nobilium maxime, aut cœlesti arcu si non sequantur imbres, sed ros tepescat solis radiis, medicamenta non mella gignuntur oculis, ulceribus, &c.* Atqui *exortus* de sideribus, non de cœlesti arcu dicitur; at *cœlesti arcu* significat, quum cœlestis arcus apparet. Inter omnes porro ferme convenit mel apum ex illo roscido humore qui venit ex aëre confici. Vide Salmas. p. 1020. b.

CAP. XV. *Quomodo probentur mella.*

Oculis, hulceribus, &c.] De melle albo, quod e sincero thymo confectum non est, id Arist. scribit. *Dalec.*

In omni melle, &c.] Lege: *In omni melle quod per se fluxit ut mustum oleumque appellatur acetum. Maxime laudabile est æstivum omne rutilum, ut ulceribus aptissimum. In æstimatu est e thymo coloris aurei, saporis gratissimi.* Sic 'in nota vivunt,' qui in ignominia vitam agunt. Græci quoque dicunt ἐν ὀνείδει. Vide Salmas. p. 1008. Lege: *In omni melle quod per se fluxit, ut mustum oleumque appellatur acetum. Maxime laudabile est etiam omne rutilum.* Gronov. Observ. II. 16.

Acetum] Ex Græco ἀκητόν. Alii, sed meo judicio peperam, *Atticum.* 'Ακητὸν, id est, κράτιστον. 'Ακητὸν dicebant quod citra operam hominum fluxisset sponte, voce composita ex α particula privativa et κήδομαι. Quidam legunt ἄκοιτον, sic dici putantes, quod statim fluxisset, nec diu jacuisset in vinaceis, fracibus, favo. κοίτην enim in oleo amurcam, in vino sic *fæcem* dici volunt, quasi purioris succi lectum stratum, cubile: hinc

ἄκοιτον, *defecatum*, purum, excrementi ac sedimenti expers. Ego vero legendum puto vel *acedes*, *ἀκηδὲς* vel *acedeston*, *ἀκήδεστον*, *curioso studiosoque nullo labore confectum*. Sic et horti *acedaria* dicuntur XIII. 4. Pintianus quidem legit *acedon*. Dalec.

Aptissimum existimatur] Vide XXI. 10. *Idem*.

Quod fit palam doliolis] Nam ut mel *θυμῶδες* esse monstrarent, Thymi folia miscebant, quod etiam astu et fraude fieri solitum ab impostoribus Galenus meminit. *Idem*.

Marino e rore spissum] Vel ex Rosmarino herba, ex qua mel apes colligunt, ut e Thymo, vel afflatu et halitu maris. Quod enim fit in locis marinis, præstantius mel est. Alii legunt, et apposite, *matutino e rore*. Rosmarinum prope alvearia seri, Varro præcipit. *Idem*.

Decimam partem Thasio Dionysio apibus relinqui placet] Legendum, non *Thasio*, sed *Cassio*; tum ex vetere lectione, tum etiam ex M. Varrone in Præfatione librorum de Re Rustica: 'Hos nobilitatos Mago Carthaginiensis præteriit Pœnica lingua, quod res dispersas comprehendit libris duodetriginta, quos Cassius Dionysius Uticensis vertit libris viginti Græca lingua, quos Sextilio prætori misit.' Dionysium vero hunc eum esse qui Magonem transtulit, ex Indice etiam apparet. Meminit et Columella libro primo. *Pintian*.

CAP. XVI. *De tertio genere mellis, et quomodo apes probentur.*

Caprificiulem diem Vulcano sacrum] Nonas Julii, quas et Caprotinas et vulgi fugam vocabant, quibus Romulus e vita excessit. Primus is dies est ab exortu caniculæ. Vide Plutarch. Alex. ab Alex. c. 4. Lil. Gyraldum. *Dalec*.

Ob id harenoso] Harenoso simile est, quia humilis ericæ flos harena, quam imber cadens excitat, conspergitur. *Idem*.

Quoniam ad æquinoctium autumni ab eo supersunt dies XIIII.] Lego *dies XII.* non *XIIII.* Nam arcturus exoritur pridie Septembris, hoc est duodecimo Septembris die, ut hoc loco tradit Plinius, et repetit libro decimo octavo; æquinoctium vero autumnale, ut eodem libro prodit, fit octavo Calendas Octobris, id est, 24. die Septembris: a duodecimo igitur Septembris ad 24. ejusdem mensis dies intersunt duodecim. *Pintian*.

Tetralicem appellant] Alia est spinosa et aculeatis foliis pungens *tetralix* Theophrasto Hist. VI. 4. memorata ab auctore XXI. 16. *Dalec*.

Nimio fumo inficiuntur] *Σφόδρα πονοῦσι*, *vehementer offenduntur*. Arist. Hist. IX. 40. *Dalec*.

Ut fuci, sirenes, aut cephenes] Alii legunt, *ut sirenes fuci, quos cephenas vocant; ἀπὸ τοῦ σείρεσθαι*, quod intra membranam contracti et curvati jaceant. Nymphæ sunt apum, vesparum, crabronum, sirenes fucorum. *Id*.

Fit in favis quibusdam qui vocatur clerus, amaræ duritia ceræ, cum fœtum inde non eduxere morbo, aut ignavia, aut infœcunditate naturali. Hic est abortus apum] Lege *sclerus*, non *clerus*; sic enim Græci durum appellant, quam lectionem Plinius agnoscere videtur, subjungens, *amaræ duritia ceræ*. Item particula *Cum* per majorem literam scribenda est, ut sit initium alterius sensus; et quod consequitur pronomen *hic*, cum minore, et annectendum superioribus, ut intelligantur duo esse morbi *sclerus* et *abortus apum*, non unus tantum. Aristoteles IX. 40. 'Morbo examina valentiora potissimum infestantur, sclero; sic enim vocant vermiculos, qui in pavimento nascuntur, e quibus crescentibus velut aranea alveo toti obducitur, et favi carie pereunt.' De abortu ibidem: 'Incubant apes suis favis et concoquunt; quod nisi fecerint, vitiari ex aranea favos aiunt. Quod si de cætero se continere po-

tuerint, ut incubitu perseverent, partis quasi abortus fit; sin minus, toti pereunt favi.' Nec me fugit superiorem morbum *cleron* ab eodem Aristotele vocari VIII. 27. Plinius etiam infra duos facit morbos cap. 19. ' Sunt,' inquit, ' et operis morbi, cum favos non explent, cleron vocant; iidem blapsigoniam, si fœtum non peragunt.' Quod si admittimus, dicendum erit vocari utroque modo et *scleron* et *cleron*; ut σμικρὸς, μικρὸς, et pleraque alia Græce. *Pintian.*

CAP. XVII. *Quæ regiminis ratio.*

Rex nullumne solus habeat aculeum] Seneca de Clementia I. 19. ' Iracundissimæ ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, et aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est.' Basilius Homil. VII. ἔστι μὲν κέντρον τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' οὐ χρῆται τούτῳ πρὸς ἄμυναν. Brod. IV. 10. *Dalec.*

In officio conspici gaudet] Id est, quod ait Homerus, βοτρυδὸν πέτασθαι. Rhod. lib. XIII. cap. ult. *Idem.*

Aut forte aberravit] Si ab examine rex aberravit, vestigantes excurrunt, quoad odore invenerint. Arist. lib. IX. *Dalec.*

Domibus templisve] Secundo bello Punico Q. Fabio Max. quartum, M. Claudio Marcello tertium Coss. apum examen in foro visum. Livius lib. IV. Decad. III. *Idem.*

In ore infantis tum etiam Platonis] Valerius I. 6. Sic in ore Stesichori luscinia. Supra X. 29. Aluisse Pindarum apes domo patria ejectum, scribit Ælianus Hist. XII. 45. Dionysio vero portendisse regnum cap. 46 lib. ejusdem. *Idem.*

Sedere in castris Drusi Imperatoris] Dion lib. LIV. Drusum ait imprudentibus hostibus regionem peragrasse, Visurgim etiam transiturum, nisi alimentorum inopia, hiemis propinquitas, et visum in castris apum examen deterruisset. Idem scribit Julius Obsequens, qui et infeliciter pugnatum scribit. Tacitus lib. I. tradit, Germanicum ad Aras barbaras contra Germanos prospere dimicasse. Quamobrem quidam legunt: *in castris Germanici Imper. cum prosp. pugnatum apud Aras barbaras est, &c.* Quidam Arbalonem Salam Germaniæ fluvium esse putant, ad quem Drusus Augusti privignus insignem cladem accepit, auctore Munstero cap. de Westphalia lib. III. Quidam *Arfeld*, Westphaliæ oppidum, quod magis placet ob nominis vicinitatem, quidam *Arusperg*, urbem ejusdem provinciæ. *Idem.*

Tunc et fucos abigunt] Si mellis inopiam futuram præsciant, aut ad prolis incubatum eorum auxilio prospiciant non futurum opus. *Idem.*

Sicut furibus, &c.] Φῶρας Arist. vocat Hist. cap. 40. *Idem.*

Maxime rixa in convehendis floribus exorta et suos quibusque evocantibus. Quæ dimicatio injectu pulveris, &c.] Nunquam mihi hæc lectio satisfecit, neque visa est digna Pliniano lepore. aptior videtur: *Maxima rixa in convehendis floribus exhortantibus suos quibusque evocantibusque. Dimicatio injectu pulveris, &c.* Pintian.

Injectu pulveris, &c.] Virgil. ' Pulveris exigui jactu compressa quiescit.' *Dalec.*

CAP. XVIII. *De genere apum, et quæ inimica apibus.*

Horridæ aspectu] Δασύτεραι, *hirsutiores.* Arist. *Idem.*

Iracundiores] Χαλεπώτεραι, *infestiores. Idem.*

Pilosæ] Nihil Aristoteles. Aut fucos significat, aut fures. *Idem.*

Circa Thermodoontem] In Themiscyra. Arist. *Idem.*

Quidam eas statim emori putant] Seneca de Clement. I. 19. ' Utinam quidem eadem homini lex esset, quæ apibus, et ira cum telo frangeretur, nec sæpius liceret nocere quam semel; facile enim lassaretur furor, si per se sibi satisfaceret, et mortis periculo si vim suam effunderet.' *Dalec.*

Ut intestini quippiam sequatur] Aristoteli eæ proferre aculeum non possunt, quin simul intestinum elidatur. *Idem.*

Unguenta redolentes infestant] Aristotel. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Theophrast. de Caus. Plant. VI. 4. *Idem.*

Muliones] Ἐμπίδες Aristot. Hist. V. 19. qui onustos in via mulos æstatis tempore vexant. *Idem.*

Cap. XIX. *De morbis apum.*

Ut intexunt] Vel intra alveum, vel in ejus aditu. Novellas enim apes intercipiunt et occidunt. *Dalec.*

Papilio] Ὁ ἠπίαλος. Lanuginem quandam respiratu is gignit, nec ab apibus gignitur, fumoque tantum fugatur. Arist. *Idem.*

Alarum maxime lanugine oblexit] Quæ alæ veluti pulverulentæ sunt. *Idem.*

Alvo cita] Præsertim cum ulmi samera aut Tithymali flore vescuntur. Columel. *Idem.*

Illitaque ab adversa, &c.] Alis ut visco implicatis, et fistula, quæ oris loco est, obturata, ademptoque cibi ac spiritus usu, eo impedimento. *Idem.*

Cap. XX. *De continendis apibus, et quomodo reparentur.*

Sunt qui mortuas] Hyginus apud Columel. *Dalec.*

Juvencorum corpore exanimato] Inde βουγενεῖς apud Varron. Callimach. Ἄρμενα παρ' Δαναοῦ γῆς ἐπὶ βουγενέων. *Idem.*

Equorum vestas, &c.] Nicander in Theriacis: Ἵπποι δὴ σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν. Marc. Varr. de Re Rust. lib. III. versum eum tribuit Archelao. Lib. I. Epigrammatum ex Pallada citatur. Philo, in compositione Philonii versibus descripti, mel vocat νάματα θυγατέρων ταύρων, *liquorem filiarum taurorum*. Idem.

Cap. XXI. *De vespis et crabronibus.*

E luto nidos faciunt] In columnas, vel aliquid aliud quod foramen habeat, ibique pariunt. *Idem.*

Cætera autem e cortice et harena] Archetypum Toletanum, *Ceræ autem cortice araneose.* Scribo, *Cera autem cortice araneosisve.* Aristoteles V. 23. 'Cellis sexangulis favos extruunt omnes ut apes, sed ex materia corticea quadam et araneosa.' Et mox paulo: 'Verum non in omnibus cellis inest æquabilis fœtus; sed aliis tam grandiusculus, ut vel queat volare, aliis in nympha est, aliis in vermiculo.' Hæc Aristoteles: quæ omnia hoc modo legis apud Plinium fere ad literam, ut culpam effugere nequeant, qui pro *araneis harena* substituerunt. *Pintian.*

Sed vespæ muscas, &c.] De crabronibus id Arist. *Dalec.*

Crabronum silvestres] Crabrones terra egesta alveos construunt. Verum amisso duce, aut si forte ab alveo aberraverint, ad aliquam arborem se colligunt, et favos ibi construunt. Aristot. Hist. V. 23. IX. 42. *Idem.*

Vita bimatum non transit] De vespis matribus id Aristot. *Idem.*

Moriuntur hieme] Νεκύδαλον Gaza *invalidum* vertit. Ego vero *sepultum, et tanquam emortuum*: ὑποκοριστικῶς, οἷον νέκυν. *Idem.*

Nidos vere faciunt] *Favos et veluti vesparia*, κηρία καὶ οἷον σφηκῶνες. Arist. *Idem.*

Non egrediuntur] Videntur, ut apum reges, habere aculeos, sed nec exstringere, nec ferire. Arist. Ut hic *exeruntur*, quemadmodum monuimus, videatur legendum. *Dalec.*

Et his sui fuci] Vesparum quædam carent aculeo, et fuci. Arist. *Idem.*

Omnibus his ad hiemem, &c.] Plerisque ex iis quæ habent. Arist. *Id.*

Nec crabronum autem] Duces et reges tum vespis esse, tum crabronibus, Aristoteles plurimis locis apertissime scribit. *Idem.*

Sed subinde renovatur] Subnascentes semper novellæ illic manent. *Id.*

Cap. XXII. *De bombycibus, et bombylio, et necydalo, et quis primus bombycinam vestem invenerit.*

Genus est bombycum] Vesparum grandiorum, quas a bombyzatione, ut est apud Festum, sic vocarunt. Nec omnium tamen hic intelligit, sed quorundam tantum. Aristot. v. 24. *Idem.*

Et alia horum origo] Lege: *et alia horum origo: e grandiore vermiculo gemina sui generis protendente cornua urica fit, dein quod vocatur bombylis, ex ea necydalus.* 'Urica' ab urendo sic dicta. Bombyx igitur et bombylius tunc vocitatur, quum testa sua, sive sepulcro textili inclusa est, nec movens sese nec sonans, ita ut bombo vel sono dicta videri non queat, ut bombyx vespa: certe a figura sic appellata est. *Salmas.*

E grandiore vermiculo] Aristotel. Hist. v. 19. Ἐκ δέ τινος σκώληκος μεγάλου, ὃς ἔχει οἷον κέρατα, καὶ διαφέρει τῶν ἄλλων, γίνεται πρῶτον μὲν, μεταβαλόντος τοῦ σκώληκος, κάμπη, ἔπειτα βομβύλιος, ἐκ δὲ τούτου νεκύδαλος. Ἐν δ' ἓξ μησὶ μεταβάλλει ταύτας τὰς μορφὰς πάσας. Ἐκ δὲ τούτου τοῦ ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινὲς ἀναπηνιζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. Πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ Παμφίλη Λατῴου θυγάτηρ. *Ex quodam magno verme, qui cornua habet, et ab aliis differt, primum quidem, cum is mutatus est, nascitur eruca, deinde bombylius, atque ex illo necydalus. Sex porro mensibus in has omnes formas mutatur. Ex hoc animali bombycia mulieres quædam carminando resolvunt, ac texunt. In Co prima texuisse Pamphila dicitur, Latoi filia.* Lego κάμπη, ἔπειτα νεκύδαλος, ἐκ δὲ τούτου βομβύλιος, et prorsus ille ordo est. *Dalec.*

Bombylius] Theophr. Caus. I. 8. νεκύδαλον vocat χρυσαλλίδα, a colore tegminis et velleris, bombylium vero, sive bombycem, τὴν ψυχὴν, *papilionem.* Dalec.

Bombyx] Bombycas a Græcis σῆρας vocari tradit Pausan. in Eliac. sed eorum ortum ac naturam inscite narrat. *Idem.*

Araneorum] Aranearum. Araneæ retia sunt, quibus muscæ captantur, Aranei vero illorum textores. Cum araneis comparantur illæ telæ, raritate texturæ, et macularum pervia latitudine, nobis *crepe* et *crepiline.* Idem.

In Ceo] Ἐν Κῷ. Arist. Unde 'Coa vestis.' Tibullus: 'Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa Texerat.' Ovidius: 'Sive erit in Cois, Coa decere putat.' Erat autem pellucida, sub qua fere corpus transpareret. Tales Spartianis virginibus φαινομηρίδες, quas δωριάζουσαι induebant, dum saltarent et exercerentur. Vide σηρικὸν in Diction. Constant. et supra VI. 17. *Idem.*

Ut denudet fœminas vestis] Ac si dicat, nihil absurdius fieri posse, quam cum vestis, ad tegendum partes, quibus pudor debetur, inventa, eadem ad nudandum eas adhibeatur pellucida. *Gelen.*

CAP. XXIII. *De bombyce Coa.*

Bombycas et in Co insula, &c.] Bombycum naturam et lanificii solertiam strictim indicavit Alexand. ab Alex. IV. 9. *Dalec.*

Radentes foliorum, &c.] Lege: *foliorum lanuginem vellere, hanc ab his cogi, unguium carminatione mox trahi, inter ramos tenuari seu pectine, postea adprehensa involvi nido corpori volubili.* Vide Salmas. in Tert. Pall. p. 288.

Radentes foliorum lanuginem] Fallitur Plinius; lanuginem enim tenuem et subtilem, qua nidus obvolvitur, papilio non e foliis radit, quibus insidet, sed ex alvo sua promit. *Dalec.*

Volubili] Tereti, oblongo, ovato. *Dalec.*

Ad alia pensa dimitti] Ut eodem ordine vermiculos gignant, unde fiant erucæ, quæ neant alia vellera. *Idem.*

Quæ vero capta sint lanificia] Lege, *Quæ vero capta sit lanitia humore lentescere.* 'Lanitiam' dixit lanitium: lanitiam, quæ capta est, vocat lanuginem illam hirsutam et hispidam bombycis, quæ adhæret cortici bombycini

folliculi, quæque sic implexa et implicita est, ut evolvi expedirique nequeat, nisi prius humore lentescat. Vide Salmas. in Tertull. Pall.

Humore lentescere] Aquæ tepentis. *Dalec.*

Mox in fila tenuari junceo fuso] Lege, *Mox in fila tenuari juncto foco.* Inhærens igitur et implexa bombycis lanugo primum aqua adspergebatur, ut lentesceret, ut facilior lentiorque fieret ad evolvendum, deinde etiam adjuncto et adhibito foco tenuabatur in fila. Vid. Salmas. in Tertull. Pall. p. 138.

Nec puduit has vestes, &c.] Seneca Epist. 123. 'Nonne videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum fœminis vestem?' &c. Idem Epist. 115. vestem eam 'pellucentem' vocat. Plura de hac re Clemens Alexand. Pædag. III. 3. εἰς τοὺς καλλωπιζομένους. Apud Tacit. Annal. III. Tiberius accusat promiscuas virorum et fœminarum vestes. *Dalec.* *Nec puduit, &c. levitatem propter æstivam*] Primum fœminarum lascivia his usa est, quæ gauderent nuditatem suam per eas adspectari. Deinde viri quoque usurpare cœperunt, ob delicatam levitatem æstati convenientem. *Gelen.* *Nec puduit, &c.*] Lege: *Nec puduit has vestes usurpare etiam viros, levitate propterea æstiva. In tantumque a lorica, &c.*] De bombyce Coa ita scribit cap. 22. ejusdem libri: 'Telas araneorum modo texunt ad vestem luxumque fœminarum quæ bombycina appellatur: prima eas retorqueri rursusque texere invenit in Coo mulier Pamphile Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, ut denudet fœminas vestis.' Vide Salmas. in Tertull. Pall. p. 226. 227.

CAP. XXIV. *De araneis et generatione eorum.*

Araneorum his non absurde, &c.] Arist. Hist. IX. 39. *Dalec.*

Phalangia] Phalangiorum genera exactius distinguuntur XXIX. 4. *Idem.*

Noxii morsus] Δηκτικά. *Dalec.*

Assultim ingredientium] Πηδητικά. *Id.*

Altera eorum species] Phalangiorum alterum hoc genus est, morsu non infestum. Aristot. *Idem.*

Tertium eorundem genus erudita, &c.] Σοφώτατον Arist. vocat. Est et alterum Araneorum genus morsu non infestum. *Idem.*

Sive ita corrupta] Eam Democriti opinionem Aristoteles improbat, araneamque non ex interiore corpore reddi putat tanquam excrementum, sed exteriore velut corticem quendam, qui in filum tenuatus netur. *Idem.*

Circinato orbe, &c.] Circinatum vocat tam absolutum, ut circino ductus videri possit. *Gelen.*

Subtegmina annectens] Quæ stamina subtus tegunt, κρόκας, *tramam.* Aristot. *Idem.*

Scutulato] Vide quod annotatum est ad VIII. 48. *Dalec.*

Quam non ad hoc videtur pertinere] Lege, *Quam non ad hoc videtur pertinere crebratæ pexitas telæ, &c.* 'Crebrata' tela est dense texta, et multo subtemine farta, quæ res pexitatem floccorum facit. *Salmas.* 391. a.

Ipsa per se tenax ratio tramæ] Id est villosa et lanuginosa filorum natura: Turneb. densitas; panni enim cum pexi sunt tractis lanæ filis densiores fiunt ac tectiores. Ad araneas domesticos potius, quam phalangia, pertinet hæc orationis splendida expositio. *Dalec.*

Non ad respuenda] Hesiodus: Τῷ γάρ τοι νεῖ νήματ' ἀερσιπότητος ἀράχνης. *Hac enim net fila in aëre suspensus araneus.* Idem.

Derelicta lasso prætenti, &c.] Sensus erit, Prætentæ telæ summam partem imperfectam præ lassitudine ab araneo derelictam. *Gelen.*

Fœminam putant esse quæ texat] Aristoteli fœmina venatur et texit, mas capturæ particeps est. Aristot. *Dalec.*

Pariunt vermiculos ovis similes] Eos unguento Nardino dilutos ad dentium dolorem Archigenes valde probat lib. v. κατὰ τόπους. *Idem.*

Pariunt autem ova ea in telas] Alii subtili et brevi, alii crassiore, alii in rotundo telæ sinu. Ut quisque pullus exit protinus salit, et filum emittit. Aristot. Hæc Plinius pervertit. *Idem.*

CAP. XXV. *De scorpionibus.*

Semper cauda in ictu est] Lucilius apud Nonium in 'Tenta:' 'Muscipulæ ut tentæ, atque ut scorpius cauda sublata.' *Dalec.*

Et inflexo] Præsertim cum retrocedunt, ac, ut ait Plautus in Casina recessim: 'Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.' *Idem.*

In novem genera descriptis, per colores maxime supervacuos, quoniam non est scire, &c.] Legendum reor: *In novem genera descriptis per colores maxime. Supervacuo, quoniam non est scire, &c.* Describit etiam in novem genera Apollodorum, seu Apollodori sectatorem, secutus Avicennas, auctor quidem ut barbarus sane eximius, sed qui ab ipsis barbaris medicis, qui ex illo hauriunt, quique divinis tantum non honoribus colunt, minime percipiatur, culpa tum pessimi tralatoris, tum etiam scriptorum et impressorum ignorantia, innumeris scatens erroribus, qui a doctioribus medicis, Græce et Latine peritis, subinde deprehenduntur. Tradit id IV. 6. 5. Quod etiam fecisse videtur sequente documento, 'pennas inesse quibusdam.' *Pintian.*

Constat et septena, &c.] Dissentit a Plinio Avicennas allegato loco, quosdam tradens sex habere in cauda spondylos, et esse lethales, alios vero pauciores. Sed, ut puto, menda est in Avicenna, legendumque in eo *septem*, non *sex*. Confirmat hoc Ælianus Hist. Animal. lib. VIII. Nicandri quoque interpres in Theriacis ex Apollodori auctoritate *septem* quibusdam internodia esse scribit cum Plinio. *Pintian.*

Ut circa Pharum, &c.] Vide Arist. Hist. VIII. 29. *Dalec.*

In Scythia interimunt etiam sues] Scorpionem gigni in Scythia frigidissima regione, haud simile vero est, cum etiam in Italia, tanto minus aëris inclementiæ obnoxia, raro, Plinio teste, visantur. Legendum igitur, *In Caria interimunt etiam sues.* Aristot. VIII. 28. 'Morsus beluarum ex locorum diversitate plurimum differunt, ut in Pharo locisque aliis scorpiones non lædunt. At in aliis, et præcipue in Caria, multi et magni et nocui sunt, et si vel hominem, vel quamvis bestiam percusserint, interimunt. Nec sues evadere possunt, quanquam cæteros violentos ictus minime sentiunt. Et nigri eorum potissimum interimuntur: quisque tamen celerrime interit, si ictus adierit aquam.' Hæc Aristoteles, in cujus Latina tralatione non *Caria*, sed *Scythia*, ut in Plinio, legas. Ita puto de industria faciente Theodoro, quod auctoritatem Plinianorum exemplarium sequi, quam Græcorum maluerit. Sed rem non recte perspexit; nam Græcam lectionem veram esse, Latinam vero falsam, et a veritate dissidentem, et ratio et natura ipsa clamitat. *Pintian.*

Ipsorum cinis potus in vino] Constat quotidianis experimentis, scorpium in oleo demersum, ac suffocatum, si teratur et vulneri a scorpione illato imponatur, remedium esse præsentissimum. *Dalec.*

Stellionibus] Τοῖς ἀσκαλαβώταις. Vide XXIX. 4. *Idem.*

Ab ipsis fœtum, &c.] Pelli interficique a prole tradit Aristot. *Dalec.*

CAP. XXVI. *De stellionibus et cicadis.*

Stelliones] Stelliones dictos quidam volunt, quod eorum tergus velut stellis notatum sit. At Verrius apud Festum, quod cibo virus stillet. Ter-

tullianus de cibis Judæorum: 'Quis stellionem? (repete comedit) sed maculas execratur, prædam de aliena morte quærentes?' *Idem.*

Naturam habent] Aristot. Hist. v. 30. *Idem.*

Araneis] Inter stellionem et araneum bellum esse scribit Aristot. Hist. IX. 1. *Idem.*

Sunt autem mutæ] Sunt autem magis mutæ, et volatu raræ: sequuntur majores quæ novissimæ. Prodeunt et primæ pereunt, ac cum canunt vocantur Echetæ, ut quæ minores. Ex Aristot. Hist. v. 30. *Idem.*

Echetæ] Ἠχῆται. Pausaniæ echetæ sunt maximæ cicadæ: minima vero κερκώπη, et καλαμαία. Grammatici quidam 'echetas' mares esse volunt, 'tettigonias' vero, vel, ut aliqui scribunt, 'titigonias,' ἀπὸ τοῦ τιτίζειν, fœminas mutas. Sunt et Suidæ τέττιγες ἀκανθίαι, sic dictæ quod in spinis vivant. Vide Rhod. XVII. 6. *Idem.*

Mares præferunt] In cibo suaviores sunt. Aristot. *Idem.*

Pro eo quiddam, &c.] Quiddam longum, adnexum, eorum linguæ simile, quæ aculeum in ore habent. Arist. Hist. IV. 7. *Dalec.*

Hoc in pectore] Nihil Aristoteles. *Idem.*

Pectus ipsum fistulosum] Distinguuntur, quod echetæ infra succinctum divisi sunt, et conspicuam membranam ostendunt, non item tettigoniæ. Aristot. *Idem.*

CAP. XXVII. *Cicadæ ubi non sint, et ubi mutæ.*

Circa oppidum] Circa oppidum, sed nullæ in campis. Arist. *Idem.*

At in Rhegino, &c.] Idem et Pausanias in Eliacis. *Idem.*

Ultra flumen] Cæcinum, quod Rheginum agrum dividit a Locrensi. *Id.*

CAP. XXVIII. *De pennis insectorum, et scarabæorum generibus.*

Scarabæorum generibus] Scarabæorum genera sunt, lucani, *stercorarii*, κοπριῶντες, fullones. XXX. 11. virides lib. XXIX. cap. ult. mylagrides, sive mylabrides, grylli, blattæ pistrinariæ, mololonthæ, χρυσίζουσαι, rutuli prægrandes, longipedes, tauri. Tauros eosdem cum lucanis quidam esse putant, a cornibus dictos. Hist. v. 19. *Idem.*

Quæ aculeis in alvo armantur] Ut apes, vespæ, fuci, crabrones. *Idem.*

Quibusdam] Τοῖς κολεοπτέροις. *Idem.*

Sed in quodam, &c.] Tauris: hi procreantur ex verme in arido ligno nascente, et πρασοκουρίδας gignunt. Aristot. Hist. v. 19. *Idem.*

Infantium etiam remediis ex cervice suspenduntur] Heic *remedia* sunt amuleta, φυλακτήρια. *Salmas.* 439. a.

Lucanos vocat hos Nigidius] Scaliger Comment. in Varr. legi posse credit, *Lucas vocat hos Nigidius, &c.* qua forma elephantos appellarunt lucas boves, eadem ut lucas scarabæos nominent. *Dalec.*

Nidulantur] Velut in nido reponunt et recondunt. *Idem.*

Volitant alii magno, &c.] Vide dictionem κάρβος in Dict. Constant. *Id.*

Alii] Grylli. *Idem.*

In Thracia juxta, &c.] Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. *Dalec.*

Insectorum pedes, &c.] Vide XI. 4. Vide in Dict. Constant. in voce σκολοπένδρα. *Idem.*

CAP. XXIX. *De locustis.*

Vergiliarum exortu parere, &c.] Vergiliæ exoriuntur Plinio lib. XVIII. sexto Idus Maii, Columellæ Nonas Maii. Canis ortus est septimo Kal. Augusti fere. Fieri igitur nequit, ut locustæ, quæ Vergiliarum exortu peperere, obeant ad canis ortum, cum Aristotele auctore v. 28. et Plinio paulo post, matres, postquam fœtificavere, e vestigio extinguantur, et mares itidem eodem tempore; itaque puto ordine converso sic legi debere: *Vergiliarum exortu parere, deinde obire, et ad canis ortum renasci.* Pintian.

legitur ἵππιν) et ardeam mutuis se odiis prosequi. *Dalec.*

Æsalon vocatur parva avis] Falsum hoc; æsalon enim, vel Suida et Gesnero testibus, accipitris genus, quod nos vocamus *emerillon*, ideoque parvam avem a Plinio dictam putat Gesnerus. *Idem.*

Ægithum vero anthus, &c.] Plutarchus, περὶ Φθόνου· πολεμοῦσι δ' ἀετοὶ καὶ δράκοντες, κορῶναι καὶ γλαῦκες, αἰγιθαλλοὶ καὶ ἀκανθυλλίδες· ὥστε τούτων γέ φασι μηδὲ τὸ αἷμα κίρνασθαι σφαττομένων, ἀλλὰ κἂν μίξῃς, ἰδίᾳ πάλιν ἀποῤῥεῖ διακρινόμενον. *Idem.*

Merulæ et turdi] Aristot. Hist. Animal. IX. 1. sic habet: φίλοι κόττυφος καὶ τρυγών. Unde et hic legendum videtur, *merulæ et turtures.* Adde ex Oppiano in Halieuticis non solum merulas et turtures aves mutuo se amare, sed etiam pisces iisdem nominibus. *Dalec.*

Dicta sunt] Lib. VIII. cap. 17. *Idem.*

De aspide miraculum Philarcho] Vult Plinius fidem rei quam narrat penes auctorem Phylarchum esse. *Gelen.*

CAP. LXXV. *De somno animalium.*

Somniat statim infans] Infantes non statim somniare, auctor est Aristoteles de Insomniis cap. 3. et de Animal. Hist. IV. 10. Idem tamen lib. VII. somniare asserit. At rursus negat libro de Divinatione per insomnium. Familiare hoc Aristoteli, ut sæpenumero repugnantia sibi loquatur. Quod qui ignorat, parum se in ejus lectione versatum ostendit. Non quod sua ipsius placita Aristoteles refellat, rescindatve, sed quod varia et interdum dissidentia diversorum auctorum dogmata literis mandare, utile et e republica literaria esse duxerit. *Pintian.* *Somniat statim infans*] Negat hoc Aristoteles Hist. Anim. lib. IV. 'Nuper,' inquit, 'in lucem editi, et infantes ante quartum aut quintum ætatis annum fere non somniant.' Sed cur pavore expergiscuntur et suctum imitantur? Respondet de Animal. Gen. lib. V. 'Infantes,' inquit, 'dum vigilant non rident; cum dormiunt, et rident et flent quandoque.' Numquid ergo somniare dici possunt, qui ea dormientes faciunt, quæ nunquam fecere vigilantes? Igitur somnia, inquit, non sunt quæcunque dormiendo aguntur, sed præter somnia; ut iis, qui dormientes resurgunt, ambulant et loquuntur ridentque, inquit, eodem modo, quo qui vigilant, accidunt hæc, et observantur quidem penitus, sed non ut somnia. Idem tamen auctor lib. VII. 'Infantes,' inquit, 'somniant, sed sero meminisse possunt imaginum.' Quid igitur; contradicit ipse sibi Aristoteles? minime; sed hoc sentit, quod infantes, si minus proprie loquendum sit, somniant; si proprie, non somniant. Sed hæc alibi fusius edisserenda sunt. *Herm. Barb.*

Quibus mortiferum fuisse signum contra consuetudinem somnium, &c.] Exemplar Salmanticense, *contra consuetudinem somniorum.* Lego, *contra consuetudinem somniare.* Potest tamen legi *somnium*, idemque est sensus; nec aliter apographum Toletanum legit, sed nescio qua ratione implet magis animum *somniare.* Pintian. *Quibus mortiferum, &c.*] Ut Cleon ex Daulia, et Thrasymedes. Plutarch. de Oraculis. Rhodig. XXVII. 16. Tertullianus de Anima. Leopardus VIII. 2. *Dalec.*

Contra consuetudinem] Neronem nunquam somniare solitum, tradit Suetonius, sub extremum vitæ tempus evidentibus portentis somniorum territum fuisse. *Idem.*

In redormitatione vana esse visa] Horat. 'Atque ego cum Græcos facerem, natus mare citra, Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus, Post mediam noctem visus, cum somnia vera.' *Idem.*

Equos, canes, boves] Stantes; unde festive Plautus in Menæch. 'Certe hæc mulier cantherino ritu adstans somniat.' *Dalec.*

reperiantur rutili, nam et ipsa nix vetustate rubescit, et hirti pilis. In media quidem candidi et grandiores, torpentesque. Aristot. Hist. An. v. 19. 'Quin etiam in his quæ putredinem nullam posse recipere existimantur, nasci animalia novimus, ut vermes in nive vetustiore, qui hirti sunt pilis et rubidi, quoniam et ipsa nix vetustate rubescit. Sed in nive mediæ terræ candidi et grandiores inveniuntur. Torpent omnes ac difficulter moventur.' *Pintian.* Leg. *Quippe cum et in media nive candidi inveniantur vermiculi, et vetustiore quidem rutili; nam et ipsa nix vetustate rubescit, hirti pilis grandiores torpentesque.* Vide Arist. Hist. Animal. v. 19. *Salmas.* pag. 177. b.

CAP. XXXVI. *De pyrali, sive pyrausta.*

In Cypri ærariis, &c.] Lege, *In Cypri ærarii fornacibus et medio ignium majoris musca magnitudinis, &c.* Salmas. 177.

Hemerobion vocatur] Vide in Diction. Const. vocem ἐφήμερος. Tali tempore id culicum genus in Arari nascitur, eodemque die mortuum aquis innatat, piscibus avidissime connectantibus. Lugdunenses piscatores vocant *de la manne.* Dalec.

Et vermiculo ter septeni] Et plurimis vermium speciem habentibus τοῖς σκωληκοειδέσι Aristot. *Idem.*

Tabani quidem etiam cæcitate] Oculis aqua tumentibus, et inflatis: Aristot. ὀμμάτων ἐξυδρωπιόντων. *Dalec.*

CAP. XXXVII. *Historia naturæ animalium per singula membra.*

Phœnici plumarum serie e medio eo exeunte alio] Lege *alia.* Dicit in capite paucis avium, et diversi quidem generis apices esse; phœnici esse plumarum serie alia exeunte e medio eo, id est, e medio capite; caput ergo pluma coopertum phœnici, ut ceteris avibus; e medio eo alia plumarum series exit quæ apicem facit. Et legend. sequentia: *stymphalidi, cirro: phasianæ, corniculis: præterea parvæ avi quæ ab illo galerita appellata quondam, &c.* dicit cornicula apicem phasianæ facere, et præterea parvæ volucri, quæ ab illo apice corniculato galerita quondam appellata, postea dicta alauda Gallico vocabulo, etiam legioni nomen dederit. Phasianæ Colchicæ 'geminas ex pluma aures submittunt surriguntque;' ut idem ait x. 48. has plumeas aures, sive apices, heic vocat *cornicula;* ita et galeritæ avis λόφον sive *apicem,* quod instar sit corniculi, atque inde dicta *galerita,* ἡ κορυδαλὶς, a corniculis scilicet galeæ. *Salmas.* pag. 547. b.

Stymphalides cirro] Stymphalides Arabiæ peculiares, ibi similes, gruum magnitudine, rostro validiore, sed non adunco, venatores invadunt, et plerumque interimunt, perforatis etiamnum ferreis æneisque loricis. Remedium, corticeum thoracem objicere, in quo defixum rostrum hæreat. Eas Herculem sagittis quidem impetivisse, Pisander Camireus tradit, sed non occidisse. Plura de his Rhodig. XVI. 11. Stymphalidem esse putant nonnulli visam plurimis annis avem in aula Maximiliani Imperatoris, Philippi generi, et Caroli nepotis, quem Germani vocaverunt, *Vogel Hain.* Dalec.

Galerita] Κορυδαλλὶς Græcis. Theocritus Idyll. VII. Οὐδ' ἐπιτυμβίδιοι κορυδαλλίδες ἠλαίνοντι. Causam ejus nominis reddit in Avibus Aristophanes. Meminit et Galenus Simplicium lib. II. *Idem.*

Diximus et cui plicatilem] Numidicam gallinam intelligit, descriptam XX. 29. aut potius upupam. *Idem.*

Et Cippum] De Genutio Cippo vide Valerium v. 6. Cornu in fronte nobilis fœminæ natum, quam *de fortiuc* Mompessulani vocant, digiti longitudine, filo paulatim adstricto præcisum, vidi anno 1542. *Dalec.*

Sparsit hæc in ramos ut cervorum: aliis simplicia tribuit, ut in eodem ge-

nere subulonibus ex argumento dictis] Subulones sunt οἱ σπαθῖναι, vel πασσαλίαι. vulgo dicimus *brocards;* nam *brocæ* Gallis sunt verua. Et caprearum quoque cornua, cum recta et simplicia sint, *brocas* vocant nostri venatores, ut in cervis *daguas.* Latini *subulas* et *ferulas;* Græci σπάθας et πασσάλους. *Salmas.* p. 222.

Platycerotas vocant] Εὐρυκέρωτας vocat Oppianus in Cyneget. Animal est cervo minus, cauda proportione corporis longiore, pilo magis albicante, arunco carens, cornibus maxime patulis. Nullum ei cum cervo amicitiæ vinculum, raroque ob id simul degunt: Gallis, *un Dain.* Brod. vi. 21. *Dalec.*

Dedit ramosa capreis, sed parva, nec fecit decidua] Falsum est; nam capreis cornua decidunt, ut cervis. *Salmas.* pag. 224. b.

Lyras] Sulcos. *Dalec.*

Phrygiæ armentis] Bobus. *Idem.*

Medio capite] Orygi. *Dalec.*

Naribus] Rhinoceroti. *Idem.*

Et singula] Cerastis. *Idem.*

Urorum cornibus, &c.] Leg. *Urorum cornibus barbari Septentrionales potant, urnisque bina capitis unius cornua implent.* Salmas. *Urorum cornibus, &c.*] Uri hodie Moscovitis, *Thur.* Dalec.

Potant] Traditum ab antiquis, priusquam pocula reperta fuissent, cornibus homines bibisse, indeque fictum verbum ἐγκεράσαι, id est, οἶνον ἐπιχέειν, *vinum affundere.* Rhodig. xxx. 1. Athenæus lib. xi. p. 234. et 235. *Idem.*

Alii præfixa hastilia cuspidant] Lege, *alii præfixa his pila cuspidant.* Et paulo post legas: *multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc sublita, nunc quæ cestrota picturæ genere dicuntur:* κεστρωτὰ genus encaustices fuit, qua cestro, id est, vericulo pingebatur in ebore et cornu, quod genus κεστρωτὸν vocabant, et ἐγκαυτόν. *Salmas.*

Cerostrata] Cerostrata fiebant tessellis cornuum vario colore pictis, et ligno insertis, vulgo *marqueterie.* Dalec.

Capita piscibus, &c.] Quidnam in capite et singulis hominum partibus religiosum, venerabile, et ingenii morumque sit indicium et argumentum, vide apud Alex. ab Alexand. ii. 19. *Dalec.*

Ostrearum generi nulla] Ob id Turpilius vocat 'inoras ostreas,' ἀστόμους· 'In acta cooperta alga inoras ostreas.' Vide Festum. *Idem.*

Myconii carentes, &c.] Hinc Myconios proverbiali loco 'calvos' appellant. Vide Erasmum in Chiliadibus, *Idem.*

Præterquam innatum]. Ut Phalacrocoraci. *Idem.*

Et equis] Vide xiii. 27. apud Rhodig. *Idem.*

Vertices bini homini tantum] Δικορύφους Histor. i. 7. intelligit, τῇ τῶν τριχῶν λυσάσει, *capillorum discrimine ac distinctione,* non gemino verticis fastigio. *Idem.*

Corporea cicatrice] Τοῦ πόρου. *Dalec.*

Cerebrum] Ἔγκαρ Lycophron vocavit, indeque, ut scribit Plutarch. in Sympos. apud Homerum Iliad. I. τίω δέ μιν ἔγκαρος αἴσῃ. Sophocles in Trachin. λευκὸν μυελὸν vocat. Rhod. iii. 23. *Idem.*

Hominibus hoc sine sanguine, sine venis, et reliquis sine pingui] Ex his verbis, sensus hic elicitur: Homines cerebrum habere carens venis et sanguine; reliquorum autem animalium cerebrum carere pingui, quasi innuat, humanum non carere; nam si et hominum et reliquorum animalium cerebrum pingui carere intellexisset Plinius, aliter locutus esset. At cerebrum humanum pingue habere, falsum est, si Aristotelem audimus i. 16. ita scribentem: 'Cerebrum omnibus privatum sanguine est, nec venam intra se ullam continet, ad tactum frigidum per naturam est.' Nul-

la hic mentio pinguis in cerebro humano est. Idem de Partibus An. II. 7. 'Sed enim medullam calidam esse pluribus sane rationibus constat. Cerebri autem frigiditas et tactu percipi potest, et ratione intelligitur, quod omnium maxime humorum corporis sanguine caret, quippe quod nihil sanguinis habeat, squalloreque obsitum sit atque horridum.' Item quod pingue est, non facile exsiccatur, de Generat. v. 3. At cerebrum congelatur et durescit, de Part. Animal. lib. II. et Plinio paulo post, 'Ergo,' &c. Quam ob rem legendum hic, non *sine pingui*, sed *sui pingue*. Verum locus est mutilus et defraudatus aliquot verbis, si recte conjicio. Aristot. III. 7. 'Cerebrum,' inquit, 'ut adipe pinguescentium, pinguiusculum est veluti suis, sic sebo obesorum squallidiusculum sentitur, ut ovis.' *Pintian.*

Cervis in capite inesse vermiculi] Contra Aristot. II. 15. Hist. *Dalec.*

Aures homini tantum immobiles] Quibusdam mobiles visæ sunt; mihi etiam adolescens visus, qui et aures et capitis cutem prompte moveret. *Idem.*

Ab iis Flaccorum cognomina] A pendulis et flaccidis auriculis. *Idem.*

In Oriente quidem et viris, &c.] Juvenalis Sat. I. 'Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestræ Arguerint.' *Idem.*

Frons et aliis, &c] 'Nubem frontis' inde Latini Græcique vocant severum, tristem, et cogitatione majore vel ægritudine perturbatum vultum. Horat. 'Deme supercilio nubem.' Eurip. in Hyppolyto: Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὐξάνεται. Victorius XVI. 14. *Dalec.*

Severitatis index] Addo his, et pudoris; unde frontem vel os perfricuisse dicuntur, τὸ μέτωπον τρίψαι, qui verecundiam abjecerunt, et impudenter in aliquo negotio se gerunt. Vide Victorium VIII. 6. *Idem.*

In ascensu] Veluti, τὰ γεῖσσα, seu γεισσώματα, id est, suggrundia quædam: vide Rhod. III. 27. *Idem.*

Supercilia homini] Supercilia salire et palpitare veteres bonum omen crediderunt, quod et polliceretur ex animi sententia successura quæ optamus. Plautus in Pseudolo: 'Atque id futurum unde, unde dicam nescio, Nisi quia futurum est, ita supercilium salit.' Suidæ ex Posidonio id παλμικὸν οἰώνισμα est: παλμοσκόποι, ii qui tali vaticinatione utuntur. Apud Theocritum quidam oculum dextrum sibi salire ait. *Idem.*

Hæc maxime indicant fastum] Inde supercilium attollere dicuntur arrogantes, fastuosi, severi, tristes, duri, et asperi homines, Græcis τὰς ὀφρῦς αἴρειν. Diphilus: Ὦ πᾶσι τοῖς φρονοῦσι προσφιλέστατε Διόνυσε, καὶ σοφώτατε, ὡς ἡδύς τις εἶ, Ὅταν ταπεινὸν μέγα φρονεῖν ποιῇς μόνος, Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπεῖθῃς γελᾶν, Τὸν δ' ἀσθενῆ τολμᾷν τι, τὸν δειλὸν θρασύν. Victorius VIII. 1. *Id.*

Pars corporis pretiosissima] Hinc veteres quod clarissimum est *oculeum* dixerunt. Plautus in Curcul. 'Huic proximum illud ostium oculissimum. Salve: valuistin', ostium oculissimum?' Idem in Asinaria: 'Da, meus ocellus.' *Idem.*

Talpis visus non est] Et musculis, quos Curtos rustici vocant, in terra semper defossis. *Idem.*

Alii nisi prope admota] Ἀμβλυώπες. *Dalec.*

Die non cernentium] Νυκταλώπων. *Idem.*

Ferunt Tibero Cæsari, &c.] In scriptis veterum mentio fit hujus oculorum vitii. Dio in Tiberio ἀμβλυωπίαν nominat, medicorum nonnulli νυκταλωπίαν, cujus proprium esse scribunt, ἡμέρας μὲν μὴ ὁρᾷν, νυκτὸς δὲ βλέπειν verum νυκταλωπίαν alii aliter interpretantur. Galen. lib. VII. De Hippocratis et Platonis scitis: Καὶ οἶδα γέ τινα τῶν οὕτω παθόντων, διηγούμενον ἡμῖν, ὡς πρὶν παθεῖν ἀνοιχθέντων τῶν

βλεφάρων ἑώρα φῶς πολὺ πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν· ὅπερ ἀμέλει κἀμοὶ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὑπάρχει. Vides rem pro vulgari, et quæ plerisque accidat, haberi: quare etiam Alexander Aphrodiseus ejus rei, ceu translatitiæ, causam quærit, explicatque, Problematum II. 69. Equidem vix putem reperiri aliquem posse, naturæ præsertim calidioris atque igneæ, cui non aliquando in adolescentia id evenerit: mihi certe et cum junior eram persæpe, et nunc quoque aliquando id ipsum solet accidere. Verum ut diutius aliquis luce illa fruatur, et in tenebris videat, legat, taliaque præstet, id vero non jam translatitium, sed plane miraculosum est. Atque hujuscemodi oculos Tiberius dicitur habuisse. Fortasse et Asclepiodorus Philosophus, cui præceptor Proclus: hic enim in densis tenebris et adstantes dignoscebat, et literas legebat, ut in Bibliotheca narrat Photius. *Casaubon.* Fuit et pater meus oculis cœruleis dilutioribus, quibus interdum noctu videbat, ut in crepusculo solemus, quod et mihi contigit, a pueritia ad vicesimum tertium annum: nam postea hoc in me, ut alia multa, mutavit. *Jos. Scaliger.*

D. Augusto] Augustus existimari volebat divinum oculis suis vigorem inesse, ac ideo qui eum contuerentur vultum summittere solites, quasi ad splendidum solis fulgorem. Suetonius.

Caio principio rigentes] Albicantes et magni. Idem Suetonius in Caio. *Dalec.*

Animo autem videmus] Rhodig. II. 30. hunc locum diligenter exposuit. *Idem.*

Quin et patentibus, &c.] Leg. *Quin et patentibus dormiunt lepores, multique hominum, quos κορυβαντιᾷν Græci dicunt.* Κορυβαντιᾷν Græci dicebant eos qui patentibus oculis dormiebant, etiamsi furore aliquo ab illis dæmonibus immisso id eis minime contingeret, sed natura. *Salmas.* 1086. a.

Lepores] Apud Suidam ideo ἀγρυπνεῖς vocantur, ὅτι εὐνάζοντες, id est, *κοιμώμενοι δέρκουσι, quod dormientes vident*, id est, tanquam videant oculos aperiunt. *Dalec.*

Quod corybantiam Græci dicunt] Turneb. Advers. XIII. 24. legit *quos Corybantia*, nimirum Corybantum sacra, *regrediunt;* id est, sanitati restituunt. Qui sic dormiunt sani esse non putantur. Malesanos autem curabant Corybantum sacris, quibus ægros tum animo, tum corpore initiabant. Ego vero, cum sciam *κορυβαντιᾷν* esse furere ac insanire, et qui furore divino percelluntur, oculos distorqueant, ex dimidioque apertos, ex dimidio clausos ostendant, ut inter dormiendum lagophthalmi, et lepores, nihil mutandum esse puto. Scaliger in Catal. legit, *quos Corybantiare credunt.* Imaginosum eum morbum vocant, ut et phrenitis, quo qui laborant, aures putant sibi perpetuis imaginibus, id est, musicis carminibus, personari, et vigiliis ac insomnia vexantur, oculisque patentibus dormiunt. Varro in Prometheo: 'Levisomna mens sonorinas imagines Adfatur: non umbrantur somno pupulæ.' Eum morbum superstitiosa vetustas credidit Corybantibus immitti, non ab iis sanari. Hæc Scaliger. *Dalec.*

Tunicis] Κερατοειδῆ significat. *Id.*

Media eorum cornea, &c.] In rhagoeide tunica, non cornea, aperta ea fenestra est. *Idem.*

Sed homo solus, &c.] In suffusionis morbo. Humor in eo morbo non educitur, sed aut transponitur, ne pupillam occupet. *Dalec.*

Ego ad stomachum, &c.] Falsum id est, anatomicæque historiæ repugnans. *Idem.*

Morientibus illos operire] Apud Virg. Æneid. Mercurius ψυχοπομπὸς, 'Lumina morte resignat,' nempe a cognatis clausos, in pyra et rogo aperit. Servius illic inepte exponit, 'clau-

dit et perturbat.' Turneb. XXVI. 5. Varro apud Nonium in Sigillo: 'Contra lex Mævia est in pietate, ne filii patribus luci clara sigillent oculos,' id est, occludant. *Idem.*

Ab iisdem qui altero lum. orbi, &c.] Ut hoc intersit inter luscinum et coclitem; quod hic sit unoculus natus; ille per vim eluscatus. Porro coclitem eo modo opici ex Cyclope detorserunt, quo ex Ganymede catamitum. Fuerunt autem 'Coclites' Horatiorum gentis. *Gelen.*

Coclites vocabantur] Varroni de Ling. Lat. lib. VI. 'cocles,' quasi 'ocles,' qui unum haberet oculum. Plautus in Curcul. 'De coclitum prosapia te esse arbitror: Nam hi sunt unoculi.' *Dalec.*

Luscini injuriæ cognomen habuere] Festo *Lucini* sine *s*, quibus oculi sunt hebetiores: inde 'oblucinare' et 'allucinare.' *Idem.*

Mulieribus vero etiam infectæ, &c.] Quotidianam infectionem recte Plinius vocat eum ornatum. Nam quibus mulieribus illita fuco semel est facies, id nisi quotidie fiat, turpissimis rugis et lurido colore statim illa fœdatur. *Dalec.*

Ut tinguntur oculi quoque] Juven. 'Illa supercilium madida fuligine tinctum Obliqua producit acu.' Divus Hieronymus 'orbes' vocat 'stibio fuliginatos.' Vide Rhodig. III. 28. *Idem.*

Unde et supercilia] Inde et Varro dictos oculos, quasi 'ocilios,' id est, ciliis occultos, ut ait Lactantius. Vid. Rhodig. III. 27.

Non coalescit] Hippocrates Aphoris. VI. 19. *Dalec.*

Radi a fœminis eas vetantes] Unguibus lacerari, cruentari, proscindi, Festo fidicines, rasores veteribus dicti, quod fides radant et obterant. Ne vel illæ igitur in se raderent, quod decoris affectatione fieri solet a quibusdam, vel, ne in viris raderent. Tonsores enim ante annum ab urbe condita 454. in Italia non fuisse, auctor scribit VIII. 59. Lex ea fuit Decemviralis: 'Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento:' Rævard. cap. 15. in leg. Duodecim Tabul. Solon, quod in ejus Vita Plutarchus scripsit, ἀμυχὰς κοπτομένων ἀφεῖλεν, *Plangentium lacerationes sustulit.* Idem.

Pudoris hæc sedes] Apud Athenæum pag. 279. linea 37. Aristoteles τὴν αἰδῶ ἐν ὀφθαλμοῖς κατοικεῖν scribit. *Id.*

Irrisioni dicavere] Horatius: 'Naso suspendit adunco.' Martialis: 'Nasutus sis usque licet, sis denique nasus.' Μυκτὴρ ὕβριν πνέων Gregorio: εἰρώνεια μυκτήρ: inde μυκτηρίζειν, μυκτηρισμὸς, μυκτηριστὴς, et alia id genus. μυκτηρίζει, qui, quod ait Plaut. frigidam subdole suffundit, deridet, clanculum mordet, maledictisque ac probris incessit. Brod. IV. 32. *Idem.*

Silonum] Silones prominentibus superciliis Nonio, quod Silenus prominentibus superciliis fingeretur: hic vero, nasus sursum versus repandus est; quos etiam 'Silos,' ut ex Festo discimus, appellabant, unde galeæ quoque, inquit idem, a similitudine Silæ dicebantur. Alii *Cilonum.* Cilones in Glossis προκέφαλοι, *angusto capite*, quibus a partu contigit. Caper Grammaticus. Chilones vero, Labeones. Cujacius Observat. X. 26. Arnob. lib. III. Ergo esse dicendum est quosdam capitones, cilunculos, frontones, labeones: atque in his alios mentones, nævimos, ac nasicas, &c. Vide locum. *Idem.*

Brocci] Brochi, sive Bronchi, quibus os prominet, et exorti dentes sunt. Nonius. *Dalec.*

Os probum duriusve] Ut in equo frenum admittente, vel recusante. Aliud est *os probum* hominis, nempe cum quadam majestatis specie morum integritatem et probitatem indicans, quale in Pompeio supra cæteros mortales insigne fuisse dixit VII. 12. *Idem.*

Qui digerunt] Dividunt, *οἱ τομεῖς.*

Capræ superiores non sunt, præter primores geminos] Verum hoc non esse, supra Plinius monstravit, nullum scribens cornua habere, cui superne primores essent dentes, sumpsitque id ex Aristotele II. 1. *Pintian.*

Apri percutiunt] Exertis dentibus. *Dalec.*

Sed duo in supera parte] Viperæ mari quatuor, fœminæ duo. *Dalec.*

Terrestrium minutis quadrupedibus] Cuniculis, sciuris, soricibus, canibus, &c. *Idem.*

Mutantur homini] Anno vero septimo fere primum decidunt. Plautus in Menæch. 'Quot eras annos natus, cum te pater a patria avehit? M. Septennis; nam tum dentes mihi cadebant primulum.' Idem in Mercatore, 'puer est ille quidem, stulta; Nam illi quidem haud sane diu est cum dentes exciderunt.' *Dalec.*

Maxillares, &c.] Hoc falsum esse, vide apud Vesalium I. 11. *Idem.*

Cætero maribus plures] Falsum hoc ex Aristotelis fide Plinius tradit. *Id.*

Timarchus Nicoclis filius Paphii] Scribendum reor: *Timarchus Nicoclis illius pater duos, &c.* Pollux lib. II. cap. de Dentibus: 'Nicoclis autem Cyprii pater, ad quem Atheniensis sophista moralia scripsit præcepta, Timarchus nomine, duplicem ordinem dentium habuit.' Pronomen *illius* adjecit Plinius, quasi clari principis et celebrati monumentis tanti Oratoris. *Pintian.*

Duos ordines habuit, &c.] De Mithridatis filia id quoque Valerius scribit lib. I. de Miraculis. *Dalec.*

Cæteris senecta rubescunt: equo tantum, &c.] Scribendum existimo *livescunt*, non *rubescunt*; ut illud Ovidianum de Invidia: 'livent rubigine dentes.' Aristoteles II. 3. 'Agitur certe in equis contra atque in cæteris animalibus; cum enim cæteris in senectute dentes nigrescant, equo candidiores redduntur.' *Pintian.*

Erumpentibus morbi corpora, &c.] Hippocrates Aphoris. III. 25. *Dalec.*

Tenuissima serpentibus et trisulca] Plautus in Asinaria: 'Fac proserpentem bestiam, duplicem ut habeam linguam.' In Pœnulo: 'Qui nostra venisti huc tentatum magalia, Bisulca lingua, quasi proserpens bestia.' In Persa: 'Tanquam proserpens bestia bilinguis est, et scelestus.' Arist. quidem de Part. Animal. lib. II. cap. ult. bisulcam linguam serpentibus tribuit, non trisulcam. *Idem.*

Saliva, invitat ad rabiem] Si ira concitati, ut dum Venere stimulantur, aut devorato animali venenato, putrive carne, contrectantium cutem lambendo radant. *Dalec.*

Ranis prima cohæret, &c.] Lege: *Ranis prima cohæret, intuma absoluta a gutture, qua vocem mittunt mares, cum vocantur ololygines. Stato tempore, &c.* Salmas. 1318. a.

Ut intercidi eas necesse sit] In Ancynoglosso morbo. *Dalec.*

Septimo ferme anno, &c.] Cum tardissime. *Idem.*

Uvæ nomine] Gurgulionis potius. Morbi nomen uva est. *Idem.*

Hanc operit in epulando, ne spiritu et voce illac meante] Necessaria est hoc loco diligentior attentio: hæc si adhibita sit, non displicebit, puto, commentum nostrum. Existimo verba hæc ordine turbato scripta esse, scribendaque ad hunc modum: *Exterior earum appellatur arteria, spiritu, ac voce illa meante, ad pulmonem atque cor pertinens. Hanc operit in epulando, ne si potus cibusve alienum deerraverit tramitem, torqueat. Altera interior est, appellatur sane gula, qua cibus atque potus devoratur. Tendit hæc ad stomachum, deinde in ventrem. Hanc per vices operit, cum spiritus tantum aut vox commeat, ne restagnatio alicui intempestiva obstrepat.* Hoc pacto si legas, par ordo servabitur in describenda utraque fistula a præstantissimo scriptore; nam primum, nomen

et situs indicatur: secundo, quid per utramque commeet: tertio, quo tendant: quarto et ultimo, quando et cui usui ab epiglottide operiatur. Porro emendavi, *illa meante*, pro *illac meante*, ex vetere lectione. *Pintian.*

Ne restagnatio intempestiva] Recursus cibi e ventriculo in fauces et os redundatio, per vomitum rejectio. *Dalec.*

Carne arteria] Carnosa tunica. *Idem.*

Nervo et carne constat] Membranosa carne. *Idem.*

Quibus tantum gula] Ut piscibus. *Idem.*

Vertebratis orbiculatim, &c.] Κόβους Arrianus poëta dixit, ἀστραγάλους Tryphiodorus, Hadrian. Jun. II. 4. *Idem.*

Articulorum nodis jungitur] Lucilius Sat. lib. IV. de corpore hominum: 'Hæret verticulis adfixum in posteriore Parte, atque articulis, ut nobis talu' genusque.' *Idem.*

Spinæ] Metaphreno. *Idem.*

Intumescit] Morbo Bronchocele. *Dalec.*

Plerumque vitio] Præsertim auctore Vitruvio, apud Equicolas Italiæ, et Medullos Alpinos, vulgo *Miollans*, et *la vallée de Tarentaise.* Juvenal Sat. XIII. 'Quis tumidum guttur miratur in Alpibus.' *Idem.*

Testudini marinæ lingua nulla] Hæc ad superiora pertinent, ubi de dentibus agitur. *Idem.*

Postea arteria et stomachus] Legendum videtur, *post arteriam stomachus*; nam ut ex verbis Aristotelis I. 16. patet, priorem locum arteria obtinet, posteriorem stomachus. Illud vero noscendum, tractationem hanc stomachi et corruptam apud Plinium, et interruptam haberi, verbis partim depravatis, partim alienis falsisque intermistis, ut totus hic locus sic fortasse emendatius scribi possit: *Summum gulæ fauces vocantur, postremum stomachus. Hoc nomen etiam, jam carnosa inanitas, adnexa spinæ, ad latitudinem ac longitudinem lagenæ modo fusæ. Est autem denticulatus callo in modum rubi ad conficiendos cibos, decrescentibus crenis, quicquid appropinquat ventri. Novissima asperitas, ut scobina fabri. Quibus fauces non sunt, ne stomachus quidem est, nec colla, nec guttur, ut piscibus, sed ora ventribus junguntur. Cor animalibus, &c.* Pintian.

Involucro] Pericardio. *Dalec.*

Animo] Τῷ θυμῷ. Medici in eo situm esse τὸ ὀργανιστικὸν putant, ut in capite, λογιστικὸν, id est, νοῦν, *mentem*, quam ab animo dividunt. Virg. Æneid. VI. 'magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates.' Catullus: 'Mens animi tantis fluctuat ipsa malis.' Turneb. XXVIII. 44. *Dalec.*

Sinuoso specu et in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino] Aliquot hic suspicor verba librariorum incuria omissa. Nam cum sit locus manifeste ab Aristotele tralatus, diversam refert sententiam. Forte igitur Plinius sic scriptum reliquit: *Sinuoso specu et in magnis animalibus triplici, in minoribus gemino, in nullo non aliquo.* Aristoteles III. 3. 'Habent intra se corda omnia sinum triplicem, sed magnitudine varia: minutissimorum enim animalium sinus arctiores sunt, ita ut unus, qui amplior est, vix conspici possit, reliqui sensum effugiant. Mediocrium animalium secundus etiam conspicuus est. Maximorum perspici omnes possunt.' Et de Partibus Animal. III. 4. 'Ventriculum triplicem cor magnorum animalium habet, duplicem minorum, unum ad postremum; nullumque est quod sine ullo ventriculo constet.' *Pintian.*

Quibus parum est] Σπλάγχνον et σπλαγχνίδα veteres vocarunt, κατ' ἐξοχήν. Hinc ἄσπλαγχνος, *timidus*: εὔσπλαγχνος, *virilis, strenuus.* Rhodig. XIV. 16. *Dalec.*

In Paphlagonia bina, &c.] De hac

re Rhodiginus loco citato. *Idem.*

In equorum corde et boum, &c.] Cervorum, et omnium prægrandium animalium. *Idem.*

Hirsuto corde gigni, &c.] Valer. Max. lib. I. cap. ult. *Dalec.*

Qui CCC. occidit Lacedæmonios] Qui ter Hecatomphonia, centum Laconibus ter in prælio occisis, Jovi Ithomatæ, veteri Messeniorum instituto, fecit. Pausan. in Messen. Plutarchus in Romulo, Poliænus Stratag. lib. II. Clemens Alexandrinus in Protrep. Leopardus VI. 19. *Idem.*

Per cavernam latomiarum evasit] Scribendum *lautumiarum*, haud *latomiarum*, tum ex Toletano et Salmanticensi apographis, tum ex Livio sexto et vigesimo volumine, sed evidentissime ex Seneca nostro, Declam. IX. 4. extra controversiam de Sabino quodam: 'Ille etiam,' inquit, 'cum reus rogaret, ut in lautumias transferremur, ne nunc, inquit, quenquam vestrum decipiat nomen: lautumiæ illæ minime lauta res est. Jocabatur in miseriis et periculis suis. In quibus non debuisse, quis nescit? potuisse, quis credit?' Nec ignoro quæ de hac dictione ab indoctis et elementariis grammaticis afferantur. *Pintian.* *Per cavernam, &c.*] Conjectum *εἰς καιάδαν*, scribit Pausan. Fuit autem *καιάδας* Lacædemoniis *σπήλαιόν τι καὶ δεσμωτήριον, εἰς ὅπερ κακούργους ῥίπτειν, εἰσβάλλειν, ἀπάγειν, εἰώθησαν.* Nam *καίατα*, *fossæ*, *hiatusque* sunt, *ῥωχμοὶ καὶ ὀρύγματα*, *terræ motu reclusi*, *οἱ κῶοι*· unde Homero feræ *ὀρεσκῷοι* dicuntur. Rhodig. XVII. 9. *Dalec.*

Tertio capto Lacedæmonii, &c.] Pausanias lib. IV. extremum diem Rhodi apud Damagetum Ialysi regem, cui tertiam filiam nuptum dederat, scribit. *Idem.*

Hirsutumque cor repertum est] Idem scribitur in Hermogene Rhetore, Leonida, Lysandro, cane Alexandri. De fatuo scribit Plato: *ἀνδραποδώδεις ἔχειν ἐπὶ τῆς ψυχῆς τρίχας.* Rhod. ibid. *Idem.*

Non semper autem in parte, &c.] Qua religione et ceremonia aruspex, flamen, sacerdos, cultro ferreo, oblongo (Festus 'clunaculum' vocat) exta divideret, ac dispicienda sibi retegeret, vide apud Alex. ab Alex. IV. 17. *Idem.*

Cum rex Pyrrhus, &c.] Valer. Max. I. 6. de prodigiis. *Idem.*

Pulmo est] Tumorem et animi fastum in pulmone veteres collocarunt: unde Græcis *μέγα πνέειν*: et proverbium, 'De pulmone revellere,' id est, stultam et arrogantem opinionem animo eximere. Persius: 'Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.' Erasm. in Chiliad. Plaut. in Epid. 'Di immortales, otiose isse admiror pedibus pulmoneis, Qui probitet prius venisse, quam tu advenisti mihi.' Id est, mollissimis, tardissimis. Theocr. Idyl. XXV. *Μεσσηγὺς δ' ἔβαλον στήθεων, ὅθι πνεύμονος ἕδρα.* *Dalec.*

Caput extorum vocant] Summam et altissimam hepatis fibram ita vocant. Vide Alex. ab Alex. V. 25. Id geminum vel impense auctum, vel fibra introrsum replicata contractum, fœlicia promittebat, tristia vero luridum, saniosum, pustulosum, coctura tabescens, quovis modo vitiosum. 'Fibrum' Varroni, extremum; inde vestimentorum fimbriæ, et fibra, extremum in jecore, quod *extorum caput* auctor vocat. Pers. Sat. II. 'Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque Accersis fibra.' 'Fissum' etiam 'jecoris,' haruspicum vocabulum fuit; nempe rima, unde profertur vena, quæ partuum umbilico inseritur. Hinc 'fissiculare exta,' vel extorum prosicia Apuleio et Martiano; nempe rimari, contemplari, *θυοσκοπεῖν, καρδιουλκεῖν*, Luciano. *Scalig.* In extis vero prosecta, et prosicia, partes quæ coctæ et recisæ Diis offerebantur. *Nonius.* Turn. XXVI. 30. Apud Festum exta vel muta sunt,

quibus nihil responsi aut divinationis elicitur; vel adjutoria, quæ quidpiam indicant. Hic autem extorum significatio de hepate solo accipienda est; non enim vel absque jecinore hostiæ inventæ sunt, vel cum duplici; sed in prima hostia Marcelli jecinoris caput defuit; in ejusdem secunda duplex repertum est. Plutarchus in Marcello, Valerius I. 6. de Prodigiis. *Dalec.*

Cæsum quoque est] Cultro victimarii tactum ac vulneratum. *Idem.*

Circa Briletum] Circa Bisaltiam, Theopompus apud Athenæum lib. VI. *Idem.*

Equi, muli, asini, cervi, capræ, apri, cameli, delphini, non habent] Capras fel non habere, falsum est, docente id vel Plinio XXVIII. 10. Idcirco legendum videtur, *capreæ*, haud *capræ*. Aristoteles II. 15. 'Fel aliis adnectitur jecori, aliis minime. Ex genere enim quadrupedum quæ animal generant, cervo et damæ deesse notatum est, atque etiam equo, mulo, asino, vitulo marino, et murium nonnullis.' Item de Partibus Animal. IV. 2. 'Quædam felle omnino carent, ut equus, mulus, asinus, cervus, dama. Camelus non discretum, sed venulis quibusdam confusum habet. Vitulus etiam marinus caret: et inter pisces marinos delphinus.' Porro damam ex genere caprearum silvestrium Plinius supra retulit VIII. 54. At Dioscorides II. 69. fel habere tradit, et inunctum sanare luscioses. Illud quoque animadvertendum, apri, quem Plinius inter animalia felle carentia enumerat, nullam inveniri in Aristotele mentionem. E contrario Aristoteles vitulum marinum fel habere negat: Plinius paulo post fel habere tradit. Sed *apri* nullo modo legi posse liquet ex Dioscoride, qui loco citato suem fel habere prodit, et ex Plinio XXVIII. 10. ubi in usibus medicinæ utile esse fel apri indicat. Quo pacto igitur curandum hoc carcinoma? Nempe ut permutatis sedibus, in locum aprorum vituli marini commeent, et apri in vitulorum marinorum. Sic fiet ut Plinius non dissentiat ab Aristotele; et, quod pejus est, a seipso. *Pintian.*

Et cervo in cauda] De Achaino tantum id Arist. Hist. II. 15. *Dalec.*

Ut a canibus non attingantur] Falsum id esse, docent venatores, qui, capto cervo, in more habent ejus visceribus, intestinis, sanguine canes cibare, id quod dicunt, *faire la curée.* Idem.

Sed in felle nigro insaniæ, &c.] Plaut. in Amphit. 'Delirat uxor. So. Atra bile percita est: Nulla res tam delirantes homines concinnat cito.' Idem in Capt. 'ardent oculi: fune opus, Hegio. Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis? Atra bilis agitat hominem.' *Idem.*

Morsque toto reddito] Hippocrates Aphoris. IV. 24. *Idem.*

Colorem quoque oculis aufert] Plaut. in Menæch. 'Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur color Ex temporibus atque fronte? ut oculi scintilliant? vide.' Et paulo post: 'Ut pandiculans oscitatur? quid faciam, mi pater?' In Curcul. 'Quis hic est homo cum collatino ventre, atque oculis herbeis?' *Idem.*

Sed renibus et parte tantum altera intestino jungitur in corvis, coturnicibus, phasianis: quibusdam intestino tantum, ut columbis, accipitri, murænis] Nulla ratione verbum *renibus* tolerari potest, quia utitur exemplo avium, quas renibus et vesica carere Aristoteles auctor est II. 16. et Plinius infra c. 38. De reliquo locus est lacunosus et lacer, in quo partim verba desunt, partim in ditionem alienam migrarunt, partim etiam redundant. Qua enim ratione Plinius columbas et accipitres, avium species, murænis piscibus conjunxisset? Legi itaque verius posset: *Sed avibus ex parte tantum ventri: aliis intestino jungitur, ut*

columbis, corvis, coturnicibus, phasianis; nam de accipitre mox paulo, ob idque supervacaneam esse eam dictionem putaverim. Aristoteles II. 15. 'Quod etiam in avibus pari modo perspectum est; aliis enim ventri, aliis intestino jungitur, ut columbæ, corvo, coturnici, hirundini, passeri; aliis jecori simul et ventri, ut capricipiti; aliis jecori simul et intestino, ut accipitri, milvo.' *Pintian.*

Geminumque fuit Divo Augusto] Arato sacrificanti idem cum accidisset, aruspex vaticinatus est reconciliatas iri civium dissensiones, quod eventu verissimo consequutum est. Alex. ab Alex. v. 25. Fellis magnitudo in extorum observatione fortunata omnia feliciaque promittit. *Dalec.*

Murium jecusculis fibræ] Plutarch. Quæst. Sympos. IV. 5. non de quovis mure id scripsit, sed de mygale, id est, araneo mure, quem Ægyptii venerabantur quia cæcus sit, tenebras luce priores et antiquiores existimantes; deinde quod solus e muribus ætate quinta nascatur, id est, novilunio; et quod senescente Luna jecur ejus minuatur. *Idem.*

Congruere dicuntur, &c.] Vide infra XXIX. 4. *Idem.*

Jecur maxime, &c.] Turnebus Advers. XX. 23. adnotavit hunc locum suspectum esse, nec tamen restituere potuit. *Idem.* *Jecur maxime, &c.*] Sic lege: *Jecur vetustatis maxime patiens: centenis durare annis Oxyrynthon exempta prodidere.* Vide Salmas. 1315. a.

Exta homini ab inferiore] Exta non viscera quævis sunt, sed supra præcordia, cor et pulmo; quod in suo situ extant, id est, infra præcordia, ventriculus, jecur, lien; quod aliis, ut renibus, vesicæ, lactibus, utero, superposita sint. Non ergo præter rem Plinius inferiorem hic viscerum partem dixit. Chiffletius legit, *ab interiore*, quod non probo. *Dalec.*

Membranis quæ præcordia appellant] Vetus lectio correctius *membrana* habet, non *membranis;* nam septum transversum, a Græcis diaphragma appellatum, una duntaxat est, non plures membranæ. *Pintian.*

Præcordia appellant] Dissipinm sive disseptum Macrobius vocat I. 6. in Somn. De hoc viscere multa Rhodiginus IV. 12. διάφραγμα et διάζωμα Græci vocant. Grammatici συντελεῖν εἰς τὸ φρονεῖν, καὶ φλεγμαῖνον παραφροσύνην ποιεῖν credunt, quod negat Hippocrates de Sacro Morbo; nullam enim iis inesse δύναμιν, ὥστε φρονέειν καὶ νοέειν. Idem Aristot. de Part. Animal. lib. III. Οὐ μετέχειν μὲν τοῦ φρονεῖν, ἀλλ' ἐγγὺς εἶναι τῶν μετεχόντων, καὶ ἐπίδηλον ποιεῖν τὴν μεταβολὴν τῆς διανοίας· ut omittatur Galeni judicium lib. τῶν πεπονθ. μορ. et de Administrat Anatomic. Brodæus v. 14. *Dalec.*

Omnia quidem principalia viscera membranis propriis ac velut vaginis inclusit providens natura] Verbum *principalia* adulterinum invectitiumque ducimus, quod omnia viscera, non tantum principalia, membranis natura involverit. Aristoteles de Partibus Animal. III. 11. 'Membranis omnia viscera includuntur, quod tegmine opus est, quo illæsa serventur.' Idem scribit de Historia Animal. III. 13. *Pintian.*

Membranis propriis] Præter communes. *Dalec.*

Ideo nulla est ei caro] Falsum id esse monstrat Anatome. Septi quidem ambitus nervosus et membranosus est, media vero pars carnosa. *Idem.*

Subest venter stomachum habentibus, cæteris simplex, ruminantibus geminus] Legendum reor, *ruminantibus quadrigeminus.* Aristoteles II. 17. 'Sed ventris dissimilitudo: primum quod quadrupedes viviparæ, cornigeræ, altera maxilla dentatæ quaternos ejusmodi habent sinus, quæ quidem et ruminare dicuntur; gula enim, incipiens ab ore, deorsum tendit ad

pulmonem, septumque transversum. Hinc se ad ventrem applicat majorem, qui parte interiore asper interceptusque est; ac prope gulæ commissuram sinum sibi adnexum habet, quem ex argumento reticulum vocant; est enim ventri extrinsecus similis, intus reticulis mulierum implexis, magnitudine multo quam venter minor. Hunc excipit omasum parte interiore asperum, cancellatum, crustatum, magnitudine reticuli. Abomasum venter ab eo alius jungitur, magnitudine amplior omaso, forma oblongior, cancellis intus et crustis multis, magnis et lævibus, innormatus. Mox intestinum jam sequitur. Cornigera altera maxilla dentata omnia ad hunc modum suum habere ventrem certum est; sed differunt inter se magnitudine, aut figura, atque etiam quod gula vel in medium ventris tendat, vel in latus vergat. At vero omnia dentata maxilla utraque ventres singulos habent, ut homo, canis, sus, ursus.' *Pintian.*

Angustias] Inferioris partis ad pylorou. *Dalec.*

Ab hoc ventriculo lactes, &c.] Lege: *A ventriculo lactes, per quas labitur cibus: cætera, ilia a quibus, &c.* Ineptus quidam addidit margini, in *homine et bove:* quasi vero lactium, ilium, sive eilei, et crassiorum intestinorum, non eadem structura sit, quæ et hominis. Lactes auctor vocat *νῆστιν*, *jejunum*, et *δωδεκαδάκτυλον*: *ilia*, *τὸν εἰλεόν*: capaciora, *κῶλον τυφλὸν*, *εὐθύ*. His distribuitur et separatur cibus ab inutilibus purgamentis. Varro in Prometheo: 'Retrimenta cibi, quæ exierant per posticum, evallefecerunt,' id est, ejecerunt. Lactes 'pantices' prisco et obsoleto verbo Plautus appellat in Pseud. 'improbæ vini modo cupidæ estis: Eo vos vestrosque pantices adeo madefacitis, Cum ego hic sim siccus.' Apud Festum 'pantices,' frux ventris. Mesareon vocant medici, et mesenteraon. *Idem.*

Ut guttur] Πρόλοβον Aristoteli, *ingluviem* Latinis priscis, apud Festum, *gigerium:* Galli vocant *Gizier.* Dalec.

Sed gula patentiore utuntur] Vel tota vel prope ventrem. Aristot. Hist. lib. II. cap. ult. *Idem.*

Quædam neutro modo] Ut passeres. *Idem.*

Pulmo quadruplo major bubulo] Memoriæ lapsus, venia dignus; nam quod Aristoteles de jecore scribit, Plinius pulmoni tribuit; nisi quis malit errorem in librarium detorquere. Aristoteles lib. II. cap. ult. 'Exta quoque eadem suillis proxima, sed majora; jecur enim quadruplo majus bubulo est, et reliqua pari ratione, excepto liene; hic enim minor portione est.' *Pintian.*

Rubenti colore] Dioscoridi alter est coloris varii, alter sinceri. *Idem.*

Ventriculus atque intestina pingui ac tenui omento integuntur, præterquam ova gignentibus] Secus Aristoteles de Partibus Animal. IV. 3. 'Omentum membrana est, aut sevosa aut adiposa, scilicet utro modo pinguescere animal solet, oritur id de medio ventre, tam univentri quam multiventri generi, qua veluti sutura describitur. Inest enim et in ventre, ut in corde, suturæ vestigium quoddam, unde omentum exorsum reliquam ventris partem cunctaque intestina complectitur in omnibus sanguine præditis, tum terrestribus tum aquaticis animalibus.' Idem auctor eodem libro, capite primo, Omentum habere omnia animalia sanguine prædita, scribit. Quare æstimandum, an hic legi debeat, *præterque*, non *præterquam*. Pintian.

Lien in sinistra, &c.] Plautus in Curculione: 'Nunc jam quasi zona liene cinctus ambulo; Geminos in ventre habere videor filios. Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.' Apud eundem, in Mercatore, Acanthio celerrimo cursu properans ait: 'Perii, seditionem facit lien;

occupat præcordia; Perii; animam nequeo vertere; nimis nihili tibicen siem.' *Dalec.*

Adimi simul risum homini] Ob usum aspleni. *Idem.*

In qua minimos, &c.] Apud Rhodig. IV. 18. Horus nec ridere, nec odorari, nec sternutare tradit *τελείως σπληνετικούς*. *Idem.*

Costæ homini tantum octonæ] Apud Pausaniam lib. I. Protophani Magnesio, in Olympia eodem die pancratio et lucta victori, costæ, ut in aliis hominibus, discretæ non fuerunt, sed os unum continuum a jugulo ad situm usque postremæ nothæ costæ. Lego vero, *Costæ homini tantum duodenæ.* Nisi forte superiores octonas tantum intelligat, veras et legitimas, non adnumeratis quatuor spuriis. *Dalec.*

Arteriæ] Aut vasa genitalia marium, aut venæ et arteriæ ad crura descendentes. *Idem.*

Ad pubem tendentes] *Pubem τὸ ἐφήβαιον*, nunc *κῆπον* veteres dixerunt, tam fœminarum quam marium; unde proverbium, *γλυκεῖ ὀπώρα ἐκλελοιπότος φύλακος*: nunc *πεδίον*, in fœminis præsertim: Aristophanes: Νὴ Δί', ὦ Βοιωτία, καλόν γ' ἔχουσα τὸ πεδίον. Λ. Καί, νὴ Δία, κομψότατα τὴν βληχὼ παρατετιλμένα. quo in loco festive 'pulegium' vocat pudendi pilos: nunc *λειμῶνα*: Euripides in Cyclope: Ἵν' ἐστὶ τουτὶ τοὐρθὸν ἐξανιστάναι, Μαστοῦ τε δραγμὸς, καὶ παρεσκευασμένου Ψαῦσαι χεροῖν λειμῶνος. Scaliger. nunc *κλειτόριον, αἰδοιαῖον, βρόκτον, χειμάῤῥουν*, ut Latini eugium. *Idem.*

Quæ vulnerata cicatrice, &c.] Hippocrates Aphoris. VI. 18. *Idem.*

Unde dictus uterus] Lucilió Sat. lib. XXI. 'bulga,' quasi folliculus, loculus: 'Ita ut quisque nostrum e bulga est matris in lucem editus.' Inde 'vulva.' *Idem.*

Hujus et sumen optimum] Vide supra VIII. 51. Delicias, cupedias, et ganeam e suibus peti solitas Plautus memorat in Carbonaria: 'Sic ego pernam, sumen suis spectile, callum, glandia.' Idem in Captivis: 'Dii immortales, ut ego callos prætruncabo tergorios! Quanta pestis pernis veniet! quanta labes larido! Quanta sumini absumendo! quanta callo calamitas,' &c. Idem in Menæch. 'de foro obsonarier Glandulam suillam, laridum, peronidem, aut Sincipnt, aut polimenta porcinea,' &c. Idem in Pseud. 'Pernam, callum, glandium facito ut in aqua jaceant.' Sinciput 'opthalmia' vocasse videtur Plautus in Captivis. Scaliger in Carbonaria legit: 'Esto pernam, sumen sueris, spectile,' &c. ac 'spectile,' ex Festo interpretatur carnem sub umbilico. Eidem scriptori 'Petimen' dicitur ex Nævio, quod est inter duos armos suis, ut pectus. Nævius: 'Petimine porcino qui meruerat.' *Daleo.*

Abdomen vocabant] Abdomen Plautus in Milite dixit pudenda, et testes: 'Vide istic tibi sit acutus, Cario, culter probe. CAR. Quin jamdudum gestio mœcho hoc abdomen adimere, Ut faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.' De sumine festive Martialis: 'Esse putes nondum sumen, sic ubere largo Effluit, et vivo lacte papilla tumet.' *Idem.*

Bisulca scissisve in digitos pedibus] Et quæ dentata sunt utrinque. Aristot. Hist. III. 17. *Dalec.*

Quam ob causam] Varro Rei Rusticæ II. 4. 'In Arcadia scio me esse spectatum suem, quæ præ pinguedine carnis non modo surgere non posset, sed etiam ut in ejus corpore sorex exesa carne nidum fecisset, et peperisset mures.' *Idem.*

Quod defluente evenit, &c.] Transeunte in fracturæ locum. *Idem.*

Cætera tanta duritia, ut ignis elidatur velut e silice] Exemplar Salmanticense, *Cæteris in tanta duritia.* Legendum arbitror, *Cæterum inest tanta duritia;* vel potius permutatis verbis, *Cæterum tanta in iis duritia;* de

ossibus enim leonis loquitur. Aristoteles III. 7. 'Constat profecto leo præcipue omnium animalium ossibus solidis; sunt enim adeo dura, ut ex eis concussis ignis velut e silice elidatur.' *Pintian.*

Non pinguescunt] Sed sevum gignunt. *Dalec.*

Cartilaginea aquatilium] Raia, lamia, canicula. *Dalec.*

Cartilago rupta non solidescit] Hippoc. Aphor. VI. 19. *Idem.*

Suffraginem] Articulum quo tibiæ pes annectitur, et quo pedis versura fit. *Idem.*

Nodum quendam solvere] Articulum qui auctum impedit. Fabulosum hoc. An, ut, cum abditur et reponitur quidpiam in sacculo, vel pera, nodo solet id colligi et colligari, cum vero promitur, nodum solvi opus est, hac etiam Metaphora *nodum solvere* pubescens dicitur, cum in ejus corpore clausi, delitescentes, et velut nodo compressi morbi sese produnt, et palam fiunt? *Idem.*

Præcipue ægritudine, sentitur] Censorinus auctor est, septimo quoque anno articulos quosdam naturam ostendere, id est, rerum causas, τὰς προφάσεις, et congruentes, convenientesque occasiones, ac in his novi semper aliquid. Rhod. XIX. 21. Seneca de beneficiis scribit septimum quemque annum ætati signum imprimere, qua ratione septenarios climactericos, tanquam scansiles, vocant, Ptolomæo hanc observationem repudiante. Rhod. XXI. 2. *Idem.*

Nervi orsi a corde, bubuloque etiam circumvoluti, similem naturam et causam habent] Hermolaus *bibulo* nobis potius, quam *bubulo*, ut scribamus præcipit; quanquam in secunda editione, priore sententia prope repudiata, in dubium vocat utro modo legi debeat: nequaquam id facturus, si libros de Generatione Animalium accuratius evolvisset; in quorum ultimo volumine, capite septimo, hæc verba leguntur: 'Sed potissimum tauri nervosi sunt, et eorum cor ita constat. Itaque contentiorem eam obtinent partem, qua spiritum movent quasi fidiculam intentam. Talem cordis bubuli esse naturam significatur, vel eo osse quod in nonnullis gignitur; ossa enim naturam nervorum requirunt.' *Pintian.*

In omnibus, &c.] Animalium corporibus. *Dalec.*

Alibi interventu, &c.] In coxa. In cubito. In manus tendinibus. *Idem.*

In cacumine, &c.] Τοῖς ἄκροις, *extremis partibus* corporis, musculis et carne non tectis. Varro περὶ ἐξαγωγῆς apud Nonium venas et arterias, τὰ ἀγγεῖα, sic indicat: 'Quamnam te esse dicam? feram? qui manu fervidos corporis fontes operis, et lacus sanguinis, teque vita levas ferreo ense.' *Scalig.*

In modulos certos legesque metricas per ætates stabilis aut citatus, aut tardus, descriptus ab Herophilo medicinæ vate miranda arte nimiam propter subtilitatem desertus] Exemplar Salmant. *In modulos certos, legesque metricas per ætates stabilis, aut citatius aut tardius descriptas ab Herophilo medicinæ vate, miranda arte, nimiam propter subtilitatem desertas.* Scribendum opinor: *In modulos certos, legesque metricas per ætates stabilis, aut citatioris aut tardioris, descriptas ab Herophilo medicinæ vate miranda arte, nimiam propter subtilitatem desertas.* Posset etiam legi *deserta*, non *desertas*, vel *desertus*, ut referat artem, vel Plinii auctoritate, XXIX. 1. 'Deserta,' inquit, 'et hæc secta est, quoniam necesse erat in ea literas scire.' *Pintian.*

Gubernacula vitæ temperat] Robur naturæ monstrat, aut imbecillitatem. *Dalec.*

Et sanguine] Falsum hoc, sumptum ex Erasistrati disciplina. *Idem.*

Aves nec venas, nec arterias habent] Contra Aristoteles III. 4. omne animal sanguinis compos venas habere

tradit. *Pintian.*

Venarum in umbilico nodus ac coitus] Scribe cum majore litera, et aliter, *In umbilico venarum nodosus coitus*, ex utroque exemplari. *Idem.*

CAP. XXXVIII. *De sanguine et quorum celerrime siccetur, quorum non coëat, quorum gravissimus vel tenuissimus, quorum nullus.*

Inferiore parte pinguior] Sanguis emissus, vaseque exceptus, superne semper dilutior est; inferne vero nigrior, spissior, magis concretus. *Dalec.*

Timidiora quibus minimus; at quibus nullus, hebetia] Postremum verbum redundat, ex ambobus exemplaribus. Reliqua sic lego: *timidiora quibus minimus, aut quibus nullus.* Pintian.

At quibus nullus, hebetia] An in formicis id constet et apibus, videndum. *Dalec.*

Ideo pestifer potu maxime] Vide VIII. 9. et quæ ad eum locum adnotata sunt, et Scalig. in Catul. de Cimbro declamatore. *Idem.*

Aprorum, et cervorum, caprarumque aut bubalorum omnium non spissatur] Eadem hic, quæ superius notata fuit, menda. Scribendum enim *caprearum*, non *caprarum*. Aristoteles III. 6. 'Genus id ergo fibrarum, quanquam majori ex parte, in sanguine omnium animalium inest; tamen cervi, damæ, bubali, et aliorum quorundam sanguini deest; quocirca eorum sanguis non, perinde ut cæterorum solet, concrescit.' Ubi autem Plinius *capream* vertit, ibi apud Aristotelem Theodorus *damam* transfert. *Pintian.*

Quæ animalium] Ursos, glires, serpentes, mures Alpinos. *Dalec.*

Quæ mutari diximus] Polypum, chamæleontem. *Idem.*

CAP. XXXIX. *An in sanguine principatus, et de tergore et pilis, et mammis.*

Seu vero non crocodilis, &c.] Coarguit enim hoc exemplo quorundam opinionem, qui subtilitatem animi constare cute operimentisque corporum putabant. *Gelen.*

Elephantorum quoque tergora] Leg. *Elephantorum quoque e tergore Mauri impenetrabiles cetras habent.* Mauri, apud quos elephanti plurimi, ex eorum tergore cetras faciebant, quæ erant impenetrabiles: *cetra* Maurorum clypeus. *Salmas.* 307. b.

Quæ animal pariunt, &c.] An de delphinis et caniculis id verum sit, considerandum. *Dalec.*

Pubescit homo solus] In mento. Alioqui plerisque animalibus circa pudendum veluti pubes nascitur. Vide Rhodig. XIX. 21. *Idem.*

Congeniti autem non desinunt] Pili congeniti auctore Aristotele III. 11. sunt pili capitis, superciliorum, et palpebrarum. Hos non desinere, procul a vero est. Sequitur enim haud multo post, 'Libidinosis congeniti maturius defluunt;' quod et ipsum, ut reliqua prope omnia, ab Aristotele mutuatus est. Est igitur *desunt*, non *desinunt*, legendum; ut sit sensus, in ortu congenitos nunquam deesse; at post genitos deesse; nam his, qui ante pubertatem castrati sunt, non exeunt, et post pubertatem excisis soli decidunt, præterquam pubis. Et fieri potest ut homo, tum mas tum etiam fœmina, pilis post genitis careat, jam inde ab ortu naturæ vitio contracto. Hæc Aristoteles ante dicto loco. *Pintian.* Quidam legunt, *non decidunt.* Dalec.

Sicut nec fœminis magno opere] Locus est dimidiatus, mutilusque; nam, ut puto, Plinius scriptum reliquit: *Spadonibus, pueris non cadunt pili, sicuti neque fœminis magno opere.* Et ex eodem Aristotele eodem loco, 'Calvitii,' inquit, 'mulieres esse immunes, pueros et spadones, apertum est.' *Pintian.*

Post geniti viris sponte, &c.] Ut pubes et barba. *Dalec.*

Agnati] Barba, pubes. *Idem.*

Quadrupedibus senectute crassescunt, lanæque rarescunt] Neque hic locus vitio caret; legendumque: *Quadrupedibus senectute crescunt lanæ, quanquam rarescunt.* Aristoteles III. 11. 'Quadrupedum etiam pili lanæve senectute prolixius augentur, quanquam rarescant fiantque pauciores.' *Pintian.*

De strigibus] Vide Serenum cap. de infantibus dentientibus, aut Strige vexatis. Maleficas fœminas et quasi lemures etiam hodie Itali vocant *strighe.* Vide in Lex. Constant. vocem κερχναλέος. *Dalec.*

Esse in maledictis jam antiquis, &c.] Plaut. in Pseud. 'Et homines sibi cœnas coquunt: cum condiunt, Non convivis condiunt, sed strigibus: Vinis convivæ intestina quæ exedunt.' Ovid. Fast. VI. *Idem.*

CAP. XL. *Notabilia animalia quæ mammis.*

Ac resilit] In alvum redit, contacta, flaccida, rugosa. *Idem.*

CAP. XLI. *De lacte et unde caseus non fiat.*

Profusum lac, inutile] Varro in Andabatis: 'Candidum lacte papilla cum fluit, signum putant partuis, quod hic sequatur mulierem e partu liquor.' Apud Nonium. Idem de liberis educandis: 'Eam nutricem oportet esse adolescentem. Anuis enim ut sanguis deterior, sic lac.' Lac enim, ut quidam dicunt Physici, sanguinis spuma est. *Idem.*

Totis mammis] Arist. Hist. VII. 11. *Idem.*

Colostra fiunt] Vulgo, *Betton.* Idem.

Caseus non fit ex utrimque dentatis] Fit ex asinarum et equarum lacte, quæ utrinque dentatæ sunt. *Dalec.*

Crassissimum asinæ] Falsum id medicorum omnium judiciis, qui tenuissimum post humanum esse putant. *Idem.*

Poppæa certe Domitii, &c.] Juvenal. Sat. VI. 'atque illo lacte fovetur, Propter quod secum comites educit asellas Exsul Hyperboreum si dimittetur ad axem.' Vide infra XXVIII. 12. *Idem.*

In acorem jucundum] Mechlam, oxygala. *Idem.*

CAP. XLII. *De diversitate caseorum.*

Gabalicique pagis] *Bullici pagi,* (quare ita legendum putem, mox dicam,) vulgo *les Baux,* villæ aut potius casæ, in saltuosis nemoribus sitæ, qua itur ex Avenione Tarraconem. Lesura, etiamnum hodie, *Leso,* pagus aliquot domunculis constans. Ibi caprarum et ovium multi greges aluntur, e quorum lacte fiunt casei molliusculi, præpingues, præcipuæ commendationis apud Avenionenses et circumvicinos. Hodie *fromages des Baux.* Lego *Ballici,* depravatumque puto ab iis, qui cum nescirent hujus rei historiam, et alibi in hoc scriptore legissent *Gabales,* ex illis Gabalicos pagos sibi finxerunt. In Gaballis, vel ut legitur IV. 19. *Gabalibus,* vulgo *Genauden,* est etiam mons Lesora, vulgo *Losere,* unde Tarnis fluvius oritur memoratus a Plinio loco citato. Ejus meminit Sidonius Apollinaris in Propemptico ad libellum: 'Hinc te Lesora, Caucasum Scytharum Vincens, aspiciet, citroque Tarnis.' *Roaldes.*

Doclearem mittunt] *Drina di Sclavonia.* Idem.

Vatusicum] Hodie is vocatur *fromage de Passy:* quasi Passiacus pro Vatusico: et fortassis vox, qua Plinius utitur, corrupta est. Aliis *fromages de saint Bon en Tarentaise.* Id.

Cebanum hic e Liguria mittit] Cebanum, *du marquisat de Ceve.* Ejus regionis incolæ hos caseos vocant, *robles,* et bonitate cum Placentinis ac Marsolinis conferunt. *Idem.*

Eam augente gratiam fumo] Romæ et in plerisque Italiæ locis caseus et siccabatur et colorabatur fumo. Columel. VII. 8. Est etiam non ingrati saporis muria perduratus, atque ita maligni ligni vel culmi fumo colora-

tas. Apud Ulpianum Aristot. censet, ex taberna casearia in ædificium alienum, quod superius est, fumum jure non immitti, nisi fuerit nominatim constituta servitus: alioqui vicino negatoriam actionem competere. Duaren. Anniv. I. 24. Martial. in Xeniis: 'Non quemcunque locum, nec fumum caseus omnem, Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.' Brisson. IV. 15. *Idem.*

CAP. XLIII. *Differentia membrorum hominis a cæteris animalibus.*

Uni juguli] *Jugula, τὰς κλεῖδας*, etiam simiis, talpis, sciuris, muribus Alpinis auctor nesciit. *Dalec.*

Digiti quibusdam in manibus seni] *Pollex* (in pedibus, *halluchus*) *μέγας, ἀντίχειρ*: *index, salutaris, δεικτικὸς, λιχανός*: *medius, infamis, verpus, μέσος, ἰατρὸς, κατάπυγος*: *annularis, παράμεσος, δακτυλιώτης*: *minimus, auricularis, μικρὸς, ὠτίτης*. Medium unguem ostendere, probrose ac contumeliose despicere. Juvenalis: 'cum fortunæ ipse minaci Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.' Martial. 'Rideto multum, qui te, Sextile, cynædum Dixerit, et digitum porrigito medium.' Alex. ab Alexand. lib. IV. cap. ult. *Idem.*

Quibus ex rapina victus quadrupedum, quini digiti in prioribus pedibus, reliquis quaterni. Leones, lupi, canes, et pauca in posterioribus quoque quinos ungues habent, uno juxta cruris articulum dependente. Reliqua quæ sunt minora, digitos quinos] Verbum *leones* scribi non debet cum majore litera, ut præbeat initium sequentibus, sed cum minore, ut adjungatur præcedentibus. Legendumque: *Reliquis quaterni, ut leonibus, lupis, canibus*: ex Aristotele evidenter de Partibus Animalium IV. 9. 'Ut nonnullorum quorum pedes in digitos finduntur. Ob id pedes priores quinis distinctos digitis habent, posteriores quaternis, ut leones et canes, atque etiam lupi et pantheræ; quintus enim eorum quinto magnoque manus respondet. Sed quæ parva interdigitata sunt posteriores etiam quinque digitos obtinent, quoniam serpere solent, scilicet ut unguibus numerosioribus apprehendendo facilius obrepant ad sublimiora.' Item, non *ungues* præfert utrunque exemplar, sed *lynces*, et, ut reor, non male; de digitis enim hic agitur tantum. De unguibus infra cap. 45. Præterea addenda conjunctio *et*, scribendumque, *minora et digitos quinos*. Pintian.

CAP. XLIV. *De simiarum similitudine.*

Perfectam hominis imitationem, &c.] Auctore Galeno, ridiculam, exhilarandis oblectandisque pueris natam, summa tamen æquitate naturæ in ejus fabricando corpore, quod animam non minus ridiculam eo vestierit. Thersitis deformem turpemque faciem Lycophron cum exprimere conatur, *πιθηκόμορφον* appellat. Rhod. III. 10. vide VIII. 54. Plaut. in Mostell. 'Vide ut fastidit simia!' id est, monstrum hominis. Idem in Milite Glorioso: 'Pithecium hæc est præ illa, et sphinturnicium.' *Dalec.*

Sunt enim ut manus prælongi] Lego *prælongæ*, tum ex utroque apographo, tum etiam Aristotele II. 8. 'Pedes,' inquit, 'sui generis habent; sunt enim velut manus majusculæ, et digitis ut manus constant, medio longiore; vestigium etiam manus simile est.' Ex quibus Aristotelis verbis planum fit, locum etiam sequentem mendosum esse. *Pintian.*

Sed vestigium palmæ simile faciunt] Scribendum enim, *et vestigium palmæ simile faciunt*. Idem.

Ac præter genitale tantum, et hoc in maribus] Legendum ex Salmanticensi exemplari: *et præter genitale, et hoc in maribus tantum*; nam qui dicit, *præter* (modo de eadem re intelligat) non necesse habet addere *tantum*: an non satis est dicere, omnia animantia esse muta præter hominem, nisi addas etiam *tantum*? Idem.

CAP. XLV. *De unguibus.*

Defuncto crescunt] Rationem vide apud Rhodig. III. 24. petitam ex Aristot. Problem. *Dalec.*

In posterioribus articuli breves] Scrib. *In posterioribus musculi breves.* Aristotel. II. 1. 'Excepto elephanto, qui digitos numero quinque indivisos leviterque discretos, crura priora multo posterioribus longiora, et malleolos posterioribus imis cruribus possidet.' *Pintian.*

In diversum posterioribus articuli pedibus quam prioribus] Sententia imperfecta, præterque ante reddita, ut supervacuum fuerit eam repetere. Quapropter tollenda hæc verba e medio tanquam otiosa puto. Id si fiat, priora cum sequentibus mire quadraverint. *Idem.* Lego, *tam poster. &c.*

Ova parientibus quadrupedum crocodilo, lacertis, priora genua post curvantur, posteriora in priorem partem] Verba corruptissima, a mente Aristotelis, et a veritate ipsa abhorrentia. Primo Aristotelis verba prætexam, deinde ad eorum exemplar, quomodo restitui Pliniana queant, ostendam. Aristoteles ergo II. 1. sic inquit: 'At oviparis quadrupedibus, crocodilo, lacertæ, et reliquis generis ejusdem, crura tum priora, tum posteriora retro flectuntur, paululum in latus vergentia; nec secus in cæteris multipedibus agitur, nisi quod medii pedes subinde ambigui amplius in latus flectuntur.' Hæc Aristoteles, quem secutum Plinium existimo in hæc verba, aut his similia, scripsisse: *Ova parientibus quadrupedum, ut crocodilo, lacertis priora genua posterioraque post curvantur:* reliqua, ut superflua, demenda. *Pintian.*

Sic et multipedibus præterquam novissima salientibus] Si relata paulo ante Aristotelis verba diligentius inspiciantur, patebit, *subeuntibus* hic, aut si mavis, *subsequentibus*, non *salientibus*, esse legendum; ut sit sensus, crocodilo et lacertis esse crura obliqua, et item in multipedibus, præterquam in cruribus subeuntibus postrema, hoc est, interjacentibus prima et novissima, quæ auctore Aristotele ambigua sunt. *Idem.* *Sic et multipedibus, &c.*] Pintianus ex Aristot. Hist. II. 1. legit, *præterquam novissima subeuntibus*, aut *subsequentibus*, sub. pedibus, *qui ambigui sunt.* Ego nil muto, sensumque perspicuum ac verum esse puto, *salientibus multipedibus*, ut araneo, locustæ, novissima sive postrema crura esse minus obliqua, sed recta potius, quoniam eorum nixu saliendo antrorsum in rectum se vibrant. *Dal.*

Hominis genibus, &c.] Priamus apud Homerum, Achillem oraturus ut filii corpus redimere liceret: Γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν, αἴκ' ἐλεήσῃ. Apud eundem Iliad. Ε. λαβὼν ἐλίσσετο γούνων. Apud Tryphiodorum Sinon perjurus Priamo advolutus ἱκεσίαις παλάμῃσιν ἥψατο γούνων. Apud Euripidem Orestes supplex Menelaum sic alloquitur: Τῶν σῶν γουνάτων προστρόπαια θιγγάνω. Inde apud Synesium: Πρηνὴς καὶ γονυπετὴς ἱκέτης γενόμενος. Virgilius: 'Et genua amplectens effatur talia supplex.' Claudianus de raptu Proserpinæ: 'genibusque suas cum supplice fletu Admovere manus.' *Id.*

Sicut dextra osculis, &c.] Varro, Callimachum secutus, rationem affert, quod omnium rerum auctoritas dextræ viribus constet: ideoque majores, cum se mutuo salutarent, hac parte corporis se potissimum veneratos fuisse. Plethon Rerum Græc. lib. II. ejus consuetudinis meminit. Diodorus Persis id fidei pignus sanctissimum esse tradit. Aristophanes in Nubibus: Κύσον με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. Nam, inquit interpres, ἔθος ἦν ἐπὶ πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. Rhod. IV. 3. Eodem loco ὀπισθέναρ, *extima et aversa manus pars*, quam Catoni dè

provincia discedenti, raro et inusitato quodam honore, milites osculatos fuisse tradit Plutarchus. *Idem.*

Mentum attingere mos erat] Ulyssi, ut inexorabili et duro objicit Hecuba, quod vultum avertisset, *ὡς μὴ προσθίγειν γενειάδος*. Apud Homerum supplices contingunt mentum eorum quos rogant, ut vel annuant, vel apud alios pro se intercedant; dextram, ut quod precantur faciendum suscipiant; genua, ut in eo, quod facere aggressi fuerint, pergant. Hadr. Jun. II. 11. Supplicandi omnia genera priscis usurpata, sed et quas cui Deo humani corporis partes sacras esse vetustas putaverit recenset Alex. ab Alexand. II. 19. *Dalec.*

Est in aure ima memoriæ locus] Hinc 'vellere aurem,' admonere dicimus. Virgilius: 'mihi Cynthius aurem Vellit et admonuit.' Ejus quoque tamen partis contrectatio benevolentiam, qua parentes nos prosequimur, auditus sensu animis nostris inseri monet, sicut Clemens Alexandrinus 5. Stromat. exposuit. Quamobrem olim mos fuit, ut pueri patres oscularentur arreptis utrinque auribus, quod osculi genus Pollux lib. x. *χύτραν* vocat. 'Et fœtus matrona dabit, natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet.' Theocrit. *Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρὰν οὐκ ἐφίλασε, Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.* Canterius I. 19. Plaut. in Asinaria: 'Prehende auriculis, compara labella cum labellis.' *Id.*

Attestamur] Lego cum veteribus, *antestamur*. 'Antestari,' testem vocare prehensa tritaque auricula, cum adversarius, qui vadanti non paruit, in jus trahitur. Horat. I. Sat. 9. 75. 'et, quo tu, turpissime? magna Exclamat voce, et, Licet antestari? ego vero Oppono auriculam: rapit in jus.' Vide Lipsium Epist. IV. 27. *Idem.*

Varices] Varices 'flegmina' veteres appellarunt, quod flexuosæ et tortuosæ venæ sint ac in multos sinus divaricatæ. Plautus in Epidico, 'Alium tibi comitem melius quærere, ita, dum te sequor, Lassitudine me invaserunt miserum in genua flegmina.' Tamæ Festo. Lucilius: 'Inguen ne existat, papulæ, tamane an boa noxit.' Varicosos Lucilius, ut ex ejus verbis post paulo adscriptis manifestum est, 'vatraces' appellavit. *Idem.*

Mulieri raro] Frequentiores hoc seculo fœminis quam viris. *Idem.*

C. Marium, qui septies consul fuit, stantem sibi extrahi passum unum hominem, Oppius auctor est] Non uni tantum homini, C. Mario stanti, varices extractæ sunt, sed aliis post eum auctore Cicerone secunda Tusculana: 'Caius,' inquit, 'Marius rusticanus vir, sed plane vir, cum secaretur, ut supra dixi, principio vetuit se alligari. Neque quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo postea alii? Valuit auctoritas.' Patet ex his Ciceronis verbis legendum apud Plinium aut *primum omnium*, aut *primum hominem*; nam *unum hominem* non procedit. *Pintian.*

Omnia animalia a dextris partibus incedunt, sinistris incubant] Ex his verbis priora Aristotelica sunt ex II. 1. 'Initium,' inquit, 'incedendi omnibus a dextris partibus.' Repetit idem de Incessu Animalium. Posteriora suspecta habeo, hærensque nihil audeo statuere. Certe illud quotidie cernimus, differenter modo dextris, modo sinistris partibus incubare animalia. *Idem.*

Plauti] Plauti quasi *πλατεῖς*· Scauri, quasi *γαῦροι*, quibus tali sive malleoli eminent. *Dalec.*

Vari] Varis valgi, qui et vaciæ, contrarii sunt; vari enim distortis sunt cruribus extrorsum, valgi vero, seu vaciæ, introrsum. Valgos 'compernes' Lucilius vocat Sat. lib. XVII.

'Compernem aut varam fuisse Amphitryonis ἄκοιτιν.' Nonius. Legendum vero hic puto *vacia*, quoniam eos vacaces Lucilius vocat Sat. lib. XXVII. 'Ut si progeniem antiquam qua est Maximu' Quintus Vacax,' qua varicosus, et vatrax. Vacaces, vatiæ, vatii sunt quos valgos dicimus. *Idem.*

Iidem digitos habentibus non sunt] Ex Aristot. hoc Plinius. Astragalum tamen seu talum in homine esse indicat anatome, atque id in Epistolis Seneca, et Herodotus affirmat. *Idem.*

Est enim bisulcus, &c.] Legend. *Est enim bisulcum* (sc. Camelus bisulcum est animal) *discrimine exiguo, pes imus vestigio carnoso ut urso: qua de causa, &c.* Salmas. pag. 986. b.

CAP. XLVI. *De ungulis.*

Solidas habent ungulas] Solidipedes sunt. Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Καὶ ἐν Μακεδονίᾳ δὲ τῇ ἐν τῶν 'Ημαθιώτων χώρᾳ τοὺς σῦς εἶναι μώνυχας. *Dalec.*

Unicorne asinus tantum Indicus, &c.] Unico ac singulari cornu animalia septem armata legimus: rhinocerontem, orygem, monocerontem Æliano VII. 3. et auctori I. 21. bovem Indicum cap. et lib. cit. equum Indicum, e cujus cornu poculum factum veneni noxam frangit, Æliano IV. 12. asinum Indicum, in cujus cornu eadem vis comperta est, et contra multos alios morbos efficax, Æliano V. 22. asinos id genus, quotannis Indiæ rex publico spectaculo committit, Æliano IV. 42. bisontem Æliano IV. 44. Ludov. Bertheme, IV. 2. Navigat. suarum, in insula Zeilam vaccas asserit se vidisse uno tantum cornu præditas. *Dalec.*

CAP. XLVII. *De pedibus avium et unguibus.*

Avium aliæ digitatæ] Aristot. Hist. II. 12. *Idem.*

Hic deest quibusdam] Quin et Psittaci, Meropes, Pici, nocturnarumque multæ. Lego itaque ex Arist. Hist. II. 12. *Iynx cum aliis paucis utrinque.* Idem.

Iynx sola utrinque, &c.] Iyngis simplex et teres lingua est, serpentis vero bisulca, de Part. Animal. II. 17. et Hist. lib. II. cap. ult. quamvis trisulcam serpentibus esse Plinius tradat, XI. 37. Confertur igitur iyngis lingua non cum lingua serpentum, sed cum ejus vibratu, quo serpens exertam profert. *Idem.*

Collum circumagit in aversum] Vetus lectio, *collum circumagit in adversum se.* Forte legendum, *collum circumagit in aversa se;* hoc est, collum in aversum torquet, non averso corpore. Aristoteles XI. 12. 'Collum retro intorquet, quiescente reliquo corpore.' *Pintian.*

Nulli uncos habentium ungues, longi pedes. Porrectis ad caudam cruribus volant] Lego: *Nulli uncos habentium ungues: Longipedes adporrectis ad caudam cruribus volant;* hoc sensu, Nulli uncunguium datos a natura radios. Longipedes porrectis, &c. Aristoteles XI. 12. 'Sicut nonnulla ex avibus genera, quibus natura calcar etiam dederit. Sed nulli datum hoc est, cui ungues adunci sunt.' Et paulo ante eodem loco Aristoteles: 'Cauda etiam tali, qualis data quadrupedibus est, volucres carent; sed pennis conditam gerunt. Brevem, quæ longipedes ac planipedes sunt, majorem autem, quæ e contrario constant: quæ vel contractis ad ventrem pedibus volant, cum illæ caudæ pusillæ genulæ porrectis in caudam cruribus ferantur.' *Pintian.*

Qui negant volucrem ullam sine pedibus esse, confirmant et apodas habere, et ocen, et drepanin] Hermolaus pro *oten*, ut antea legebatur, *nycterin* emendavit, quod in vetustis codicibus non *oten*, sed *nectorem*, habeatur. Cujus sententiam minime approbo. Cur enim Hermolaum rogo ad significandum vespertilionem Græca voce usus esset Plinius, cum Latina et recep-

tissima præsto et ad manus esset? præsertim ab ipso Plinio, ut alios sileam, semper alias usurpata. Nunquam enim ejus avis mentio incidit, ut non semper vespertilionem appellarit, haud alio nomine. Sic x. 51. et 61. et xi. 37. et 39. et xxix. 30. semper vespertilionem, nunquam nycterin, appellat. Ego pro *nectorem*, non *nycterin*, ut Hermolaus, sed, quamvis dura castigatio videri possit, *hirundinem* scriberem, ex eodem cujus testimonio Hermolaus utitur Aristot. libro eodem, cap. 1. ubi tria avium genera, quæ hic recensentur a Plinio, conjunctim memorat his verbis: 'Sic nonnullæ aves depedes sunt, quæ ob eam rem apedes a parvitate pedum nuncupantur; quod genus aviculæ pennis plurimum valet, sicut cætera quoque prope similia, ut pennis prævalere, sic pedibus degenerare videntur, ut hirundo et falcula sive riparia; hæc enim omnia et moribus, et volatu, et specie proxima inter se conspiciuntur. Apparet apes omnibus anni temporibus: riparia æstate tantum cum imber incessit; tunc enim et apparet et capitur: denique rara hæc avicula est.' Hæc Aristoteles, apud quem *apedes* Theodorus vertit, ego cum Plinio et cæteris qui Latine loquti sunt *apodes* dixissem, dictione quidem Græca, sed jam pridem a Latinis recepta; quod item in *drepani* fecissem et plurimis aliis, quæ cum Plinius tantus vir Græcis enunciet vocabulis, Theodorus, ut ei visum est, hoc aut illo modo vertit, unde apud alios magnam, apud me nullam laudem consecutus est. *Idem.*

CAP. XLVIII. *De pedibus insectorum.*

Quia longitudo superficiem corporum solam, &c.] Locus est depravatissimus, et quantum conjectura assequi possum, sic aut restituendus, aut tanquam concerpta vestis pro tempore, quoad peritior artifex adhibeatur, resarciendus: *Quæ* [*ætas*] *longam reddit cervicem, crura solum ampliat.* Pint. Hæc conjectura non admodum firma. Leg. *queunt, quia crurum superficies sola, non longitudo ampliat.* Dalec.

CAP. XLIX. *De pumilionibus et genitalibus.*

Gentium quoque] Ut Judæorum, Ægyptiorum. *Dalec.*

Citra perniciem amputantibus] Testa Samia, infra xxxix. 12. sub finem. 'Præcisos' ob id vocat Lampridius in Heliogabalo: 'Jactavit autem caput inter præcisos fanaticos, et genitalia sibi devinxit.' Solebant porro illi fanatici et lymphati, velut divino spiritu afflati, et æstu quodam mentis perciti, vagari, caput jactare, contorquere, huc illuc flectere furibundorum specie, virilitatem amputare, vaticinari; quæ, ut Plutarchus ait, μανία ἦν τῶν ὀρινομένων σὺν ῥαφαύχενι κλόνῳ. Lucanus: 'crinemque rotantes Sanguinei populis cecinerunt tristia Galli.' Brissonius ii. 13. *Idem.*

Contra mulierum paucis, &c.] Ταῖς τριβάσι, quæ tentiginem in summa vulva marium pudendo similem habent. *Dalec.*

Homini tantum injuria] Testes olim etiam 'vasa' nuncuparunt. Plaut. in Pœn. 'Facio quod manifesto deprehensi mœchi haud ferme solent. Mi. Quid id est? Syn. Refero vasa salva.' Τέστωρ prisca vox Græca, μάρτυρ: μάρτυρας θέσθαι, testes advocare: δίδυμοι ob id *testes* vocantur, quod τῆς ἀῤῥενότητος μάρτυρές εἰσί: in suibus polimenta, quoniam educta suis folliculis, polis, id est pilis alutaceis similia sunt. Laberius: 'Quænam mens? quænam deliritas vos suppolitores facit, cum cano eugio puellitarier?' Suppolitores, subagitatores: puellitari, lascivire: cum eugio, pudendo muliebri. Vide quod adnotatum est supra cap. 37. et infra xxviii. 4. Festus 'polimenta' dicta vult, quod castratura exempta vestium modo poliuntur. Arnobius lib. vii. verecundius 'proles' dici tradit. Vide

Schol. in Festum, voce 'Polimenta.' *Idem.*

CAP. L. *De caudis.*

CAP. LI. *De vocibus.*

Alia cum tractu stridorem, ut cicadas, recepto enim ut duobus sub pectore cavis, spiritu mobili occursante membrana intus attritu ejus sonare viscera sat notum est. Cætera simul cum volatu et incipere audiri et desinere] Alius verborum conceptus in apogr. Toletano: *Alia cum tractu stridorem, ut cicadas. Recepto enim ut duobus sub pectore cavis spiritu, mobili occursante membrana, intus attritu ejus sonare. Muscas, apes, et cætera similia, cum volatu incipere audiri, et desinere. Sonum enim attritu, &c.* Porro scribendum reor, non *cum tractu*, sed *attritu*, ut ex sequentibus patet: *et duobus sub pectore, &c.* non *ut duobus*, nisi malis commutatione particularum scribere, *et enim, &c.* Pintian.

Mutæ in Macedonia traduntur, muti et apri] Mutas esse apud Cyrenen Africæ ranas Aristoteles auctor est VIII. 28. et in lib. de Admiranda Auditione. In Macedonia vero ranas mutas esse, mutosque apros, apud Aristotelem, nisi memoria fallor, neutiquam reperietur. Nec verebor hic aperire, pro consuetudine mea, ingenue quid sentiam. Puto aut hiantem esse locum, nonnullis verbis omissis: aut si hoc non est, Plinium errasse, perperam acceptis Aristotelicis verbis. Ea sunt in libro de Admiranda Auditione ad hunc modum: 'Apud Cyrenen aiunt ranas mutas omnino esse. Et in Macedonia quoque in Hæmatiotarum regione sues esse solidorum unguium.' Hoc ipsum et l. II. c. 1. scribit idem Aristoteles. Et ante Plinius meminit hoc libro, cap. 16. *Idem.* Vide supra VIII. 58.

In homine etiam castratis] Non homo duntaxat castratus, sed omnia castrata animalia exiliorem emittunt vocem. Quapropter videtur mihi legendum hic esse non *in homine*, sed *in omnibus.* Aristoteles V. 14. 'Verum non in omnium animalium genere ita agitur. Sunt enim in quibus econtrario fit, ut in bubus; nam boum fœminæ graviorem quam mas agit vocem, et vitulis gravior quam adultis perfectisque: quam ob rem his castratis vox econtrario mutatur. Transeunt castrata in fœminam.' Et apertius volumine de Gener. Animal. lib. V. cap. penultimo: 'Execta omnia in fœminam mutantur: et quoniam utres nervosæ in suo originali principali laxantur, similem fœminis mittunt vocem.' *Idem.*

Semestris locutus est Crœsi filius] Herodot. lib. I. in capta urbe Sardis fuisse cum patre scribit, et patri timentem, cum eum stricto gladio occisurus Persa invaderet, exclamasse, ne Crœsum interimeret: quæ si vera sunt, jam adultus fuit, non in cunis. *Dalec.*

Vox roboratur, &c.] Quo tempore adolescentes, ut inquit Aristot. ἀφροδισιάζειν ἄρχονται, *hirquitallire, et ad Venerem concitari.* Est autem τραγίζειν illud tum vocem graviorem emittere, tum alis fœtere. Nam quod ait Theophr. περὶ ὀσμῶν· τράγοι, ἔλαφοι, λαγοὶ, καὶ τἄλλα περὶ τὰς ὀχείας μάλιστα ὄζει. In vetere glossario: *Hirquitallus*, τραγῶν παῖς, ἀρχὴν, vel ἀκμὴν, ἡβάσας. Vide Festum. *Idem.*

Orchestris] Theatri parte, quinque gradibus non altiore, ut omnia commode spectarentur, in qua scenici artifices saltabant et agebant, Senatoresque et civium honoratissimi considebant. *Idem.*

CAP. LII. *De agnascentibus membris, et dicta Aristotelis de vita hominis.*

Frons ubi est magna] Signa hæc longa oratione colligit Alex. ab Alexand. II. 19. *Idem.*

CAP. LIII. *De anima et halitu animalium, et quæ gustata interimant, et de victu hominis, et quibus de causis non coquatur.*

Animæ leonis virus grave] Ob id Plauto in Menæch. maritus ædes suas, in quibus uxor habitabat, 'leoninum cavum' appellat: 'Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.' Ac rursum: 'Ut ego hunc proteram leonem Getulum, olentem, edentulum.' *Idem.*

Contacta halitu ejus attingit nulla fera, citiusque putrescunt afflata reliquis, hominis tantum natura infici voluit pluribus modis] Legendum diversa distinctione: *Citiusque putrescunt. Afflatu reliquis homini tantum infici natura pluribus modis voluit;* hoc sensu, cætera animalia tantum inficere animam, hoc est aërem, hominem autem volente sic natura pluribus modis, ciborum dentiumque vitiis, sed præcipue senio. *Pintian.*

Et ciborum ac dentium vitiis] Est etiam sua jejunis graveolentia, quæ sumpto cibo emendatur. Græci νηστείας ὄζειν vocant. Ejus meminit Aristot. in Problemat. Significat et eam Cæcilius Comicus apud Nonium, inducto marito, qui uxoris parum acceptæ odiosam comitatem et blanditias dedignaretur: 'Quis mihi,' inquit, 'ubi Domum adveni, assedi, extemplo suavium Dat jejuna anima.' Plaut. in Mercat. 'Jejunitatis plenus animam fœtidat.' Victorius cap. 2. Vinosis postero die fœdos halitus esse auctor scribit lib. xv. cap. ult. vide quod notatum est ad eum locum. *Dalec.*

Vultures unguento qui fugantur, alios appetunt odores, scarabæi rosam] Ordinem horum verborum vitiatum esse, Theophrastus nos admonet, de Causis Plant. vi. 4. odores tractans his verbis: 'Enimvero aliis alii adversi, nec quicquam commodi sentiuntur: non ita solum ut non indigeant, neque quærant, sed etiam ab his perimantur, quæ nobis suavissime olent, ceu vultures ab unguentis, et scarabæi rosis: nec non et apes vehementer eos oppugnare videntur, qui uncti sunt.' Hæc Theophrastus, ex cujus auctoritate sic Plinii verba lego et dispono: *Vultures unguento quidem necantur, scarabæi rosa.* Pintian.

Sagittas tingunt viperina sanie] Quomodo id venenum pararetur ac misceretur, docet Rhodig. xxiii. 10. Arabas quoque veneno sagittas illinire Pollux scribit, in India milites Alexandri, sagittis veneno imbutis sancii, protinus moriebantur: at Alexandro monstrata per quietem herba, quæ præsentissimo remedio esset. In Harmatis Bragmanum civitate sagittæ veneno tingebantur. Limæo Gallos sagittas inficere auctor scribit xxvii. 7. Straboni Transalpini Galli perniciosissimo lacte arboris ficui similis sagittas tingunt, inde fortassis dictum 'toxicum' veneni genus. Vide quod adnotatum est lib. xvii. cap. ult. *Dalec.*

Pisce viventium, &c.] Ichthyophagorum. *Idem.*

Vomitiones homini ad hæc in remedium excogitatæ, frigidiora corpora faciunt, inimica oculis, maxime autem dentibus] *Fragiliora*, non *frigidiora*, scribendum esse, omnium medicorum tam Græcorum quam Latinorum placita proclamant, qui frequentes vomitiones corpus debilitare, multaque alia adversa gignere tradunt. Paulus i. 42. et plerique alii, et, si recipitur, Avicenna etiam fen. quarta primi, ubi multis capitibus de vomitu disserit, laudatque eum, modo non sit nimius: alioquin nocere stomacho, et debilitare, et resolvere, reddereque aptum ut materiæ ad eum perveniant. Obesse quoque pectori, et visui, et dentibus, et antiquis capitis doloribus. Nocere etiam hepati et pulmoni, et venam quandoque scindere, et actionem ejus ex eis esse, quæ perducunt homines ad malas ægritudines. *Pintian.* *Vomitiones homini*] Vomunt qui ex tempore dicunt. Aristides Rhetor se non esse τῶν ἐμούντων, sed ἀκριβούντων, impe-

ratori Marco respondit. 'Vomitores' dicuntur, qui crapulam vomitu levant. Pompeius Marcellino acerbius contra se in senatu oranti exprobravit suo beneficio e muto vocalem factum, *ex esuritore vomitorem*, *ἐκ πεινατικοῦ ἐμετικόν*. Vomitus quotidianos aut nimis frequentes universa medicorum schola damnat. Queritur Seneca multos vomere ut edant, comesse ut vomant, epulas toto orbe conquisitas, quas coquere dedignantur. Plutarchus vomitiones et per alvum purgationes esse inquit *μικρὰ παραμύθια πλησμονῆς*· utendum vero potius *ὑδροποσίᾳ καὶ ἀσιτείᾳ*· remedia porro hæc esse veluti *ἐκβόλια* et *φθόρια*, quibus intemperantes mulieres partum necant et abigunt, ut Venerem repetant et iterum concipiant. Rhodig. XXI. 10. Vide XXIX. 1. *Idem*.

Corpulentiæ] Graviter et acute Pythagoras, cum audiret quendam ex familiaribus exercitatione ac pleniore cibo id curare, ut habitior foret, dixit molestiorem sibi illum carcerem parare. Rhodig. XXI. 10. *Dalec.*

CAP. LIV. *De corpulentia augenda vel minuenda, et quæ gustu famem ac sitim sedent.*

Augescunt corpora dulcibus, atque pinguibus et potis. Minuuntur siccis et aridis frigidisque ac siti] Duo illa verba *frigidisque*, etsi in scriptis exemplaribus, Romanaque impressione leguntur, in Parmensi tamen et recentioribus impressionibus redundant; ut opinor, recte. Scribendum item reor *amaris*, non *aridis*. Oppone pinguia siccis; potum siti; dulcia amaris; non omnino sententiam nostram improbabis. *Pintian.*

Mori esuriendi semper inexplebili aviditate animalium uni homini] In exemplar. Salmant. tria postrema verba superfluunt. In Tol. unum tantum *homini*. Nec *mori esuriendi* legendum crediderim, sed *moriendi*. Idem.

LIBER XII.

PROŒM. *Ut inde eruta dicantur*] Exemplar Tolet. *erudita* legit, non *eruta*. Pintianus.

Unionem in rubri maris profundo] Scribo, *in rubri maris profunda*, ex eodem; nam eadem locutione qua dixit, *vestes ad Seras peti*, subdidit, *in rubri maris profunda*. Idem.

CAP. I. *De arborum honore, et quando platanus primum in Italia, et de natura earum.*

Hæc fuere numinum templa] Hoc etiam nostro seculo fit. Procerissimas arbores in ædium sacrarum vestibulis, et sepulchretis viciniis alunt. *Dalec.*

Quin et Silvanos Faunosque et Dearum genera silvis ac sua numina tanquam et cælo attributa credimus] Locum esse suspicor non solum corruptum, sed verbis etiam aliquot deminutum. Utcunque melior erit lectio: *Quin et Silvanis Faunisque et nympharum generibus e silvis sua nomina tanquam e cælo attributa credimus;* nam et codex Toletanus *nomina* præfert, non *numina*. Pintian.

Viresque potus vini] Ovidius: 'Et jam deficiens sic ad tua verba revixi, Ut solet infuso vena redire mero.' *Dalec.*

Secundæ] Vitruvius II. 1. *Idem.*

Hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiæ] Livius lib. V. Decadis I. Plutarchus in Camillo, scribunt fama jactatum, Gallos dulcedine

frugum, maximeque vini tunc nova voluptate captos, Alpes transisse, agrosque ab Hetruscis ante cultos possedisse. Invectum autem in Galliam vinum, illiciendæ gentis caussa, ab Arunte Clausino. Ejus rei fortassis exemplo, imperatores Valentinianus et Gratianus in codice prohibent, ad barbaros vinum, oleum, liquamen transferre, ne gustus quidem caussa aut commercii. Magius III. 12. *Idem.*

Elico ex Helvetiis civis earum] Alia exemplaria, *civis eorum:* ego puto scriptum fuisse a principio, *civis Rom.* pro *civis Romanus;* et postea depravatum fuisse in *civis eorum*. Pintian.

Præmissa] Primitias, quas e musto 'sacrima' vocari Festus tradit, ex messe *præmessum*. Hermolaus *præmissa* legit; sed, ut censet Rhod. VI. 6. jejuno sensu. *Dalec.*

Platanus] Platanum multam in Hetruria sponte nasci, vide apud Victorium XIX. 19. *Idem.*

Ad tributarium etiam pertinens solum] Harmenopulus suo seculo non tantum pro solo, sed etiam pro cælo et aëre vectigal exactum fuisse tradit a Michaële Paphlagone imperatore. *Idem.*

Dionysius prior] Theophrastus Hist. IV. 7. *Idem.*

Nunc est clara in Lycia] In Lydia Xerxem Herodotus scribit platanum comperisse, quam ob pulchritudinem monili aureo donaverit, et custodiendam mandaverit uni ex immortalibus. Idem et Ælianus: θερειλεχέα πλάτανον Nicander vocat, quod æstate τοῖς σκιατροφουμένοις lectum ac cubile umbram frondis suæ præbeat. Rhod. XXV. 1. Vide ibidem cur se platano similem esse Themistocles diceret. Platanum a foliorum latitudine dici in confesso est. Lycium et gymnasium et Apollinem Athenis fuisse Callimachus, Thebis Sophocles in Œdipode scribit. Idem XIX. 20. *Dalec.*

Nemoroso vertice, et se vastis protegens ramis] Lege: *nemorosa vertice, et se vestis protegens ramis, nemoris instar agros longis obtinens umbris; ac ne quid desit speluncæ imagini saxeæ intus crepidinis corona muscosos complexa pumices, tam digna miraculo, &c.*] Vide Salmas. p. 816. a.

Optantem imbrium per folia crepitus] Honestior quorundam codicum lectio, *captantem imbrium per folia crepitus*, et paulo ante, *domus suæ miraculum;* ubi *domui* legit, non *domus*, exempl. Tolet. ut forte legi debeat, *domui umbraculum*. Pintian.

Cum ipse pars esset umbræ] Scribendum reor, *cum imparis esset umbræ*. Convitium quidem in Caium, non tamen Plinii. *Idem.*

Est Gortynæ in insula Creta] Theophrastus Hist. I. 15. Ex Cretica tamen satam fuisse is non ait. *Dalec.*

Platani satæ generavere vitium] Legendum credo, *platani satæ degeneravere in vitem;* quia sequitur illico: 'quandoquidem commendatio arboris ejus non alia major quam solem æstate arcere, hieme admittere.' *Pintian.*

Sed qui se potentiæ causa Cæsaris libertis adoptasset, spado Thessalicus prædives, et merito dici posset is quoque Dionysius] Hæc tam solicita disquisitio fortunarum ac morum hominis libertinæ conditionis nec præsenti instituto congruit, et indigna est Pliniana gravitate. Itaque verba hæc non Plinii, sed aliena censemus. *Idem.*

Dionysius] Fortassis ob vineta multa et ampla quæ possidebat. *Dalec.*

CAP. II. *De chamæplatano, et quis primus totonderit viridaria.*

Arborum etiam abortus invenimus] Theophrastus Hist. IV. 4. *Idem.*

Pumilionum] Staturæ brevis et pumilæ caussas investigat Rhod. III. 10. citato etiam hoc loco. *Idem.*

Tonsilia] De silvis tonsilibus mentio apud Senecam in procœmio Quæst.

Natur. *Idem.*

CAP. III. *De peregrinis arboribus et malo Assyria.*

Medicam] Theophrast. Hist. IV. 4. *Dalec.*

Folium ejus est unedonis] Virgilius: 'Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro: Et si non alium late jactaret odorem, Laurus erat.' *Idem.*

Qui transit in vestes una conditus] Oppius apud Macrobium III. 14. et citrum et *θύαν* vocatam arborem putat, et de illa versum hunc Homeri exponendum: *Εἵματά τ' ἀμφιέσασα θυώδεα, σιγαλόεντα.* Leopardus VIII. 6. Quidnam id sit, quod ejus florem apprime tenacem esse Virgilius tradidit, vide diligenter explicatum a Victorio Observ. XXXII. 8. Fructum hujus arboris aureum malum dictum volunt: cujus meminit Orpheus, crepundia Bacchi et suppellectilem infantium enumerans: *Κῶνος, καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια, Μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.* Scalig. Vide Athenæum lib. III.

Meminisse conveniet] Verior lectio, *monuisse conveniet.* Quanquam puto verborum quoque ordinem mutatum esse et rectiorem esse scripturam: *qualiter omnia transitura longius seri, arctissimeque transferri monuisse conveniet.* Pintian.

Incoquere diximus] Penultimo cap. libri superioris. Virgilius: 'Flos apprime tenax: animas et olentia Medi Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis.' *Dalec.*

CAP. IV. *De Indiæ arboribus, et quando Romæ primum ebenus.*

Lanigeras Serum] Lanigeras Tyli insulæ. Vide apud Theoph. Hist. IV. 6. Indicas vero c. 5. libri ejusdem. Vide et supra VI. 17. *Dalec.*

Virgilius] Georg. 'India fert ebenum, molles sua thura Sabæi.' Vide infra XXIV. 11. et Theophrast. IV. 5. *Idem.*

Centenas] Ducentenas Herodotus in Thalia. *Idem.*

Phalangas] *Phalanges, ἔργματα,* ligna rotunda, fustes teretes, quibus subjectis in litus naves subducuntur, et in mare deducuntur. Prælium Afros contra Ægyptios primum fecisse fustibus, quos phalangas vocant, dixit supra VII. 57. Phalanx Chananæorum vox est. Afri certe, qui Carthaginem et plerasque maritimas urbes incoluerunt, a Chananæis originem habuerunt. Atque hoc quidem a Mitalerio observatum est. *Idem.*

Qui Padum amnem vidisset, neminem ad id tempus Asiæ Græciæque aut sibi cognitum] Verba sunt Herodoti lib. III. *Οὔτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαι Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον.* Et mox: *Οὔτε δὲ οὐδενὸς αὐτόπτεω γενομένου.* Tamen turbat lectorem nonnemo velut scripta lectione oblata, *qui Padum amnem non vidisset*; tum conjiciendo, *nemini.* Quid est autem, *nemini cognitum, qui Padum amnem non vidisset?* Itane omnes undique currebant ad videndum Padum? Sed nec recte illum adnotasse suspicor veterem lectionem; nam Vossiani duo, Gud. et Acad. *qui Padum non vidisset.* Ex quo merito eruditi fecere, *qui Padum amnem vidisset.* Gronov.

Ut diximus] Lib. VI. c. 29. *Idem.*

Raram arborem ebenum Meroën usque a Syene, &c.] Scribe, *raram arborem a Syene fine imperii per nongenta M. passuum, nullamque nisi palmarum generis.* Et quod sequitur, sic emenda, *fortassis in tributis auctoritate tertia res fuerit ebenus:* in tributis quæ pensitabant Æthiopes regibus Persidis tertius ebeno locus fuit. Vide Salmas. p. 387. a.

Duo genera ejus] Theoph. Hist. IV. 5. aliter hæc recitat. *Dalec.*

Rarum id, quod melius, arboreum trunco, &c.] Lege: *rarum id quod melius, arbore mire enodi.* Salmas. pag. 1035.

Nigri splendoris] Εὔξυλον καὶ καλὸν, *præstanti pulchroque ligno.* Dalec.

Sine arte protinus jucundi] Coloris gratiam recondita et asservata, θησαυριζομένη, non accipit, sed natura statim. Theoph. *Idem.*

Alterum fruticosum, &c.] De utroque id Theophrastus, non tantum de viliore. *Idem.* *Alterum fruticosum, &c.*] Finalia hujus capitis verba cum sequenti capite conjungenda sunt, eo modo: *alterum fruticosum cytisi modo et tota India dispersum. Est ibi et spina similis, sed deprehensa vel lucernis igni protinus transiliente.* Vide Salmas. p. 1033. a.

Cap. v. *De spina et ficu Indicis.*

Igni protinus transiliente] Hæc omnia ex Theophrasto iv. 5. et i. 12. *Dalec.*

Ficus ibi exilia poma habet, &c.] Lege: *Ficus ibi exilia poma sed ipsa semper ferens, vastis diffunditur ramis.* Salmas. p. 1015. b.

Vastis diffunditur] Ad duodecim cubitos. Strabo. *Dalec.*

Æstivant] Morantur homines. Theoph. 50. equites apud Strabonem Aristobulus. *Idem.*

Ut LX. p. pleræque] Eadem Oviedus scribit de Mangle ix. 6. Strabo lib. xv. ex Onesicrito et Nearcho describit, et in Musicana Indiæ provincia nasci tradit. *Idem.*

Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet] Theophrastus de Hist. Plant. iv. 4. non effigiem tradit, sed magnitudinem habere peltæ. 'Folium,' inquit, 'pelta non minus habet.' *Pintian.*

Nec fabæ magnitudinem excedens] Digna transformatio quæ inter Ovidianas reponatur, ciceris in fabam. Theophrastus loco proxime citato: 'Fructum admodum parvum, magnitudine ciceris, ficui similem.' *Idem.*

Cap. vi. *De arbore pala, et arboribus Indicis sine nominibus, et laniferis.*

Alas avium] Στρουθίων, *struthiorum,* (struthiocamelorum,) quæ galeis imponuntur. Theophr. *Dalec.*

Imitatur] Sic describitur Indicum Lycium a Garcia. *Idem.*

Arbori nomen palæ] Quidam, ut dixi, Musam esse putant, Thevetus c. 33. arborem vocari ait 'pagovere,' fructum 'pacona:' Oviedus platanos: utrunque nomen ad palam accedit. Aliam huic similem, et usus frequentissimi, Thevetus ibidem scribit vocari 'hoyriri.' Oviedus 'jajama.' *Idem.*

Plurima est in Sydracis] Scribo *in Oxydracis* ex Strabone lib. xvi. et Stephano, et reliquis. *Pintian.* *Plurima est in Sydracis*] Ad Acesinem amnem. Theoph. *Dalec.*

Dulcior pomo] Fructu longo; contorto, non recto, in cibo suavi. Theophr. Hanc Tamarindos nostros esse putant. *Idem.*

Est et alia similis huic, dulcior pomo, sed interaneorum valetudini infesta] Censeo scripsisse Plinium *valetudine infesto*, hoc est, morbo, ut passim ea voce optimi quique utuntur. Infestum est id pomum eo, quod interaneorum valetudinem vel dolores gignat. *Gronov.*

Interaneorum valetudini infesta] Quia morsum facit et dysenteriam excitat. Theophr. *Idem.*

Terebintho similis] Arborem hanc Pistaciam nostram esse volunt. *Dalec.*

In Bactris utique] Hæc verba, ni fallor, ad præcedentia pertinent. Theophrastus Hist. Plant. iv. 4. 'Ferunt et terebinthum haberi, ut alii similem terebintho, cui folia, et rami, et reliqua omnia terebintho similia, fructus autem diversus; similis enim amygdalis. Nam et in Bactris terebinthum hanc esse, ferreque nuces amygdalarum magnitudine: quoniam non magnæ sint, sed visu similes, et suavitate amygdalis præstantiores.' Ex his Theophrasti verbis colligitur, verba, quæ statim ante præcedunt, aliter legenda esse, *pomo amygdalis minore tantum magnitudine;* scriben-

dum enim, *pomo amygdalæ magnitudine*, ut superfluant duæ illæ dictiones, *minore tantum;* nisi quis velit erroris notam Plinio inurere, qui verba illa Theophrasti, *quoniam magnæ non sint*, male verterit, *minore tantum magnitudine;* nam Theophrastus non minora amygdala, sed pari cum amygdala magnitudine poma ferri ab ea arbore prodit. *Pintian.*

Sed unde vestes lineas faciunt] Scribo *laneas*, non *lineas;* nihil enim notius lanigeris Indiæ arboribus; nam præter Herodotum in tertio, Theophrastus quoque de arboribus laniferis Tyli insulæ sic loquitur de Hist. Plant. IV. 8. 'In Tylo,' inquit, 'insula, quæ in sinu Arabico est, parte ad orientem spectante, tantam arborum multitudinem esse affirmant, ubi æstus recesserit, ut locus frequentissimo vallo munitus relinquatur: atque his omnibus magnitudo quæ fico, flos odore excellens, fructus ingustabilis, et visu lupino similis. Lanigeras quoque arbores multas eandem insulam ferre: has folia vitigena gerere, verum minora fructum nullum: id in quo lana continetur, mali amplitudine cerni, verum nascens compressum cum tempestivæ maturitatis sit, aperiri, et lanam excipi, qua telas texunt, alias viles, alias pretiosas: hoc idem et in India, sicut dictum est, et in Arabia fieri asseverant.' *Idem.*

Foliis moro similis, calyce pomi cynorrhodo] Sic Hermolaus corrigit, ex Theophrasti auctoritate se id facere professus; sed temperare mihi nequeo, quo minus dicam mirari me in plerisque Hermolai frontem, auctores cum magno studiosorum dispendio falso subinde citantis, et quorum nec minima subsit mentio, eis tribuentis, ut plane videatur imposturam voluisse lectoribus facere. Theophrasti verba subtexam, ut planum fiat omnibus quam vera Hermolaus tradiderit: 'Plantæ,' inquit, 'ex quibus vestes conficiunt folium moro simile habent, totam autem stirpem similem cynorrhodo.' Hæc ad verbum Theophrastus: in quibus verbis ubi, obsecro, est, similem esse laniferam arborem calyce pomi cynorrhodo? Nec scio unde Hermolaus collegerit valere argumentationem a similitudine totius ad totum, ad similitudinem partis ad partem; ut si sic argumenteris: Tota simia toti homini similis est: ergo simiæ nasus naso hominis. Ita et si tota arbor lanigera similis est cynorrhodo, non consequetur, puto, ut calyx pomi arboris lanigeræ similis sit calyci pomi cynorrhodi. Publica ante Hermolaum lectio impressorum codicum erat, *calyce bombycinorrhodo;* ex qua, si Theophrastum et Plinium convenire volumus, hanc eliciemus: *corpore toto cynorrhodo*, hoc est, stirpis universitate. At durior, inquis, est correctio; quis neget? sed multo duriores præcessere aliæ, quas tamen fatearis necesse est veriores esse Sibyllæ foliis, tam eximiis scriptorum testimoniis obvallatæ sunt. *Idem.*

Serunt eam in campis] Addit Theoph. per ordines; quare procul aspicienti vites esse videntur. *Dalec. Serunt eam in campis, &c.*] Lege: *Serunt eam in campis, nec est gratior villarum prospectus.* Villarum prospectum posuit pro vinearum. Et sane villa diminutivum a vinea. Vide Is. Vossium in Melam, p. 266.

Nec est gratior ullarum prospectus] Vetus lectio, *nec est gratior villorum aspectu;* scribo non *villorum aspectu*, sed *vinearum aspectu.* Theophrastus Hist. Plant. lib. IV. 'Seruntur ordinatim, quapropter e longinquo aspicienti vites apparent.' Nec est quod minus credam quam verba illa, *nec est gratior*, sincera esse; sed quomodo castigem ad præsens non occurrit. *Pintian.*

CAP. VII. *De piperis arboribus, de garyophyllo, et aliis pluribus.*

Oliva Indiæ sterilis, præterquam ole-

astri fructu] Et natura pene inter oleum et oleastrum, folio latiore, quam oleastri, angustiore quam oleæ. Theophr. *Dalec.* *Oliva Indiæ sterilis, &c.*] Sic postrema hujus capitis verba cum sequenti capite conjungenda: *Oliva Indiæ sterilis, præterquam oleastri fructu. Passim vero quæ piper gignunt, juniperis nostris similes; quamquam in fronte Solibus opposita gigni tantum eas aliqui tradidere.* Eorum porro opinio qui tradidere piper in ea parte Caucasi, quæ solibus opposita est, tantum gigni, prorsus hodie falsa deprehenditur. *Salmas.* p. 1023. b.

De piperis arboribus] De pipere pauca Theophrastus Histor. lib. IX. cap. ult. paulo plura Philostratus in Vita Apollonii III. 1. *Dalec.*

Juniperis nostris similes] Plinius ex aliena fide falsa hæc narrat omnia. Certas omnium generum piperis historias pete ex Garcia, I. 22. *Idem.*

Iis] Piperi nigro. Diosc. *Idem.*

Fiuntque semina cassa et inania] Lego, *fiuntque semine cassæ et inanes;* ut referatur ad siliquas; nam et scripta lectio *semine* agnoscit, non *semina.* Pintian.

Quod vocant brechmasin sic Indorum lingua significante abortum] Ambo antiqui codices: *quod vocant brigma: sic Indorum lingua significante mortuum.* Idem.

Gratius] Ἐντομώτερον. Diosc. *Dalec.*

Sola placere amaritudine] *Placuere* exemplar Toletanum, non *placere.* Pintian.

Utrumque silvestre gentibus suis est] Tria piperis genera indicata sunt, non duo, longum, album, nigrum: non est igitur locus verbo illi *utrumque:* quare *utcunque* lego, non *utrumque.* Idem.

Italia habet] Italici piperis arbusculam esse, quam adhuc officinæ et olitores piper vocant; quidam Ison nigrum, descriptam in historia nostra plantarum. *Dalec.*

Garyophyllon] Hoc quidam esse putant comacum Theoph. memoratum Hist. IX. 7. *Idem.*

Piperis similitudinem] Hallucinatur Plinius. Hæc est Lycii descriptio in Cappadocia, Lycia, et, ut ait, in Pelio nascentis. Indica spina Lycii, quam lonchitin vocant, ramos rectos mittit, tricubitales majoresve, rube crassiores, a radice multos; folia oleæ; fractus cortex rubet. Diosc. qui de aromatibus Indicis scripsit, narrat Lycium ab Indis vocari *cate;* fieri e ramis arboris *hacchic,* minutim concisis, elixis, contusis, cum farina, nachani succo mixto, et in pastillos tabellasve formato. Arborem esse magnitudine fraxini, folio minuto, ericæ, vel tamaricis, semper virente, multis spinis horridam; florere, sed fructum non ferre; lignum durum et densum ubivis incorruptum manere. *Dalec.*

Hæc in aqua cum semine excepta in æreo vase medicamentum fit quod vocatur lycion] Scribo, *Hac in aqua cum semine excocta;* nam et vetus et recentior omnis lectio *hac* habet, non *hæc,* refertque id pronomen, radicem. Item *frutice* malim legere quam *semine,* quanquam violenta correctione. Dioscorides lib. I. 'Colligitur ex ea succus, tusis una cum frutice radicibus, et cum diebus aliquot in aqua maduerint decoctis; tum exempto ligno, iterum eo qui superest liquore ad crassitudinem mellis decocto.' Plinius XXIV. 14. 'Coquuntur in aqua tusi rami, radicesque summæ amaritudinis æreo vase per triduum.' *Pintian.*

Spumeum] Quod uri potest, et restinctum spumam rubentem ostendit. Alia est Lycii Indici descriptio apud Diosc. et Garciam. *Dalec.*

Spinam ipsam in Græcia quidam pyxacanthum Chironium vocant] Scribe fœminina terminatione, *pyxacantham Chironiam.* Dioscorides prææallegato loco: 'Lycion, quod pyxacantham

aliqui vocant, spinosa arbor est.' Plinius XXIV. 14. 'Lycion præstantius e spina fieri tradunt, quam et pyxacantham Chironiam vocant.' *Pintian.*

CAP. VIII. *De macir, saccaro, arboribus Arianæ gentis.*

Saccaron] Gal. Sim. p. 5. Varro Narbonensis: 'Indica non magna nimis arbore crescit arundo, Illius e lentis premitur radicibus humor, Dulcia cui succo nequeant contendere mella.' Statius Syl. I. 'Et quas percoquit Ebutia cannas.' Lucan. lib. III. 'Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.' Strabo lib. V. Εἴρηκε δὲ καὶ περὶ καλάμων, ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν. Arrianus in Periplo, καὶ μέλι τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σακχαρί. Brod. IV. 22. Indicum salem vocavit Archigenes, Arabes *tabaxir* nominant, Indi *saccar mambu.* Dalec.

Contermina Indis gens Ariana appellatur] Theophrastus Histor. IV. 5. *Idem.*

Myrrhæ similis] Strabo lib. XV. Gedrosiam ferre myrrham et nardum scribit: est autem Gedrosia Arianæ contermina. Theophrast. eam lacrymam Illyriæ aspectu odoreque similem esse tradit. Legunt quidam *Illyricæ Iridi:* lego: τῇ Γαβιραίᾳ σμύρνῃ, *Gabiraæ myrrhæ.* Idem.

Accessu propter aculeos anxio] Accessu Solis profluente cum illuxit, ex Theophrast. *Idem.*

Item laurino folio et ibi spina tradita est] Particulam *item*, per minorem literam scriptum, cum duobus verbis sequentibus, superioribus annecte, ex Theophr. l. IV. apertissime. *Pintian.*

Cujus liquor] Lacteus, e nodis aculeatis, fractis, tritisve expressus. Theophrast. Idem refert Strabo lib. XV. Sed spinæ, cujus liquor excæcat, fructum humi jacere et cucumeri similem esse tradit, quod tacet Theophrastus. *Dalec.*

Herba, &c.] In Maritimis arenæ tumulis Gedrosiæ nascens. Strabo. *Idem.*

Mel horis] Mel id *xirquest*, id est, lac arboris *quest*, Arabibus et Persis dicitur: vulgo corrupte *siracost*. Utribus reconditum venditur, ac Indis in frequenti usu est. Alterum quoque hujus generis nascitur, melli candido simile, Hormusii copiosum. Vide Garciam I. 11. *Idem.*

CAP. IX. *De bdellio, et arboribus Persici maris.*

Brochon] Arabes *molochil* et *molachal* bdellium vocant. Hæ dictiones in bolchon et madalcon detortæ ac corruptæ fuerunt. *Idem.*

Simile ceræ] Taurino glutino. Diosc. *Idem.*

Aliqui peraticum] Quædam exemplaria *pyraticum:* vetus lectio *Parthicum;* quod magis probo; nam, ut supra ostendit Plinius VI. 25. duodeviginti erant Parthorum regna; ut mirum non sit si ex Media advectum Parthicum appellaretur. *Pintian.*

Cætera ejus genera cortice scordasti, &c.] Adde conjunctionem *et*, *corticæ et scordasti.* Idem.

Bactriano nidor siccus] Vetus lectio *nitor* habet, non *nidor*. Legendum existimo, *nitor suus*, hoc est, peculiaris, proprius, ut confestim: 'Præterea suum pondus.' *Idem.*

Multique candidi ungues] Gal. lib. II. de Antidotis, in Antidoto Charmidis bdellium præstantissimum vocat βδέλλιον ὄνυχα: lib. VIII. κατὰ τόπους in Iambicis Damocratis: lib. X. ejusdem operis in malagmate Fabullæ; et id quidem, non quod in eo candidi visantur ungues, quemadmodum censet Plinius, sed quia bdellium accensum unguis odorati modo oleat. Serapion sic interpretatur verba Dioscoridis, ἐοικὸς εἶναι βδέλλιον τῷ ὄνυχι. *Dalec.*

Gentes supra dictas] Carmaniam. Theophrastus Hist. IV. 8. *Idem.*

Namque eroses sale] Theophrastus

arborum harum tria genera memorat. Primum in insulis quas æstus operit, magnitudine ingentis platani populive, folio lauri, perpetuo; flore violæ, odore, et colore; fructu suaviter olente, magnitudine olivæ. Secundum in eo mari, semper foliosum, fructu lupini. Tertium in maritimis Carmaniæ, Adrachnæ simile, nuda radice polypi modo adhærens, fructu extrorsum amygdalæ, intus in cohærentes veluti flexuosas spiras convoluto. Hæc Plinius suo more confundit. Vide lib. XIII. cap. ult. *Idem.*

Operiuntur totæ] De insularibus id Plinius, non de iis quæ in continente nascuntur. *Idem.*

CAP. X. *De arboribus Persicæ insulæ, et lanigeris arboribus.*

In eodem sinu] Theophr. IV. 9. *Id.*

His folia infœcunda] Lanæ: aliter quam apud Seras, quorum in tractu laniferæ arbores folia lana operta gerunt. *Idem.*

Cucurbitas] Fructus cucurbitæ similes, id quod lanam continet, vere compressum, maturitate se recludens, unde lanas trahunt; ex quibus telas nunc pretiosas texunt, nunc viliores, inquit Theophrastus. *Idem.*

CAP. XI. *De gossampinis, et arboribus ex quibus vestes fiunt, et quibus modis constent arborum fructus.*

Arbores vocant gossampinos] Puto legend. esse *gossypinon;* idem quod gossypion. Vide Salmas. p. 298. b. *Arbores vocant gossampinos*] Theophrastus IV. 9. *Dalec.*

Albæ violæ] Λευκοΐου. Theoph. Hist. IV. 9. *Idem.*

Quod miremur in eo tractu] De loto Ægyptia eadem post traduntur. XIII. 18. *Idem.*

Quem noctu comprimens] Vesperi paulatim colligit, et noctu rursus omnino claudit. Theophrast. *Idem.*

Vicina his Arabia, &c.] Legendum: *Vicina his Arabia flagitat quandam generum distinctionem, quoniam fructus his constant radice, frutice, cortice, succo, lacrima, ligno, surculo, flore, folio, pomo. Radix et folium Indis, et maximo pretio.* Fructus Arabibus constant, radice, frutice, folio, &c. Sed radix et folium etiam Indis, et maximo quidem pretio. Radix illa, costi est; folium nardi; quæ ambæ species in India nascuntur. Costum in Arabia quoque. *Salmas.* 1064. b. et 1065. a.

Generum distinctionem] Odorum sive aromatum genera his fere versibus complexus est Plaut. in Curcul. 'Nam omnium odor unguentum præ tuo nausea est. Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa, Tu crocum, et casia es, tu bdellium,' &c. *Dalec.*

Constat radice] Aromata constant 1. radice, cyperus; 2. frutice, casia; 3. cortice, macer; 4. succo, silphium; 5. lacryma, myrrha; 6. ligno, agallochum; 7. surculo, caryophyllum; 8. flore, nardus, rosa; 9. folio, malabathrum; 10. pomo, malus medica. *Idem.*

CAP. XII. *De costo, et nardo, et differentiis nardi.*

Gustu fervens] Vide Garciam I. 35. *Dalec.*

Patale] Vulgo *patan.* Idem.

De folio nardi] Malabathrum, sive φύλλον, nardi folium esse, deceptus Plinius judicavit, quo errore lapsos quoque multos alios fuisse Dioscorides tradit. Vide Garciam I. 33. *Idem.*

Frutex est gravi et crassa radice] Lege: *Frutex est gravi ac crassa, &c. ut cyperi, aspero sapore, folio parvo densoque: cacumina aristæ se spargunt, &c.* Vide Salmas. p. 1064. b.

Alterum ejus genus apud Gangem nascens damnatur in totum, ozænitidis nomine] Legendum videtur *Gangitidis*, non *ozænitidis.* Dioscorides lib. I. unde hoc mutuatus videtur Plinius: 'Ex Indicis,' inquit, 'nardum quoddam Gangitis vocatur, a fluvio Gange apud quem enascitur.' Nec me fugit Hermolaum in Corollario aliter sen-

tire; sed ille conjectura ducitur, nos Dioscoridis auctoritate nitimur. *Pintian.*

Pseudonardo] Item luto siccæ radici permixto, ex Diosc. *Dalec.*

Item sua radice permista ponderis, &c.] Legend. *Item sua radice permixta ponderis causa et gummi, spumaque argenti ac stibio, ac cypiri, cyperive radice.* Item nardus adulteratur sua radice, ac cypiri, vel cyperi, permixta et gummi ponderis causa et spuma argenti ac stibio. Vide Salmas. p. 1065. b.

Folia divisere annonam] Lege: *Folii divisere annonam: ab amplitudine hadrosphærum vocatur, majoribus pilulis.* Mercatores scil. dum aliud pretium faciunt folio hadrosphæro, aliud mesosphæro, &c. Non plura folia in unam pilulam solebant conglobari, sed ex singulis foliis complicatis singulæ sphæræ fiebant. Vide Salmas. p. 1070. b. *Folia divisere annonam*] Folia sub. malabathri. De malabathro verbis totidem et iisdem hæc refert Arrianus. Annonam pretium mercis vocat. *Dalec.*

Majoribus foliis X. XXX.] Exemplar Salmant. *populis* legit, non *foliis*: Toletanum *pipulis*; ut forte legendum sit *scripulis.* Pintian.

Phu] Plinius hoc loco tacet flores phu esse narcisso similes, ut est apud Dioscoridem, nondum animadverso mendo codicis Græci, cum legendum sit, ἄνθη πρὸς τὰ τοῦ κισσοῦ, quod optime convenit et colori et figuræ. *Dalec.*

Purpura albicante] Ἐμπορφύρῳ Dioscor. *purpurascente*, ex obliquo villosa. *Idem.*

Avium pedes] Veratrum nigrum, seu *melampodium*, ex Dioscoride. Ex voce *melampodium* vetustorum exemplarium corruptores effecerunt τοὺς τῶν ὀρνίθων πόδας. *Idem.*

De quo dicemus inter flores] Lib. XXI. c. 6. et 9. *Idem.*

Semper nascitur herba] De suo id Plinius. Dioscorides ea tantum herba nardum adulterari scribit. *Idem.*

CAP. XIII. *De asaro, amomo, amomide, et cardamomo.*

Asarum] Vide infra XXI. 6. et 9. *Dalec.*

Est autem ederæ foliis rotundioribus tantum mollioribusque] Lege: *Est autem hederæ foliis rotundioribus tantum mollioribusque, flore purpureo radici alligato, alterci simili, acinoso, saporis, &c. Altercus* Latinis ὑοσκύαμος, quasi *altericus*, quod mentem alteret et alienet. De saliunca minime dubium, quin Latini nardum montanum ita appellarint. Vide Salmas. p. 1069. a.

Acinosum] Ἐοικὸς γιγάρτῳ. Dioscor. *acini grano simile.* Dalec.

Amomi uva in usu est, Indica vite labrusca, &c.] Lege, *Amomi uva in usu est, Indica vite labrusca; ut alii existimavere, frutice botruoso.* Amomum verum esse *uvam* ex Indica labrusca, hoc est, βότρυν, nonnulli veterum crediderunt. Alii *fruticem* esse *botrosum*, θάμνον βοτρυώδη. *Salmas.*

Frutice myrtuoso] Scaliger legit *frutice myrteolo;* nempe coloris myrtei, id est, inter nigrum et flavum medii, sicut apud Horatium exposuit Porphyrio, hoc versu: 'Myrteum nodo cohibere crinem;' ut hac appellatione id nos intelligamus, quod Dioscorides dixit ὑπόκιῤῥον. *Dalec.*

Colore ruffo] Dioscorides recens et candidum, vel subrubrum, præfert. Armeniacum, optimum, χρυσίζει: Ponticum, secundum, subrufum est; medicum, deterrimum, ὑπόχλωρον, *subviride.* Idem.

Pretium uvæ in libras X. LX. friato, &c.] Lege: *pretium uvæ in libras X. LX. friato vero amomo X. XLVIII.* Dicit pretium uvæ in libras denarios fuisse sexaginta, friato vero amomo, denarios quadraginta octo. Vide Salmas. p. 400. a, b.

Amomis] Amomide Dioscorides scribit amomum adulterari. *Dalec.*

In Arabia] Advehitur ex India et

Media, Theophr. Hist. IX. 7. *Idem.*

CAP. XIV. *De thurifera regione.*

Thura] Theophr. Histor. IX. 4. *Idem.*

Saba appellata, quod significare Græci mysterium dicunt, spectans ortus solis æstivi, undique rupibus invia et a dextra maris scopulis inaccessa] Paucioribus verbis ambo exemplaria: *Saba appellatur, hoc significare Græci mysterium dicunt: spectat ortus soli æstivi, undique maris scopulis inaccessa.* Pintian. Leg. *Saba appellatur, quod significare Græci mysterium dicunt.* Vide Salm. pag. 496. b. 497. a.

Schœnus] Supra V. 10. stadia triginta; Herodoto lib. II. sexaginta. Erasmus Prov. 'Hirundo totos schœnos anteibit.' *Dalec.*

Colles alti] Et nive operti. Theophr. *Idem.*

Feruntque MMM. non amplius esse familiarum] Deest in libris numerus familiarum, et sane tot familiæ urbem vel populosam facere queant; scriptum, ut opinor, fuerat: *ferunt CIC. non amplius esse familiarum.* Vide Salmas. pag. 501. a.

Alii lentisco similem subrutilo] Verum hos (Theophr.) prodidisse, vide apud Garciam I. 7. *Dalec.*

Virgis etiam thuris ad nos commeantibus, &c.] Legend. *virgis etiam thuris ad nos commeantibus: quibus credi par est matrem quoque terete, enodi fruticare trunco.* Vide Salmas. p. 500. b.

Jam quæstus alteram vindemiam affert] Legend. *Jam quæstus alteram vim affert;* nam vis adfertur arbori, dum inciditur ac vulneratur: 'sancias arbores,' et 'plagam arboris' paulo post dicit: 'Prior atque naturalis vindemia circa canis ortum flagrantissimo æstu, incidentibus qua maxime videatur esse prægnans tenuissimusque tendi cortex.' Vindemia non erat circa canis ortum, sed tantum incisio; nam quæ incidebantur æstate, et circa canis ortum, non ante autumnum legebantur: infra: 'Autumno legitur de æstivo partu.' Secunda vindemia est vere, ad eam hyeme corticibus incisis:' non igitur prior vindemia circa canis ortum, sed ἐντομὴ tantum et partus. Heic Plinius videtur sui oblitus, nisi distinguendum sit: *Prior atque naturalis vindemia, circa canis ortum flagrantissimo æstu incidentibus;* ut circa canis ortum incidant, quæ postmodum autumno legantur, ac vindemientur; quod verum est. Sequitur: *laxatur heic plaga, non adimitur:* heic in thuris arbore incidenda: cortex laxatur et aperitur tantum plaga, non adimitur, ut in picea; de qua XVI. 12. his verbis: 'Aperitur picea e parte solari non plaga, sed vulnere ablati corticis,' ubi notandum est, plagam a vulnere distingui. *plaga* est ἐντομὴ, ubi cutis tantum laxatur et scinditur: *vulnus,* τὸ ἕλκος, cum distrahitur et tollitur ac separatur a corpore. Sequitur: *nec corpori ipsi parcitur, ut in ceteris quoniam astula in fructu est.* Vulnus in picea fiebat sola detractione corticis, id est, postquam humore confluente repletum esset, abscindebatur securi. Vide Salmas. hac de re latius disserentem, pag. 501. a, b. 502. a.

Prior atque naturalis] Vide Theophrast. Hist. IX. 2. *Dalec.*

Persona adjicitur capiti] Ne videat opifex qua adeundum sit ad furtum, qua exeundum. *Dalec.*

Illud carpheotum, &c.] Legend. *Illud carphiotum; hoc dadioton,* ἀπὸ τοῦ δᾳδίου, quod simile esset τῷ δᾳδίῳ, sive *resinæ,* quæ ex arboribus πισσοφόροις manat. Resina quidem picea candidior est: ideo thus ea adulterabant: τὸ καρφιωτὸν, ἀπὸ τῶν καρφίων, ita vocabant thus quod autumno colligebatur candidissimum et purissimum. *Salmas.* pag. 505. b.

Carpheotum] A festucacea levitate; κάρφος enim Græci *festucam* dicunt. *Dalec.*

Dathiathum] 'Ἀπὸ τῆς δᾳδὸς καὶ τοῦ θείου' quod incensum tædam aut sul-

phur oleat; aut quod *ἐν τῷ θύειν, in sacrificiis*, odorem tædæ imitetur; quo etymo scribendum fuerit *dathyaton*. Idem.

Masculum] *Melato* Arabes hodie vocant. Masculum thus ab iis, qui sacris operando eblandiri favorem Deorum omni industria et cura cupiebant, et ab iis qui magico sacro et amatoriis carminibus mentem alicujus mutare, aut Deos placare, propensioresque reddere conabantur, potissimum adolebatur. Virgil. Ecl. VIII. 'Verbenasque adole pingues, et mascula thura.' Turn. Advers. x. 2. 'Mascula thura' Virgilius adoleri præcipit tanquam excellentia, quoniam ea primam bonitatis gloriam obtinent. Diis enim quod offertur, præstantissimum esse debet, ut eximia hostia. Brodæus I. 24. Plautus in Pœnul. 'granum thuris' vocat: 'Quive ullum thuris granum sacrificaverit.' *Idem*.

Singula hæc manum implere solita invenio, cum minore diripiendi aviditate lentius nasci liceret] Hæc nihil ad rem, ut alieno plane loco infulta: præcessit de mammoso quod ex germinatione guttæ manantis formatum est: subjungit, *hæc singula manum implere solita*. Vide Salmas. 508. b. Et in sequentibus legend. *etiamnum tamen inveniuntur guttæ, quæ tertiam partem minæ; hoc est, XXVIII. denariorum pondus æquent*. Octoginta quatuor denarii Romani minam constituebant, cujus pars tertia viginti octo denarii. *Idem* ibid. et 509. a. *Singula hæc manum, &c.*] Theophr. Hist. IX. 4. *Dalec.*

Et atomum] Et Syagron, Dioscor. *Idem*.

Minorem autem orobiam] Sic legendum, non *Arabiam*, tum ex apographo Toletano, tum ex Diosc. lib. I. quantitate minimum; sic dictum ab ervo notissimo leguminis genere, quod Græci appellant orobos. *Pintian*.

Quæ tertiam partem minæ, hoc est, XXXIX. denariorum pondus æquat] Exempl. Salmant. XXVIII. non XXXIX. neutra lectio vera: scribendum XXXIII. nam mna, seu mina pendet drachmas Atticas C. auctore Plinio XXI. 34. ergo tertia pars minæ erunt fere XXXIII. drachmæ seu denarii. *Idem*.

Large Deos adoraret] Fieri id solebat thure ex acerra tribus digitis sumpto. Ovid. Fast. II. 'Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.' Lactant. Instit. lib. v. 'Nam cruciari atque interfici malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum jactare.' Apud Porphyrium, Pythia inquit Deum non magis lætatum fuisse Thessalo boves *auratis cornibus*, *χρυσοκέρους*, et Hecatombas offerente, quam Ἑρμιονέως θύσαντος τῶν ψαιστῶν ἐκ τοῦ πηριδίου τοῖς τρισὶ δακτύλοις: *quam cum Hermionensis quidam ex saccule tribus digitis de placenta libaret*. Brodæus v. 8. Sic apud Plautum in Bacchidibus: 'Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus.' Idem in Milite: 'Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ laudes latas Gratasque agam, eique ut Arabicos fumificem odores amœne.' *Dalec.*

Deo] Soli, Theophrast. pretii tertiam partem. *Idem*.

Evehi non potest, nisi per Gebanitas: itaque et horum regi penditur vectigal] Notant docti hos *Gebanitas* Straboni vocari *Catabanitas*: falsum. Καταβανεῖς Strabo nominat, non Καταβανίτας, et *Catabanes Gebanitis* vicini. *Gebanitæ* porro sunt qui alii *Gebalitæ* ab oppido Gebala. *Salmas.* pag. 494. b.

Thomna abest a Gaza nostri litoris in Judæa oppido LXXX. XXVII. (alii XXXXIIII. XXXVI.) millia passuum, quod dividitur in mansiones camelorum LXII.] Nimis paucæ sunt mansiones pro tanto intervallo: credo scribendum: *IIII. decies, XXXVI. milia;* id est, quatuor decies centena millia passuum. Vide Salmas. pag.

496. a, b. *Abest a Gaza nostri littoris Judææ oppido*] Sic alii leg. Codex Tolet. *abest a Gaza nostri littoris in Judæa oppido*. Pintian.

Apud nos adulteratur resinæ, &c.] Lege: *apud nos adulteratur resinæ candida gemma, per quam simili;* hinc ὀρδιωτὸν *thus rufum* a colore resinæ dictum est. *Salmas.* pag. 505. b.

CAP. XV. *De myrrha, et arboribus myrrhæ.*

Ad quinque cubita] Theophrasto arbor quinque fere cubitos alta est, myrrhæ vero ea minor. *Dalec.*

Caudice duro et intorto, &c.] Legend. *caudice duro et intorto, crassiore quam cruris, et ab radice etiam quam reliqua sui parte:* ἐπὶ τῆς γῆς, *ab radice*, ea parte quæ terræ ac radici propior. *Salmas.* pag. 522. a.

Prius, quam incidantur, stacten dictam] Theophrastus περὶ ὀσμῶν· ἐκ κινναμώμου καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ. Dioscorid. vocat τὸ λιπαρὸν προσφάτου σμύρνης κεκομμένης, quæ Plinio adversantur. Basilius in Psalm. IV. 'stactem' myrrhæ tenuissimæ genus esse scribit. Cum enim odor is exprimitur, quod effluit, in stactem seponi, quod crassum restat myrrham vocari. στακτὰ μύρα Græcis, *liquida*. Archestr. apud Athenæum καὶ στακτοῖσι μύροις ἀγαθοῖς χαίτην θεράπευε. Stactem unguentum e stacte Lucretius vocat: 'Sicut amaracini blandum stactæque liquorem.' Brod. V. 7. Parum attente Plinius existimavit *stactem* sudare ex arbore myrrhæ, non ipsa myrrha. *Dalec.*

CAP. XVI. *De generibus myrrhæ, et natura, et pretio ejus.*

Sequens Minæa] Eam approbari Dioscorides tradit. Galenus libro de Antidot. καλλίστην εἶναι tradit, et eandem cum Troglodytica. *Idem.*

Tertia Dianitis] Forte *Danniatis*, ab oppido Sabæorum Dannia Plinio VI. 28. ut paulo post: 'quanta Sembracena a civitate regni Sabæorum.' *Pintian.*

Collatitia] Hinc illinc collata et contributa. Alii *colaticia*, a colando, excolata. *Dalec.*

In Massalum oppidum confertur] Plinius VI. 28. *Messallam* appellat, non *Messalum*. Pintian.

In plenum] Ὅλως δέ. *Dalec.*

Adorariam] Θυμιατικήν. *Dalec.*

Cucumeris] Cucumeris agrestis succo; nam, ut inquit Dioscorides, frutex totus amarus est: nec amaritudinis tantum causa, sed ut color subvireat. *Idem.*

Sapore gummi] Myrrha adulteratur gummi macerato aqua, in qua myrrha maduerit. Dioscor. *Idem.*

Hoc solum pejus India affert, &c.] Posteriora hujus capitis conjungenda cum prioribus capitis sequentis, hoc modo: *Hoc solum pejus India affert facili distinctione tanto deterior est: ergo transit in mastichen, quæ et ex alia spina fit in India, itemque in Arabia: Lainam vocant.* Indica myrrha, quæ ex spina colligitur, mastichæ proprior, quæ mastiche ex alia spina Indica legebatur, item in Arabia. *Salmas.* p. 529. b.

CAP. XVII. *De mastiche, ladano, et bruta, enhæmo, et strobo, et de styrace.*

Herba radice folia emittens] Chamæleonem album significat, qui ixiam mastichæ similem gignit. *Dalec.*

Tertia in Ponto est] Eam vini conditurıs olim admisceri solitam, vide XIV. 20. *Idem.*

Capras maleficum alias frondibus animal] Apud Eupolin in capris de varietate frondium, quas depascuntur, eæ gloriantur. Versus Poëtæ lepidissimos vide apud Macrobium Saturn. VII. 5. et Plutarchum in Symposiacis, Leopardum VIII. 10. *Dalec.*

Distillantemque ab his casus mistura succum, &c.] Scribe: *distillantemque ab his succum improbo barbarum villo abstergere; hunc glomerari pulvere, incoqui sole.* Salmas. pag. 368. a. *Distillantemque ab his casus mixtura suc-*

sum] Duo illa verba, *casus mixturæ*, non puto esse Pliniana. *Pintian.*

Qui sunt ex Arabia contermini Syriæ] Vide XXVI. 8. *Dalec.*

Sunt qui herbam in Cypro, &c.] Emenda: *Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, ledam appellent; etenim illi ledanum vocant hujus pingue: ei insidere: idque attractis funiculis herbam in eam convolvi atque offas fieri.* Vel etiam hoc modo: *Ledanum vocant hujus pingue insidere id, atque attractis funiculis, &c.* Herbam, ex qua ladanum fiebat, *ledam* a quibusdam appellari scribit, et *ladanum* a Cypriis hujus herbæ *pingue*, id est, τὸ λίπος vel τὴν λιπαρίαν, quæ illi herbæ insidet. Et id pingue, quod insidit herbæ ledæ, tractis ad herbam eam funiculis convolvitur, id est, circa funiculos volvitur, et inde exemptum in offas formatur. *Salmas.* pag. 362. b. *Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat, ledam appellent; etenim illi ledanum appellant*] Budæus *ledam* et *ledanum* hic legit: ego *ladona* et *ladanon* legi posse video. Paulus lib. VI. 'Ladonen,' inquit, 'a cistho vocato ladone fit, est autem in Cypro.' Appellari porro ladonem fruticem testis est et Dioscorides lib. I. Galenus vero lib. VII. de simplicium facultate cisthon fruticem ladanon vocat. *Pintian.*

Hujus pingue insidere] Lego, *huic pingue insidere*. Dioscorides loco ante dicto: 'Sunt etiam qui tractis per frutices funibus inhærentem illis pinguitudinem deradunt, conformatamque pariter servant.' *Idem.*

Terrenum et factitium] Non colatum, sed cum arenis et pulvere adhuc permixtum: alterum colatum et purgatum. Frigide hoc Plinius. Vide XXVI. 8. Rupibus inhærent, in quas ascendunt capræ, ut cisthum decerpant. *Dalec.*

Odore jucundo gratum] Rectius in utroque exemplari, *odore jucunde gravi*. Pintian.

In Arabia et olea dotatur lachryma] Vide ult. cap. hujus libri. *Dalec.*

Contrahendis vulnerum cicatricibus] Sistendo potius sanguini, quod vox ἔναιμον indicat. Apud Theophrastum recte Gaza vertit IV. 8. 'sistendo sanguini utile.' *Idem.*

In maritimis ea fluctibus æstuque operiuntur] Non de Arabicis oleis Theophrast. loco citato id scribit, sed de oleis Indicarum insularum. Vide locum eum et confer. *Idem.*

Arborem brutam] Bruten esse quidam volunt arborem Paradisi. *Dalec.*

Contra ligna alia remedio] Quæ noxium et venenatum, vel gravem et injucundum accensa odorem mittunt. *Idem.*

Nundinarium] Nundinis frequens et celebre. Observa. *Idem.*

Inde Gabbam omnes petere solebant] Scribo *Gabbala*, non *Gabbam*; tum ex Dioscoride qui styracem Gabbalitem celebrat, tum ex Plinio infra cap. 26. *Pintian.*

Ex Syria revehunt styracem, &c.] Lege: *Ex Syria revehunt styracem, acri odore ejus abigentes suorum fastidium, cetero non alia ligni genera sunt in usu, quam odorata: ciboque Sabæi coquunt thuris ligno, alii myrrhæ, oppidorum vicorumque non ex aris fumo atque nidore, ad hunc ergo sanandum urunt styracem, suffiuntque tecta.* Corrige, *ad hoc ergo sanandum*, id est, ad hoc fastidium sanandum et abstergendum. *Salmas.* 540. b.

Ad hunc ergo sanandum urunt styracem in pellibus hircinis] Tria postrema verba, *in pellibus hircinis*, per errorem hoc in loco inserta conjectamus, arbitramurque locanda esse post illa quæ non longe ante præiere, *ex Syria revehunt styracem;* quandoquidem et de ladane supra dictum est, excipi pellibus caprinis, et de myrrha, conferciri in follibus promiscue. *Pintian.*

Quæ non assiduitate sui fastidium pariat] Verbum *sui* redundat ex Toletano archetypo. *Idem.*

Cap. xviii. *De felicitate Arabiæ.*

Falsa et ingrata cognominis] Codex Salmant. *falsi* legit, non *falsa*: scribendum reor, permutatis dictionibus, *ingrata et falsi cognominis.* Id.

Cum plus ex eo inferis debeat] Quoniam odores ii magno pretio empti mortuorum bustis atque rogis cremantur. *Dalec. Cum plus ex eo inferis debeat. Beatam illam fecit, &c.*] Utrumque exemplar: *cum plus ex eo inferis debeat, armillam facit.* Scribo: *cum plus ex eo inferis det. Beatam illam fecit, &c.* Sic paulo post: 'Acervatim congesta honori cadaverum, quæ Diis per singulas micas dantur.' *Pintian.*

Etiam in morte luxuria] Persius Sat. iii. 'Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto Compositus lecto, crassisque lutatus amomis, In portam rigidos calces extendit.' *Dalec.*

Quæ Diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis] Verbum *adhibens* superfluit ex ambobus exemplaribus, et scribendum *intellexerunt*, numero multorum, ex eisdem. *Pint.*

Novissime Poppææ] Eam Nero cremari noluit, sed rogum externorum modo, variis odoribus conditam et refertam sepeliri. Auctor Tranquillus. *Dalec.*

Æstimentur postea toto orbe] Funerum impensæ sunt odores, unguenta, loci pretium in quo defunctus inhumatur, *vectigal* quod in itinere præstatur, dum corpus ex uno loco perfertur in alium, *marmoreus sarcophagus, vestis, τὸ τέλος, ἡ σορὸς, ἡ στολή·* ac tandem compotatio sive silicernium, dictum a silentio, quod in eo nulle accenso lumine silentes umbræ tantum cernantur, λύχνους γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις. Varro in Meleagris: 'Funus exequiati laute ad sepulchrum antiquo more, Silicernium confecimus: (id est, περίδειπνον:) quo pransi discedentes, diximus, alius alii, vale.' Cujacius Obser. xi. 20. Juvenal. Sat. iv. 'Et matutino sudans Crispinus amomo, Quantum vix redolent duo funera.' Festo, acerra, ante mortuum posita, in qua odores incendebantur. Eos Apuleius Apologia prima recenset, thus, myrrham, casiam, illos medicamento parari ait, et sacrificio, nempe fœtori ustrinæ emendando. Rævard. cap. 15. in leg. xii. Tabul. *Dalec.*

Quæ Diis per singulas micas dantur] Profusiore in cadaver urendum, quam in Deorum cultu impensa. *Idem.*

India, et Seres, peninsulaque illa imperio nostro adimunt] Per *peninsulam illam* manifestum est intelligere Arabiam Felicem: non eadem est hæc summa quam vi. 23. de sola India posuit, ut male sibi persuadent: hæc verba sunt: 'Digna res, nullo anno Imperii nostri minus sestertio quingenties exhauriente India,' &c. sestertium quingenties efficit quingenties centena millia sestertium, quæ summa dimidio minor est: sed ibi de India sola loquebatur; heic de India, Seribus, et peninsula Arabiæ. *Salmas.* 546. a.

Peninsulaque illa] Ubi est Malaca, et regnum Siam a Seribus dictum. *Dalec.*

Cap. xix. *De cinnamomo, et xylocinnamomo, et casia.*

Cinnamomum et casias fabulosa narravit antiquitas, princepsve Herodotus avium nidis et privatim phœnicis; in quo situ Liber pater educatus esset, ex inviis rupibus arboribusque decuti] Permutandæ particulæ, et ubi legitur *ve*, scribendum *que*, et econtrario, ex Herodoto evidentissime lib. iii. 'Cinnamomum,' inquit, 'etiam quam superiora mirabilius legunt; nam aut quomodo, aut qua in terra gignatur, illud nequeunt dicere, nisi quod probabili ratione utuntur, quod quidam volunt id gigni in his regionibus, ubi Dionysius educatus est, et ipsas cinnamomi festucas afferri a grandibus quibusdam alitibus ad nidos e luto constructos in præruptis montium et

homini inaccessis.' Hæc Herodotus: a quo quia ambigue subobscureque dictum fuit in præruptis montium nidos strui, neque additum in rupibusne eos construant, an in arboribus, ut pleræque aves solent, ideo Plinius, per disjunctivam, ex *inviis rupibus arboribusve* dixit. *Pintian.*

Herodotus] Herodoti sensum, quem auctorem citat, non satis videtur assecutus Plinius. *Dalec.*

Item casiam circa paludes oppugnante unguibus diro vespertilionum genere] Scribendum *paludem*, unitatis numero: una enim tantum palus est ex qua legitur. Herodotus loco citato lib. III. de casia agens: 'Ea,' inquit, 'nascitur in palude non alta, circa quam et in qua degunt feræ alatæ, vespertilionibus simillimæ, stridore diro et viribus prævalentibus.' Ex quibus Herodoti verbis liquet, mendose legi verba etiam statim sequentia, *aligerisque serpentibus*; videtur enim scribendum, *aligerisve serpentibus*. Pintian.

Aligerisque serpentibus] Fabulæ de serpentibus, sed non aligeris, meminit Theophrast. IX. 5. Vide Garciam I. 15. *Dalec.*

Odore primum nunciatam] Mallem legeres, *odore prænuntiatam*. Pintian.

Mercantes] Æthiopes qui in Arabiam vehunt. Chinenses sic vocat. Insulse tamen Plin. apud Æthiopas nasci tradit, mox subjungens Æthiopas mercari a conterminis. Si enim apud illos nasceretur, ab aliis non emerent. Multo magis etiam oscitat, cum per vasta maria eas merces Æthiopas vehere scribit; nam si contermini sunt qui vendunt, navigatione tam longa quorsum opus est? Ut nunc, ita et olim, e Moluccis in superiorem Indiam Cinnamomum vehebatur, mercimonium id potissimum exercente, quæ ad Rubrum mare jacet, Æthiopum gente, quos Abyssinos vocamus, ob commodam Oceani propinquitatem: quæ res Plinium fefellit. *Dalec.*

Per sinus] Ab Oriente in Æthiopiam redeuntes. *Idem.*

Promontorii] Quod est in Serum peninsula. Promontorium Camorin intelligit, Zeilan insulæ objectum. *Idem.*

Argeste] Vento spirante ab occasu æstivo. Vulgo *Mestral.* Dalec.

In portum Gebanitarum qui vocatur Ocila] *Ocelin* non *Ocilam* vocavit portum hunc libro sexto capite vigesimo tertio: 'Navigare,' inquit, 'incipiunt æstate media ante canis ortum, aut ab exortu protinus, veniuntque circiter tricesimo die Ocelim Arabiæ, aut Canan thuriferæ regionis.' *Pint.* *In portum Gebanitarum*] Vulgo *Zigen Aden.* Dalec.

Ocila] Vulgo, *Porto Oceli.* Vide VI. 28. *Idem.*

Revehunt] Ex Arabia et Æthiopia in Indiam. *Idem.*

Gignitur in planis quidem] Duo postrema verba in neutro quidem exemplari leguntur; legitima tamen esse apparet ex illis quæ sequuntur: 'Frutex et casia est, juxtaque cinnami campos nascitur.' *Pintian.*

Reliquum mercator, &c.] Legend. *reliquum mercator massa condit*; vel, *reliquo mercator massas condit*: massas condit cinnamomi sarmentis, ut eas avehat mercator. *Salmas.* pag. 406. a.

Ad longitudinem palmi] Theophr. Hist. IX. 5. *Dalec.*

Propter origani acrimoniam] Vel quod origanum olet, ut vult Dioscorides, vel quod origanum sapit. *Idem.*

Quidam cinnami] Theoph. duo, Dioscorides vero quinque genera Cinnamomi refert. Ex iis duo tantum peculiari nomine vocata, mossyliticum et montanum, reliqua odore, colore, et aliis hujusmodi notis distincta. Casiæ idem Diosc. septem genera memorat, auchy sive daphnitin, hic daphnoëidem, et isocinnamum, quod bonitate et viribus æquet

cinnamomum, aut pretio; nam, quod inquit Galenus, cum cinnamomum abest, ejus loco duplum casiæ substituitur; zigir, hic balsamoden; mossyliticum germen, id est, e Zeilan, hic lactam; aphemon, hic unguentariam; darca, Persis dardimi, id est, Chinæ lignum: citto, corrupte pro *curdo*, quo nomine Zeilani vocant: et pseudocasiam. *Idem.*

Damnatur in primis molle, aut cui albet cortex] Inter cinnami genera nullum apud auctores recensetur, cui cortex albidus sit. Lege, *aut cui abit cortex*, ὃ περιφλοίζεται. *Salmas.* p. 406. a.

Incensis ut ferunt silvis ira barbarorum. Id acciderit ne ob iniquitatem præpotentium, an forte non satis constat] Confusissimus verborum contextus, simul et distinctio: scribendum puto: *incensis ut ferunt silvis: irane barbarorum ob iniquitatem præpotentiam? an forte id acciderit, non satis constat.* Pintian.

Quem contra atque in cinnamomo levari pretium est] Codex Toletanus rectius *labare* legit, non *levari*. Ut non multo ante: *Damnatur inprimis molli, aut cui labitur cortex.* Quod ergo illic dixit *labitur*, hic alio verbo, sed paris intellectus, repetiit. *Pintian.*

Exinaniri pretium] Tenue, ac gracile esse. *Dalec.*

Consecant surculos] Alia exemplaria, *Tum secant surculos.* scribe, *Cum secant surculos*, ex Theophrasto libro nono, ut statim liquebit. *Pintian.*

Longitudine binum cubitorum] Lego *digitorum*, non *cubitorum*, ex Theophrasto apertissime IX. 5. his verbis: 'Cum itaque virgas secant longitudine binum digitorum, aut paulo ampliores abscidere, recenteque bovis corio eas persuere; tum ex eo lignis putrescentibus vermiculos nasci qui lignum erodant, corticem vero nullatenus tangant ob amaritudinem acrimoniamque odoris.' Hæc Theophrastus: quæ omnia vides, optime lector, hic a Plinio tralata. Præterea dictio sequens *mox*, cum minore scripta, præcedentibus assuenda est. *Idem.*

Excavent corticem] Fabulosum id est. *Dalec.*

Gustuve quam maxime fervens] Scribe *gustuque quam maxime fervens*, ex vetere lectione. *Pintian.*

Balsamodes] Dioscoridi ῥοδίζουσα τῇ ὀσμῇ, *quæ rosam odore imitatur*, crassa, e purpureo nigricans, et præcipui, quod idem ait, usus in medicina, zigir nomine, vel, ut apud Gal. legitur lib. de Antidotis, gizi. *Zangues* Nigros Arabes vocant. Colligit eam gens insulæ Zeilam quæ nigra est. Inde nominis ratio. In Malavar *cais manis*, id est, dulce lignum, vocant. Hinc casiæ nomen. *Dalec.*

Sicut nigra] Ἄφημον, quasi *minime fama claram*, vocat Dioscorides. *Idem.*

CAP. XX. *De isocinnamo, et cancamo, ac taro.*

Daphnoiden] Dioscor. primum casiæ genus, quod *achy* Barbari vocant, a negotiatoribus Alexandrinis *daphnitin* vocari scribit, quod lauri cortici similis sit. *Idem.*

Quin et in nostro] Casia, lavendula nostra, Theophrasti alba casia; eidem nigra nostra, libanotis coronaria: casiam Hygini, quæ Theophrasto κνέωρον est, cum Indica negligenter Plinius hic confundit. *Idem.*

Cancamum] Cancamum Lusitanis: hodie *anime*. Idem.

Tarum] Tarum hodie Lusitanis *aquila brava*, id est, agallochum silvestre, lignum odoratum, agallocho vero nonnihil simile. Nascitur in promontorio Comorin, quod olim Cori nuncuparunt, et in Zeilam insula. In Malaca agallochum *garo* vocant, inde sumptum tari nomen. Garc. I. 16. *Inde.*

Troglodytas] Sic Chinenses vocat. *Idem.*

Qui considere ex Nabatæis] Hæc verba in exemplari Salmanticensi

superfluunt. *Pintian.*

CAP. XXI. *De serichato, et gabalio, et de myrobalano.*

Serichatum] Serichatum quidam esse conjectantur nostrum *benivinum:* gabalium vero, *caphuram.* Alii Serica-tum santalum flavum, a serici crudi colore; cabalium vero, benivinum. *Dalec.*

Unguento] Vide Theophr. Hist. IV. 1. et libro de Odoribus. *Idem.*

Heliotropio] Dioscoridi myricæ similis est. Theophrast. loco citato folium myrto simile est, sed longius. *Idem.*

Sed liquere] Quod vitium est. Prorsus enim odoris expertem oportet esse liquorem eum. *Idem.*

Crassiori cortice] Rubenti. Tali fere colore est durum putamen. Vide ann. ad ult. hoc caput. *Idem.*

Spissiorem] Densiori et firmiori cortice. *Idem.*

Nucleo candido] Falsum id est. Nucleos utrique premunt; sed unguentarii absque igne et aqua calida, ut quod fluit oleum alienæ prorsus qualitatis expers sit, nec rancescat: medici affusa calida, ut plus olei extundant. Quidam cortices premi censent, non eliciendi olei gratia, quod nullum habent, sed ut unguentis sint pro stymmate. *Idem.*

Unguentarii autem] Lego: *unguentarii autem exuto cortice premunt, affusa eis paulatim calida aqua: medici nucleis tusis utuntur.* Sic porro vocat ἐκπεπεισμένης καὶ ἐκθλιβείσης πίεσμα apud Dioscoridem, tusæ et expressæ fæcem. Fefellit Plinium corrupta Theophrasti litera, τοῦ καρποῦ δὲ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ κόπτοντες· εὐώδεις γὰρ ἔχει· τὸν δὲ καρπὸν αὐτοῦ ἀχρεῖον· pro quibus lego: τῷ καρπῷ δὲ οἱ τοῖς, κ. τ. λ. κόπτοντες· εὐώδεις γὰρ κατέχει· ὁ δὲ καρπὸς ἐσθίειν ἀχρεῖος. *Unguentarii putamina non utuntur, sed tuso fructu. Is enim odorum suavitatem retinet. Est autem edendo inutilis.* Hist. IV. 2. *Idem.*

CAP. XXII. *De phœnicobalano, et calamo odorato.*

Calamo odorato] Ob ejus elaten odoratam, qua in spissamentis utuntur unguentarii. *Idem.*

Myrobalano in] Rondeletius apud Dioscor. putavit Arabicam myrobolanum non esse intelligendam unguentariam, sed nostrarum officinarum flavam myrobalanum, palmulæ valde similem. Legendum puto: *Myrobalano unguentariæ similem proximamque figuram habet;* Dioscorides enim ait palmæ fructum παρεμφέρειν τῇ 'Αραβικῇ μυροβαλάνῳ, nempe figura similem esse, quod ad eundem usum in unguentis Plin. negligenter refert. *Idem. Myrobalano in unguentis similem, &c.*] Vide quæ Salmas. ibi observavit p. 463. b. 464. a, b.

Palma in Ægypto] Palmula Ægyptia medio suæ maturitatis tempore πῶμα, quasi *potus* sive *potio,* vocatur Dioscoridi, auctori ἄδιψος, quoniam humore multo plena non aliter sitim minuit, quam si bibatur aqua, nec caput tentat; ac maturitate peracta a puniceo sive phœniceo colore phœnicobalanus dicitur; ac sic caput gravat, ut, quod ait Solinus, sensus intercipiatur, gressus præpediatur, lingua retardetur, obsessisque mentis et corporis officiis, imitetur vitium ebrietatis. Had. Jun. V. 2. *Dalec.*

Nullo intus ligno] 'Απύρηνος. Aëtius XI. 30. id fieri tradit et natura et arte; sed quænam ars fuerit non explicat: ossa reliquarum modo in balano non habet, XXIII. 5. De palmulis Diosc. ea scribit, quæ hic tradit Plin. nisi quod ille nusquam prodit os sive lignum intus nullum esse. Theophrastus Hist. II. 8. in fructu palmæ candidum, nigrum, flavum colorem agnoscit; et alios sine ligno, alios cum ligno; quosdam cum ligno molli, quosdam cum duro esse testatur. Phœnicobalanum dictum volunt non a colore phœniceo seu puniceo, sed quasi palmæ glandem. *Idem.*

Colligitur autem, &c.] *Colligitur autem paulo ante quam incipiat maturescere: quod si relinquatur phœnicobalanus, &c.* Vide Salmas. 471. a.

Myrobalano precium in libras X. bini] Codex Toletanus, *X. binis:* alia exemplaria *binas*, non *bini* aut *binis;* ut forte legendum sit, *bini asses*, ut infra cap. 27. 'precium optimo in libras bini asses.' *Pintian.*

Bini] Denarii. *Dalec.*

Fæcem] Fæcem, τρίμμα, sive ἐκπίεσμα. *Idem.*

Calamus quoque] Calamus aromaticus, sive odoratus duplex est; alter Syriacus, ad ripas lacus Genesaretici, quem alii mare Galilææ, alii mare Tiberiadis vocant, nascens, a vulgari nihil dissimilis, præterquam quod, post quadragesimum diem siccatus, nonnihil flagrat; alter Indicus, descriptus a Diosc. olim, nuper a Garcia Horto Lusitano, diversissimus a Syriaco. Dionysius de Situ orbis ἐρυθραῖον vocat a colore, non ut Eustathius putat, quod ejus altrix India Erythræo mari contermina sit. Dioscor. κιῤῥὸν esse tradit. Apud Vegetium de Re Veterinaria, lib. IV. Absyrtus in confectione pulveris quadrigarii calamum Syriacum et aromaticum, id est Indicum, memorat. Ea calami genera plurimum inter se discrepantia Plin. ignoranter miscuit ac confudit. *Guilland.*

In Arabia nascens] Plutarch. libro, Quod Bruta ratione utuntur, id quoque prodidit, sed errore manifesto. *Guilland.*

Inter Libanum] Hæc ad verbum ex Theoph. Hist. IX. 7. Calamum aromaticum Arabes vocant *cassab ossiri*, et *cassab Alderina.* Guilland.

In convalle modica, &c.] Lege: *in convalle modica juxta lacum cujus palustria æstate siccantur tricenis spatio stadiis, calamus et juncus odorati nascuntur.* Salmas. 1052. a.

De junco] Vide infra XXVII. 18. *Dalec.*

Statim e longinquo] Aliena fide Theoph. hoc scripsit, quod minime verum esse Guillandinus testatur, qui eam regionem peragravit. Idem scripsit et Vitruvius VIII. 3. *Idem.*

Inest fistulæ araneum, &c.] Vide Sarraceni notas in Dioscorid. p. 6. a. Mox leg. apud Plin. ibid. *lentusque in frangendo:* mallem, *in mandendo.*

CAP. XXIII. *De hammoniaco et sphagno.*

Hammoniaci] Vide XXIV. 6. *Dalec.*

Arbor] Ferulacea. Diosc. *Idem.*

Quam metopion] Quam agasyllim vocant. Diosc. *Idem.*

Phyrama] Collectis terra et calculis sordidum. Diosc. *Idem.*

Sphagnos] Splanchnon a Dioscoride, phascos is vocatur a Theophrasto Hist. III. 9. et posthac XXIV. 6. *Idem.*

Bryon] Græci σφάγνον, σφάκνον, σπλάγχνον, βρύον, φάσκον vocant: Soranus βρύον ἀρωματικόν. Vide cap. 28. hujus libri. *Idem.*

Quales in] Ex omnibus quercuum generibus in Cerro solo, quem Ægylopem Græci vocant, gignuntur, XVI. 8. et loco supra citato Theophrastus. *Idem.*

CAP. XXIV. *De cypro, et aspalatho, et maro.*

Cyprus] Vide infra XXIII. 4. *Dalec.*

Flore candido] Inde Virgilio: 'Alba ligustra cadunt,' &c. Ovid. Met. XIII. 'Candidior folio nivei Galatea ligustri.' Ut quod flori Virgilius, foliis Ovidius tribuat. *Idem.*

In eodem] In Istro, Nisyro, Syria, Rhodo. *Idem.*

Flore rosæ] Apud Diosc. id non legitur. *Idem.*

Tradunt, in quocunque, &c.] Legend. *Tradunt in quocunque frutice curvetur arcus cælestis, eandem quæque sit aspalathi suavitatem odoris existere, sed si in aspalatho, inenarrabilem quandam;* id est, sed si in aspalatho curvetur. *Salmas.* p. 397. b. *Tradunt, in quo-*

cunque] Aristot. in Probl. Sect. Quæst. 2. *Dalec.*

Inenarrabilem] Perpetuo verum hoc non esse, vide apud Rhod. XXII. 31. Inde, nec absque ratione, quidam non ἐρυσίσκηπτρον vocandum censent, sed ab incubitu et innixu iridis, ἰρίσκηπτρον. Plutarch. in Sympos. Quæst. IV. 2. Vide XXIV. 13. *Idem.*

CAP. XXV. *De balsamo, et opobalsamo, et xylobalsamo, et styrace, et galbano.*

Uni terrarum Judææ] Et Ægypto, Dioscor. Strabo lib. XVI. silvestre nasci tradit in maritimis Sabæorum. Pausanias in Bœoticis balsami arbores in Arabia describit, myrtorum magnitudine, foliis amaraci. Vide reliquam historiam viperarum sub ejus fronde latitantium, quam longum esset hic adscribere. *Dalec.*

Utroque regio] Theophrast. Hist. IX. 6. *Idem.*

In triumpho] Mithridatico triumpho ebenum is ostendit. Supra cap. 4. hujus libri. *Idem.*

Malleolis seri dicitur nuper vincta] Apographum Toletanum, *Malleolis seri dicit nuper victa.* Scribo, *Malleolis seri didicit nuper victa.* Pintian.

Implet colles, &c.] Dalecampius legit, *et nunc implet colles vinearum modo, &c.* inepte; quasi non et ante victoriam Romanorum colles impleret balsami frutex. Præcedit: *quippe viti similior quam myrto. Malleolis seri dicitur, nuper vincta, ut vitis:* hæc falsa; nam sequitur: *et implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent:* si sine adminiculis se ipsa sustinet hæc arbuscula, quid opus eam vinciri? frustra vinciatur, quæ adminiculatione non eget. *Salmas.* p. 586. a.

Proceritas intra bina] Puniceæ magnæ Theophrast. Cyliso et Terebintho similis. Strabo lib. XVI. *Dalec.*

Arbori] Xylobalsamo. *Idem.*

Semen] Carpobalsamum. *Dalec.*

Insidentis manus libratur artifici temperamento, &c.] 'Artifex temperamentum' et 'artifex plaga,' quæ cum artificio facta est. *Salmas.* pag. 591. a. Statim, quod sequitur, sic legend. *toto die æstivo unam concham impleri justum erat homini: anni vero fœcunditate, &c.* Idem ibid. b.

Succus e plaga] Vid. infra XXIII. 4. *Dalec.*

Omni vero fœcunditate, &c.] Budæus de Asse lib. V. sic leg. *anni vero fœcunditate e majore horto congios senos singulis annis, cum et duplo, &c.* Vide Sarracen. in Dioscorid. p. 6. b.

Nunc etiam singularum arborum largior vena, ter omnibus percutitur æstatibus, postea deputatur] Tunc temporis dicit, vel singularum arborum venam largius balsamo sudasse, majoremque balsami copiam dedisse, quam duos hortos illos, qui soli erant ætati Alexandri: septenos congios hi reddebant: hoc unum est τῶν ἀδυνάτων. *Salmas.* 593. Sequitur, quod ita legend. *DCC. HS. amputatio ipsa surculique veniere intra quintum devictæ annum:* hoc est, septingenties sestertio. Vide Salmas. pag. 593. b.

Et sarmenta quoque, &c.] Legend. *Et sarmenta quoque in merce sunt. DCC. sestertio amputatio ipsa surculique veniere intra quintum devictæ annum.* Vide Salmas. pag. 582. a.

DCCC.] Alii, *Denariis trecentis.* Dalec.

Intra quintum demum annum] Ambo exemplaria: *Intra quintum devictæ annum:* nec *venit* legunt statim ante, sed *veniere.* Pintian.

Petræo hyperico] Semine Hyperico simili, quod a Petra oppido defertur. Dioscor. *Dalec.*

Nequissime autem, &c.] Lege: *Nequissime autem gummi, quoniam inarescit in manu inversa, et in aqua sidit, quæ probatio est gemina. Debet sincerum et inarescere, sed hoc e gummi arescere addita fragili crusta evenit, et gustu deprehenditur.* Inarescere dicuntur quæ calore densantur et con-

gelantur, ut de sale lyncurio et bitumine notavimus, quæ omnia vi ardoris coëunt in duritiem lapidis; nequissime autem balsamum gummi adulterari dicitur, quia difficillime deprehenditur. *Salmas.* 494. a. Sequitur: *Carbone vero, quod cera resinaque adulteratur, est nigriore flamma;* id est, nigriorem flammam habet, cum uritur. *Idem ibid.*

Nam melle mutatum, statim contrahit muscas] Adde *manu: Nam melle mutatum statim manu contrahit muscas*, ex utroque exemplari, ut paulo ante: 'quoniam et ipsum quoque inarescit in manu inversa.' *Pintian.*

Quippe millibus, &c.] Legend. *Quippe millibus denarium, sextarii empti vendente fisco trecenis denariis væneunt.* Sextarii empti trecenis denariis vendente fisco, millibus denarium væníbant vendentibus institoribus, qui a fisco emerant: hinc fraus manifesta institorum. *Salmas.* p. 592. a.

Xylobalsamo pretium, &c.] Lege, *Xylobalsamo pretium in libras X. V.* hoc est, denarii quini. *Salmas.* p. 593. b.

Intus similitudo] Plin. cur καλαμίτης vocetur dicere conatus est, sed absurde; non enim ratio nominis est, quod arundini similis sit, sed quod arundinibus obvolutus et circumseptus afferretur. Ideo autem arundinibus recondebatur, ut et cætera olim odorata, ne expiraret, et vires amitteret, quod et de dictamno Cretico Theophrastus scriptum reliquit, Hist. IX. 16. *Dalec.*

Pennati vermiculi] Satyracen quoque vermiculatum, cognomine scoleticen, in magno pretio fuisse Dioscor. testatur apud imperitos. *Idem.*

Styrax laudatur, &c.] Legend. *Styrax laudatur post suprascripta ex Pisidia, Cypro, Cilicia, Creta: minime ex Amano Syriæ medicis, sed, &c.* Dicit minime laudari medicis qui ex Amano Syriæ veniebat, sed unguentariis magis, quia fortasse magis succosus esset, ideoque unguentis et χρίμασιν utilior. *Salmas.* pag. 545. b. Et paulo post lege: *vel gummi alia, melle aut amygdalis amaris.* Mox legend. *pretium optimo X. VIII.* id est, denarii octo. *Salmas.* ibid.

Post supra dicta ex Pisidia, Sidone, Cypro, Cilicia, Creta] Scribo: *Post supradicta ex Pisidia. Sed et Cypro, Cilicia, Creta,* ex apographo Telet. rectissime; provinciæ enim hic, non civitates, enumerantur. *Pintian.*

Exit et in Pamphylia, &c.] Legend. *exit in Pamphylia, sed acrior, minusque succosus.* Salmas. p. 545. a.

Dat et galbanum, &c.] Legend. *Dat et Galbanum Syria in eodem Amano monte, e ferulaque ejusdem nominis, resinæ modo stagonitin appellant.* Χαλβάνην σταγονίαν maxime laudari dicit, quæ ita dicitur, quod guttatim fluit; nam σταγόνες sunt *guttæ.* Salmas. p. 352. a. *Dat et galbanum Syria*] Vide infra XXIV. 5. Theophr. Hist. IX. 7. ferulam eam πανακο vocari tradit. Dioscor. vero a quibusdam nominari *metopion.* Rotundum et masculum thus Diosc. *Stagonian* vocat. *Dalec.*

CAP. XXVI. *De panace, et spondylio, et malobathro.*

Unguentis] Imo potius medicinæ quam unguentorum deliciis; est enim odoris ingrati. Vide infra XXV. 4. *Idem.*

Ampla magnitudine rotundis] Ficulneis similibus. Dioscor. *Idem.*

Spondylion] Vide XXIV. 6. *Dalec.*

Dat et Malobathrum Syria, arborem folio convoluto] Hoc falsissimum; nam sola India hoc mittit. Vide Salm. 1061. a. *Dat et malobathron*] Vide infra XXIII. 4. 'Petalion' Plauto in Curcul. 'Folium' Latinis: unde 'foliatum unguentum,' cap. 1. lib. sequentis: 'Tu stacte, tu cinnamum, tu rosa es, tu crocum, tu casia es, tu petalium.' *Dalec.*

Exprimitur] Imo conditur. *Idem.*

Lentis modo] Lenticulæ palustris modo aquis innatare. *Idem.*

CAP. XXVII. *De oleo Omphacio.*

Viride] E druppa. Vide xxiv. 6. *Idem.*

In prima lanugine] Cum nondum nigrescit, Diosc. μήπω περκάζουσα· incipientis uvæ pubertatem vocat in Prooemio lib. xxiii. *Idem.*

Nocturni rores caventur] Quoniam concrescere succum non sinunt. Dioscor. *Idem.*

Melligo] Melliginem τὸν λυγὸν ἐκθλιβόμενον Dioscor. vocat, succum expressum. Qua de causa Plinius melliginem vocet, incompertum. Qui dictionaria ediderunt melliginem interpretantur fructuum immaturorum, et vix delapso flore, succum expressum: eodem vocabulo auctor utitur cap. 6. lib. superioris, sed alia significatione. *Idem.*

CAP. XXVIII. *De bryo et œnanthe, et de elate arbore, et cinnamo caryopo.*

Optima circa Gnidum] Optimum bryon cedrinum, deinde *populneum*, λεύκινον ex Dioscor. Plinius legisse videtur λύκιον. Jam antea cap. 22. de phaseose sive splanchno, quod idem est cum bryo, Plinius disseruit. Vide et xxiv. 6. *Idem.*

Ad medicos tantum pertinet] Odoribus tantum gigni idem scribit in fine prooemii lib. xxiii. *Idem.*

Est præterea arbor ad eadem, &c.] Fallitur Plinius multiplici τῆς ἐλάτης significatione. Est autem elate ad unguenta pertinens, sive σπάθη Archigeni lib. ii. κατὰ τόπους, φοίνικος σεβένιον, gliscentis *palmæ floris involucrum*, et *tegumentum*. Idem. *Est præterea arbor ad eadem unguenta, &c.*] Vide Salmas. p. 464. b.

Pingui lacryma] Lacrymam elate non sudat, sed, ut ait Dioscor. λιπαρὸν τὸ ἐντὸς ἔχει, *pinguis intus est.* Dalec.

Ad domandum] Εἰς τὰς τῶν μύρων στύψεις, Dioscor. *ad unguentorum spissamenta*. Vide cap. 1. lib. sequentis. *Idem.*

In Syria gignitur et cinnamum, quod caryopon appellant] *Comacum* antea legebatur. Hermolaus derasa priore dictione *caryopon* substituit, citatque suorum codicum fidem, nescio quam bona fide. Ego vero cum, e duobus quæ habere potui exemplaribus, in uno *chamochon* inveniam, in altero *comachum*, et Romana impressio cæteræque recentiores *comacum* agnoscant; antiquam lectionem convellendam non censeo, præsertim cum Plinius libro sequente cap. 2. rursus *comacum* nominet. Sed quid exemplarium fidem Pliniive imploramus, cum Theophrastus omni nos dubitatione solvat lib. ix. Comacum enim duplex facit: alterum fructum; alterum quod probatissimis quibusque miscetur unguentis: quem locum parum fideliter Theodorus transtulit. Quod autem in Syria, ut Plinius scribit, nascatur comacum, falsum est; in Arabia enim, eodem Theophrasto auctore loco citato, nascitur. Quapropter aut vitiatus est in Plinio locus, legendumque: *in Arabia gignitur ut cinnamomum, quod comacum appellant:* aut Plinius non recte Theophrasti verba accepit. *Pintian.*

Hic est succus nuci, &c.] Lege: *Hoc est succus nuci expressus, multum a masculo viro cinnami differens.* Succum cinnami, acri, vehementi, ac viroso odore præditum, vocat *masculum virus*. Vide Salmas. 1307. b. *Hic est succus nuci expressus, multum a surculo veri cinnami differens*] Legendum reor: *Hic est succus nuci expressus multum a succo illo veri cinnami differens.* Pintian.

LIBER XIII.

CAP. I. *De unguentis, et quando primum sunt cognita nobis, et de compositione.*

Iliacis temporibus] Unguenti meminit Homerus Iliad. Ξ. his versibus: Ἀλείψατο δὴ λίπ' ἐλαίῳ, Ἀμβροσίῳ, ἑδάνῳ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν . . . . . Ἔμπης ἐς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀϋτμή. *Dalec.*

Fumo convolutum nidorem] Plaut. in Menæch. 'Sternite lectos, incendite odorem: Munditia illecebra est animo amantum.' *Idem.*

In olei laude] Id est, appellatione et vocabulo. Locus est Iliad. Γ. Ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ, Ἀμβροσίῳ. Turn. in Theophr. de Odoribus. *Idem.*

Ingluvie natum virus extinguunt] Idem fere de Parthis XI. 53. *Idem.*

Alexander cepit scrinium unguentorum. Postea voluptas ejus a nostris, &c. admissa est, honosque et ad defunctos pertinere cœpit] *Postea voluptas ejus:* ita loquitur, quasi proxime præcessisset, *unguenti*, non *unguentorum*. Quod præcedit sic legendum, *unguentum Persarum genti se debet.* Unguentum hoc ipsum, quod sit in rerum natura et usu, debet se Persarum genti. Vide Salmas. p. 947. a, b.

Non erunt fruticum] Sed vel seminum, vel herbarum. *Dalec.*

Mendesium] Paulus Ægineta VII. 18. ita vocatum fuisse scribit, quod in Ægypto sit inventum, ubi Mendes colitur. Mendes hircus est. Sic autem Panem Mendesii vocabant, quod illum effigie hirci colerent. *Idem.*

Ratio faciendi duplex: succus et corpus: ille olei generibus fere constat, hoc odorum: hæc stymmata vocant, illa hedysmata] Duabus rebus unguenta dicit fieri, succo et corpore: succum generibus oleorum constare, corpus generibus odorum: *hæc*, genera nempe odorum, *stymmata* vocari tradit; *illa*, olei genera scil. *hedysmata.* Salmas. p. 465. b. 466. a.

Hæc stymmata vocant] Lego: *partim stymmata vocant, partim hedysmata.* Cornarius. Stymmata olim nominarunt aromata, quibus in unguentorum compositione oleum spissabant: ea Dioscorides fere numerat xylobalsamum, juncum, calamum: hedysmata vero ea, quibus spissatum oleum suavi odore imbuebant et perfundebant. Ea recensere solet Dioscor. amomum, nardum, myrrham, balsamum, carpobalsamum, costum, amaracum. *Dalec.*

Tertius inter hæc est color] In unguentis quatuor spectantur; succus qui est oleum quodvis inodorum, tenuissimum, et minime pingue, ut Balaninum; corpus quod est partim stymma, sive spissamentum, nempe quod oleum adstringit, odorem ut melius combibat, et pertinacius retineat, quemadmodum tinctores principio medicamentis quibusdam pannos imbuunt et præparant; partim hedysma, sive condimentum, cujus odorem unguentum potissimum refert; color, de quo multi non valde solliciti sunt, magma, sive fæx. Diosc. cap. de fuligine thuris χρωματισμὸν μύρων vocat, et ad id resinam coctam laudat. *Id.*

Sal aspersus olei naturam coërcet] Vel oleum spissat, vel ne rancescat prohibet. *Idem.*

Supra diximus] Cap. 21. libri superioris. *Idem.*

Et id in vetustissimis esse] Sic describit oleum myrteum, non unguentum, Dioscorides. *Dalec.*

Singuli quoque succi, &c.] Legend. *Singuli quoque succi nobilia unguenta faciunt, inprimis malabathrum, postea iris Illyrica et Cyzicena amaracus, herbarum utraque pauca his et alia alii miscent.* Malabathrum succus est, id est, oleum quod ex malabathro exprimitur: *herbæ* sunt iris et amaracus, quarum succus, id est, oleum, per se unguentum faciunt, quibus pauca et alia alii miscent. *Salmas.* pag. 468. b.

Externa omnia et prodigiosa. Cinnamomino adjicitur balaninum] Aliter antiqua omnis et recentior lectio: *Externa omnia et prodigiosa cinnamomino pretia. Adjicitur cinnamomino, &c.* ut XII. 26. 'In precio quidem prodigio simile est,' &c. *Pintian.*

Quidam satis habent aspergere] De Mendesio tantum id Dioscorides, cui ea parsimonia cinnamomum additur. *Dalec.*

CAP. II. *Quod unguentum regale vocetur, et quæ diapasmata, et qualiter serventur.*

Constat myrobalano] Unguenta ex variis odoribus temperat. Empedocles apud Athenæum, p. 251. vs. 37. vocat μύρους δαιδαλεόδμους, Γραπτοῖς δὲ ζώοισι, μύροισι τε δαιδαλεόδμοις. *Dalec.*

Cinnamomo, comaro] Legendum, ut supra ostensum est, *comaco*, non *comaro*: sic enim habent et scripta et excusa omnia exemplaria. *Pintian.*

Cypro, amaraco, colato melle, &c.] Exemplar Toletanum, *Cypro, amara, coloto*; scribo, *Cypro, amaraco, loto*, ex Theophrasto lib. IX. de stirpibus: 'Quibus,' inquit, 'ad unguenta utuntur, hæc fere sunt casia, cinnamomum, nerum, balsamum, aspalathus, styrax, consecratix, narta, costus, ligusticum, crocum, myrrha, gladiolus, juncus, calamus, amaracus, lotus, anethum,' &c. *Idem.*

Nihilque ejus rei causa in Italia victrice omnium, in Europa vero tota, præter irim Illyricam et nardum Gallicum gignitur] Notandum est quatuor illa verba antecedentis capitis duodecimo fere a calce versu, *Externa omnia et prodigiosa*, illic per errorem posita hic inseri debere; ut sic scribendum putem: *Externa omnia et prodigiosa. Nihilque in Italia victrice omnium, in Europa vero præter Irin Illyricam et nardum Gallicum nascitur;* nam verba illa, *ejus rei causa*, adventitia putamus, et supra verba illa, *victrice omnium*, scripta ab aliquo, qui exponere voluit, ideo fuisse Italiam victricem omnium, quod ab hujusmodi deliciis abstinuisset. *Idem.*

Nardum Gallicum] Et Cyperum. *Dalec.*

Diapasmata vocantur] Theophr. de Odoribus. *Idem.*

Inter omnes potentissimus odor] Ἐπικρατεῖ γὰρ εἰς τὸ ἔσχατον ἐμβαλλόμενον, κἂν ἔλαττον ᾖ. Theophrast. *Idem.*

In alabastris] Et plumbeis vasis. Theophr. de Odorib. *Idem.*

Ut ex amygdalis] Plinius a Theophrasto dissentit. Ejus verba sunt: τὸ γὰρ δεκτικώτατον, οἷον τῆς βαλάνου, καὶ χρονιώτατον· τὸ δ' ἀμυγδάλινον παρακμάζει ταχὺ, καὶ ὀλιγοχρονιώτατον. *Idem.*

Coquuntur plumbeis vasis] Quidam legunt; *coquuntur, ac conduntur plumbeis vasis*. Theophr. Διαφθείρει δὲ τὰ μύρα καὶ ὁ ἥλιος, ἂν τεθῶσι. Διὸ καὶ οἱ μυροπῶλαι καὶ ζητοῦσι τὰς οἰκίας ὑπερῴους, καὶ μὴ προσηλίους, ἀλλ' ὅτι μάλιστα παλισκίους. Et paulo infra: Διὸ καὶ εἰς ἀγγεῖα μολυβδᾶ ἐγχέουσι, καὶ τοὺς ἀλαβάστρους ζητοῦσι τοιούτου λίθου. Plumbeis vasis duplicibus inquit Cornarius Comment. in lib. V. κατὰ τόπους. *Idem.*

CAP. III. *Quanta in unguentis luxuria, et quando primum Romanis in usu.*

Experimentum eorum inversa manu

capitur] Theophr. Τὸ δὲ κοινὸν ἐπὶ πάντων ἀπόρημα, τί δήποτε ὑπὸ (alii ἐπὶ) τοῦ κάρπου τῆς χειρὸς ἥδιστα φαίνεται, δι' ὃ καὶ οἱ μυροπῶλαι τοῦτο μυρίζουσι τὸ μέρος. *Idem.*

Ac suis moriuntur horis] Ob id Jurisconsultis, lib. VII. § Si maritus. D. De donat. inter virum et uxor. unguenta 'rem mortuam' vocat: quod eorum possessio brevis, inutilis, inanis sit. Cujacius Observ. IX. 30. *Idem.*

Ut transeunte fœmina odor invitet etiam aliud agentes] Dictionem *fœmina* expositionis causa additam putamus, legendumque *transeuntes*, non *transeunte*: cur enim fœminam transeuntem potius quam virum probatum unguentum alliceret, promiscuo illis temporibus inter utrosque unguenti usu. *Pintian.*

In M. Ciceronis monumentis invenitur unguenta gratiora esse quæ terram, quam quæ crocum sapiunt, &c.] Unguenta quæ terram sapiunt, quænam illa sunt? scribendum puto: *gratiora esse quæ cerum, quam quæ crocum sapiunt.* Vide Salmas. p. 1063. b. Vide et Plin. XVII. 5.

Sed quosdam crassitudo maxime delectat, stypsim appellantes] Sic legendum, id est, στύψιν, quæ crassitudinem unguenti significat. *Salmas.* p. 466. b.

Linique jam, &c.] Plato Politic. lib. III. Homerum e civitate, quam sibi fingit, pellendum censet, sed ut sanctum virum, mirabilem, suavem decet, capite unguentis delibuto, et lana coronatum: vel, ut ait Cic. apud Nonium, redimitum coronis. Cic. in Verrem Act. VI. ait, Segestanas mulieres, cum simulachrum Dianæ oppido exportaretur, unguentis unxisse, complesseque coronis et floribus. Themistii pater Epicurum Philosophorum choro exturbavit, capite unguento perfuso, quod toto corpore voluptatem secutus fuisset. Victor. IV. 13. Lege elegantissimum locum apud Plautum in Mostell. *Dalec.*

Vidimus etiam vestigia pedum tingi] Id multo ante Athenis factum fuisse ostendit hic Cephisodori versus apud Athenæum: Καὶ τοῖς ποσὶν χωρὶς πρίω μοι βάκκαριν. Apud eundem Antiphanes: Αἰγυπτίῳ μὲν τοὺς πόδας καὶ τὰς χέρας, Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τιτθία, Σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα, Ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν κόμην, Ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα. Præterea Diogenes unguentatis pedibus incedebat. Tum etiam in Aulularia 'Myrobatharii' dicuntur, qui muliebres soleas unguentis linebant. *Idem.*

Quæso ut qualiter sentiretur juvaretque ab ea parte corporis] Convertenda puto verba: *Quæso ut sentiretur, qualiter juvaret ab ea parte corporis*; nam particula *que* a nullo exemplari scripto impressove agnoscitur. *Pintian.*

Caium principem, &c.] Suetonius in Caio, cap. 37. Apud Petronium in Satyra, Trimalcio in balneo unguento perfusus tergitur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis. *Dalec.*

Quando id primum, &c.] Jam Tarquinii tempore unguentorum fuit usus. Ennius enim ait, nisi subsit poëtica πρόληψις, 'Tarquinii corpus bona fœmina lavit et unxit.' *Dalec.*

Quidam etiam, &c.] Apud Theoph. περὶ τῶν ὀσμῶν, μόρον καὶ τἄλλα ἔνοσμα τοὺς μὲν οἴνους ἡδύνει, τῶν δὲ βρωμάτων οὐδέν. *Idem.*

L. Plotium] Valer. Max. VI. 8. Ubi legitur *Plotinus Plancus*, Numatii vel Munacii Planci frater, &c. *Idem.*

CAP. IV. *De palmis, et natura earum, et generibus.*

Nulla est in Italia sponte genita, nec in alia parte terrarum nisi calida] Ambo exemplaria: *Nulla est in Italia parte terrarum nisi in calida.* Minus male legetur: *Nulla est in alia parte terrarum nisi in calida.* Pintian.

Gaudet et riguis, totoque anno bibere cum amet anno sitienti] Legendum arbitror: *Gaudet et riguis totoque anno bibere: quin etiam non sitienti*, hoc est, et si annus sit pluvius, gaudet tamen rigari: favet huic correctioni Theophrastus II. 8. palmas scribens magis gaudere aquis scaturientibus quam pluviis. *Idem.*

A fimo quidem etiam lædi putant: et Assyriorum pars aliqua si non rivis misceatur] Scribo, *A fimo quidam etiam lædi putant, si non rivis misceatur*: cætera falso inserta sunt. Paret apertissime ex Theophrasto II. 8. cujus hæc verba sunt: 'De fimo diversa sententia est: quidam enim has fimo delectari negant, sed abhorrere omnino statuunt: alii usum fimi concedunt, incrementumque magnum capere eo affirmant, rivis tamen miscere fimum oportere affirmant.' *Idem.*

Reliquæ teretes atque proceræ, densis gradatisque, &c.] Lege ex veteri scriptura: *Densis gradatisque corticum pollicibus auctioribus* (an *acutioribus*?) *faciles ad scandendum Orientis se populis præbent, utilem sibi arboremque inductis circulum, mira pernicitate cum homine subeunte.* Palmæ arboris caudex totus scaber est et asper densis squamis per gradus dispositis et extantibus. Vel lege: *faciles ad scandendum Orientis se populis præbent, utilem sibi arborique inductis circulum, mira pernicitate tum homine subeunte.* De circulo quem pedibus inducunt qui palmas arbores scandunt omnino accipiendum. Vide Salmas. 1329. a. *Densis gradatisque, &c.*] Legend. *densis gradatisque corticum cochlicibus, &c.* Κόχληκες, κόχλακες, κοχλάδες sunt tortuosi, instar cochlearum turbinati circuli, totum arboris scapum circumflexu more clavicularum ambientes et complexi, quibus sursum quasi per scalas κοχλιοειδεῖς in gyrum ascendi possit, a κόχλω, *gyro*. Vid. Reines. Var. Lect. II. 9. 206. *Reliquæ teretes atque proceræ, densis gradatisque corticum pollicibus auctioribus faciles se ad scandendum Orientis populis præbent, utilem sibi arborisque induviis circulum mira pernicitate tum homine subeunte*] Plinius *pollices auctiores* vocat, amputatorum vel decidentium ramorum reliquias eminentes et ex cortice protuberantes, ut pollex exertus ex manu. Id Gallice dicimus *chicots*. Hunc Plinii locum sane salebrosum et mendosum ita debere legi contendit Salmasius, *utilem sibi arborique inductis circulum*. Quæ lectio mihi videtur aliquid habere absurditatis; qua enim utilitate affici potest arbor tali circulo? Ego igitur pridem in margine nostri Plinii codicis emendaveram: *vitilem sibi arborique indutis circulum*, et ita censueram legi debere, doctus a quodam nobili navarcho de modo quo incolæ Palmiferæ regionis in Africa celeriter cum suo circulo scandunt excelsas palmarum arbores: scilicet induunt se una cum arbore ipsa circulo e vitili ligno facto, et pedibus in arboris pollicibus illis nitentes, et lumbis circulo innixi, manibus vero ambabus circulum gradatim et subsultim attollentes, celerrime usque ad arboris summum, ubi sunt rami et fructus, scandunt: id sæpe facientes, ut lagenas suas ramis succisis appendeant, vel eas plenas vino palmeo reportent. *Palmer.* Exercitat. ad Luciani tom. III. pag. 573.

Coma omnis in cacumine] Legend. *Coma omnis in cacumine et pomum est: non inter folia hoc, ut in cæteris, &c.* dicit non solum comam omnem in cacumine palmæ arboris esse, sed etiam pomum. Et paulo post lege: *fœmina citra florem germinat statim spicæ modo.* Salmas. pag. 410. a. *Coma omnis in cacumine*] Theophr. Hist. I. 23. *Dales.*

Ad funes vitiliumque, &c.] Nam quia tunc maxime succo abundant, ideo tractabiliora sunt. Apud Apul. Asini lib. II. Zachlas Ægyptius Propheta palmeis baxeis pedes indutus est. *Idem.*

Et capitum levia umbracula finduntur] Ad ea opera decerpuntur a messe. Vide XVI. 24. *Idem.*

Omnibus quæ terra gignat] Theophr. Hist. V. 11. *Idem.*

Mas in palmite floret] Theophr. Hist. I. 22. et II. 8. *Dalec.*

Lignum intus] Theophrastus Hist. I. 18. Plinius male *lignum* vocat: est enim ossiculum instar carneæ substantiæ durum. Paulo infra osseum quibusdam inesse dicet. *Idem.*

Quaternæ coalescunt] Theophr. Hist. II. 8. *Idem.*

In Cypro] Peculiare Cypro id genus est. Theophr. *Idem.*

Et folium ibi latius, fructus quam reliquis rotundior, nec ut devoretur corpus, verum ut expuatur succo modo expresso] Desunt hic manifeste aliquot verba; de altero enim genere palmæ quod est in Cypro loquitur; duo namque illic palmæ genera reddit Theophrastus II. 8. his verbis: 'Alterum autem in Cypro nascitur, quod et folium habet latius, et fructum majorem multo, et pecnliaris formæ, magnitudinis mali punici, formæ oblongæ, non grati saporis, ut alii, sed similis radicibus, itaque non devoratur, sed mansus expuitur.' Puto igitur in Plinio legendum: *Est alterum in Cypro palmæ genus, folium hic latius, fructus quam reliquis.* Pintian. *Et folium ibi latius, &c.*] Hæc, a Theophrasto de duobus generibus dicta, male in unum confunduntur. *Dalec.*

Cætero non sine, &c.] Guillandinus in Ægypto et Oriente observavit, ne fœminæ steriles sint, aut immaturum fructum perdant, mares eo intervallo seri, ut ab iis pulverem ventus in illas perferat. Quod si longius distent, quam ut pulvis odorve pervenire possit, tum a mare funem religatum ad fœminam perduci, ut maris fœcunda vis per eam copulam ac vinculum irrepat. Refert Pontanus palmas duas, marem Brundisii satum, fœminam Hydrunti, steriles diu fuisse, quod adultæ se invicem aspexerint, ac tum quamvis longo tractu dissitas fructum edidisse. *Idem.*

Nutare in eum pronas blandioribus comis] Idem prolixius Florentinus in Georgicis. *Idem.*

Adeoque est Veneris intellectus] Theophr. Hist. lib. II. cap. ult. et de Causis, III. 23. quem semel vide ad totum hunc locum. *Idem.*

Seruntur autem palmæ et trunco] Legend. *Seruntur autem palmæ, trunco duorum cubitum longitudine a cerebro ipso arboris, fissuris diviso atque defosso.* Cerebrum ipsum arboris trunci summum est. Truncum præcidunt duorum cubitum longitudine a summo: id defodiunt cerebro deorsum verso, et fissuris diviso. Vide Salmas. 1828. b.

A cerebro ipso arboris viridi] Ultima dictio redundat ex scriptis codicibus; sane recte, ex Theophrasto, unde locus sumptus est, ut pleraque omnia in hac plantarum commentatione, sicuti in animalium tractatu ab Aristotele. *Pintian.*

In Cypro vero, Syria, Ægypto, quadrimæ aliæ, aliæ quinquennes] Exemplar Toletanum: *In Cypro vero, Syria, Ægypto quadrimæ, aliquæ quinquennes.* Pintian.

Quod cerebrum appellant] Præter Theophrastum Galenus, Strabo, Plutarchus, Philostratus ἐγκέφαλον vocant, Dioscorides ἐγκάρδιον. Nam veteres ἔγκαρ sive ἔγκαρον etiam cerebrum dixerunt. Plutarchus quidem de Tuend. Valetud. id prædulce esse ait, sed κεφαλαλγές. Philo de Vita Mosis lib. I. auctor est, palmæ vitalem vim in radicibus defossam non esse, ut in reliquis stirpibus, sed in summo trunci vertice vigere, tanquam in corde, ac in ramorum medio, quibus velut satellitibus stipatur. *Guilland.*

Vocantur autem chameropes] Sic quidem antiqua nostra exemplaria præferunt, sed male: legendum enim

chameriphes ex Theophrasto II. 8. quod vidit et Hermolaus. *Pint.* *Vocantur autem chameropes*] Petalas quoque dici minutas palmas et θαμνώδεις notavit Rhod. XXV. 26. χαμαιῤῥιφεῖς Theophr. vocat, Diosc. χαμαιζήλους. *Dalec.*

Uno in horto Bagou] Theophrastus II. 8. spadonem hunc *Battu* non *Bagoum* appellat. Theodorus neutro modo vertit, sed *Batteni*: tanta in eo loco varietas est exemplarium. *Pint.* *Uno in horto Bagou*] Bagoæ eunuchi meminit ex Diodoro Rhod. XIII. 29. qui cum veneno sanguinarium ac crudelem regem Occhum sustulisset; eodem mox necatus est, a Dario coactus poculum bibere, quod et ipsi paraverat. Plutarch. de Fortitud. Alexand. lib. II. scribit, interfecto Occho, regnum Arsæ (alii, 'Oarsæ') tradidisse, et mox eodem interempto, Dario. Leopardus IV. 25. *Dalec.*

Una earum arbor in Chora esse traditur] Scribendum reor, *Una earum arbor in Charace traditur*; notissimum est oppidum Charax in intimo recessu sinus Persici, de quo multa in sexto. *Pintian.*

Sapore ferino quem ferme in apris novimus, evidentissimeque causa est nominis] Lego: *Sapore quem ferme in apris novimus, quæ causa nominis*, ex apographo Toletano. *Idem.*

Ab his caryotæ maxime celebrantur] Scribe *careotæ*, seu *careotides*, ut in Sylvis Papinius: 'Prægrandes careotides cadebant:' utrobique per *e*, non per *y*, aut *i*, ut video plerosque etiam ex doctissimorum nota scribere, nulla ratione: nam cum *e* scribendum etymologia ipsa docet; caput enim κάρη, seu κάρηνον Græce dicitur. Nec apud Papinium prædicto versu ratio syllabæ claudicat; nam sæpe Græcum η in *e* breve apud Latinos vertitur, ut apparet in 'crepides' apud Catullum et Persium, et in 'diastema' apud Sidonium, cui tamen iniquissime de ea re lis ab Hermolao intenditur: et in *o* magno idem contigit in dictione 'Ionium,' apud Virgilium et Catullum, ut necesse non sit inverti ordinem in illo Lucani versu lib. I. 'Edonis Ogygio decurrit plena Lyæo,' ut Constantius Fanensis putavit. *Pintian.*

Ex quibus præcipua vina Orienti] E Chydæis maturis fieri auctor scribit XIV. 16. *Dalec.*

Unde pomo nomen] Nempe ἀπὸ τοῦ καρός. *Idem.*

Sicciores in hoc genere] De quibusdam tantum palmis id Theoph. non addita particulatim Nicolaorum appellatione. *Idem.*

Nicolai] A Nicolao Damasceno, peripatetico, Augusti familiarissimo, eas palmas vocatas fuisse scribit Rhod. V. 6. ex Plutarcho in Sympos. Quæst. VIII. 4. *Idem.*

Pateton] Vide quæ adnotata sunt XIV. 16. *Idem.*

Suum genus e socciore, &c.] Lege: *Suum genus e sicciore turba balanis, prælonga gracilitate, curvatis interim.* Plinii ætate 'dactyli' inauditi hac notione. Vulgus Græciæ recentioris hoc nomen usurpavit de balanis palmæ. Vide Salmas. 1322. b.

Chydæos] Viles, exigui pretii. *Dalec.*

In totum arentes, &c.] Lege: *In totum arentes Thebaidis atque Arabiæ, macroque corpore exiles, et assiduo vapore torrente crustam verius quam cutem obducunt.* Salmas. 472. a.

Thebaides] Sic dictæ a Thebis Ægypti. Papinio in Sylvis Thebaicæ: 'Chartæ, Thebaicæve, caricæve.' Rhodig. V. 6. *Dalec.*

Nam in aliqua parte Phœnices, &c.] Legend. *Nam in aliqua parte Phœnices, Græciæque populari etiam nomine a nobis appellantur balani.* Hic *Phœnices* sunt φοίνικες, id est, *palmulæ*; sic enim etiam vocarunt palmæ fructus, qui Græcis quoque βάλανοι dicuntur. Vult ergo Plinius *tragemata* a Syris vocari palmulas. In alia parte *Phœ-*

nices, id est, *φοίνικας*. Populari etiam Græciæ nomine a Romanis dici *balanos*. Vide Salmas. 1322. b. 1324. a.

CAP. V. *De Syriæ arboribus.*

Syria præter hanc, &c.] Vide XV. 22. et XXIII. 8. *Dalec.*

Quæ cottana vocant] Cottana Juvenal. Sat. III. 'me prior ille Signabit, fultusque toro meliore recumbet, Advectus Romam quo pruna et cottana vento.' Pruna scilicet Damascena: Martial. 'Hæc tibi, quæ torta venerunt cottana meta, Si majora forent cottana, ficus erat.' 'Metam tortam' poëta vocat e tortis juncis textam sportam metæ modo in acuminatum fastigium desinentem. Talibus canistris Massilienses caricas suas recondunt ac exportant, et *cabas* vocant. Hesychius *κόττανα* legit, non *κόκτηνα· κόττανα*, inquit, *εἶδος συκῶν*. Turneb. XXV. 28. *Dalec.*

Ex myxis in Ægypto et vina fiunt] Theoph. Hist. III. 12. *Idem.*

Juniperi similem habent, &c.] Historiam totam Theophrasti Plin. pervertit et corrumpit. Phœnicia cedrus eadem quæ et Syriaca, sive cedrelate; Lycia vero, quam et cedrida vocat Hist. I. 15. et 16. oxycedrus est. Deceptus Plinius Lyciam et Phœniciam minoris cedri species esse putavit, et utramque bacciferam, cum baccas Lycia, conos Phœnicia gignat. Utrique folium quidem juniperi, sed Phœniciæ brevius, firmius, durius. *Idem.*

Lycia et Phœnicia] Theoph. Hist. III. 18. *Idem.*

Semen ejus cupresso simile] Theophrastus III. 12. corticem, non semen, dicit habere similem cupresso: 'Corticе,' inquit, 'cupresso similes videbantur, verum scabriore.' *Pintian.*

Materiæ vero ipsi æternitas] Ob siccitatem maximam, quæ a putredine illam vindicat: quamobrem in Argonauticis *ὀζαλέην κέδρον* Orpheus vocavit. *Dalec.*

Cedro similis in Arcadia est arbor] His verbis Plinius reddere conatur quod Theoph. ait, Idæos narrare unicum esse cedri genus junipero simile, quoniam scilicet apud eos cedrelate non nasceretur; Arcadas vero trium simul annorum fructum genere. *Idem.*

CAP. VI. *De terebintho.*

Syria et terebinthum habet] Theophrastus Hist. III. 15. *Idem.*

Ex his mascula est sine fructu, &c.] Lege: *Ex his masculæ sine fructu. Fœminarum duo genera: arteri fructus rubet lentis magnitudine, alteri pallidus cum vite maturescit, non grandior faba, odore jucundior, tractu resinosus, circa Idam Troadis, et in Macedonia brevis arbor atque fruticosa, &c.* Vide Salmas. p. 594. b.

Alteri fructus rubet, &c.] Protinus ruffus est, nec concoquitur. Theoph. *Dalec.*

Tactu resinosus circa Idam Troadis, sed in Macedonia brevis arbor hæc] Scribo: *tactu resinosus, circa Idam Troadis et in Macedonia brevis arbor hæc*, ex Theophrasto aperte III. 15. 'Nigrum,' ait, 'novissime facit magnitudine fabæ resinosum et furfurosum. Circa Idam et Macedoniam brevis, fruticosa, contortaque nascitur: at apud Damascum Syria magna, copiosa, decoraque.' *Pintian.*

Materies ei admodum lenta, ac fidelis ad vetustatem] Scribo alio ordine verborum, *Materies ei lenta ac fidelis admodum ad vetustatem*, ex eodem Theophrasto eodem loco, his verbis: 'Materies ei lenta, radices validæ in profundo, atque in totum incorrupta hæc arbos habetur.' *Idem.*

Eximii ac nigri splendoris] Duo primo verba superfluunt, ex utroque antiquo codice. *Idem.*

Etiam thus Syriæ mascula fert, &c.] De rhu loquitur, quam perperam mutarunt editores in *thus*. Vide Salmas. pag. 465. a.

CAP. VII. *De ficu Ægyptia, et Cypria.*

Et in Ægypto, &c.] Vide Theoph.

Hist. IV. 2. et infra XXIII. 7. *Dalec.*

Ante omnia ficus, ob id Ægyptia cognominata] Ubi ficus Ægyptia est, quæ συκάμινος Theophrasto. συκόμορος dicitur Dioscoridi. *Salmas.* 459. a.

Ferreis unguibus] Ungue aut ferro, Dioscor. oleoque inungendo, Theophr. de Caussis I. 21. *Dalec.*

Hoc est ejus siccari] Sic dictum: ut 'scire tuum nihil est.' Sequitur: *certoque sugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat.* Lignum hujus fungosum non est, nec rarum cum in aquam mittitur; nam subsidit cum in aqua diu desederit; tum arefactum rarefactumque sustollitur. *Salmas.* pag. 463. b.

Sugit] Siccat. Guilland. ad fabrilem materiaturam aptam reddit; cum enim ligno sit raro et fungoso, humore perfusa lentescit, et tractabilem se præbet. *Dalec.*

Qui aliam omnem rigat] Utrumque exemplar hanc lectionem præfert, non *alvum*, ut Hermolaus emendat ex Theophrasto et Solino, quorum neuter eum adjuvat. Theophrasti verba sunt IV. 2. 'Proprium id præter cætera habere videtur, quod cæsum continuo viride est, siccatur autem in profundo aquæ; mergitur enim in profundas fodinas stagnaque protinus atque conditur, madefactumque in profundo siccatur: cumque siccum omnino fuerit, superfluitat atque innatat: itaque probe conditum esse videtur; fit enim leve atque solutum.' Et Solinus cap. 34. 'Materia ejus in aquam missa subsidit: deinde cum diu desederit in liquore, levior facta sustollitur, et versa vice (quod natura in alio ligni genere non recipit) fit humore sicca.' In his verbis Theophrasti atque Solini nulla apparet alvi intestinorumve mentio; nisi quis dicat citari ab Hermolao prædictos auctores quod attinet ad verbum *sugit*, quod pro *fugit* substituit, cujus rei debuit lectorem admonere, ne judicaretur voluisse præstigiatorum more legentium oculos præstringere, ut supra etiam in 'cynorrhodo' fecit. *Pintian.*

Cypria ficus, &c.] Dioscoridi hæc ulmus est, folio tamen sycomori, fructu pruni magnitudine, dulciore, cætera sycomoro similis. *Dalec.*

Sed hac germina, &c.] Legend. *sed hæc germen amittit sine ullis foliis ut radicem, similis populo, folium ulmo.* Hæc, inquit, arbor, quæ germen amittit sine ullis foliis, ut radicem, similis populo est, caudice scilicet et magnitudine; nam folium ulmo simile. *Salmas.* pag. 462. b. *Sed hæc germina, &c.*] Tenuia, quibus fructus præfigitur. Theoph. *Dalec.*

CAP. VIII. *De Ceraunia siliqua.*

Similis his siliqua, quam Iones Ceraniam vocant, &c. ob id quidam ficum Ægyptiam dixere errore manifesto] Quamvis error sit, sic tamen usus obtinuit apud Græcos: perperam scribitur *Ceraunia* pro *Ceronia;* nisi quis dicat ita scriptum pro *ceraonia.* Salmas. p. 459. a. *Similis his siliqua quam Iones Cerauniam vocant*] Lego, *Similis et quam Iones Cerauniam vocant*, ex utroque exemplari: rectissime, astipulante etiam Theophr. de Plantis IV. 11. 'Similis,' inquit, 'huic et quam Iones ceroniam vocant.' Nam Theodorum, qui aliter transtulit, Plinii depravata lectio decepit. Item *Ceroniam* libentius legerim quam *Cerauniam;* nisi quis dicat utroque modo posse proferri, ut 'olla,' 'aula,' 'coda,' 'cauda,' 'plodo,' 'plaudo,' et similia; sed in dictionibus Latinis locum id habere dixerim, non in Græcis. Utcunque in his quæ ad nos e Græcis fluxerunt tutius est literaturam sequi Græcam, exceptis quibusdam in quibus receptissimum est aliter fieri. *Pintian.*

Siliqua] Siliqua hæc nostra Carrobia est. Falluntur qui arborem Judæ esse putant, quoniam arboris ejus ruber flos est, non albus: item qui Cassiam nostram fistularem. Est e-

nim illi flos luteus. Vide Theoph. Hist. IV. 2. et infra XXIII. 8. *Dalec.*

Trunco et ipsa fertilis, sed pomo siliquæ] Siliqua ipsa mandebatur: semina, quæ intus habet, amara et esui inutilia: cortex ipse prædulcis et edulis. *Salmas.* p. 459. b.

Sed pomo siliquæ] Exemplar Toletanum, *Sed pomum siliqua.* Lego, *Sed pomo in siliqua*, ut cap. seq. 'semen in siliquis.' Theophrastus pomum Græce *ellobon* appellat, hoc est siliqua contentum. Theodorus: 'Nam et ipsa candice maximam fructus partem expellit; ramis autem, ut diximus, paucum fert siliqua.' *Pin.*

Plantigera imis partibus] Legend. *plantigera imis partibus, et ideo superficie flaccescens;* sic idem XV. 29. de myrto. *Salmas.* pag. 461. b.

Postea florem, per Arcturum hieme fœtus enutriente] Legendum videtur, *postea flores per Arcturum, &c.* Theophr. 'Fructum anniculum simul et novum habet: altero namque detracto post Canis ortum protinus alterum gigni patefecit, gignitur enim uvæ modo indiscretus atque uniformis: tum auctus circa Arcturum et Æquinoctium floret.' *Pintian.*

CAP. IX. *De Persica Ægypti, et spina Ægyptia.*

Ægyptus et Persicam arborem sui generis habet] Scribo *Perseam* non *Persicam*, ex Theophrasto loco sæpe citato, et Dioscoride lib. I. 'Est,' inquit Theophrastus, 'in Ægypto alia quoque arbor Persea dicta.' Dioscorides: 'Ægypti arbor Persea est, fructum fert stomacho accommodatum,' &c. Quod si apud Dioscoridem legis: 'Perseam Romani pariter Græcis Perseam sive Persicam dicunt:' scito verba illa Dioscoridis non esse, nec in Græco ea haberi exemplari, sed a Marcello interprete addita, quem fefellit mendosus Plinii codex: in quem etiam errorem incidit Hermolaus in Corollario. *Pintian.*

Similem pyro] Folio, ramo, flore, Theophr. *Dalec.*

Subnascente crastino fructu] Non placet Plinii tralatio ex Theophrasto, cujus verba sunt de arbore Persea: 'Fructum autem fert copiosum et omnem horam,' Plinius *crastino* vertit. Ego puto apud Theophrastum 'horam' non partem diei significare, sed anni: alioqui ridiculum esset credere arborem esse quæ cotidie fructum novum gignat. *Pintian.*

Pomum longius pyro] Adde *æquum*, aut *par*, aut aliam hujusmodi dictionem; est enim sensus, Perseam arborem habere pomum oblongum, magnitudine pyri. Theophrastus: 'Fructum abunde parit, omnique tempore perficit; quippe novus anniculum semper occupat: maturitas anniversariorum afflatu conficitur, reliquum crudiorem auferunt atque recondunt: est magnitudine pyri, figura oblongus, amygdalæ modo.' Hæc Theophrastus; apud quem magnam rem fecisse putavit Theodorus, si, quos ventos universitas scriptorum 'etesias' appellat, ipse Latino nomine 'anniversarios' diceret. *Idem.*

Sed ubi nux illi, huic pomum] Utrumque exemplar non *pomum* legit, sed *primum*: scribo *prunum.* Theophrastus: 'Habet autem intus nucem quemadmodum prunum mollicie, sed longe minorem et molliorem.' *Idem.*

Materies bonitate] Theophr. Hist. II. 20. et 38. *Dalec.*

Simulacra ex ea factitavere, non eadem gratia quam fideli materia, ut ex arbore quam balanum appellavimus] Prima illa verba, *simulacra ex ea factitavere*, ad antecedentia pertinent: deinde sequitur alius sensus, scribendumque sic: *Non eadem gratia, quanquam fideli materia, est arbor quam balanon appellamus.* Theophrastus eodem loco: 'Glans a fructu nomen accepit, folium ei simile atque myrto, oblongius tamen; ilitæsa magnaque arbor est, verum non recta, sed con-

torta; materies ei valida, et tam ad alia quam ad navigia percommoda.' *Pintian.*

Novalis itaque] Lege, *navalis itaque tantum est.* Vel legend. *non eadem gratia, æque fidelis materies, arbori quàm balanum appellavimus: navalis itaque tantum est.* Salmas. 463. b.

Lignum intus grande] Sub corticoso et fibroso velamine, quod sese primum offert. *Dalec.*

Ob id Persis gratissima] Ad lectorum pedes conficiendos. Theophr. *Id.*

Spina] Ἄκανθον Theophr. hanc *spinam* vocat. *Idem.*

In eadem gente duntaxat nigra] Hæc omnia e Theophr. IV. 3. Vide infra XXIV. 12. *Idem.*

Circa Thebas hæc, &c.] Lege: *Circa Thebas hæc, ubi et quercus et Persea et oliva, CCC. a Nilo stadiis, silvestri tractu et fontibus suis riguo. Ibi et prunus Ægyptia, non dissimilis, &c.* Ita scribendum continuata serie, quam vulgo capitibus divellunt. *Salmas.* p. 533. a. *Circa Thebas hæc, ubi et quercus, et Persica, et oliva*] Scribendum, ut admonui, *Persea*, non *Persica*. Theophrastus IV. 3. 'Et silva ingens circa agrum Thebanum est, ubi et robur, et Persea, et olea.' Theodorus, quod Græce Theophrastus dixit Θηβαϊκὸν νομὸν, *agrum Thebanum* vertit: ego *præfecturam*, non *agrum*, transtulissem, cum Plinio v. 9. *Pintian.*

CAP. X. *De pruno, et arboribus circa Memphim.*

Ibi et prunus Ægyptia] Vide Theophr. Hist. IV. 3. qui natalibus cum Plinio convenit, alia re nulla prorsus. Quibusdam myrobalanus emblica officinarum, ut chrysobalanus Galeni, flava. *Dalec.*

Spinæ proxime dictæ] Descriptæ superiori proximo capite. *Idem.*

Lignum in pomo grande] Theophrastus non *grande*, sed *rotundum* scribit. 'Alia,' inquit, 'quædam arbor prunus habetur insignis magnitudine, fructum ferens natura et magnitudine mespilis proximum, nisi quod rotundum nucleum habet.' *Pintian.*

Silvestris fuit et circa Memphin regio] Verbum *fuit* neutrum scriptorum exemplarium agnoscit. *Idem.*

Ut terni nequirent vel circumplecti] Videtur scribendum præpostero ordine: *ut vel terni nequirent circumplecti.* Idem.

Nec pomum propter, &c.] Lege: *nec pomum propter usumve aliquem, sed eventum, facies ei est spinæ, folia habet seu pinnas, quæ tactis, &c.* Salmas. p. 538. b.

Folia habet seu pennas] Φύλλα δ... πτερίσι, seu *filicum*, Plinius legit πτεροῖς. Garcias II. 17. luteum florem esse scribit, folium vero Polypodii, qua in re cum Theophrasto convenit. *Idem.*

CAP. XI. *De gummi generibus, et papyro.*

Gummi optimum esse ex, &c.] Lege: *Gummim optimam esse ex Ægyptia spina convenit, vermiculatam, colore glauco, puram, sine cortice, dentibus adhærentem.* Atque ita Plinius ubique declinat: *hæc gummis, hujus gummis, hanc gummim.* Salmas. pag. 583. *Gummi optimum esse ex, &c.*] Vulgo Arabicum. Acanthinum Celsus vocat v. 1. quoniam stillat ἐκ τῆς Αἰγυπτίας ἀκάνθης, Ἀραβικῆς. Sic vocat et Marcellus Empiricus cap. 14. *Dalec.*

Colore glauco] Vitro simile, pellucidum. Dioscor. Vide supra cap. 9. hujus libri. *Idem.*

X. III.] Denarii tres. *Idem.*

In Coryco monte] Κώρυκος, *folliculus* in ulmo et terebintho, intra quem nascuntur culices et gummi. Inepte Plinius Corycum montem esse putavit. *Idem.*

Fit et ex sarcocolla (ita vocatur arbor) gummi utilissimum] Codex Toletanus non *gummi utilissimum* legit, sed *commis utilissima*, semperque ita profert genere fœminino, non neutro. *Pintian.*

Et hanc Alexandri Magni victoria repertam] Guillandinus, hujus loci dili-

gentissimus et ingeniosissimus enarrator, ex Anacreonte, Alcæo, Æschylo, comicis veteribus, Platone, Aristotele, probat papyrum, sive biblum, cognitam quidem fuisse antequam nasceretur Alexander, verum in usu frequenti et publico fuisse Alexandri seculo. *Dalec.*

Antea non fuisse chartarum usum] Pertinent huc Lucani versus: 'Nondum flumineas Memphis contexere biblos Noverat, in saxis tantum volucresque feræque, Sculptaque servabant magicas animalia linguas.' *Dalec.*

In palmarum foliis, &c.] *In malvarum foliis*, non *palmarum*, legendum putat Guilland. quoniam olim in malvarum foliis scribebatur. Cuina apud Isidorum: 'Hæc tibi Aratæis multum invigilata lucernis Carmina, queis ignes novimus aërios, Lævis in aridulo malvæ descripta libello, Prusiaca vexi munera navicula.' *Idem.*

Mox et privata linteis, &c.] Linteos libros memorat Livius lib. IV. primæ Decad. et Vopiscus in Aureliano. 'Ceras' cera oblitas tabulas vocat, in quibus primum ferreo stylo scribebatur, deinde ossea cuspide, cum vetitum fuisset, ne quis e ferro graphium haberet. Plaut. in Bacchid. 'CHRY. Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem, atque effer cito. PIST. Quid? CHRY. stylum, ceram, tabellas, et linum.' Atta in Satyra: 'Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo.' Hinc scribarum vulgatum dictum: 'Ceram ferro ne cædito.' Præter arborum cortices, ac folia plantarum, ligna cerata, lintea, plumbum, chartas, membranas, etiam in ligno, ut Solonis leges, ebore, ut Romanorum Principum edicta, libris elephantinis, quorum Ulpianus Pandect. XXXII. 50. meminit, et Vopiscus in Tacito: lapide, ut sepultorum elogia, sacras Ægyptiorum literas, et alia id genus monumenta: ære, ut XII. Tabularum leges, fœdera, senatus decreta: animalium intestinis ac gemmis quondam scriptum fuisse, multis argumentis ostendit Guillandinus. Alexandr. ab Alex. II. 30. *Idem.*

Pugillarium] Codicillorum, ceratarum tabellarum. Codicillos vocat infra XXXIII. 1. Homeri locus est Iliad. Z. πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ, Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά. Pugillares olim dicti fuerunt duplices, triplices, quincuplices, a numero foliorum: citrei, buxei, eburnei, membranei a materia: lutei, virides, crocei, purpurei, a colore. *Guilland.*

Ne terram quidem ipsam totam fuisse quæ nunc Ægyptus intelligitur] Verbum *totam* redundat ex exemplari Toletano: recte, ut infra cap. 13. 'Quod eo magis miror, si etiamnum Homero condente Ægyptus non erat.' *Pintian.* *Ne terram quidem, &c.*] Herodotus lib. II. Ægyptum esse γῆν ἐπίκτητον, καὶ δῶρον ποταμοῦ, scribit: Heliodorus IX. Æthiopicorum idem tradit: idem Aristot. I. 14. Meteorolog. idem Strabo, Diodorus, Eratosthenes. Seneca Natur. Quæst. VI. 20. Nilum turbidum defluentem, et limum secum trahentem multum, quem prioribus terris apponat, annuis incrementis semper Ægyptum proferre auctor est. Tot testibus et insignis auctoritatis viris confisus Plinius idem asserit. At constat omni memoria, in inferiori Ægypto celebres urbes fuisse Canopum, unde ostium Canopicum dictum, quo post excidium Trojæ, cum Helena Menelaus appulit, vulgo *Bicheri:* Tanin, vulgo *Damiatam*, unde Taniticum: et in vertice Deltæ, *Sain*, hodie, ut volunt, *Sait*, quæ chartæ Saiticæ nomen dedit: tum etiam Heliopolin, quæ *Bethsemes* appellatur, et *No* populosam, quæ in Alexandriam postea versa est: Latopolin, in cujus ruinis Cambyses Babylonem ædificavit, *Cairum:* Memphim, Pyramidum miraculis claram: ut inde credendum hodie

sit, Ægypti eam partem non adaggeratam fuisse limo fluvii, sed incolis multis semper habitatam, oppidisque frequentissimis cultam. Pro Sebennitica præfectura Guillandinus *Saiticam* reponit, quoniam licet Sebenniticus tractus, in quo etiam hodie visitur ampla civitas *Sibnit*, ab historicis celebratus fuerit, nulla tamen charta Sebennitica nucupetur, cum de Saitica multa legantur apud auctores. Homeri versus de Pharo sunt: *Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ Αἰγύπτου προπάροιθε, Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι, Τόσσον ἄνευθ' ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς Ἤνυσεν ᾗ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσεν ὄπισθεν.* Continenti adjuncta est oblongo et angusto aggere, quem pontem *γέφυραν* vocant, industria Cleopatræ reginæ, quæ legatos et publicanos Rhodiorum vectigal, cui obnoxia diu fuerat, superbe petentes, in suburbana cum duxisset solennis festi specie, septem dierum spatio, molibus in altum jactis, totidem stadia occupavit, et ita continenti admovit. Aliquanto vero post vehiculo in eam profecta, Rhodios ludificata est, portorium non ab insula, ut putabant sed a terra exigentes. Guilland. ex observatione Brodæi Miscell. III. 5. *Dalec.*

In Sebennytico, &c.] Varro, loco quem Plinius citat, scripserat, in Sebennytico tantum nomo Papyrum, unde chartæ fiunt, nasci: cum autem nascatur in multis aliis locis Ægypti, probabile est Ægyptum totam terram tum non fuisse. *Idem.*

Noctis dieique velifico, &c.] Quantum navis plenis lata velis diurno cursu metiri poterat. Seneca, Plutarchus in Iside et Osiride. *Idem.*

Æmulatione circa bibliothecas, &c.] Ælianus Hieronymusque, ad Chromatium, inter Ptolemæum et Attalum contentionem eam habitam fuisse tradunt, qua in re nihil dissensionis est, cum, ut suos omnes reges Ptolemæos Ægyptus vocavit, ita et suos Attalos Pergameni cunctos nuncupaverint. De membranarum initiis statuendum fere idem quod de chartis, Eumenem frequentiorem quidem illarum usum vulgasse, cum maximum earum numerum ad bibliothecæ suæ volumina compararet, quamvis jam annis multis illarum usus fuisset ante Eumenem; cum Herodotus in Terpsichore scribat ab Ionibus byblon sive chartam appellari *διφθέραν*, nempe *membranas:* chartæque penuria, in membranis caprinis et ovillis eos ac plerosque alios barbaros scribere solitos. Scribit præterea Josephus Antiquit. l. XII. a Judæorum summo pontifice missos ad Ptolemæum senes, libros Sacræ Legis expectantem, membranas suis involucris extractas ostendisse, aureis literis perscriptas, tenuitatis admirandæ, ac sic compositas, ut visu discerni commissuræ non possent. Facit et ad id proverbium notissimum, 'Diphthera vetustiora,' de quo vide Suidam et Erasmum. Aristotelem primum omnium undique colligere libros cœpisse, et Ægypti reges *σύνταξιν* bibliotheces docuisse, Strabo affirmat: quod sic intelligendum puto, non quidem vivum et coram locutum id monstrasse, verum exemplo suæ bibliothecæ, quam instructissimam, copiosissimam, et ordine convenientissimo digestam fuisse credi par est, eos principes incitasse, ut præclaram illam et incomparabilem suam instituerent. Pisistrati bibliothecam, ante Philosophi tempora, urbe potitum Xerxem Gellius tradit in Persidem transtulisse: eamque multis post annis Seleucum Nicanora reportandam Athenas curavisse. Julianus Imperator ad Ecdicium Ægypti præfectum scripsit, alios quidem feris, avibus, equis delectari, sibi vero *ἐκ παιδαρίου δεινὸν πόθον ἐντετηκέναι τῆς τῶν βιβλίων κτήσεως, a puero maximam cupiditatem comparandi libros inolevisse.* Capitolinus Serenum Sammoniacum erudi-

tissimum virum Gordiano juniori discipulo bibliothecam suam donasse refert, in qua sexaginta duo volumina selectorum et optimorum librorum numerabantur. *Dalec.*

Papyrum ergo nascitur, &c.] Legend. *Papyrum ergo, &c. triangulis lateribus in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens. Semine nullo, aut usu ejus alio quam floris ad coronandos Deos;* id est, cacumen in gracilitatem thyrsi modo fastigatum includens. Vel sic lege: *in gracilitatem fastigatum, thyrsi modo cacumen includens, nullo semine, haud alio quam floris usu ad Deos coronandos.* Salmas. pag. 536. a. et 537. a. *Papyrum ergo nascitur, &c.*] Papyrus duplex est: altera biblos Ægyptia, Ægypto peculiaris et Indiæ, si Straboni fides; in Syria quoque nascens Theophrasto; Plinio, etiam Babylone, cujus flore Dii coronantur, philuris charta conficitur, scapo vescuntur, radicibus ignem alunt. Altera Sari Theophrasti, Biblos secunda Eustathii, extra Ægyptum auctore Strabone, in Italiæ palustribus cum Typha et Anthela crescit, in Sicilia, Apulia, Calabria frequens, ubi voce a papyro sumpta vulgus etiamnum *pepero* appellat. Radicem habet præduram, flexuosam, e qua Saria, id est, molles tenellique cauliculi germinant, ad duorum cubitorum altitudinem surgentes, crassitudine pollicis, trianguli, chartis inutiles, coma papyro simili. Hic locus Aristotelem parum certa et vera de plantis judicasse probat, qui Probl. VI. 8. asseveret, nulli plantæ caules triangulos, aut quadrangulos produci: cum et papyri scapus tribus angulis distinguatur, et aliarum multarum, quatuor: quod ex historia Dioscorid. manifestissimum est. *Guilland.*

Triangulis lateribus decem non amplius cubitorum longitudine] Lege, *Decem et amplius cubitorum longitudine.* Theophrastus IV. 8. 'Nascitur papyrus non in altitudine gurgitum, sed prope intra duo cubita, nonnunquam etiam minus, crassitudine radicis qua vola viri robusti, longitudine super dena cubita provenit.' *Pintian.*

In gracilitatem fastigiatum] Dictum a nobis sæpe, scribendum *fastigatum*, non *fastigiatum*. Idem.

Thyrsi modo cacumen includens] Quod Theophrastus dixit, κόμην (Strabo χαίτην) ἔχοντας ἀχρείαν, ἀσθενῆ, Plinius his verbis reddidit, cum aptius esset, *comam*, sive *jubam, inutilem habens, atque invalidam.* Non parum sane discrepat thyrsus a coma. Hæc enim exporrecta, diffusa, ac explicata est, in milio et arundine, Plinio; thyrsus vero in globosum caput coactus, quale est colocasiæ, κιβώριον Theophrasto, σφηκίον Dioscoridi περιφερὲς, vel in spicatam congeriem stipatus, ut in alismatis et acanthi caule, a similitudine thyrsi Bacchici vocatus, quem Macrobius telum fuisse ait circumplicata hedera obligatum, quæ fronde mucronem tegebat. *Dalec.*

Quam floris ad Deos coronandos] Plutarchus in Agesilao scribit eum papyro coronaria delectatum fuisse ob coronarum simplicitatem, eamque discedentem a rege petiisse et accepisse. Athenæus vero lib. XV. ridet eos qui putarunt e papyro et rosis coronas fieri; idque non minus absurdum esse tradit, quam si ex allio et rosa corona necteretur, utpote papyro grave quiddam et cœnosum olente. *Idem.*

Ex ipso quidem papyro, &c.] Herodotus l. II. tradit Ægyptios naves fabricare e sua spina, compages introrsum e biblo facere ex amputato papyri vertice, ex eodem et vela, et calceos: inferiora vero, longitudine cubiti, et comesse et vendere. Lucanus: 'Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.' Ægyptiis sacerdotibus calceos tantum papyraceos gestare licebat, quorum Aristides lib. I. Sacrorum Sermonum meminit, scribens in ulceris curatione Æsculapi-

um sibi dedisse calceos Ægyptios, quibus utuntur sacerdotes. Usi sunt et veteres arundinum coma ad navium structuram, quo modo et papyro, commissuris interjicientes ad textus ferruminandos, ut quæ glutino sit tenacior, et explendis rimis pice fidelior, XVI. 36. *Idem.*

E libro vela] Apud Theophrastum est, *etiam e biblo vela, &c.* nimirum ex eadem papyro, sive caulis ejus tæniis et philuris, non autem libro sive extimo cortice, ne funibus quidem, nisi in humore, utili. Plinius negligenter hæc vertit. Omisit et idem quod apud Theophrastum mortalibus imprimis necessarium usum hujus plantæ declarat, e biblo texi biblia, nempe chartas, etiam externis notissimas; cum Græci longe plura chartis memoriæ tradiderint, quam ipsimet Ægyptii, apud quos papyrus gignitur, memorabilium rerum monumenta saxeis obeliscis et pyramidibus insculpere soliti. *Guilland.*

Mandunt quoque crudum, &c.] Dioscorides et ejus auctoritate deceptus Pierius in Hieroglyphicis falso putaverunt radicem *ἔχειν τρόφιμόν τι, alimenti nonnihil præbere*, ideoque Ægyptios *διαμασσωμένους ἀποχυλίζειν, mandere exugereque succum, τὸ διαμάσημα ἀποπτύοντας.* Nam et præter Theophrasti perspicuam hac de re narrationem, Herodotus apertissime refert in Euterpe, Ægyptios papyri e palustribus collectæ annua messe partem superiorem præcisam in alios usus quam alimentorum vertere, inferiorem autem, cubiti longitudine, et vendere et comesse, eximia quadam suavitate, cum in luculento furno torretur. Ante fruges repertas priscis Ægyptiis usitatissimum et frequentissimum eum cibum fuisse ex Oro cognoscimus. Scribit enim Ægyptios antiquissimam, et omni memoria priorem, originem suam significantes, papyri fasciculum pinxisse, quia eo primum vescerentur. *Dalec.*

Odoratus ille calamus] Vide quæ notata sunt supra in XII. 22. *Idem.*

CAP. XII. *De generibus chartarum, et quomodo chartæ fiant, et de chartarum probatione et vitiis, et glutino earum.*

Hieratica appellabatur antiquitus] Guillandinus aspere Turnebum reprehendit, ex hoc loco tres chartæ species invehentem, Hieraticam, Augustam, Livianam, Advers. VII. 2. cum una eademque sit, Ægyptiis dicta Hieratica, quoniam religiosis et sacris Voluminibus tantum dicata esset; Romanis adulatione prima, Augusta; adulatione secunda, Liviana, ut obscurius et ignotius, ordineque tantum tertium, ejus nomen fuerit Hieratica. At quam juste, viderit; nam cum paulo post genera chartarum pro latitudinis differentia recenset auctor, emporeticæ digitos sex esse vult; Saiticæ, pauciores novem; Amphitheatricæ, novem; Fannianæ, decem; Hieraticæ, undecim; optimis vero, cum minimum duabus tredecim, quæ esse proculdubio non potuerunt aliæ, quam Augusta et Liviana, adulatione Augusti et Liviæ principem locum nactæ Augusti seculo, rejecta in locum tertium bonitatis et nobilitatis Hieratica. Nam Taniticam cortici propiorem, et venalem pondere, non bonitate, in eo sensu præteritam, nemo reposuerit inter optimas. Ad Guillandini opinionem refellendam, tuendamque Turnebi et Ruellii sententiam, hoc argumentum satis fuerit. Verum Livianam et Augustam eandem non fuisse monstrant apertissime quæ mox sequuntur: *Augustæ in epistolis auctoritatem suam relictam, Livianam vero suam tenuisse, cui nihil primum erat, sed omnia secunda.* Sic enim in manuscripto legitur. Ordo ergo fuit ille chartarum dum vixit Augustus, mutatus a Claudio, densata charta, quæ literas ob tenuitatem transmittebat, addito tertio corio, et aucta latitudine digitis aliquot. Strabo lib. ult. Hieraticam,

non chartam, sed papyrum appellat, abundantem et præcipue cultam inferiore Deltæ parte, eamque duplicem, alteram præstantiorem, viliorem alteram. Memphiticam chartam idem Turnebus prodit inauditam, et minime ab aliis scriptoribus notatam, deceptus Lucani versu, quem Isidorus corruptum sic refert: 'Conficitur bibula Memphitis charta papyro;' cum legendum sit, ut antea monuimus: 'Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.' 'Conseri,' 'contexi,' 'sui' naves veteres dixerunt: unde 'spartea serilia' funes sparteos ad eum usum destinatos dixit Pacuvius in Niptris: 'Nec ulla subscus cohibet compagem alvei, Sed suta lino et sparteis serilibus.' Inde et 'serilia Istrica Liburni,' eaque navigia olim dixerunt. Nostrates eorum funium loco juniperi virgis contusis, et musco, navium commissuras explent, additis subscudibus ferreis, quas vocant *Happes*, Græci ἀγκτῆρας. *Idem.*

Proximum amphitheatricæ, &c.] *Athribiticæ* Guilland. ab Athribitica præfectura, cujus meminerunt Strabo, Ptolemæus, Stephanus. Athribin ejus caput memorat auctor v. 10. Quidam ita dici potuisse suspicantur, quod in amphitheatris Ægypti Alexandriæque potissimum a concursu populi vacuis conficeretur, ut solent manuarii opifices in locis publicis a vulgi turba non occupatis artem suam exercere. Fortassis et id Romæ factum in aliquo amphitheatro, unde nomen. *Idem.*

Fannii sagax officina] Rhemnium Fannium Palæmonem significat, qui, ut ait Tranquillus in Grammaticis illustribus, officinas promercalium chartarum et vestium exercuit, verna mulieris, sed manumissus, principem locum inter grammaticæ doctores adeptus, sed libidine et vitiis omnibus tam infamis, ut Tiberius et Claudius palam dictarent nemini minus puerorum ac juvenum institutionem commendandam: arrogantiæ tam insolentis, ut Varronem porcum appellaret; secum natas et morituras literas gloriaretur: quin etiam latrones aliquando sibi propter nominis celebritatem pepercisse: nomen præterea suum a Virgilio non temere positum in Bucolicis, sed præsagiente poëta, fore se aliquando omnium poëmatum judicem. *Idem.*

Propiorque etiamnum cortici Tæniotica a vicino loco] Uterque codex *leneotica* legit. Quidam scribendum putant, *leneotica a vicino lacu;* nam lacus Græce *lenos* dicitur; sed magis probo legatur *Tanitica*, ab urbe Ægypti Tani celebrata omnibus. *Pintian.*

Segestriumque in mercibus, &c.] Quidam legunt *stegestrium* ἀπὸ τοῦ στέγειν, σκεπάζειν, καλύπτειν. Varroni tamen 'segestria' dicuntur stramenta e segete, quibus lecticas involvebant, ut ab imbre, pulvere, et externis quibusvis injuriis defenderent. Alii quævis ἐνειλήματα, *involucra*, sic appellari putant, quod iis segerantur, et seponantur, ac separentur quæ occultant. *Dalec.*

Extremumque ejus scirpo simile] Vetusti codices legunt *extimum*, quod probo. 'Scirpus' Festo juncus palustris, procerus, et levis, e quo tegetes fiunt, id quod repetit Isidorus XVII. 9. Etymolog. Plinio XXI. 18. Mariscus, ad vitilia et texendas tegetes idoneus, Græcorum Holoschœnos. *Dalec.*

Texuntur omnes tabulæ, &c.] Hic Guillandinus, cui plurimum defero ob multas rarasque virtutes, eximiam doctrinam, judicium acutum, summam diligentiam, et plurimam haud vulgarium rerum cognitionem, peregrinatione in semotas et longinquas regiones comparatam, ac denique amabilem et ingenuum animi candorem, Turnebum et Ruellium ignorantiæ postulat, quod hunc locum non intellexerint, nec viderint *tabulas* hic dici papyri schedas, quæ avulsæ

compingantur, non autem asserem philuris subditum, super quo glutinantur. Quod bona ejus venia dictum sit, recte sensisse illos existimo, quod ex sequente clausula, *cum primo supina tabula scheda adlinitur*, innotescet, in qua Guillandinus putavit orationem Plinii sic accipiendam: cum primo schedæ, id est, philura, adlinitur, et insternitur supina tabula, (auferendi casu,) id est exporrecta in longum eadem philura. Hoc sane repetitionis genus insulsum minime convenit succinctæ Plinii gravitati, cum pressius dici potuisset, et aptius, *cum primo supina scheda adlinitur*. Præterea dum charta fiebat, necessum fuit tabulam subjici, super qua distenderentur rectæ ac transversæ philuræ, quæ glutino, vel aqua Nili turbida committerentur: quod obiter hic Plinius indicat. Quinetiam tabulæ significatio multum distat a philuræ notione. Quamobrem manuscripti codicis fidem sequendam arbitror, qui habet: *Texuntur omnes tabulæ madente Nili aqua:* ac rursum: *cum prima supina tabulæ scheda adlinitur;* quibus verbis nihil clarius aut congruentius esse potest. Supinam schedam idem exponit, recto situ positam, quo modo Livius 'supinas manus' dixit erectas, matronis in publico dolore ad cœlum et Deos illas tendentibus. 'Pronam manum' constat a medicis vocari, cujus vola terram spectat, 'supinam,' cum eadem in cœlum obvertitur, supplicantium more, quo gestu etiamnum Franciscani taciti et mussitantes orant. 'Supinam schedam' ego potius interpretandam censeo, cujus pars quæ in scapo vergebat introrsum, cum super tabula distenditur, extrorsum vertitur, nec tabulæ lignum tangit. Sic enim posita, quia mollior, humidior, ac tenerior est, facilius superinjectam alteram amplexatur, et retinet. Idem legendum putat, *Transversa postea cute peragitur*: at manuscripti codicis integritas nihil mutari suadet. Commodius autem et concinnius appellari non potuit chartarum textus, quam cratis nomine, ob rectas transversasque philuras sibi mutuo superincumbentes, quæ cratis vel clathrorum figura est. Porro, an apricis locis chartæ siccarentur, an umbrosis et perflatis, non est indignum scitu, quod id pertineat ad Plinii literam vel emendandam, vel confirmandam. Verum id quidem est, quæ solo aquæ humore glutinantur, dissilire, cum vapore Solis inarescunt, at quæ luto pingui, aut pollinis flore aqua diluto cohærent, Solis tepore et æstu, atque adeo ignis calore tenacius committuntur. Itaque qui chartas densas libris compingendis aut tegendis mercibus conficiunt, ubi prælo chartæ quadratam plagulam satis presserunt, insolatu siccant, et librarii voluminum quæ consuuntur posteriora, glutine oblita, vel igni admovent, vel Soli exponunt, ut citius resiccentur. Quamobrem et olim chartas insolatu durari siccarique solitas, vero absimile non est. Ac quoniam vocabulorum, quibus Plinius historiam papyri et chartarum explicuit, varietas lectorem in hac re parum versatum remoratur, cum juvare statutum est aliquot expositis. Scapum papyri quatuor plerunque cubitos, id est, sex pedes longum, tunicis sive membranis ad summum viginti constantem, aquis extractum præcidebant, ad verticem, sive cacumen, quia pars illa gracilior foret ac invalidior, et ad radicem, quia tenella molliusculaque ea pars, humore adhuc perfusa, flaccesceret, firmitateque careret ad glutinationem, præli torturam, malleorum ictus, lævigaturam necessaria. Quantum utrinque amputaretur, non proditum. Ad pedem circiter unum resecatum conjector, ut quatuor pedes truncati scapi superessent, quem tum demum in duo dividebant, medium ferro quo-

dam ad id destinato et aptato, quod fortassis 'acum' vocaverunt, membranis separantes, e quibus recto transversoque situ collocatis chartam conficerent. Has membranas sive tunicas a scapo revulsas Plinius 'philuras,' 'schedas,' 'ramenta' vocat, cum in tabula recto situ disponuntur 'stamina,' sive 'statumina,' cum transverso, 'subtegmina,' vocabulis e textorum officina petitis: earundem sive in rectum sive in transversum conjunctarum seriem et struem, 'corium,' quod ad Claudii usque tempora duplex tantum fuit, prius rectis fibris, alterum transversis: ejus vero jussu triplex in ea charta, quam de suo nomine Claudiam vocavit. Illam enim primo et tertio corio rectis, secundo transverso contexuerunt. 'Papyrum' pro philuris nusquam Plinius usurpat, et apud Ulpianum, tertio de Legatis, papyrum ad chartas paratum non tam philuras, quam papyri scapos intelligunt, quod philuræ distrahi non solerent, ut ad manum et in parato essent, nisi cum instaret confecturæ tempus. 'Tænia,' chartæ vitium, quid Plinio sit, paulo post declarabimus. Ea certe vox pro philura nusquam apud illum reperitur, quamvis in eo significatu dici posse non inficior, ut nec pagina, nec tabula, nec plagula. Est enim 'plagula' chartæ confectæ, et suis jam philuris textæ, veluti lamina, quam in linteis nostris chartis 'folium' vulgus nuncupat. Ejus autem utraque facies, aversa et adversa, sive anterior et posterior, 'pagina.' De tabula, quæ jacentes philuras sustinebat, quoad peracta crates, et absoluta textura fuisset, antea tractatum. Restat *cutis* nomen, quod in *cratis* expunctæ locum recipiendum non arbitror, reclamantibus antiquis exemplaribus, nec quadrante ipsa significatione *cutis*, quæ semper extima et obvia est, cum philularum multæ in profundo abstrusæ delitescant, maxime præstantiores ac meliores, et si quæ philura *cutis* vocanda sit, extrema tantum, omnium deterrima, eam appellationem mereatur. *Idem.*

Nec malleo sufficit] Vel tam angusta est, ut malleum qua parte ferit latiorem non adæquet, vel tam fragilis est, ut malleo percussa disrumpatur. Rugosas chartas malleorum ictum complanare ac extendere mos fuit, unde l. XXXII. Pandectarum Ulpiano, 'libri malleati.' *Guilland.*

Lituræ metum afferebat adversis] Uterque codex, *lituræ metum afferebat ex aversis.* Pintian. *Lituræ metum afferebat adversis*] *Adversa charta*, anterior et nostris oculis objecta, quam scribentes contuemur, in qua calamus properat: *aversa*, posterior, et a tergo posita. Litura vero effusi sparsique atramenti in bibula charta macula, ei similis, quam penna scripturam delentes, inducimus. Apparet certe ea magis in aversa chartæ facie, illo subeunte atramento, ut cum adversa jam aliquid scriptum est, in aversa maculis nigris fœdata præterea nihil pingi queat. Utraque vero facie veteres scripsisse, testantur hi versus Juvenalis: 'Scriptus et a tergo, necdum finitus, Orestes.' Martialis: 'Scribit in aversa Picens epigrammata charta; Et dolet, averso quod facit illa Deo.' Commentarios opisthographos sic descriptos vocant, quibuscum nonnihil similitudinis habent adversaria, nempe tabulæ tumultuariæ, et multis rebus conjectis negligenter scriptæ, quæ in codices referuntur justos, æternos, ordine digestos. Cicero pro Roscio. De syngraphis, opisthographis, autographis, cheirographis, Alex. ab Alex. II. 30. *Dalec.*

Igitur et secundo corio, &c.] Vetustus codex: *Igitur et secundo corio stamina facta sunt, ut primo subtegmina:* sensu nihil discrepante, si etiam *statumina* legamus: *stamen*, id est, quod colo advolutum, mulieres nent; et in

textrinis filum telæ directum, intra quod subtegmen sive trama currit transversim; *statumen* vero, ridica, sive palus, quo vitis fulcitur. Auctoris ergo sensus est minime obscurus: in charta Claudia, sicut primo corio, e rectis philuris confecto, additum est secundum, velut subtegmen, aut trama, e schedis transversis textum, sic huic impacta, pro tertio corio, sive stamina, sive statumina, rursum e rectis philuris composita, quemadmodum in primo corio. *Idem.*

Igitur et secundo corio statumina facta sunt e primo subtegmine] Hermolaus *statumina* defendit, ubi ante *stamina* legebatur, ex vetere, ut ait, lectione: et sane sic nostra præferunt exemplaria. Sed neque Hermolao, neque Merulæ, neque scriptæ lectioni hac parte accedo, commodioremque duco lectionem *stamina*, quam *statumina;* nam si *statumina* legatur, ut Hermolaus et Merula probant, quis, obsecro, erit intellectus sequentis dictionis *subtegmine?* Igitur sic accipio: ad roborandam tenuitatem additum alterum corium, hoc est philuram; et ita duo coria in tabula fuisse locata, ut primum vicem staminis præberet, secundum subtegminis, transverse locata, ut supra dixerat, 'Peragitur transversa crates.' *Pintian.* *Igitur et secundo corio statumina, &c*] Lege, *Igitur e secundo corio stamina facta sunt, e primo subtemina.* Hinc et texi charta dicebatur, quod in morem plane telarum texeretur, et stamen suum, suumque subtemen, haud minus quam tela, haberet. Antea enim dixit, *texuntur omnes madente Nili aqua.* Quæ verba sic legenda: *Texuntur omnes tabula madente Nili aqua: turbidus liquor glutinis præbet vicem: primo supina tabula scheda adlinitur longitudine papyri, quæ potuit esse præsegminibus utrimque amputatis: transversa postea cratem peragit. Premuntur deinde prælis et siccantur sub sole plagulæ, atque inter se junguntur.* Vide Salmas. Hist. Aug. 444. b. 445. a.

Pedalis erat mensura, &c.] Vetustus codex legit, *Revulsione ampliores infestante paginas.* Macrocolia ἀπὸ τῶν μακρῶν κολλῶν dicta Guillandinus censet, tanquam *a longo tergore:* ego potius ἀπὸ τῶν μακρῶν κώλων, *a longis* velut *artubus* et *membris.* Mensura pedalis, et cubitalis, id est, sesquipedis, harum chartarum, an in longitudinem exporrigeretur, an in latitudinem, Plinius non statuit: in latitudinem potius existimo, quandoquidem hic agitur de latitudine, et scapi papyri, unde schedæ distrahebantur, nota est longitudo, circiter quatuor pedum, quæ ad pedis vel cubiti mensuram contrahi non potuit, quamvis μακροκόλλου nomen longitudinem potius indicet, quam latitudinem. Quod autem unius schedæ revulsione ampliores, vel plures paginæ infestarentur, hoc nos docet plagulas chartæ confectæ, siccatæ, malleatæ, lævigatæ plicari solitas in paginas, ut fit et in nostris linteis, quæ quo ampliores essent, magis scriptura conturbaretur, ac læderetur, si quis unam philuram vel improbitate ac malitia, vel corruptam ac vitiosam exemisset. Augustam epistolis laudatam et relictam, Martialis IX. 101. 'salutatricem' vocat: 'Marcus amat nostras Antonius, Attice, Musas, Charta salutatrix si modo vera refert.' Quod pro *Liviana* reponit Guilland. *Fannianam,* ut Augustam, Livianam, Hieraticam eandem esse constanter affirmare non desinat, id contra veterum codicum auctoritatem statui, a nobisque minime probari, supradictum est. Hinc quidem nos pro æstimationis ac pretii ordine, et latitudinis varietate, quoniam fere par esset omnium longitudo, chartas numerare, ac suis classibus recensere possumus, Augusti tempore macrocolas primas, pedem aut sesquipedem latas; Augustam et Livianam optimas digitos tredecim; Hieraticam undecim; Fan-

nianam decem; Amphitheatricam novem; Saiticam, et quam omisit auctor, Taniticam, pauciores nempe, septem, vel octo; Emporeticam sex; quas omnes anteivit et bonitate et dignatione Claudia, principatu Claudii texta e duobus staminibus, sive statuminibus, et interjecto uno subtegmine, optimis, nempe Augusta et Liviana, aliquanto latior, ut suspicor ad digitos quatuordecim, vel quindecim. *Dalec.*

Cui nihil e prima erat] Quæ nihil accipiebat ex prima philura, sed omnia coria ex secunda; vel, quæ nullas dotes primæ, nimirum Claudiæ, sed omnes secundæ, nimirum Augustæ, habebat. *Idem.*

Scabritia levigatur] Vitia chartarum hic auctor memorat quatuor, scabritiem, rebellem contumaciam, lentiginem, tæniam unam, vel plures. Scabritiæ remedium est, dente vel concha politura, moderatione tamen adhibita, ne vehementius exteratur. Nam quamvis ea complanatione ac erugatione splendeat magis, fulgenteque nitore oculis placeat, validiore tamen attritu non sorbet atramentum, sed respuit, et, si quæ literæ appictæ sint, instabilis et fugax scriptura non permanet. Alterum vitium est 'rebellio.' Rebellant qui armis subditi et pacati bellum rursus movent. Rebellat humor incuriose datus, cum artificis curæ ac studio reluctatur pertinacius, nec omne corii spatium ex æquo rigat, et oblinit, sed alicubi subsistit copiosior, alibi parcior affunditur, unde plagularum fit inæqualis et superficies et resiccatio. Nam cum probe curatam, subactam, tractamque chartam esse putat artifex, nec quicquam operæ suæ præterea desiderare, tum contra ejus spem vitium id detegitur, et tanquam recrudescit, quod iterum ejus diligentiæ negotium faciat. Est itaque retexenda charta, et eodem labore domanda, atque pervincenda, quo prius. Malleo deprehenditur hoc vitium, aut quod eminentiora tubera, depressioresque lacunas plagularum, inæquali percussu tundat, et invenusta deformitate tusas ostendat. Prodit arguitque eam labem etiam odor, charta præsertim negligentius prælo compressa et siccata, muccidus, virosus, fœtidus, putrescente ac situm olente humore, qui nec prælo est elisus, nec insolatu dissipatus. 'Lentigo' macula est chartarum plagulis aspersa, colore ruffa, vel subruffa, qualis in hominum ore conspicitur. Græcis φακός. Ab ea in facie crebra φακᾶς Dioscorides, auctore Suida, cognominatus est. In charta ergo nævos, sordes, decolores punctorum notas, et maculosas velut aspergines 'lentiginem' Plinius vocat: quæ fiebant, dum compingerentur coria, si quid illaberetur impurius, quod nativum colorem inquinaret, aut si quid in schedis contortum et conglobatum chartam infuscaret. Oculis id cognoscebatur, vel perfecta statim charta, si maculæ in aperto forent, vel ad Solem explicata, si altius insiderent. Quartum et postremum vitium 'tænia' est, non, ut retur Guillandinus, philura, vel scheda, sed oblongus et angustus in plagulis ductus, nullo glutine, aut pingui humore litus, et opertus, in quo sola papyri fungosa et bibula raritas absque ullo tectorio calamis scribentium occurrit, et literam, sive atramenti picturam, dum haurit, diffundit, quod nec ictu mallei, nec oculorum conspectu exploratur, sed scriptura tantum, dum picta litera liquescens utraque parte combibitur, et tam aversam, quam adversam faciem inquinat. *Idem.*

Conchave] Veneria, quam Echneidis nomine Mutianus depingit. *Idem.*

Rebellat sæpe humor, &c.] Leg. *Rebellat sæpe humor incuriose dato primis, quod mal. depr. aut et. od. cum fuerint indiligentiores, &c.* Rebellat, inter-

preter, humore nimio madida inflatur, et ob inæqualem tumoris molem scribenti velut resistit, ac reluctatur. Alii postrema legunt, *cum fuerit graveolentior*. Idem.

Deprehenditur et lentigo oculis] Fortassis, *osculis*, nempe contactu labrorum madidorum, quomodo chartæ nostræ bonitatem probamus. *Chifflet.* Non probo. *Dalec.*

Sed inserta mediis glutinamentis tænia, fungo papyri bibula, vix nisi litera fundente se] Scribo : *sed inserta mediis glutinamentis. Tanitico papyro bibula vis nisi litera fundente se.* De Tanitico papyro supra hoc capite, et exemplaria ambo *vis* legunt, non *vix*. Pintian.

Tænia] Tænias auctor vocat angustos, oblongos, et inanes sub schedis veluti linearum ductus, quibus vel gluten non adhæsit, vel illitum evanuit, aut corruptum est: quod fit, ut aiunt ejus artis magistri, si, dum plagulæ funibus appositæ siccantur, aura vehementior afflaverit, præsertim Austri ; vel gluten ob novitatem liquidius justa tenacitate careat, vel mucescat vetustate, vel Austro flante, humidioreque cœlo coctum, et corruptum sit. Lego, *tænia vix nisi litera junco papyri bibulo fundente se.* Dalec.

Alius igitur iterum texendis labor] Toletanus codex non *texendis* agnoscit, sed *tenendis*, ut putem scribendum *tenuandis* ; nam ut paulo ante dixit, 'spectatur in chartis tenuitas, densitas,' &c. *Pintian.*

Fragilia] Nec convolvi et complicari chartam patiuntur. *Dalec.*

Intergerii] Μεσοτοίχου. 'Intergerini parietes' Festo, inter confines extructi ; vel etiam qui medii inter distantissimos pro fultura intergeruntur, sustinendis trabibus accommodati. Eorum fit mentio, XXXV. 14. et XI. 10. *Idem.*

Apud Pomponium Secundum] Hujus meminit auctor VII. 19. et XIV. 4. Plinius Nepos Epist. lib. III. Tacitus. *Idem.*

CAP. XIII. *De libris Numæ.*

Vetustissimus auctor] *Verissimus* Guillandinus ; nam is Augusto et Tiberio coævus, quibus historiam suam dicavit, Plinium vix antecessit annis 70. *Idem.*

Cn. Terentium, &c.] Lucium Pætilium, Livio, Lactantio, Valerio Maximo. *Idem.*

Qui Romæ regnavit] Et non minus trecentis annis Alexandro superior ætate fuit. *Idem.*

Libros ejus, &c.] Livius lib. X. belli Macedon. Plutarchus in Numa, Valerius Max. I. 1. Lactantius I. 22. Institut. D. Augustinus de Civ. VII. 4. qui ex Varrone duodecim numero libros illos fuisse refert. *Idem.*

P. Cornelio L. F. Cethego, &c.] Livius eo anno Consules scribit C. Bæbium Tamphilum et M. Æmilium Lepidum. Plutarchus quadringentis tantum annis post regnum Numæ id accidisse in ejus Vita scribit ; neque id factum imprudentia bubulci aratoris, qui terra proscissa duas arcas, et non solam unam, evertit, sed alluvie vehementissimorum imbrium, qui tumulum perrupere. *Guilland.*

Et libros cedratos fuisse] Cedrio sive cedria perunctos, de qua vide XVI. 11. et XXIV. 5. Vitruvius II. 9. 'quæ unguntur cedrio, ut libri, a tineis et carie non læduntur.' Hinc illud, 'et cedro digna locutus.' *Dalecamp.* Exemplar Tolet. *citratos*, non *cedratos*, legit. *Pintian.*

Quia philosophiæ scripta essent] Et quod lectis rerum summis animadvertisset, pleraque religionum dissolvendarum esse. Livius.

Septem] Latinos. *Idem.*

Totidemque] Græcos. *Idem.*

Pythagoricos] Nam eum Pythagoræ auditorem fuisse, fama vulgatum. *Dalec.*

Quinque] In veteribus legitur, *quinto.* Notissimum est Varronem de

Antiquitatibus libros scripsisse. *Idem.*

Antias secundo] Plutarchus in Numa ex Antiate scribit, duodecim fuisse de rebus sacris, et totidem de studio sapientiæ. *Idem.*

Sibyllam] De Sibyllis vide Commentarios Vivis in XVIII. 24. Divi Augustini de Civit. et libellum Onuphrii Panvinii de Sibyllis: vide et apud Canterum I. 3. arcanum oraculum Θεοῦ Σωτῆρος. *Idem.*

Ad Tarquinium, &c.] Lactantius ex Varrone Instit. I. 6. et Suidas Tarquinium eum Priscum fuisse quintum Romanorum regem prodiderunt. Iidem cum Dionysio Halicarnasseo l. IV. et Gellio c. 19. l. I. scribunt novem libros allatos, ex quibus sex cremaverit Sibylla, reliquos tres rex mercatus sit. Eos libros, in Capitolio custoditos, cum Dii immortales consulendi essent, adibant primum Duumviri, post autem Decemviri, deinde Quindecimviri, ac postremo sexaginta, nomine tamen Quindecimvirorum, eosque non Sibyllinos tantum, sed et fatales et fatidicos appellaverunt. Livius, Dionysius Halicarnasseus, Valer. Maximus, Macrobius, Fenestella, Alexander ab Alex. III. 16. *Idem.*

In ipsa illa Lycia Bellerophonti codicillos datos] Lego, *in ipsam illam Lyciam Bellerophonti, &c.* Non enim Prœtus codicillos Bellerophonti dedit in Lycia, sed in Lyciam perferendos ad socerum Jobarem, auctore Homero in sexto Iliados: 'Misit,' inquit, 'illum in Lyciam datis exitialibus literis quas in codicillo exaraverat, multa continentes atrocia.' *Pintian.*

Codicillos datos, non epistolas] Tabulas arcanis hieroglyphicisque literis notatas, non vulgaribus elementorum formis, quibus epistolæ conscribuntur. Eustath. Cujus sententiam non ita laudo. Quod vero putant quidam hic Plinium incuriose codicillos ab epistolis distinguere, cum codicilli nihil aliud sint quam epistolæ Latinis, accusandum hac in re Plinium minime censeo, mirantem si jam tum usus chartæ fuit, quod indicat epistola Sarpedonis, cur non potius Prætus mandata sua in charta descripta, quo modo epistolæ mittuntur, quam pugillarium ligno consignata Bellerophonti dederit: quo sensu nihil potest esse explicatius. Locus apud Homer. est Iliados Z. πόρεν δ' ὅγε σήματα λυγρὰ, Γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά. *Dalec.*

CAP. XIV. *De arboribus Æthiopiæ.*

CAP. XV. *De Atlantis arboribus, et cedrinis mensis, et quæ in his laudentur, et quæ vituperentur.*

Cedrinis mensis] Hoc titulo capitis legendum esse *citreis;* ac deinceps, *arbor citri;* ac rursus, *dedit citrum,* multi contendunt argumentis duobus: altero, quod Ciceronis mensam, cujus hic fit mentio, Tertullianus, de Pallio, 'citri orbem' vocaverit: altero, quod in Indice librorum, qui primus liber est hujus operis, scribatur, *De Atlantis arboribus, et citreis mensis.* Addit Cujacius Observat. II. 5. citrum esse frugiferam, cedrum vero, ut ait Suidas, δένδρον ὑψίκομον, καὶ ἄκαρπον, ᾧ ἀπεικάζει Δαβὶδ τὴν εἰδωλολατρίαν. Indignatur etiam Plinius circa finem V. 1. quo loco de Atlante tractat, ebori citroque silvas ejus exquiri a Romanis dignitatibus. Varro in Gerontodidascalo apud Nonium: 'In quibus Libyssa citrus fasciis cinget fores.' Persius: 'non quicquid denique lectis Scribitur in citreis.' *Idem.*

Cedri, &c.] Cedrus nunc resiniferam arborem significat, et eam duplicem; alteram cedrelatem proceriorem, Asiæ fere peculiarem; alteram oxycedrum, multis locis communem; nunc thyiam, sive citrum, Mauritaniæ alumnam, quamvis et aliud cœlum patiatur, laudatissimis pretiosissimisque mensis expetitam, cupresso foliatura similem et fructu, sed mino-

re. Hæc πολυωνυμία, plantarumque varietas, in magnas hæsitationes et dubitationes multos conjecit. Cedrum Gallicam apud Velleium Paterculum, ex quo apparatus Gallici triumphi, quem egit Cæsar, constitit, quidam exponunt Galaticam, a Galatis Asiæ, alii laricem cedrelatæ similem, ideoque vocatam cedrum Gallicam. Strabo lib. IV. de Liguribus: Ἔχουσι δ' ὕλην ἐνταῦθα παμπόλλην, ναυπηγήσιμον, καὶ μεγαλόδενδρον, ὥστ' ἐνίων τοῦ πάχους τὴν διάμετρον ὀκτὼ ποδῶν εὑρίσκεσθαι· πολλὰ δὲ καὶ τῇ ποικιλίᾳ τῶν θυΐνων οὐκ ἔστι χείρω πρὸς τὰς τραπεζοποιΐας. *Idem.*

Extat hodie M. Ciceronis, &c.] Lege: *Exstat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, et quod magis mirum est, illo ævo empta IↃ IS. memoratur et Galli Asinii IS. XI.* hoc est, empta sestertiis quingentis et Galli Asinii mille: hæc nota *IS* sæpe sestertia significat in veteribus libris. Vide Salmas. in Tertul. de Pall. 434. *Extat hodie M. Ciceronis, &c.*] Budæus de Asse lib. III. non procul a principio hunc in modum legit: *extant hodie M. Ciceronis in illa paupertate, et, quod magis mirum est, illo ævo emptæ H-S. XI. Memorantur et Galli Asinii H-S. XI. venundatæ. Sunt et duæ a Juba rege pendentes: quarum alteri pretium fuit H-S. XII. alteri paulo minus. Interiit nuper incendio attegiis descendens H-S. XIV. permutata latifundii taxatione, &c.* Ubi *attegias*, mapalia, tuguria intellige. Qui locus, mihi tamen suspectus, ostendit mensam eam ex attegiis pastorum, qui radicem Atlantis citris frequentem incolunt, petitam et advectam fuisse. *Dalec.*

Venundatæ sunt et duæ Juba, &c.] Lege: *venundatæ sunt et duæ a Juba rege pendentes, quarum alteri, &c.* et sane non ipse rex Juba mensas eas venum dedit, sed cum post mortem Jubæ bona ejus sub hasta venderentur, duæ illæ mensæ cum reliquis bonis sub titulo pependerunt, ut mos erat in anctionibus. Vide Salmas. in Tertull. Pall. 434. *Venundatæ sunt et duæ Juba rege vendente*] Salmasius ad Tertulliani Pallium pag. 434. *a Juba rege vendente;* sed scriptos habere, *a Juba rege pendentes;* et sane non ipsum regem Jubam eas vendidisse; sed cum post mortem Jubæ bona ejus sub hasta venderentur, duas illas mensas cum reliquis bonis sub titulo pependisse; licere etiam legere, *a Juba rege pendente*, ut ipse sub titulo pependerit. Proxime scopum jaculatus est. Scribendum enim, *venumdatæ sunt et duæ Juba rege pendente.* Intelligo Ptolemæum Jubam, quem consanguineum suum Caius interfecit et bona ejus corripuit. Suetonius 26. et 27. 'Ptolemæus Juba,' qui revera 'Ptolemæus Jubæ,' ut 'Ajax Oileus,' 'Herodes Atticus,' de quo ad Senecæ Medeam. 'Pendere' dicitur eleganter, cujus bona proscripta sunt et sub titulo pendent: ut dicitur 'confiscari,' cujus rem fiscus aufert. *Juba pendente*, cum bonorum Jubæ proscriptio et auctio fieret. Suetonius Claudio cap. 9. 'Ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum.' Quem locum optime contra Casaubonum et Torrentium interpretatur ὁ πάνυ de Modo Usurar. pag. 739. Sed et 'venalem pependisse' quid esset, recte vidit Lipsius ad Senecæ Beneficia IV. 12. Illud, 'in vacuum,' sic positum observavimus apud Lactantium ad Statii Theb. VI. 790. 'Rapiunt conamina venti.' 'Excipiunt sive frustrantur; id est, in vacuum minarum ejus impetus perierunt.' Item apud Tertullianum adversus Marcionem IV. 16. 'In vacuum patientiam præcipit, non exhibens mihi mercedem præcepti.' Significat eam proscriptionem contumeliosam potius quam damnosam fuisse Claudio. *Gronov.*

Per medium ambitum] Quid sit medius ambitus, et præsertim in orbiculari rotundaque figura, non satis intelligo; *per medium* autem hic accipio *per dimetientem;* et forte Plinius *medium* tantum scriptum reliquit: postea vero adjecta fuit dictio *ambitum*, ab aliquo qui voluit exponere verbum illud *medium;* nam et paulo post easdem duas dictiones *per medium* repetit, nec adjecit *ambitum*. Pintian.

Quam potuisset esse natura solidæ. Item a Nomio Tiberii Cæsaris liberto] Lego, *Quam potuisset esse naturæ. Solidæ &c.* nam genitivus *naturæ* respondet genitivo *artis;* dictio vero *solidæ* initium est diversi cæsi, et secunda pars præmissæ divisionis, eritque ordo: *Magnitudo amplissima unius commissæ duobus orbibus a Ptolemæo rege Mauritaniæ. Solidæ a Nomio Tiberii Cæsaris liberto.* Idem.

Sicilicis] Sicilicus, quarta pollicis pars. Drachmæ duæ mensurales. *Dalec.*

Mensis præcipua dos, &c.] Legend. *Mensis præcipua dos in venam crispis vel in vortices parvos: illud oblongo evenit discursu, ideoque tigrinum appellatur: hoc intorto, et ideo tales pantherinæ vocantur.* Eleganter *in venam crispas* vocat, quæ venatim crispæ sunt; et *crispas in vortices*, quæ ad instar verticum intorte crispantur. Sequitur: *Sunt et undatim crispæ, &c. quas ob id a similitudine apiatas vocant.* Apiatæ dicuntur, non ab apibus; sed ab apio, quod densa grani congerie crispæ apii semen et grana dense congesta referant. Vide Salmas. in Tertull. Pall. 435. 436.

In vena crispis vel in vertice variis] Utrumque exemplar, *in venam crispis vel in verticem parvis:* scribendum videtur *pravis*, id est, tortuosis; quia sequitur, *hoc intorto*. Pintian.

Hoc intorto et ideo tales pantherinæ vocantur. Sunt et undatim crispæ majore gratia si pavonum caudæ oculos imitentur] Subvereor ne parum recto ordine verba hæc scripta sint; nam credibilius est, et rationi magis consonum, in vortices pravas intortasque, et ob id pantherinas appellatas, caudæ pavonum oculos fere imitatas esse, quam undatim crispas: quapropter considerandum an ita legi debeat: *Hoc intorto et ideo tales pantherinæ vocantur, majore gratia si pavonum oculos imitentur. Sunt et undatim crispæ.* Idem.

Magna vero post has gratia extra prædictas] Quis tam lusciosus, cui non pelluceat verba illa, *extra prædictas*, expositionem esse statim ante præcedentium verborum, *post has?* nam quæ necessitas tenuit Plinium, verborum alioqui parcissimum, cum prædixisset *post has*, subjungere illico, *extra prædictas*, quod erat idem? *Id.*

Apiatas] Apiatas, veluti muscarum et apum stercore inquinatas. Alii, *apiculatas:* crebris velut apiculis notatas. *Dalec.*

Post hæc amplitudo est jam totius caudicis, juvant plura quoque in una mensa vitia: lignum ita vocant, &c.] Lego: *Post hæc amplitudo et jam toti caudices juvant, pluresque in una mensa;* hæc ex vetere lectione. Quod autem sequitur, *vitia lignum, &c.* puto legendum conjunctim *vitiliginum*. Pintian.

Materia surda] Non splendens, nudumque lignum et linearum crispo ductu minime virgatum. *Dalec.*

Mirumque ponderi quantum ita detrahant] Elegantius exemplar Salmanticense per verbum impersonale: *mirumque ponderi quantum ita detrahatur.* Pintian.

CAP. XVI. *Thya arbor quæ.*

Inter pauca nitidioris, &c.] Ita hæc legenda ac continuanda, quæ perperam in vulgatis diducta ac divulsa sectione capitis habentur: *Inter pauca nitidioris vitæ instrumenta hæc arbor est; quapropter insistendum ei quoque videtur. Nota etiam Homero fuit: Thyon Græce vocatur, ab aliis Thya.* Vide

Salmas. p. 950. b.

Θεῖον Græce vocatur] Θύον apud Macrob. Saturn. III. 14. atque ita legendum. *Dalec.*

Hanc igitur inter odores uri tradit in deliciis Circes] Insignis memoriæ lapsus; neque enim Circe inter odores urebat citrum, cedrum, et laricem, ut constat ex decimo Odysseæ, sed Calypso, ex quinto ejusdem operis. In eundem incursavit errorem et summus poëta septimo Æneidos: 'Proxima Circeæ raduntur littora terræ, Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Assiduo resonat cantu, tectisque superbis Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.' Tribuit videlicet Circæ, quod erat Calypsus. E contrario Aristoteles Calypso dat quod est Circes, secundo Ethicorum: 'Quocirca,' inquit, 'oportet, cum quis medium assequi vult, ante omnia longius abire a magis contrario, ut Calypso monebat dicens, Extra fluctum et fumum navem adige.' Non hoc, eminentissime philosophe, Calypso monebat, sed Circe, ex duodecimo Odysseæ. Pari incuria Pomponius quoque Mela conterraneus noster in secundo libro 'Calypso' pro 'Circe' posuit, ut in ejus castigationibus meminimus. *Pintian.* *Hanc igitur inter odores, &c.*] Legend. *Hanc itaque inter odores uri tradit in ædibus illius Circes, quam Deam volebat intelligi, magno errore eorum qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt, cum præsertim eorum versu cedrum laricemque una tradat uri.* Vide Salmas. p. 950. b.

Eodem versu] Versus Homerici sunt: τηλόσε δ' ὀδμὴ Κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει, Δαιομένων, κ. τ. λ. In his versibus inepte Plinius pro voce Græca θύον laricem interpretatur. Locus est apud Homerum Odyss. E. *Dalec.* De primo errore commonuit jam ante et Hartung. Decur. II. num. 5.

Laricemque, &c] Guillandinus legit, *laricemve.* Vide Leopardum VIII. 6. Virgilius: 'Robora nec cuneis et olentem scindere cedrum, Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.' Apud Athenæum p. 231. vs. 38. Empedocles λίβανον θυώδη vocat suaviter olentem: Σμύρνης τ' ἀκρήτου θυσίαις, λιβάνου τε θυώδους. *Idem.*

Memoratas templorum veterum contignationes] Verbum illud *templorum* suspicor esse falso additum, ductus auctoritate Theophrasti v. 5. 'Et adhuc,' inquit, 'memorant contignationes quasdam antiquorum.' *Pintian.*

Circa Hammonis delubrum] Mirum, cum idem Theophrastus scribat Hist. IV. 1. thyam in montium cacuminibus et locis algidis nasci. *Dalec.*

Alia est arbor eodem nomine] Citriam sive Assyriam malum intelligit. *Idem.*

Malum ferens, &c.] Virgilius: 'Media fert tristes succos tardumque saporem Felicis mali, quo non præsentius ullum, Pocula si quando sævæ infecere novercæ.' *Idem.*

CAP. XVII. *De arbore loto.*

Arborem loton gignit] De hac Theoph. Hist. IV. 4. Joannes Leo in Africa sua cap. de Monteverde sic loton describit: 'Ibi nascuntur arbores quarum fructus rubos Africanos vocant.' Paliurum vero cap. de Zarfa. Sunt et ibidem spinosæ multæ arbores, fructu minore quam cerasi, sapore ferme ziziphorum, Arabes vocant *rabich*. Paliurum vero Agathoclis, quem connarum Alexandrini cognominabant, memoratum Athenæo lib. XIV. cap. de Hani Elchallu: 'Nascuntur,' inquit, 'illic corni, et arbores spinosæ multæ, fructu tereti, luteo, simili ziziphis, nucleo majori quam olivarum, gustu non admodum grato.' Loti secundum genus a Theoph. depictum viret Genuæ in horto Principis Auriæ, et a multis 'laurocerasus' dicitur; quod folium lauro simile, fructum ceraso gignat. Loti genera tria diligenter distincta vide XXIV. 2. *Idem.*

Circa Syrtes] Syrtium insulam in historia loti Theophrastus vocat Lo-

tophagiten, et Pharidem, hodie *Gerbi:* Syrtes vero, *los Baxos et Secagne di Barbaria.* Idem.

Incisuræ folio crebriores, &c.] Lege: *folio incisuræ crebriores, quæ ilicis videntur.* Vide Salmas. p. 1038. a. *Incisuræ folio crebriores: alioquin ilicis viderentur*] Locus est depravatissimus: vetus lectio sic habet: *Incisura et folia breviora quæ ilicis viderentur.* Ego verbum illud *breviora*, sive *crebriores*, ociosum puto; aut si ociosum non est, quod illius loco substituam non occurrit: reliqua sic lego: *incisuras habent folia quæ ilicis videntur.* Theophrastus IV. 3. 'Incisuras folium habet, ac ilicis esse videtur.' *Pintian.*

Ilicis viderentur] Plin. apud Theoph. legit πρινώδες, alii vero πριονώδες. *Dalec.*

Fructibus fiunt] Nam alii, qui et suaviores, exosses sunt, alii nucleum continent. *Idem.*

Ante maturitatem, &c.] Priusquam perfecte maturescat: maturo niger. *Idem.*

Nimis hospitali, &c.] Homerus Odyss. I. Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν, Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι· Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι Λωτοφάγοισι Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι. *Dalec.*

Quod ultra denos dies durare, &c.] Lego *binos*, non *denos*. Theophrastus IV. 3. 'Et vinum,' inquit, 'quod ex eo exprimitur, non nisi binos aut ternos dies durare, deinde acescere.' *Pintian.*

Negat durare idem Nepos] De fructu loti secundæ id Theophrast. *Dalec.*

Quin et exercitus, &c.] De fructu prioris loti id Theophrast. *Idem.*

Ligno color niger] De secunda loto hæc Theoph. *Idem.*

Ad tibiarum cantus expetitur] Loti secundæ, Theophrast. Ut buxus tibiæ Phrygiæ, quam ἔλυμον vocat Pollux, εὕρημα Φρυγῶν, τὴν ὕλην πύξινον. Virgil. 'Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris.' Turn. XXX. 39. Vide XVI. 36. *Idem.*

Et herba] Lotus urbana Dioscoridi. *Idem.*

Caulis] Hanc posthac XXII. 21. lotomentram vocat. *Idem.*

Similis fabæ] Theophrasto Hist. IV. 10. caulis Ægyptiæ fabæ similis est, non nostrati. *Idem.*

Similis incisuris] Theoph. ibidem. *Idem.*

Ea comprimi] Flores comprimi et capita contegere. Vide XXII. 21. infra scripta multa de hac loto. *Idem.*

CAP. XVIII. *De scapo ipso, et radice loti.*

Vespera mergi, &c.] Theoph. Hist. IV. 10. *Idem.*

Emergere extra aquam] Idem fere scribitur de flore Arabicæ arboris cap. undecimo libri duodecimi. *Idem.*

Radicem lotos] Corsion vocat Theophrastus. *Idem.*

CAP. XIX. *De paliuro, et Punico malo, et de flore Punici mali.*

Paliuro] Theoph. IV. 4. latius et fusius describit quam Plinius. *Idem.*

Punicum, &c.] De eo Empedocles, οὕνεκεν ὀψίγονοί τε σίδαι, ὑπέρφλοια μῆλα. Opsigonos appellat, quod tarde maturescant fructus, aut serius gignantur: ὑπερφλοίους vero, quod cortice vestiantur præcrasso, nempe malicorio: vel quod floribus luxurient: φλοίειν enim et ἄγαν ἀκμάζειν est, et θάλλειν. Rhod. XXIX. 23. *Idem.*

Apyrinon vocando] Lego *apyrenum* ex utroque exemplari, aut si mavis forma Græca *apyrenon;* nam per i in tertia *apyrinon* nulla ratione defendi potest: ostendunt id Aristoteles, Theophrastus, Dioscorides, Heron, et Græci omnes Glossematωn scriptores. *Pintian.*

Lignosus] Durus. Joannes Leo id depingit in cap. de Mechnase. Ea, quorum nucleus durus est, Athenæus lib. IV. vocat σκληρόκοκκα. *Dalec.*

Ægyptia distinguuntur erythrocomis et leucocomis] Hermolaus, pro *leucocomis*, *glaucocomis* emendat, sicque ex

ejus emendatione impressa jam exemplaria circunferuntur; citatque Theophrastum libro puto secundo, capite tertio. Sed locus ille nihil correctioni Hermolai favet; de granis enim Theophrasto illic, non de frondibus sermo est. *Pintian.*

Flos balaustium vocatur] Vide XXIII. 6. *Dalec.*

Color] Nimirum puniceus. *Idem.*

CAP. XX. *De Asiæ et Græciæ fruticibus.*

Sicut erices contra serpentes] Dioscorides I. 8. 'Cui arbor est tamarici similis, multo tamen brevior: coma ejus floresque serpentium morsibus illita medentur.' *Pintian.*

CAP. XXI. *De thymelæa, sive chamelæa, et tragacanthe, et de tragio, sive scorpione, et myrice, et brya, et galla.*

Colore et specie farris] Fructu pallido (χλωρῷ Diosc.) principio, tandem rubente. Plinius χλωρὸν *herbacei coloris* male vertit. Vide XXVII. 9. *Dalec.*

Tragion] Cretenses hodie vocant γλέγουρον. Aloisius. *Idem.*

Veprem sine foliis] Imo junci genus. *Idem.*

Myricen et Italia] Lege: *Myricen Italia quam tamaricen vocant, Achaia autem bryam silvestrem.* Potius totus locus sic legendus: *Myricen tamericam vocat Lenæus, similem scopis Amerinis. Sanari dicit ea carcinomata in vino decocta.* Salmas. p. 597. a. *Myricen et Italia*] Vide infra XXIV. 19. *Dalec.*

Cujus infelicia ligna appellamus] Scribe, *cujus infelicia ligna appellat vulgus*, ex Plinio ipso XXIV. 9. de hac eadem tamarice loquente: 'Vulgus,' inquit, 'infelicem arborem eam appellat, ut diximus, quoniam nihil ferat, nec seratur unquam.' Ex quibus verbis tria ultima suspecta mihi sunt tanquam non Pliniana; nam de sativa tamarice mentionem fecit eodem XIII. 21. 'Insigne,' ait, 'in ea quod sativa tantum ferat gallæ similem fructum.' *Pintian.*

Ostryn] Theoph. III. 10. *Dalec.*

Solitariam] Theophrastus μονοειδῆ Græce vocat III. 10. hoc est *unius tantum speciei.* Quare Theodorus melius hoc loco quam Plinius *specie simplicem* transtulit. *Pintian.*

Circa saxa aquosa] Addenda videtur conjunctio *et*, ad vitandam amphibologiam, legendumque, *circa saxa et aquosa.* Theophrastus eodem libro et capite: 'Aquas convallesque arbor hæc gestit:' quod enim Theodorus *convalles*, Plinius *saxa* transtulit, habente utrumque intellectum Græca dictione φάραγξ. *Idem.*

Similem fraxino cortice et ramis] Scribo, *similem oxyæ cortice et ramis.* Theophrastus loco antedicto: *Est et ostrys specie simplex, quam nonnulli ostryam vocant, tam corpore quam cortice oxyæ similis.* Theodorus more suo *scissimam* vertit. *Idem.*

Folio pyri] Foliis pyri majoribus, non multo longioribus, in acutum contractis, fibrosis, rugosis circa fibras, tenui per ambitum scissura: reliquis fibris a media costarum modo in rectum juxta magnam porrectis: materie dura, decolori, exalbida: fructu parvo, oblongo, hordeo simili. Theophrastus. *Dalec.*

Ac rugosis incisuris, quæ per tota discurrunt] Lego, *ac rugosis. Incisuræque per tota discurrunt.* Theophrastus: 'Item per nervos rugatum, et ambitu leviter serratum.' *Pintian.*

Et colore. Materies est dura atque firma] Scribendum, *Decolore materia est dura atque firma.* Theophrastus III. 10. 'Materies dura, decolor, exalbida.' *Idem.*

CAP. XXII. *De euonymo, et adrachne, coggygria, et thapsia.*

In Lesbo] Ordymno monte; cujus mentio fit Theophrast. II. 31. *Dalec.*

Flore candidiore statim pestem denuntians] Lego: *Flore candido, odore statim pestem denuntians.* Theophrastus lib. III. cap. ult. 'Flos colore albæ violæ similis; odore infestus, velut

cruorem inferens.' Quo in loco transferendo notandum est insigniter errasse et Plinium et Theodorum; refert enim hæc arbor euonymos odorem seu virus attractylidis herbæ, quæ teste Theophrasto VI. 4. et Plinio XXI. 16. succum sanguineum effundit: quare et φόνος a quibusdam, eisdem testibus, appellatur: est etiam odore tetro atque infesto. Quia igitur φόνος Græce *mortem* Latine significat, Plinius *pestem*, Theodorus *cruorem* transtulit, neuter bene; transferre enim debuissent: *odore gravi phonu*, vel si ita maluissent, *attractylidis*. Pintian.

Ex qua facta esset Argo] Apollonius Argonaut. lib. IV. scribit, Palladem ex Phago Dodonide navis ejus carinam fecisse vocalem: αὐτίκα δ' ἄφνω Ἴαχεν ἀνδρομέῃ ἐνοπῇ μεσσηγὺ θεόντων Αὐδῇ ἐν γλαφυρῇ νηὸς δόρυ. Quamobrem Lycophronis interpres, λαλιστάτην, ait, εἶχε τὴν τρόπιν ἐκ τῆς Δωδώνης δρυὸς· et Lycophron λάληθρον κίσσαν, *garrulam picam*, vocavit. Rhod. XXIX. 15. *Dalec.*

Adrachnen omnes fere] Theoph. III. 16. Vide infra XVI. 21. Cretenses nunc vocant *andrecles*. Idem.

Andrachne vocetur] Pausaniæ in Bœoticis in Helicone adrachnæ frutices longe suavissimum pomum ferunt. *Idem.*

Cæterum adrachne est silvestris arbor] *Cæterum andracle est silvestris arbor, neque in planis nascens, &c.* ita scribitur in antiquis exemplaribus. Et paulo post: *similis et apharce bifera æque quam pandracle.* Et XVI. 22. in Thuanæo codice inveni: 'Inter utraque genera sunt andracile (pro 'andracle') in Græcia et ubique unedo.' Plinii ergo sententia est, ἀνδράχλην dici de arbore, ἀνδράχνην de herba portulaca. *Salmas.* 510. b. Et paulo post, pro *coggygria*, lege *coccygia.* Idem ibid. 511. a.

Cortice non scabro quidem] Adrachne, non aliter quam suber, detracto cortice juvatur. Eadem, ut et apharca, anno bifera, priorem fructum perficit, cum variat uva, (περκάζει, Plinio, cum pubescit,) alterum, cum floret uva. Plinium fefellit Theophrasti litera male distincta, in qua post ἀνθοῦντι statim subjicitur, ἀρχομένου τοῦ χειμῶνος ἐλάτη καὶ μίλος ἀνθοῦσι, μικρὸν πρὸ ἡλίου τροπῶν. *Initio hiemis taxus et abies florent paululum ante brumam.* Dalec.

Similis et coggygria folio] Exemplar Toletanum: *Similis et coccigia folio.* scribo, *similis et coccymeleæ folio*, id est 'pruni;' sic enim coccymeleam supra esse scribit, fructumque ejus in pappos abire, ut nullus supersit dubitationi locus. *Pintian.* *Similis et coggygria folio*] Cotinum hanc arborem auctor vocat XVI. 8. *Dalec.*

Nulli alii arborum evenit] Hoc salici, populo, Nerio similiter contingit. Apud Theophrastum vitiose legitur *coccymelæa.* Dalec.

Arborumque generi ascripsisse] Suffruticibus annumerat Theophrastus. *Idem.*

Ferula calidis nascitur locis] Copiosior clariorque harum historia petenda e Theophrasto. *Dalec.*

Nec corticem abdicant, &c.] Nec corticem radicis in usu medicinæ rejiciunt; nam in purgationibus is datur quatuor obolis, succus tribus, lac uno. Dioscor. *Idem.*

Quibusdam tamen morbis, &c.] Suspiriosis, diuturnis laterum doloribus, sanguinis rejectionibus. Dioscorides. *Idem.*

Quidam caulem incidunt per messes] Facto in ambitu scrobe, radicis corticem incidunt, aut in ipsa radice. Dioscor. *Idem.*

Converberatam faciem illinens sibi] Utrumque exemplar non *sibi* legit, sed *sic*, ut credam scribendum esse *succo.* Pintian.

Illinens sibi cum thure ceraque] Laudat et id remedium Dioscorides, dum amplius binis horis non dimittatur, postea locus marina calida foveatur. *Dalec.*

CAP. XXIII. *De cappari, sive cynosbato, aut opheostaphyle, et de sari.*

Cynosbato] Vide infra XXI. 18. et Theophrast. Hist. VI. 5. *Idem.*

Siquidem Arabicum pestilens] Dioscoridi Arabicum e rubro mari advectum, itemque Libycum, in cibos non admittenda, quia in ore pustulas excitant, et osse tenus gingivas exedunt. Africum vero, præsertim Marmaricum, vehementer inflat. *Idem.*

Cynosbaton vocant] Quoniam hamatas rubi modo spinas habet. Diosc. *Idem.*

Alii opheostaphylen] In notis Dioscoridis male *phyllostaphylen.* Idem.

Fruticosi est generis, &c.] Legend. *Frutectosi est generis et sari circa Nilum nascens.* Dicitur enim *frutectum* ὁ θάμνος, vel θάμνοι, ut 'virgultum' a 'virgula,' 'carectum' a 'carice.' Inde *frutectosus*, θαμνώδης. Vide Salmas. p. 1004. a.

Sari] Theophr. Hist. IV. 9. *Dalec.*

Similique manditur modo] Cum Saria, id est, nati radice canaliculi manduntur, mansæ exucceæque reliquiæ, ut fit in papyro, expuuntur. Theophr. *Idem.*

CAP. XXIV. *De spina Babylonis regia, et de cytiso.*

Estque sicut viscum in arboribus, sed illud in spina tantum quæ regia vocatur, Mirum quod, &c.] Scribendum diversa distinctione: *Estque sicut viscum in arboribus. Sed illud in spina tantum quæ regia vocatur mirum, quod,* eadem reliqua. Theophrastus de Causis Plant. II. 23. 'Si vero semina quoque aliqua ejusmodi sint, ut quod apud Babylonem spinæ sub ortum sideris eadem die enasci atque etiam spinam posse complecti celeriter asserunt; et Syriaca illa herbula cadytas vocata, quæ arboribus vepribusque atque aliis quibusdam innascitur; hinc porro anceps admiratio redditur.' *Pintian.*

Quæ regia vocatur] Theophr. de Causis II. 23. et 24. ejusdem, ἐπισπείρειν. Vide infra XXIX. 8. Id semen, ut equidem sentio, cassuthæ nostræ est, quam alibi Plinius cadytam vocat. *Dalec.*

Ab Aristomacho, &c.] Columella lib. V. cap. ult. *Idem.*

Utilitas quæ ervo, sed ocior satietas] *Ergo* habent exemplaria antiqua, non *ervo;* pro quo libentius *herbæ* legerem quam *ervo;* nam hæc comparatio cytisi cum ervo mihi non probatur; etsi Columella tradit ervi modo seminandum esse. Item *satias* scribendum, non *satietas*, ex archetypo Toletano. *Pintian.*

Seritur cum ordeo] Columellæ IX. 4. sativum est, et suæ spontis. *Dalec.*

Vel caule autumno ante brumam] Vel ramis, Autumno instante ante Septembrem. Ex Columella hic Plinius, (ut pomum,) indiligenter vertit ex auctore Græco, apud quem scriptum fuit, εἰς πρασιὰς φυτεύεσθαι, *in areolis seri;* quemadmodum et Columella reddidit. *Idem.*

Satum spargitur] Rigatur quindecim proximis diebus. Columella. *Idem.*

Cum florere desiit] Nam tota hieme floret. *Idem.*

Madidum] Madefactum et maceratum; nam aridum majores vires habet, et nimis satiat. Columella. *Idem.*

Fertile est] Utile. Vide Columellam IX. 4. *Idem.*

CAP. XXV. *De fruticibus et arboribus nostri maris, atque Rubri et Indici.*

Arboresque minores in nostro] Theophrastus Hist. IV. 7. et 8. Vide infra XXXII. 7. et 9. *Dalec.*

Quoniam alga herbarum, &c.] Plinius satis negligenter hoc statuit. *Id.*

Folia lata colore viridi gignit, quod quidam prason, alii zostera appellant] Vetus lectio, *Folio lato, colore viridi. Gignit quod quidam, &c.* Hæc si vera est, deceperunt Plinium Theophrasti verba male intellecta. Neque enim alga hæc gignit quod alii prason, alii zostera appellant, sed ipsum algæ

genus sic vocant; sunt enim multa algarum genera. Theophrastus IV. 6. 'Nam algæ quoddam genus folio lato, colore herbido est, quod prason quidam appellant, alii zostera:' ubi relativum *quod*, non *folium*, sed *genus algæ* refert. Theodorus morbo solito pro *prason*, *porrum*, pro *zostera*, *cingulum* reddit. *Pintian.* *Folia lata colore viridi gignit*] Ταινιοειδῆ Theoph. *fasciis similia*, vel, ut alii legunt, τεταvoειδῆ, *distenta*. Dalec.

Superius in, &c.] Ζωστήρ. *Idem.*

Verno utrunque, et interit autumno] Lectio nec integra nec sincera; videntur enim multa desiderari verba. Theophrastus IV. 6. 'Annuum esse aiunt, et nasci vere desinente, vigere æstate, minui autumno, interire hieme.' *Pintianus.* *Verno utrunque*] *Vere utrumque.* Non de Zostere id Theophrastus, sed de fœniculacea tantum, quam scribit extremo vere nasci, æstate vigere, autumno languere, hieme mori. *Dalec.*

Circa Cretam insulam] Diversum hoc algæ tinctoriæ genus a fœniculacea Theophrastus memorat, laudatissimamque provenire Aquiloniis locis Cretæ ait, ubi spongiæ, et alii id genus marini frutices, marinæve plantæ præstantiores gignuntur. Vide XXXII. 6. et XXVII. 7. *Idem.*

Aut cum spongiis] Sic Hermolaus; cum prior lectio tam scripta quam impressa haberet *aut spongeis:* aptiorem lectionem ducimus, *ut spongiæ.* Theophrastus: 'Gignitur parte aquilonia tum copiosius, tum melius, ut etiam spongiæ reliquaque similia.' *Pintian.*

Jam hoc interius nascens] *Jam hoc in alto nascens. Terris vero abies vicina et quercus*, ex Theophr. Hist. IV. 7. *Dalec.*

Glandem etiam, &c.] Apud Athenæum lib. VII. Polybius narrat in mari Lusitanico gigni quercus, quarum glande thynni vescantur, et pinguescant: itaque a vero minime aberraturum, qui thynnos esse marinos porcos dixerit. *Dalec.*

Naufragis hæc deprehensa urinantibusque. Et aliæ traduntur prægrandes circa Sicyonem] Scribo, *naufragis urinantibusque et aliæ traduntur prægrandes;* cætera adjecta sunt, et falso Plinio attributa, ex Theophrasto manifeste IV. 6. quem in hac parte ad verbum fere transfert Plinius, confer et statue. *Pintian.*

Sine foliis] Εὔφυλλος, *foliis comosa.* Ficus similitudo absque foliis intelligi nequit, nisi fructus illam ostendat. *Dalec.*

Nascitur frutex et alius lauri et thymi] Sic quidem legunt antiqua exemplaria, sed rectius impressa, *nascitur frutex et alius lauro et thymo similis:* convertenda tamen verba: *Nascitur frutex thymum, et alius lauro similis.* Theophrastus loco ante allegato: 'In extero autem circa Gaditanum fretum porrum, ut retulimus, nascitur, et ea quæ in lapidem transfigurantur, ut thymum, et quæ lauriformia sunt.' *Pintian.*

In mari vero Rubro silvas vivere] Theophrast. Hist. IV. 8. *Dalec.*

Laurum maxime, &c.] Agriæ prorsus similem: oleam vero folio tantum. Theophrastus. *Idem.*

Caniculis referta] Crediderim omissam incuria librarii dictionem *maria*, ex Theophrasto superiore loco: 'Mare,' inquit, 'hoc beluis refertum, plurimasque caniculas habet, in tantum ut nare tutum non sit.' *Pintian.*

Ut vix prospicere] De hoc Theophr. nihil. *Dalec.*

Qui navigavere in Indos Alexandri milites] Scribo, *Qui navigavere in Indis Alexandri milites.* Theophrastus IV. 7. 'Qui vero ex India missi ab Alexandro navigarunt: plantas marinas, quod in aqua sint, colorem algæ minutæ habere,' &c. *Pintian.*

Arbusculas colore, &c.] In Adriatico quæ arbusculæ nascuntur, glutini taurino colore similes sunt. *Dalec.*

Altiores platanis] Magnitudine platanorum. Theophr. *Idem.*

Autumno nascentes] Flore et fructu primo autumno nascente, vere defluente. Theophr. *Idem.*

Isidos plocamon] Quidam corallium esse volunt, coloris punicei, non rubri, oculis quidem grati, et arridentis, sed minoris pretii et auctoritatis, quam quod saturatius et plenius rubet. Horum opinioni non assentior, quoniam isidos plocamos præcisus nigrescit, non autem id corallii genus. *Idem.*

Charitoblepharon] Nigrum esse corallium hinc quidam arbitrantur, quod olim in superciliis fœminarum color niger pulcherrimus et venustissimus haberetur. Quamobrem medicamenta superciliis tingendis apta καλλιβλέφαρα prisci vocaverunt. *Idem.*

Spathalia eo, &c.] Σπαθάλη, ornamentum muliebre, brachialis et armillæ loco. Allusit ad id Claudianus in Epithalamio: 'Et gravibus spathale baccis diadema ferebat Intextum, rubro quas legerat ipsa profundo.' *Idem.*

LIBER XIV.

In quo frugiferæ arbores traduntur.

PROŒM. *Ac societate festæ pacis*] Quo die Romani pacem cum hoste faciebant, Diis tantum sacra persolvebant, et vota, ab omni opere abstinentes. Inde festa pax. *Dalec.*

Ante millia annorum inter principia literarum Hesiodo præcepta agricolæ pandere orso] Scribendum existimo, *ante mille annos*, non *ante millia annorum;* nam a Plinio ad Homerum mille anni intercesserunt, ut testatur vel Juvenalis versus: 'atque uni cedit Homero, Propter mille annos.' Et Plinius VII. 16. 'Jam vero ante annos prope mille vates ille Homerus non cessavit minora corpora mortalium quam prisca conqueri.' Porro Hesiodum eodem fuisse tempore quo Homerus, auctores nonnulli tradunt. *Pintian.*

Maximo, &c.] Libertate. *Dalec.*

Hanc alius alio modo et in aliis adorare] Budæus verba hæc ex fide antiquorum codicum superfluere scribit; habentur tamen in nostris; tractat et hunc locum Rhenanus, vir doctus, et de Plinio benemeritus. *Pint.* *Alius hanc alio modo et in aliis adorare, eodem tamen habendi quæstu ad spes hominum tendente voto*] In edit. quam nobis dedit Lutetia, annotatum est, Gulielmum Budæum, virum eruditissimum, priorem istius sententiæ partem tanquam subdititiam resecuisse, non inventam in vol. quodam veteri. De qua re equidem multum miror; nam ea dempta video sententiæ quoque elegantiam perire, quæ est in his verbis: *alio modo, et in aliis*, deinde *eodem voto.* Vult enim hoc dicere Plinius, miram esse servientium diversitatem propter varias servitutis species: et rursus miram convenientiam, dum omnes huc spectant, ut ditescant. Alteram vero partem, nempe posteriorem, sic legendam putat: *eodem tamen habendi, quo spes omnium, tendente voto.* Manuscr. exemplar hic habet: *Hanc alius alio modo et in aliis adorare, eodem tamen habendique ac spes omnium tendente voto.* Proinde malim legere: *Hanc alius alio modo et in aliis adorare, eodem tamen, habendique spes omnium accendente voto.* Nam conjicio *adcendente* scriptum fuisse, avulsa primore syllaba a reliquis, hoc modo *ad cendente:* cumque librarius duas esse dictiones putaret, præpo

sitionemque suo casu carere, transtulit hanc in anteriorem locum, aptius legi censens, *ad spes omnium*, quam *spes omnium ad*. Deinde *cendente*, quod nihil significabat, mutavit in *tendente*. Cæterum *habendique* expositivum est, ut sit, *Eodem voto habendique voto*, hoc est, *eodem voto*, nempe habendi, *spes omnium accendente*. Suspicatus aliquando sum pro *habendique* scribendum *appendice*, sed alterum magis probatur. *Rhenanus*.

Eodem tamen habendi quo eat spes hominum tendente voto] Sic Budæus legit: sed non sapit hæc sententia salem et elegantiam Plinianam. Ego puto redundare verbum illud *habendi*, et cætera sic legenda: *Eodem tamen, quæstus spe, omnium tendente voto;* ut sit *eodem* adverbium, hoc est, ad eandem servitutem; nam ambo nostri codices *omnium* habent, non *hominum*. Pintian.

Hortorum dotes fugisse] De hortorum cultura nihil scripsisse. *Dalec.*

Ut vel hoc uno omnia gentium vicisse, quanquam odorifera, possit videri bona] Vetustus codex non habet *quanquam odorifera*, sed tantum *quam odorifera*. Conjicio scriptum fuisse *usquam;* nec enim hic placet *inquam;* magis placeret *quamlibet*. Itaque sic leges: *Quorum principatus in tantum peculiaris Italiæ est, ut vel hoc uno omnia gentium vicisse usquam odorifera possit videri bona*. Rhenanus.

CAP. I. *De vitium natura, et quibus modis ferant.*

Vites jure apud, &c.] Theophrastus Hist. I. 5. vitem inter arbores recenset. Columella l. XI. arborem esse negat, sed medium quoddam genus inter arborem et fruticem esse vult. *Dalec.*

Jovis simulacrum in urbe Populonia] Geographi omnes 'Populonium' appellant, non 'Populoniam:' et sic in Pomponium legendum diximus, sicque duo nostri codices præferunt. Virgilius tamen, poëtica licentia, nomine abusus 'Populonia' protulit lib. X. *Pintian.*

Verum ista ex silvestribus, &c.] Lege: *Verum ista ex silvestribus facta crediderim. Mites tonsura annua coërcentur, et vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, succique tantum gratia exire sinitur, pluribus modis ad cœli mores solique ingenia.* Vide Salmas. p. 817. a.

Vindemiator auctoratus, &c.] Dum ad putandum vineam conducitur, paciscitur, si forte casu pereat, rogum ac sepulchrum sibi fieri impendio auctorantis. *Dalec.*

In Liviæ porticibus] De Liviæ porticu vide Sueton. in Augusto. De porticibus milliariis, stadiariis, subterraneis, simplici, duplici ordine columnarum extructis, vide Lucium Faunum III. 5. in explicatione porticus Octaviæ, ubi nunc est fanum Divæ Mariæ in porticu. *Idem.*

Legatum regis Pyrrhi Cineam] Eum ἄπρακτον, infecta pace, Senatus remisit, ut ait Plutarchus in Pyrrho, ἀποκρινάμενοι ἐξελθόντα τῆς Ἰταλίας, εἰ δέοιτο, περὶ φιλίας καὶ συμμαχίας διαλέγεσθαι. De eo legato Ennius apud Varronem: 'Orator sine pace redit, regique refert rem.' *Idem.*

In austeriorem gustum vini] Vinum ejusmodi, atrum et asperum, Crucium vocat Festus, Gallam Lucilius: 'Quæ gallam bibere, ac rugas conducere ventri Farre aceroso, oleo decumano, pane coëgit Cumano.' Exemplo Alexidis poëtæ: Οἶνος ξενικὸς παρῆν, ὁ γὰρ Κορίνθιος βασανισμός ἐστι. *Id.*

Rumbotinus vocatur] Rumbotinus Columel. V. 7. non arboris genus, sed arbusti Gallici, vulgo *de Hautins*. Vide infra XXIV. 19. *Idem.*

Producto dracone in palmam ejus] Emerito palmite, multis annis durato. Sic vocant a squamoso et aspero cortice, qualis est draconum cutis, vel a longitudine anguinea. Scalig. pag. 312. vs. 38. *Idem.*

Amplo discursu atria media complentes] Hæ sunt jugatæ et compluviatæ

vites. *Idem.*

Excrescere ultra suos pollices prohibita] Codex Toletanus *prohibentes*, non *prohibitæ*. Pintian.

Semperque pastinatis similes] Legendum reor non *pastinatis*, sed *per se natis*; quod manifeste indicant verba statim sequentia: *Herbarum modo vagantur per arva.* Et considerandum an scribendum sit paulo ante, *duos pollices*, non *suos pollices*. Idem. *Semperque pastinatis similes*] Nam cum vinea pastinatur, soluta suis adminiculis sarmenta vinitores humi jacere patiuntur, quoad putata suis rursum pedamentis alligent. *Dalec.*

Duracina] Vulgo *Piquepoulle*, Monspessulanis vero *Marroquin*, a *Marrock* Africæ civitate. *Dalec.* Sic appellatur a duritia acini omnibus rei rusticæ scriptoribus, et postea etiam liquebit. *Pintian.*

Bumasti] *Ollares* vocat Aurelianus. Vide Columellam XII. 43. Martial. lib. VII. de Sanctra cœnarum fure his versibus: 'Dulci placenta sordidam linit mappam, Illic et uvæ collocantur ollares.' Aëtius vocat σταφυλὴν ἀπὸ χύτρας, καὶ ἐκ τῶν στεμφύλων. Dioscor. σταφυλὴν ἐκ τῶν στεμφύλων, καὶ ἐκ τῶν θηκῶν. *Dalec.*

Aliæ in sua tantum, &c.] Horum conditura generum meminit Cato cap. 143. et cap. 7. Varro I. 58. *Id.*

Fumus affert fabrilis] Fabriles vocat Aurelianus IV. 3. Chronion. Vide XXIII. 1. et XV. 17. *Idem.*

Quin et a patientia, &c.] Fallitur Plinius. Passas vocamus, quod ad Solem expandantur. *Idem.*

Conduntur et musto uvæ] Nempe Sapa, ut XXIII. 1. conduntur enim musto, vino dulci, sapa, aqua cœlesti. *Id.*

Jam inventa vitis per se, &c.] Allobrogica, cap. proxime sequenti. Vide et XXIII. 1. *Dalec.*

Viennensem agrum nobilitans] Ejus vinum in summo apud Romanos pretio fuisse tradit Plutarch. Sympos. Quæst. V. 3. καὶ τῶν Ἰταλικῶν, inquit, οἱ περὶ τὸν Πάλον οἰκοῦντες· ἐκ δὲ τῆς περὶ Βίενναν Γαλατίας ὁ πισσίτης οἶνος κατακομίζεται, διαφερόντως τιμώμενος ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων. *Idem.*

Helvico] Helvii, hodie *Vivarez*. Id.

Atque etiam in delictis, &c.] Polybio, tribuni Rufuli legionum delicta coërcebant, ut auxiliarium copiarum, Socium præfecti. Rhod. XXV. 22. In castigandis militibus centuriones vitem adhibuisse traditum a Livio lib. LVII. et a Floro, observatumque ab Africano Scipione qui Numantiam evertit. Hujus supplicii meminit Plutarchus in Galba. Macrobius centurialem vitem appellat. Martianus ff. de Re militari, Si miles vitem tenuit, militiam mutat; si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur. Rhod. lib. XXVI. cap. ult. Qui castigatur a Centurione miles, Pompeio 'sub vineam jacere' dicitur. Vide Pithœum I. 15. Scipio Æmilianus si quem militem deprehendisset in delicto, Romanum civem, vulgato inter milites exemplo, vite, externum vero fuste, cædebat. Alex. ab Alex. I. 22. Castigationum ac animadversionum militarium varietatem, et graviorem levioremque modum, pro noxæ magnitudine et conditione, vide apud eundem auctorem II. 13. Juvenal. Sat. VIII. 'Nodosam posthæc frangebat vertice vitem, Si lentus pigra muniret castra dolabra.' Gerebant vitem centuriones. Vitis eum, cui erat aquila commissa, paulatim et lente ad Primipili centurionatum perducebat. Turn. XXV. 26. In antiqui denarii adversa parte Romæ caput signatum est, in aversa Centurio vite bifida militem scutatum et hastatum genibus flexis tanquam supplicem verberans cum hac scriptura, T. DEIDI. *Idem.*

Ut per sese vino ipso remedia sint] Lego, *ut per sese vina ipsa remedia sint*, ex codice Salmanticensi; nam vinum multos in medicina usus habere, res nota est. *Pintian.*

CAP. II. *De generibus vitium.*

Genera vitium numero, &c.] Vide Theophr. Hist. II. 7. Columel. III. 2. *Dalec.*

Ammineis, &c.] Vulgo *Gros plant.* Quidam scribunt cum duplici *m*, syllaba media correpta. Ausonius: 'Solus qui Chium miscet et Ammineum:' alii cum simplici *m*, media producta. Serenus: 'Succus Amineæ vitis cum pane medetur.' Turn. XXIX. 26. Virgil. 'Sunt et Amineæ viti fortissima vina.' Hesychius in suis Glossis: Ἀμιναῖος, δι' ἑνὸς ν, οἶνος· ἡ γὰρ πευκετία, Ἀμιναία λέγεται. *Idem.*

Lanatæ] Cujus lanugine vestiuntur aversa folia. Lanatam uvam Marcellus Empeiricus cap. 14. 'caniculatam' vocat, veluti lanugine canescentem et hirtam. *Idem.*

Ex eis duo genera] Major et minor, vel candicans et nigra. *Dalec.*

Nulla magis vite gaudet] Vinea; uvas enim Apianas e vinea longe suaviores esse quam pergulis, arbusto, jugo, compertissimum est. Vulgo *muschat.* Idem.

Chio] Tibullus: 'Nunc mihi fumosos veteris proferre Falernos Consulis, et Chio solvere vincla cado.' *Idem.*

Græcula] *Raisins de Corinthe.* Id.

In Rhætica Allobrogicaque] *Di la valtolina* Allobrogica Viennensis, *qui sent la violette.* Allobrogicum vinum, quod ex Allobrogica fit, Celsus vocat IV. 5. *Idem.*

Supra] Sub finem primi capitis hujus libri. *Idem.*

Fecenia] Supra rubella; sic dicta, quod fecis plus afferat, quam cæteræ. Columel. *Dalec.*

Biturica] *Le plant d'Orleans.* Idem.

Biturica] Non *Biturica*, sed *Biturigiaca*, archetypum Toletanum, magis ex etymologia a Biturigibus Galliæ Aquitaniæ populis Plinio IV. 19. *Pintian.*

Quæ minor est ex eo genere] Visulam eam dictam fuisse ostendit Columella, qui hæc omnia de Visula tradit. *Dalec.*

Putrescens cadit] Talis est quam Lugdunenses vocant, *des Gametz.* Idem.

Helvolæ] Elveolæ, olim olera, elera: inde elvela, olera minuta, et elveola vitis herbacei coloris. Titinius: 'Lenti calido, elvela, rapulæ, rumices.' *Scaliger.*

Capiti inimica] Tale vinum est ex ea expressum, quod Monspessulani vocant *piquardant.* Dalec.

Justius sobriam dicturi] Latini sic vocarunt, quod innoxia sit et iners tentandis nervis. Columel. *Idem.*

Temulentiam sola non facit] Ideo Græci amethyston vocant. Columel. *Idem.*

Horconia] Fortassis quam arelacam majorem Columella vocat. *Dalec.*

CAP. III. *Item de vitium generibus, secundum locorum et regionum proprietatem.*

Talpana nigra] A colore talpæ. *Idem.*

Etesiaca fallax] Quæ Etesiis variat. *Idem.*

Conseminia nigra] *Conseminia* cognomen hic proprium est. Alioqnin 'Conseminalis vitis' Columellæ XII. 45. diversis vitium generibus consita. *Idem.*

Municipii uvam Pompeii nomine appellant] Exemplar Toletanum, *Municipi suam Pompeii nomine appellat.* Scribendum reor præpostero ordine, *Pompeii municipii suo nomine appellant.* Pintian.

Pompeii nomine] Oppidum Neapoli vicinum. *Dalec.*

Acinosissimæ] *Racemosissimæ.* Uvæ majores, et crassioribus acinis, racemi minores, et tenuioribus, fere a vindemiatore sub pampinis latentes et fallentes relinquuntur. Græcis ἐπιφυλλίδες: inde 'racematio.' Turn. XXV. 26. *Idem.*

Et magis purpureæ cognomine bimam-

miæ] Legendum arbitror, *Et magis purpureæ cognomine bibammiæ;* hoc est, duplicis tincturæ: ut dibapha purpura, de qua supra Plinius IX. 39. 'Huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi.' Cur vero dictæ sint *bibammiæ*, ilico subjicit, quod gerant diversos, hoc est, diversicolores, non racemos, sed uvas, quales etiam apud nos plerisque in locis cernuntur. *Pintian.*

In pergulis vero seruntur escariæ, &c.] Lege: *in pergulis vero seruntur escariæ appellatæ. Ederæ acinis albæ nigræque bumasti, totidemque coloribus.* Vides bumastum uvam dici, quæ acinos hederæ habet. Ergo acini hederæ Græcis proprie *μαστοί*. *Salmas.* p. 366. b.

Quæ forenses vocantur] Rusticis nostris servato nomine veteri, *des foirars.* Dalec.

Rabuscula] *Ravuscula*, colore ad Ravum inclinante. Asinisca, asini colore, quemadmodum in hoc Virgilii versu: 'Et passo psythia utilior, tenuisque lageos.' Servius exposuit leporis colore. Brod. IV. 25. *Idem.*

Alopecis] Vulgo, *raisins barbus.* Idem.

Alexandrina appellatur vitis circa Phalacram] Scribo *phalacras* numero plurium, ex Theophrasto III. 17. 'Vitis,' inquit, 'nascitur ea parte Idæ quam vocant phalacras,' astipulante etiam Stephano. *Pintian.*

Acino nigro fabæ magnitudine] Acino nigro, dulci, oblique ramis adhærente, fabæ magnitudine, qui vinaceo simile quippiam intus continet, molle, folio parvo, &c. Theophr. *Dalec.*

Alba, &c.] Vulgo, *Aubenas de Vivarez.* Idem.

CAP. IV. *Insignia culturæ vinearum.*

Ita prodidit] Cap. 6. et 7. *Dalec.*

Helvinum minusculum] Scribo, *Helveolum minusculum*, ex Catone ipso cap. 6. Confirmat etiam Varro repetitis Catonis verbis I. 25. et Columella III. 2. Sunt et helveolæ quas nonnulli varias appellant, neque purpureæ, neque nigræ, ab helvo, nisi fallor, colore. *Pintian.*

Aut Murgentinum, Apicium, Lucanum serito] Cato prædicto cap. 'Aut Murgentinum aut Apicium Lucanum serito.' *Idem.*

In lora recte conduntur] Scribo *olla*, non *lora*. Sed complura, ut conjicio, verba hic desiderantur ex ipso Catone, ex cujus cap. 7. puto legendum hoc pacto: 'Amineum minusculum et majusculum et apicium, hæc in ollis, ollæ in vinaceis conduntur, eadem in sapa et musto in olla recte conduntur.' *Idem.* *In lora recte conduntur*] Musto diluto. In Elsatico agro hodie *laurex* vocant. *Dalec.*

Vel ad fabrum ferrarium] Ambustus etiam locus, potest vero resarciri ex Catone sic: *Et scantianas opportunissimas esse. Hæ et ad fabrum ferrarium pro passis recte servantur.* Pint.

In Campaniæ rure Linternino] Archetypum Toletanum *Liternio*, non *Linternino*. Et sane docti jam omnes sic enunciant. *Pintian.*

Africani colebat exilium] Valer. Max. V. 3. *Dalec.*

Vilitas mercis] Prædiorum ac fundorum. *Idem.*

Cura Stheneli dum agricolam imitatur] In archetypo Toletano aliter: *cura Sthenelei agricolam invitatus.* Legendum reor, *cura Sthenelei agricolæ invitatus.* Porro verba quæ statim ante præcedunt, *non virtute animi, sed vanitate, quæ primo nota mire in illo fuit*, non Plinii, sed aliena esse duco. Nec enim Plinio historiam naturæ scribenti tantum ocii superfuisse verisimile est, ut grammatici mores tam curiose nobis describeret. *Pintian.*—*Cucurritque non nemo ad spectandas uvarum in his vineis strues*] Omnes fere, qui admovere Plinio manus, hunc ad locum vel restituendum vel illustrandum aliquid contulerunt, Hermolaus, Rhenanus, Gelenius, Pintianus, Dalecampius, et super hos in quinto de Asse

Budæus. Quo magis miror non fuisse, qui moneret scribendum, *Cucurritque nemo non;* nam, *non nemo,* quid nisi *aliquis?* quid autem hic, *cucurrit aliquis?* Immo certatim cucurrerunt undecumque. Et hoc, *cucurritque nemo non.* Gronov.

Literis ejus altioribus contra id pigra vicinitate sibi patrocinante] Emendatius, ut puto, legetur: *Literis a latrantibus contra, impigra vicinitate sibi patrocinante.* Idem. *Literis ejus altioribus, &c.*] Putabatur enim, quod insigniter esset literatus, rectius potuisse et scivisse agrum colere. *Dalec.*

Novissime Anneo Seneca] Emendemus errorem publicum; omnes enim *Anneus* penultima correpta scribunt et proferunt, quæ longa est diphthongo, ut manifestum facit Terentiani versus: 'Annæus Seneca et Pomponius ante Secundus.' Verba autem quæ sequuntur: *Principe cum eruditionis, ac potentia, quæ postremo nimia fuit super ipsum,* non redolent Plinium, putamusque falso Plinio attribui. *Pintian.* *Novissime Anneo Seneca*] De his Senecæ vinetis Columel. III. 3. et ipse Epist. CV. *Dalec.* *Annæo Seneca, principe tum eruditionis ac potentiæ, quæ postremo nimia fuit super ipsum*] Rhenanus cum applausu Steph. Aquæi, *quæ postremo nimia superfuit ipsi.* Pintianus totum hoc elogium non redolere Plinium, et ei falso attribui existimat. Dalecampius interpretatur, in ejus calamitatem et exitium, credo cogitans illud, 'Philistium super te, Samson.' Si verum vis, scribe, *quæ postremo nimia ruit super ipsum.* Curtius lib. VII. 'Magnum onus sustines capite, regium insigne: hoc aut moderate ferendum est, aut, quod abominor, in te ruet.' *Gronov.*

Super ipsum] In ejus calamitatem et exitium. *Idem.*

Ut non puderet inviso alias et ostentaturo tradere palmam] Exemplar Toletanum: *Ut non puderet inviso alias regiones, et ostentaturo;* scribendum arbitror, *ut non puderet in ipsa illa regione Nomentana tradere palmam,* ex Columella, scribente vineas Senecæ in Nomentano fuisse. *Pintian.* *Ut non puderet, &c.*] Et superba arrogantia, qua natas secum literas atque morituras jactabat, et insolentissima maledicentia, qua Varronem, tantum virum, porcum appellabat. *Dalec.*

Denos culeos] Sexenas urnas, Columel. III. 3. *Dalec.* *Quindenos culeos* legit Fulv. Ursin. ad Varr. de Re Rust. I. 2. pag. 15.

Maroneo] Μάρων rex Thraciæ. Cratino apud Pollucem vinum Maroneum, οὔτ' ὄπιον τοσοῦτον, οὐδὲ μάρωνα πίομαι. Maronea Thraciæ urbs nobilis vino. *Idem.*

Homerus prodidit] Odyss. A. *Dalec.*

Præsens in eo tractu] Commodius legetur *præses,* quam *præsens.* Pint.

Et Pramnio] Ex eo, caseo, et polenta, Iliad. Λ. Hecamede τὸν κυκεῶνα parat. *Dalec.*

In reliquis claritas generi, &c.] Legend. *In reliquis claritas generi non fuit alicui, anno fuit omnium generum bonitatis L. Opimio Consule, cum C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans, interemptus, ea cæli temperies fulsit, cocturam vocans solis opere, Natali Urbis DCXXXIII.* Anno fuit claritas bonitatis omnium generum. *Salmas.* pag. 467. b.

Usura multiplicata semissibus] Usura semissium in singulos annos adaucta, in centenarium sex, in millenarium sexaginta. Amphora continet sextarios 48. cyathos 12. *Dalec.*

Annis CLX. singulas uncias vini] Sors in singulas amphoras Opimio Cos. Nummi 100. Annua usura semissis 160. annorum efficit 960. quibus si addas sortem, nempe 100. summa sortis et multiplicatæ usuræ futura est 1060. *Idem.* *Annis CLX. singulas uncias vini*] Lego *nummis,* non *annis.* Pintian.

Nec alia res majus, &c.] Hinc ex-

plere liceat præceptum seu regulam Varronianam de Re Rust. I. 65. *Dalec.*

CAP. V. *De natura vini.*

Vino natura est] Οἶνος Græcis, vel διὰ τὸ τῆς οἰήσεως ἐμπίμπλασθαι τὸν νοῦν, vel ἀπὸ τῆς ὀνήσεως. Nam, ut ait Homerus, ὀνήσεαι, αἴκε πίησθα. In levandis curis vini utilitatem versus hi Homerici declarant: Οἶνόν τοι, Μενέλαε, θεοὶ ποίησαν ἄριστον θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας. *Idem.*

Accendendi calore] Αἴθοπα οἶνον Homerus vocat, ἐπικεκαυμένον τὴν ὄψιν, μέλανα ἢ ἐρυθρόν: vel θερμὸν, καὶ ἐκκαίοντα, παρὰ τοῦ αἴθειν. Plutarchus interpretatur λαμπρὸν, καὶ διαυγῆ. *Idem.*

Memento te bibere sanguinem terræ] Lego contra omnia exemplaria, et contra omnium hactenus sententias, *memento te bibere sanguinem tauri*; id est, venenum; nam sanguinem tauri mortiferum esse haustu præter Paulum Aëtium, Dioscoridem, Nicandrum, Psellum, et omnem medicorum scholam, Plinius quoque prodit XI. 38. 'Taurorum,' inquit, 'sanguis celerrime coit atque durescit: ideo pestifer potu maxime.' Confirmant hanc correctionem verba illa quæ statim subnectuntur. *Pintian.*

Sicut cicuta homini venenum est, sic cicutæ vinum] Duo verba superfluunt ex exemplari Toletano, *sicut*, et *sic*: legendumque prorsus ex ejus fide: *Cicuta homini venenum est, cicutæ vinum.* Vidit et hoc ante nos Hermolaus. *Idem.*

Amicos in temulentia non interemisset] Clytum, Seneca de Ira cap. 17. Callisthenem, idem auctor Natur. Quæst. VI. 23. Idem de Clyto Epist. XII. 84. Val. Max. IX. 3. *Dalec.*

Neque viribus corporis utilius aliud] Venustum hac de re Græcum epigramma: Οἶνος, καὶ τὰ λοετρα, καὶ ἡ περὶ Κύπριν ἐρωὴ, Ὀξυτέρην πέμπει τὴν ὁδὸν εἰς ἀΐδην. Rhod. XXVIII. 35. Elegantissimi sunt de Cratino et Nicerato versus: Οἰνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ. Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις, κ. τ. λ. Rhodig. ibidem ex Athenæo. *Idem.*

Aliud voluptatibus perniciosius] Vocem *voluptatibus* Muretus in Varronem, VI. 12. expungendam censet, eamque lectionem a Politiano et Hermolao probari testatur. Lucilius: 'Scito etenim bene longinquum mortalibus morbum In vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.' Theognis: Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός· ἢν δέ τις αὐτὸν Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθός. Panyasis: Ὡς οἶνος θνητοῖσι θεῶν πάρα δῶρον ἄριστον Πινόμενος κατὰ μέτρον, ὑπέρμετρος δὲ χερείων. Vide Politian. Miscellan. c. 61. *Idem.*

CAP. VI. *Vina generosa.*

Pucino] *Pizzino d'Istria.* Idem.

Pyctanon appellaverunt ex Adriatico sinu] Exemplar Salmanticense non *pyctanon* legit, sed *praicianum*: Toletanum vero *praitianum*: scribendum puto, *paratypianum*, ex Dioscoride l. v. 'Paratypianum,' inquit, 'quod ex Hadriano agro itidem affertur, odoratum molliusque est; ea propter fallit bibentes copiose potum,' &c. Neque *pithanon* scribendum hic esse persuadebit mihi Sabellicus, aut, qui eum carpit, Hermolaus, *pyctanon*; nam a Pucino castello, quod item Ptolemæus Pucinon Græce vocat, quomodo possessivum deduci possit *pyctanon*, non video. *Pintian.*

Setinum prætulit cunctis] Setia oppidum in colle, a Tarracinæ paludibus quinque millia dissitum: hodie, *Sezza.* Martial. 'Pendula Pontinos quæ spectat Setia campos, Exigua vetulos misit ab urbe cados.' Idem: 'Setinum, dominæque nives, densique trientes, Quando ego vos, medico non prohibente, bibam?' Juvenal. 'et lato Setinum ardebit in auro.' Vicinum et Setiæ oppidum Signia vino Signino clarum. *Dalec.*

Non temere cruditatibus noxiis ab ea saliva. Nascitur supra forum Appii]

Simile, non *saliva*, exemplar Salmanticense. Scribendum opinor: *non temere cruditatibus noxiis ab eo. Setiæ nascitur supra forum Appii.* Pintian.

Ab ea saliva] Saliva, gustus et sapor. Persius: 'Nec tenuem solers turdorum nosse salivam.' De vini tamen familiari et peculiari sapore usurpatur infra XXIII. 1. circa medium. *Dalec.*

Cæcubo, &c.] Galen. κατὰ τόπους in Arteriacorum expositione Cæcubum vinum a loco dictum minime putat, sed ita vocatum fuisse quodvis vetustissimum, et ob vetustatem *fulvum*, πυῤῥὸν, quod etiam 12. Meth. rursus confirmat, et de Antidotis lib. I. *Idem.*

Sinu Amyclano] In eo tractu fuerunt Amyclæ deletæ a serpentibus, et in propinquo Fundanus lacus. Supra I. 5. *Idem.*

Quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem inchoaverat] Scribendum, non *a Baiano*, sed *ab Averno*. Suetonius in Nerone cap. 31. 'Fossam ab Averno Ostiam usque, ut navibus nec tamen mari iretur, longitudinis per CLX. miliaria, latitudinis qua contrariæ quinqueremes commearent.' Cornelius Tacitus lib. XV. 'Namque ab lacu Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressurum promiserat.' *Pintian.*

. *Summis collibus Gauranum gigni*] *Caucinum* utrumque exemplar, non *Gauranum*, agnoscit: recte, puto; nam de Gaurano infra disserit. Caucinum autem vinum Athenæus celebrat inter Italica lib. I. *Pintian.*

Albana urbi vicina, prædulcia, ac rara in austero. Item Surrentina in vineis tantum nascentia] Legendum reor *in arbusto*, non *in austero*, ut infra: 'Et, quæ in vineis arbustisque nascuntur, Fundana.' *Idem.*

Prædulcia] Γλυκάζειν subdulce esse, non prædulce esse, Athenæus lib. I. ex Galeno asserit. Vide Athenæum lib. I. *Dalec.*

Surrentino darent] Galeno 12. Therapentices, Surrentinum adstringit nonnihil, aliisque suavius est ac calidius. *Idem.*

Vappam] Vappa, vinum corruptum, ἐξεστηκὸς οἶνος *vin tourné:* ut ὀξίνης, *acescens;* ἐκφαντίδης, et ἐξίτηλος, *evanidum, fugiens, qui n'est point de garde;* ἐκλελυμένος, *languidum* et *sublestum, qui n'a point de force.* Idem.

Massica] 'Nec veteris pocula Massici.' Horatius.

Quartum curriculum, &c.] Quartum auctoritatis et nobilitatis gradum. Sumpta metaphora ab aurigis qui curru in Circo certabant. *Dalec.*

Mamertina circa Messanam in Sicilia genita. Ex iis Potulana ab auctore dicta] Locum corruptissimum sic restituo: *Mamertina circa Messanam in Sicilia genita et Iotalina ab auctore dicta;* ut sit sensus: Mamertina a Romanis dicta, eadem in Sicilia genita appellari Iotalina. Athenæus auctor lib. I. *Pintian.*

Mamertino] 'Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta Si detur, quodvis nomen habere potest.' Martialis.

Mecœnatiana] A Mecœnate, Augusti familiari, et fido amico, regio sanguine orto, quod Horatius palam facit. Ejus enim pater Menodorus Cæsaris partes secutus contra Pompeium. Menodori pater Menippus, et hujus Cecinna, rex Hetruscorum. Cilnium vocatum fuisse ostendit Tacitus lib. V. Cæterum Augustus bellis civilibus Cilnium Mecœnatem equestris ordinis cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. *Dalec.*

A Virgilio] Georg. II. 'et quo te carmine dicam, Rhætica?' Admirantis hoc esse Plinius existimat. Seneca vero, incerti, laudaturusne, an vituperaturus sit. Turn. XXIX. 26. *Idem.*

Pinguius] Nigrius et crassius. *Id.*

Quoniam officinam ejus rei fecere tingentes fumo] Exemplar Toletanum,

Quoniam officinam ejus rei fumo tinguentes fecere. Legendum puto, *Quoniam officinas eorum fumo et unguentis infecere.* Nam alibi Plinius vina unguentis condiri tradit. *Pintian.* *Quoniam officinam, &c.*] Vinum id Plato Comicus apud Athenæum καπνίαν vocat: Martialis fumos Massilitanos. Locum, in quo sic condiebantur, Columella Nebularium appellat. *Dalec.*

Quippe etiam aloën mereantur] Ad potum vinum id non parabatur, sed ad usum medicinæ. *Dalec.* Alii *aloën.*

Babiæ] *Balbiæ.* Hermolaus in Dioscoridem Balbina vina eadem esse putat, quæ Athenæus Barbarina vocat. *Idem.*

Trebulanis] Italorum vulgo, *Trebiano.* Idem.

Trifolinis gloriata] Quæ tertio foliorum exortu, nempe tertio anno, ad bibendum tempestiva forent: vulgo, *vin de trois fueilles.* Martial. 'Non sum de primo, fateor, Trifolina Lyæo.' *Idem.*

Incrementum est] Durationis et ætatis tempus, ἡ ἀκμή. *Idem.*

CAP. VII. *Vina transmarina.*

Transmarina] Transmarina Plautus in Pœnulo memorat: 'Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo, Vetustate vino edentulo ætatem irriges.' *Dalec.*

Arvisium vocant] *Arusium.* Turn. XXV. 26. ab agro aspero et importuoso insulæ Chii. Strabo lib. XIV. Virgilius: 'Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.' Quamvis aliqui legant 'Arethusia.' Hujus meminit Clemens Alex. Pædagog. II. 2. Plutarch. adversus Epicurum. Victorius XV. 24. Servius apud Virgil. Georg. II. in his versibus: 'Sunt et Amineæ vites, firmissima vina, Tmolus et assurgit quibus, et rex ipse Phanæus:' notat Lucilio Χῖον οἶνον δυναστὴν vocatum fuisse, tanquam satrapam, eademque forma loquendi Phanæum regem appellari. Tmolus Lydiæ mons Sardibus imminens, Phanæus promontorium in insula Chio, vino nobilissimum. Canterus III. 3. *Idem.*

Nec Tmoliti per se gratia ut vino] Illud prætermittendum non est, Tmoliten et mesogiten idem vinum esse, Plinio diversa, qui paulo post de mesogite tanquam diverso loquitur: subscribit Plinio Strabo l. v. *Pintian.*

Dulci admisto] Τῷ γλυκεῖ, passo. Dalec.

Tribus generibus uvarum ibi nobilissimis, Thasia, æthalo, peuce] Codices omnes, tam antiqui quam impressi, *Thasia* et *alopece* agnoscunt; sed quia præcessit verbum *tribus*, emendatores veterem lectionem inverterunt, ut ex duobus generibus tria facerent vitium genera. Sed satius fuisset, pro *tribus*, *duobus* substituere, cum pauci in Plinio numeri errore vacent, quam ita impudenter vim priscæ lectioni afferre; nam de Æthalo et Peuce nusquam mentio, de alopece vero, sic dicta quod caudas vulpium imitetur, in fine capitis tertii dixerat. *Pintian.*

Æthalo] Æthalo, quasi fuliginosa. *Dalec.*

Peuce] Quasi picea. *Idem.*

Cantharitæ] A Cantharorum doliis. De cantharea vite vide Theophrast. de Causis, II. 12. *Idem.*

Catacecaumenitæ] Quasi *retorrido.* Κατακεκαυμένη regio 500. stad. longitudinis, 400. latitudinis, Mysiæ vicina, exustæ similis, vino generoso celebris, de qua Strabo lib. XIII. et XIV. *Idem.*

Et quod cunctis prætulit Præparentium] Lego *Peparethium*, ex Athenæo primo, ab insula Peparetho. *Pintian.*

CAP. VIII. *De vini salsi generibus septem.*

Bion] Βίαιον Rhodig. XXVI. 8. quod ad vetustatem accelerandam affuso mari cogeretur; marinam enim veteres vinis miscebant, tum ut gratior sapor esset, tum ut celerior et præcocior vetustas contingeret. Maris expers vinum Gal. 12. Meth. ἀταλάχυτον vocat. Hermol. in Diosc. a

æstimatione nomen impositum, quasi violenter fiat. Plant. in Rud. ' Quasi vinis Græcis Neptunus nobis affudit mare. Itaque alvum prodisparavit nobis salsis poculis.' Turneb. xxv. 26. legit *abion*, id est, adynamon. Vini Græci faciendi rationem Cato docet cap. 24. Miscetur et sal, ut vinum incorruptum servet. Colum. xii. 37. apud Horat. ' Chium maris expers.' *Dalec.*

In parte medicinæ] Lib. xxiii. c. 1. *Idem.*

Cui marinam aquam largiorem miscent] Exemplar Toletanum *Coi* legit, non *Cui*, ut intelligas habitatores insulæ Co, nobilis alioqui natalibus Hippocratis. Cui lectioni favere videntur verba illa quæ paulo post sequuntur. *Pintian.*

Tethalassomenon vocant] Oraculum vetus redditum narrant, Dionysium mari demergendum. Athenæus refert Dionysium fulmine Jovis accensum in mare fugisse. Utrunque id vini temperaturam cum aqua marina indicat. *Dalec.*

Super cætera in sole quadriennio maturandum præcipiens] Lego *triduo*, non *quadriennio*. Verba Catonis sunt c. 11. 'Uvas relinquito in vinea, sinito bene coquantur, et ubi pluerit et siccaverit, tunc deligito et ponito in sole biduum aut triduum sub dio, si pluviæ non erunt: si pluvia erit, in tecto in cratibus. *Pintian.*

Rhodium Coo simile est] E Zacyntho præcipue laudabatur. *Dalec.*

CAP. IX. *De dulcium generibus quatuordecim.*

Minus odoratum] Aristot. Problem. iii. 13. et Theoph. Caus. vi. 24. *Idem.*

Colores vinis quatuor: albus] Galeno vinorum colores sunt, λευκὸς, *albus; κιῤῥὸς, fulvus; ἐρυθρὸς, ruber*, sive *sanguineus; ξανθὸς, flavus*, sive *gilvus*, quem idem vocari posse ait πυῤῥὸν ὠχρὸν, *e ruffo pallescentem; μέλας, niger; ὠχρὸς, pallidus*, medius inter album et fulvum, ut fulvus medius est inter album et nigrum. Color κιῤῥὸς annis et vetustate in ξανθὸν transit. *Idem.*

Psythium, &c.] Psythiam vitem eam esse putant, quæ et Pramnia dicitur. Rhod. xix. 15. *Idem.*

Passi genera sunt] Athenæus lib. i. *Dalec.*

Et halyntium in Sicilia] Legendum puto *Alontium* non *halyntium*, ab oppido Siciliæ *Alontio*, Ptolemæo et Plinio: cui tamen *Aleuntium* est non *Alontium*. Pintian.

Sapam appellant] Columel. xii. 19. *sapam* fieri tradit nunc quarta parte consumpta, nunc tertia, nunc dimidia. Vide locum. 'Carenum' sapam Marcellus medicus appellat; vulgo, *Vin cuit;* at defrutum, *Resinée.* Dalec.

Uva terraque constant] Saporis proprietatem ex uvæ terræque natura et conditione obtinent, non hominum industria. *Idem.*

Diutius in vite sole adustis] Passas Græci vocant, πατηθείσας, quasi conculcatas, non quidem quod conculcentur, sed ob resiccationem calcatis similes videantur: qua ratione palmulæ genus πατητὸν supra vocatum est xiii. 4. *Idem.*

Aut fervente oleo] Aut aqua fervente et oleo. Sic Monspessulani, passam uvam dum parant, racemos binos hinc illinc filo ligatos, vitiosis acinis forfice detractis, ferventi lixivio, addito olei paululum, immergunt, quoad flaccescant tantum, et corrugentur: deinde perticis imponunt, ut siccescant, ac post triduum quatriduumve insolant: ut et Columel. docet xii. 6. *Idem.*

Sine sarmentis madefactos, &c.] Columel. xii. 39. Cato cap. 13. 'scorpiones' vocant: Varro i. 54. 'scopos,' nempe uvas cum acinorum detractorum pediculis integras, a scoparum similitudine. Pediculos acinorum in uva Græci vocant κρεμαστῆρας, ficuum πείσματα, pomorum πέλ-

ματα, Palladius 'tenacia.' *Idem.*

Quod Græci aigleuces vocant, hoc est, semper mustum] *Aigleucos* ambo exemplaria, non *aigleuces*, idque magis vero consonum: alioqui si *aigleuces* defenditur, ut sit forma adjectiva, *musteum* erit, non *mustum*, scribendum. Sed vetus lectio magis blanditur. *Pintian.*

Ergo mergunt, &c.] Cato cap. 120. *Dalec.*

Quod vocat dulce, &c.] Nunc *piquardant*, aliis *muscat de Languedoc*. Id.

Diachyton] Columella XII. 27. *Id.*

Uvis in sole siccatis loco, &c.] Uvas sic resiccatas extra vitem, et a suis palmitibus extractas, Græci vocant *θηλοπεδευμένας*. In crate, et super cannas id commode fieri ostendit Colum. XII. 16. Ea voce utitur Dioscorides in vino Myrtite, *οἱ δὲ*, inquit, *προθηλοπεδεύουσιν ἐν ἡλίῳ*. *Idem.*

Melitites] Dioscorides v. 15. 16. *Idem.*

Mustum, &c.] Lixivium *mustum* a Latinis vocari auctor est Rhod. XXVIII. 34. Vide Athenæum lib. I. *Dalec.*

CAP. X. *De deuteriis et secundariis, vini genera tria.*

Quæ Græci deuteria appellant] Deuterias Hesychio *δευτερίας, ὁ μετὰ τὸ ὕδωρ ἐπιχεθῆναι εἰς τὰ στέμφυλα οἶνος.* Turn. Advers. XXVIII. 19. *Idem.*

Cato appellat] Cap. 153. *Idem.*

CAP. XI. *Quæ nuper in Italia generosa vina esse cœperunt.*

CAP. XII. *De vini observatione.*

Posthumia lex est] Posthumia, id est, postrema supremoque vitæ tempore lata. De hujus verbi notione vide apud Gellium XII. 16. Cesellii Vindicis et Sulpitii controversiam. Ut ab extra extumus, a citra citumus, sic fit a post postumus. Canterus II. 10. Vel *postuma*, ab eorum similitudine, qui patre mortuo nascuntur; nam multis annis post ejus interitum Numæ libri reperti sunt Pontificii juris, ac in lucem editi, quibus id jussisse verisimile est. Supra XIII. 13. Scaliger in Catulli versu, 'Ut lex Posthumiæ jubet magistræ,' interpretans 'legem Posthumiæ,' pro 'lege Posthumia' eadem ratione dictum censet, qua urbem Romæ, et herbam lapathi legimus; citansque hunc Plinii locum, vult has leges Numæ *συμποτικὰς* fuisse, non *πολιτικάς*. Qui enim id Numa vetarit, eum ex veteribus auctoribus satis constet, vino rogum respergi? Apparet itaque, inquit, allusum esse ad voluptariorum dicteria, cujusmodi sunt hæc in Epigrammatis Græcis: *Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις στήλαισι χαρίζου, Μηδὲ τὸ πῦρ βρέξῃς· εἰς κενὸν ἡ δαπάνη. Ζῶντί μοι, εἴ τι θέλεις, χάρισαι· τέφρην δὲ μεθύσκων Πηλὸν ποιήσεις, οὐχ' ὁ θανὼν πίεται.* Quanquam, subjungit, in Duodecim scriptum fuit: MURRINAM MORTUO NE INDITO. *Dalec.*

Vino rogum ne respergito] Manibus cum parentabatur, rogum sepulchrumve conversa manu vino respergebant, pocula libabant, effuso vino vasa in ignem mittebant, nigras hostias immolabant. Alexander ab Alexandro v. 26. Quamvis ob inopiam Numa rogum vino aspergi vetuerit, Decemviri tamen, quorum leges interpretati sunt Scævola, Lælius, Capito, ab auctore nominati, vino quovis id fieri permiserunt, præterquam Murrato, quod ex Varrone Festus citat. Pythagoricæ disciplinæ scientissimum regem hoc Symbolo putant vinum iracundis prohibuisse. *Idem.*

CAP. XIII. *Qui vini usus antiquis, et de vinis antiquorum.*

Non licebat id fœminis Romæ bibere] Vide Val. Max. II. 1. Scribit Gellius Romanas mulieres usas in potu laurea, passo, murrhina: quo loco 'lauream' loram esse intelligunt. Grandiores natu fœminas auctor est Varro bibere solitas loram, poscam, defrutum, passum, quod a Plauto dictum volunt Murrhinam. Rhod. XVIII. 37. mulieres Romanas, servos, ephebos

ad annum usque tricesimum, mulieres item Massilienses vino abstinuisse refert idem auctor XXVIII. 5. Apud Gellium Cato in oratore de dote: 'Vir, nisi cum divortium facit, mulieri judex et pro censore est: imperium, quod videtur, habet: si quid perverse tetreque factum est a muliere, multatur: si vinum bibit, si cum alieno viro quid probri fecit, condemnatur,' &c. Lips. I. 13. Apud Nonium Cic. de Rep. lib. III. 'Ita magnam vim habet disciplina verecundiæ. Carent temeto omnes mulieres.' Idem lib. IV. 'Atque etiam si qua erat famosa, ei cognatio osculum non ferebat.' Apud Athenæum lib. X. Polybius scribit, etiam nullo modo fallere potuisse quæ bibissent, cum mos ille mane ipsas osculandi ea de causa sit inventus, et illarum curæ non committeretur cella vinaria. Victorius XXIV. 7. *Dalec.*

Mulierem videri plus vini bibisse] Ea modestia fuit priscorum hominum, ut qui testimonium dicerent, etiamsi referrent quæ vidissent, et certo scirent, ea tamen ἠθικῶς sibi *videri*, νομίζεσθαι δοκεῖν, loquerentur. Idem observatum fuit in Senatusconsultis, quæ ob id δόγματα Græci vocaverunt, in Plebiscitis, et a Judicibus in causarum cognitione, quæ vera esse didicissent, ut ea, non tanquam essent, sed tanquam facta viderentur, pronunciarent. Cujacius Observ. III. 26. Brissonius cap. 22. *Idem.*

L. Papyrius Imperator, &c.] De hoc vide XVII. 11. *Idem.*

Lautissima apud priscos vina erant, myrrhæ odore condita, &c.] Libri veteres legunt, *vina erant miro odore condita*. Sed apud Plaut. Pers. I. 3. mulsum, non vinum, describitur. Vide Salmas. pag. 709. b. Vel sic scripsit Plin. *Lautissima apud priscos erant vina pomorum odore condita, &c.* Salmas. pag. 710. a, b.

Myrrhæ odore condita] Myrrhæ odorem hic τὸ ἄρωμα vocat Colum. XII. 19. Ad prædictum autem modum musti adjici debent hi odores, nardi folium, iris Illyrica, nardum Gallicum. Brod. IV. 20. Vinum sic conditum ἀνθοσμίαν οἶνον, et ἀνθοσμὴν Græci vocabant, ut et Latini veteres vini florem. Ennius: 'Hæc anus admodum Frigutit, nimirum sauciavit se flore Liberi.' *Dalec.*

Scævolam quoque et Lælium et Ateium Capitonem] Lego *Ælium*, non *Lælium*, ex Indice antiquorum codicum et Romanæ etiam impressionis; tres enim hic jurisconsulti memorantur, Scævola, Ælius, Ateius Capito: quorum inter alios Pomponius meminit Jurisconsultus primo Digestorum volumine, titulo de origine juris: verba cujus de hoc Ælio sunt: 'Non post multum temporis spatium Sextus Ælius alias actiones composuit, et librum populo dedit, qui appellatur Jus Ælianum.' Et mox: 'Deinde Sextus Ælius, et frater ejus P. Ælius Aterius, et P. Atilius, maximam scientiam in profitendo habuerunt; et duo Ælii etiam consules fuerunt; Atilius autem a populo primus Sapiens appellatus est. Sextum Ælium etiam Ennius laudavit, et extat illius liber qui inscribitur Tripartita.' Hæc Pomponius. Versus autem Ennii, quo Ælius hic laudatur, a Cicerone affertur prima Tusculana: 'Egregie cordatus homo catus Æliu' Sextus.' Et in Catone Majore idem Cicero hunc Ælium laudat, cujus verba, ut ab inveterata multos jam annos menda asserantur, libuit subtexere: 'Nihil Sextus Æmilius tale, nihil multis annis ante T. Coruncanius, nihil modo P. Crassus, a quibus jura civibus præscribebantur.' Scribendum, 'Sextus Ælius,' non 'Sextus Æmilius.' *Pint.*

Murrhinam] Quidam legunt *murrianum*, alii *murinam*, alii *myrrhinum*. Had. Jun. V. 19. *murrynum*, ἀπὸ τοῦ μύρου, quoniam, ut inquit Ælianus, οἶνον μύρῳ μιγνύντες οὕτως ἔπινον, *vinum odoribus imbutum bibebant*: μυρινί-

νην οἶνον, sive, ut legit Pollux, μυρίνην, Philippides Comicus appellavit: ἦν δέ τις, inquit Pollux, καὶ μυρίνης οἶνος, μύρῳ κεκραμένος· οἱ δὲ τὸν γλυκὺν οὕτως οἴονται κεκλῆσθαι. Sex. Pomp. murinam exponit Græcorum nectar: quibus argumentis fit, ut interpretatio Plinii minus sit probabilis; quamvis Fulgentius laudet; ac præterea, quia ingrato amarore myrrhæ perfusum vinum vix cuiquam placiturum sit. Juvenal. Sat. VI. 'Cum perfusa mero spumant unguenta Falerno.' Martialis: 'Et foliata sitis.' Brod. IV. 4. Est et οἶνος ἀνθοσμίας Xenophonti Ἑλλην. Δ. ac Luciano, idem fortassis cum myrino. Thomas interpretatur εὔοσμον. Brod. V. 26. et 33. Alexand. ab Alexand. III. 11. Scalig. in Theophrast. Caus. IX. 6. murrhinam vocatum censet vinum, quod Romanis fœminis premebatur ex baccis myrti, quoniam myrrha ob amarorem non sit idonea potui, et myrtum ubique Theoph. vocet μύῤῥινον. Murratam potionem Ædiles per supplicationes ad pulvinaria Diis addebant. Duodecim Tabulis cautum erat, ne illa mortuo inderetur. *Murrinam* Græci vocant nectar; mulieres *murriolam;* quidam *murratum vinum;* quidam dictum putant ab uva murrina. Festus. Plauti versus est: 'Bene in strutheis concaleat (mulsum), et calamum injice.' Apud Sutrium Comicum Glycerium: 'Myrinum mihi adfer, quo virilibus armis occurram fortiuscula.' Supplicationibus publicis ad Deorum pulvinaria Ædilium jussu myrinum apponebatur, quos ambrosia et nectare pasci credidit antiquitas. Apud Petronium Arbitrum quidam myrini potu se ad libidinem concitatum fuisse narrat. *Dalec.*

CAP. XIV. *De apothecis, et de vino Opimiano.*

Et diffundi solita vina, &c.] Scribe: *et diffundi solita vina anno DCXXXIII. urbis apparet, in consulatu Opimii, Opimiani vini argumento.* Nam hoc anno urbis consul fuit Opimius. *Salmas.* 467. b. *Et diffundi solita vina, &c.*] Colari, saccari, διαχεῖσθαι, *transvasari, elutriari,* ex cupa in qua per aliquot dies ferbuit, in dolia et cados transfundi, in quibus conditum servabatur, ac unde œnophoris haustum in crateres et pocula fundebatur bibituris: ἠθικὰ Theophrast. Caus. VI. 24. quasi ἠθούμενα vocat. *Dalec.*

Opimiani vini, &c.] L. Opimii Consulis anno omnium vini generum bonitatem laudavit supra cap. 4. hujus libri. *Idem.*

Itaque omnia tunc genita, &c.] Cicero in Bruto: 'Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis Coss. natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anatium Coss. quærat. Atqui hæ notæ sunt optimæ. Credo. Sed nimia vetustas nec habet eam, quam quærimus, suavitatem; nec est jam sane tolerabilis.' *Idem.*

Sicut apparet ex illo Comico versu Anaxipolis Thasii, &c.] Quid ego audio, Anaxipolim Thasium Latinos versus scriptitasse? an forte Græce quidem scripsit, sed togatas fabulas? Alioqui inepte citatur testis, ubi agitur de auctoritate, quæ fuit vinis in Urbe atque Italia. Subjiciam et hic veterem lectionem, quo magis appareat depravatio: *Sic quoque postea diu transmarina, &c. sicut apparet ex illo Comico versu, Quippe Thasii, &c.* non *Quinque, &c.* Gelenius.

Edixerunt, ne quis, &c.] Olim minime liberum fuit cuique negotiatori tanti res suas æstimare quanti vellet, sed quanti censuisset magistratus, cujus censionem ac æstimationem annonam fori vocabant. Apud Terent. Donatus illud, 'scisti uti foro,' sumptum vult a negotiatoribus, qui, quanti vendant, quæ advehunt, non præscribunt, priusquam veniant in commercii locum; sed secundum annonam fori, quam deprehenderint, de vendendis, aut non vendendis merci-

bus consilium capiunt. Ræward. Variorum, III. 17. *Dalec.*

Octonis æris singula, &c.] Sextarius 48. *Idem.*

Congiariorum, &c.] Congius Italici sextarii sex: Congiarius cadus, qui sextarios sex capiebat. *Idem.*

CAP. XV. *De liberalitate Cæsaris in vino.*

In convivia distribuit] Id est, in singula convivia singulos cados, singulasque amphoras. *Convivia* hic vocat certum convivarum numerum una discumbentium, qui fere intra Musarum numerum consistebat, juxta tritum illud proverbium: 'Septem convivium, novem convitium.' *Gelen.*

CAP. XVI. *De vinis factitiis.*

Cum ipsa stipula, &c.] Cum juba, sive phoba. *Dalec.*

Ex loto arbore] Lapsus est memoria Plinius, tum quod citato loco ex fructu loti, Africanæ arboris, vinum tantum fieri dixit mulso simile, quod ultra denos dies non durat, tum quod loti arboris, et herbæ Ægyptiæ, ibi tantum meminit, non autem fruticis. *Idem.*

Dictum est uti quæque fierent] Lib. XIII. cap. 17. arborem vocat Africanam; fruticem, Lotometram; herbam, Ægyptiam. *Idem.*

Maturarum quas vocant chydæas] Lege, *mitiorum quas vocant chydæas:* vocat *mitiores* quæ maturæ sunt, easque vocari chydæas ait, quasi tum viliores. Sic olivæ maturiores pessimæ. *Salmas.* 1326. b. *Maturarum quas vocant chydæas*] E caryotis fieri, non e chydæis, auctor scribit XIII. 4. E chydæis fieri Dioscorides ait. *Dalec.*

Palmiprimum] Hæc vox si integra est, vinum Palmeo bonitate proximum significat. Quidam legunt *carycinum.* Idem.

Pro aqua tantundem, &c.] Pro aqua, cremoris vinaceorum tantundem, Dioscor. lib. V. *ἔνιοι ἀντὶ ὕδατος στεμφύλων ἀπόβρεγμα νεοθλίπτων τὸ ἴσον μέτρον βάλλουσι. Idem.*

Acetum fit præcellens] Aceti Sycitis, id est, ficulnei, parandi modum tradit Columel. XII. 17. *Idem.*

Atque Alexandrino, &c.] Alexandriæ plurima Sycomorus est, cujus e fructu liquor in acetum aëre facile degenerat. Diosc. V. 24. *Idem.*

Et e siliqua Syriaca] Diosc. V. 32. *Idem.*

Nucleis pineis] Idem cap. 44. lib. eod. *Idem.*

Cato] Cap. 126. *Idem.*

Myrtidanum vocant] Myrtidanum Dioscoridi est adnatum myrto tuber, inæquale, verrucosum, concolor, quod manus instar caudicem myrti amplectitur. Ex eo vinum non fit, sed tusum cum vino austero conditur, deinde in pastillos formatur, qui in umbra resiccati efficacius adstringunt, quam myrti et folium, et fructus. Vide infra cap. ultimo 23. Catonem cap. 125. Palladium cap. 2. et Columel. XII. 18. *Idem.*

E napis fit, XII. denariorum pondere] Archetypum Toletanum: *fit duum denariorum:* verbum etiam *pondere* superfluit, ex eodem exemplari. Hermolaus *undecim* defendit ex Dioscoride, nescio quo jure; nam Dioscoridis verba libro quinto mire cum verbis emendatissimi exemplaris faciunt: 'Tundito,' inquit, 'naporum drachmas duas,' &c. Porro idem esse pondus drachmæ et denarii, in aperto est apud omnes. *Pintian.*

Ex rosæ foliis tusis in, &c.] Legend. *Ex rosæ foliis tusis in linteolo in mustum chalatis cum ponduscule, ut sidat, CCL. denariorum pondere in sextarios vicenos musti, nec ante tres menses vase aperto.* Nam minæ sive centum denariorum pondus in sextarios octo, requirit duas minas in sedecim, duas et *ἡμίμναιον* in vicenos. Male vulgo, *XL. denariorum.* Sed nec recte *colatis.* Scripsi *chalatis,* id est, demissis; quod verbum apud Vegetium, ut et 'chalatorios funes,' eruit Turnebus. Vide Gronov. de Sestert. 193.

In mustum] In Hyssopite id Dioscorides. *Dalec.*

Nec ante tres menses vase aperto] Ut defæcatum vinum transfundatur. Diosc. *Idem.*

Aromatiten quoque, &c.] Palladius in Octobri cap. 14. Dioscor. lib. v. Colum. lib. xii. Athen. lib. i. *τρίμμα* vocari scribit. *Idem.*

Pipere et melle addito] Hunc tertium modum non describit Diosc. *Id.*

Radice ponderis, &c.] Lege, *radice ponderis V. denariorum in sextarios XXXVI. musti addita.* Gronov. de Sestert. p. 194. *Radice ponderis XL. denariorum in sextarios sex musti addita*] Scribe, *radice ponderis V. denariorum.* Dioscorides: 'Conficitur et nectarites dictum vinum ex helenio herba, quam alii a gente Medicam, alii symphyton, alii verbascon Idæon, alii orestion, alii nectarion appellant. Sumito helenii radicis siccatæ drachmas quinque, colligatasque in linteolo in musti congios sex demittito,' &c. *Pintian.*

Scopis] Manualibus fasciculis. *Dal.*

Cato docet] Cap. 115. Cæterum serendum veratrum esse non scribit, verum ejus radicis fasciculos tres circa vitis ablaqueatæ radicem defodiendos. Dioscorides ex plantæ radicibus musto immissis elleboritem et scammonitem parat. *Idem.*

Saporem alienum, &c.] Non saporem tantum, sed etiam vires. Dioscor. v. 77. *Idem.*

Aut cucumis silvester aut scammonea] Scribe *scammonia*, non *scammonea;* unde *scammonites vinum* paulo ante: semper autem per iota in penultima invenies in Plinio, Dioscoride, Paulo, Galeno, reliquis. *Pintian.*

Cedri utriusque] Negligenter Plinius de utraque cedro id scribit, cum de cedrino ex oxycedri baccis parato, et cedrite ex cedrya confecto, id scribat Dioscor. *Dalec.*

Decem denariorum pondere addito] Diosc. hanc vini et materiæ, quæ injicitur, portionem docet cap. De vino ex Chamelæa. *Dalec.*

Cap. xvii. *De hydromelite et oxymelite.*

Cap. xviii. *Prodigiosa genera vini.*

Sunt et in vino prodigia] Theophrastus Hist. ix. 19. *Idem.*

In Arcadia fieri] Apud Heracleam. Theophrast. Hist. ix. 20. Athen. lib. i. *Idem.*

Caryniam, &c.] *Cabineam* Theoph. *Ceryniam* Athenæo. Addidit Theophrastus, canibus, si uvas gustaverint, etiam catulos elidi. Victorius vii. 23. *Dalec.*

Thasios duo genera vini diversa facere proditur] Verior lectio ejusdem exemplaris, *Thasos duo genera, &c.* ut insulam intelligas, non insulares. *Pintian.*

Therince vocatur] Vide infra xxiii. 1. et Palladium in Februario, c. 28. *Dalec.*

Aspendios] Quidam sic dictam interpretantur ab Aspendo urbe Pamphyliæ. Lego *aspendos*, vel *aspendios*, a particula privationis Græca *α*, et verbo *σπένδειν*, *libare;* ut uva sit, cujus vino Diis libare nefas est. *Idem.*

Vina in apothecis Canis, &c.] Hesiodus tamen vinum tum esse optimum scribit, Τῆμος πιόταταί τ' αἶγες, καὶ οἶνος ἄριστος, ut interpres, quoniam τότε ἤδη κεκραμένος, τὰς μεταβολὰς ὡρῶν ἐκφυγὼν, καθ' ἃς ἦν κίνδυνος τραπῆναι. Ea de causa sub Canis ortum veteres largius bibendum præceperunt; non tantum quod ingens æstus sitibundos ad potum invitet. Theognis: Ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι οἵτινες οἶνον Μὴ πίνουσ' ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου. Alcæus: Θέρους δὲ τέγγε πλεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Brod. iii. 20. Magius i. 18. *Idem.*

Cap. xix. *Quibus vinis ad sacra uti fas non sit, et quibus generibus musta condiantur.*

Prolibare Diis nefastum habetur vino præter imputata vitis] In Toletano exemplari distincte legitur, *nefas tum*

habetur. Ergo duo illa verba, *tum* et *præter*, falso adjecta puto, ut capite duodecimo: 'Eadem lege ex imputata vite libari vina Diis nefas statuit:' nam quod ait Hermolaus, *præterimputatæ* unam esse dictionem, mihi non fit verisimile. *Pintian.*

Vina] Spurca hæc vina Pontifices appellabant. *Dalec.*

Hominis mors laqueo pependerit] Mortui laqueus, vel homo mortuus. *Idem.*

Circumcisis, &c.] Tortivo. *Idem.*

Calce] Condiri etiam vina gypso et calce, vide XXIII. 1. *Idem.*

Rabulana pice] Lego *radulana*, tam sicca ut radi possit; nam, ut ait Columel. XII. 20. quanto vetustior, tanto melior. Idem auctor *rasim*, lego *rasilem*, vocat, ξεστήν. Quidam *Rhætica* legunt. Eam certe Constantinus in Geoponicis maxime laudat. *Idem.*

Ad sapas musta] Vinum id γλύτρον vocat Athenæus lib. I. *Idem.*

CAP. XX. *De picis generibus, et resinis et mustis condiendis, et de aceto, et fæce.*

Resinis, &c.] De resina et pice vide XVI. 11. et 12. et XXIII. 1. et XXIV. 6. *Dalec.*

Arborum succo manantium picem resinamque, aliæ ortæ in oriente] Verbum illud *ortæ* proculdubio depravatum est. Exemplar Toletanum *aetæ* legit, non *ortæ*: puto scribendum *Asiæ*, quia sequitur statim: 'Quæ interest Asia utrinque quasdam habet.' Verior lectio *utramque*, quam *utrinque*; hoc est, Asiam Orientalem et Europam. *Pintian.*

Quam et mastichen vocant] Plinius falso mastichen resinis liquidis annumerat. *Dalec.*

Liquidam omnes, &c.] Idem etiam e lentisco resinam liquidam fluere tradit XXIV. 6. quod tamen usus falsum esse monstrat. *Idem.*

Colophonia, &c.] Colophoniacam vocat et Celsus v. 18. *Idem.*

Creta figlinarum] Cretam figularem vocat Celsus v. 1. *Idem.*

Pudeique confiteri, &c.] Καταπιττοῦν id Græci vocabant. Clemens Alexand, Pædag. III. 3. de Cynædorum impura infamique mollitie: Διὰ τούτους γοῦν πλήρεις αἱ πόλεις πιττούντων, ξυρούντων, παρατιλλόντων τοὺς θηλυδρίας τούτους. Qui sic vulsi et glabri forent πιττοκοπημένοι eidem dicuntur. Fuit et καταπιττοῦν tormenti genus, cum ferventi pice instillata corpora hominum urebantur. Lucretius: 'Verbera, carnifices, robur, pix, lumina, tædæ.' Plautus in Capt. 'Atra biliis agitat hominem. B. At pol, te, si hic sapiat senex, Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat.' Victorius VIII. 18. Visco quoque pilos avelli solitos monstrant hi versus Juvenalis: 'nullus tota nitor in cute, qualem Præstabat calidi circumlita fascia visci.' De hac re plura Had. Jun. de Coma. Idem Poëta: 'quid enim resinata juventus, Cruraque totius facient tibi lævia gentis?' Philostratus in Vitis, de Scopeliano, ὡς οὐκ ἐκδεδωκὼς ἑαυτὸν πίττῃ καὶ παρατιλτρίαις. Theopompus apud Athenæum narrat, omnes barbaros, qui ad Occidentem habitant, picari et radi; apud Thuscos multas esse ad eam rem institutas officinas, quas adeunt, et peritis artificibus radendos ac picandos se præbent, nulla prorsus verecundia, si quis foris intueatur, vel, dum hoc fit, interveniat. 'Evirationem' pilorum eam vulsuram auctor vocat XXIX. 1. Palladius in Octobri cap. 14. *Dalec.*

Crudo flore resinæ] Coquendi in aqua ejusdem floris rationem vide XVI. 11. *Idem.*

Crapula compesci, &c.] Crapula resina, resinæve coctus flos, qui pro condimento vino immiscetur, sic dicta quod vinum resinatum, novitium præsertim, caput tentet. XVI. 11. et XXIII. 1. Confecturam tradit Dioscorides v. 38. *Idem.*

Liguriæ maxime circumpadanisque mustis utilitas discernitur] Addit codex Salmanticens. verbum *crapulæ: Utilitas crapulæ discernitur*. Pintian.

Alia, &c.] Vel musta condienda, vel mustorum condimenta. *Dalec.*

Vappæque accipit nomen] Οἶνον παρατρέπεσθαι, *vappescere*, vulgo *se tourner*, εἰς ὀξίνην μεταπεσεῖν, ὀξύνεσθαι dicunt, *s'enaigrir*. Chrysost. οἴνου μὲν ἀρετῆς βλάβη τὸ παρατραπῆναι, καὶ εἰς ὀξίνην μεταπεσεῖν. Ἀχρήστους homines etiam Græci ὀξίνας dicunt, quasi corrupta vina. Aristophanes in Equitibus: Ἄνδρα μοχθηρὸν πολίτην, ὀξίνην, ὑπέρβολον. Idem: Ἐμαχόμεθ' αὐτοῖσι θυμὸν ὀξίνην πεπωκότες. Inde Græcis οἶνος τροπίας, καὶ ἐκτροπίας, *vinum mutatum*, fugiens, in vappam aut acetum degenerans et exolescens, quod ætati cedit. Horatius: 'Ac nisi mutatum parcit defundere vinum.' Turn. I. 1. VII. 9. XX. 18. *Idem.*

Amara et arida] Non *arida* uterque codex habet, sed *avida*; ut legendum forte sit *uvida*, aut *mucida*, ut infra patebit. *Pintian.*

Supra dicta] Amarorem, ariditatem, gravem odorem. *Dalec.*

Acore jucundo] Quoniam in cortinas æneas conjecta aceto spissatur. *Idem.*

Asia picem Idæam maxime probat] Hermolaus pro *Indicam*, ut prius legebatur, *Idicam* substituit, id est, montis Idæ: melius qui *Idæam* emendat; nam picem Idæam et summus poëta celebrat Georg. III. 'Idæasque pices et pingues unguine ceras.' Idicus vero possessivum ab Ida nusquam (quod recorder) legi. Exemplar quoque Toletanum *Idæam* habet, non *Indicam*. Pintian.

Nigram mastichen] Nigræ mastichis supra meminit XII. 17. *Dalec.*

Nam ceram accipientibus, &c.] In picandis doliis ceram pici admisceri solitam scribit Palladius cap. 11. Septembris. Adjecta cera ampliore vina vappescere scribit VI. 5. et 7. et fortassis hic legendum *vappescere*. Dalec.

Cineris lixivii, &c.] Sic auctor vocat κονίαν σταχτὴν Græcorum, nempe *liquidum lixivium*; nam calce addita cum cinere quolibet, lixivium id aut πρωτόστακτος, aut στακτὴ ἀπηθημένη vocabatur, quasi excolatum lixivium. *Idem.*

Pulegii vel salis sesquilibra] Utrumque scriptum exemplar *culeum* agnoscit, non *pulegii*, verissima lectione, ex Catone ipso cap. 23. 'Si opus,' inquit, 'erit, defrutum indito, cineris lixivio cocti partem quadragesimam addito, defruti vel salis sesquilibram in culeum indito.' *Pintian.*

Et adjici mustis tingendi gratia coloris] Ambo codices non *adjici mustis* legunt, sed *adjicimus*: scribo cum majore litera in initio: *Et adjici mos tingendi gratia colores*; nam Toletanum archetypum *colores* legit, non *coloris*. Idem.

Et miramur noxium esse] Vetus lectio *noxiam* habet, hoc est, damnum. *Idem.*

Mucescere aut in acetum verti] Proprium verbum id usurpatur de pane, carne, et aliis id genus, quæ diutinò situ lanuginem contrahunt, cum quadam graveolentia. In vino mucôrem nos intelligimus saporem evanidum et obsoletum, cum odore ingrato, vulgo *vin poussé*. Dalec.

CAP. XXI. *De cellis vinariis.*

Mirum dictu, &c.] Æque mirum quod prodit Arist. in Arcadia vinum ἀναξηραίνεσθαι ὑπὸ τοῦ καπνοῦ ἐν τοῖς ἀσκοῖς, ὥστε ξυόμενον πίνεσθαι. Rhod. XXVIII. 26. Virgil. Georg. III. 'cæduntque securibus humida vina.' Vide Brod. V. 31. *Dalec.*

Non gelascit] Vide apud Macrobium Saturn. lib. VII. causam, cur vinum et acetum non gelascant. *Idem.*

Aut ad proportionem situs] Nam calidiore cœlo, tota sub dio relinquuntur; frigidiore, tota defodiuntur; medio, partim abduntur terra, partim

cœlo permittuntur. *Idem.*

Obverti in Aquilonem oportere] Vitruvius I. 4. *Idem.*

Addita mastiche ac pice. Bruma aperiri vetant] Exemplar Salmanticense non *Bruma* legit, sed *Brutia*; quare alia distinctione legendum erit: *addita mastiche ac pice Brutia. Aperiri vetant, &c.* De pice Brutia Plinius XVI. 12. Dioscorides primo, Heton Græcus auctor septimo. *Pintian.*

Flos vini candidus probatur] Flos vini, odor, fragrantia. Plaut. in Curcul. 'Flos veteris vini naribus objectus est meis.' *Flos vini, ἀνθοσμίας οἶνος*, vinum optimum, et odoris jucundissimi. Festus: 'Florem anclabant Liberi e carchesiis.' Plaut. in Cistellaria: 'Quippe ubi linguam percussi flore Liberi.' Flos vini, tenuis spuma in summo innatans. Turn. XXIX. 34. Cæcilius apud Nonium, in 'Flores,' tria hæc numerat, florem, floces, id est, fæcem, et vinum: 'Ego,' inquit, 'neque florem, neque floces volo: mihi vinum volo.' *Dalec.*

Odoremque trahere] Alium, quam suum et nativum. *Idem.*

Fumum excipere] Qui permixtus sapæ eam corrumpere potest. *Idem.*

Verberari Sole] Ulpiano proprie verberatur, quod anima præditum verbere feritur cum doloris sensu: pulsatur, quod anima carens ictu crebro percutitur, ut lana, janua. Alex. ab Alex. III. 19. *Idem.*

CAP. XXII. *De vitanda ebrietate.*

In nulla parte operosior vita est] Eubulus primum cratera sanitati, secundum voluptati et amori, tertium somno, quartum injuriæ dicat. Panyasis vero primum Gratiis, Horis, Dionysio; secundum Veneri, ac rursum Dionysio; tertium injuriæ. Athenæus.

At nos vinum bibere, &c.] Hector apud Homerum Il. Θ. sic equos suos alloquitur: Νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον, ἣν μάλα πολλὴν Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος, Ὑμῖν πὰρ προτέροισι, μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν, Οἶνόν τ' ἐγκεράσασα πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι, Ἢ ἐμοὶ, ὅσπερ οἱ θαλερὸς πόσις εὔχομαι εἶναι. Vide VIII. 44. *Dalec.*

Sacco frangimus vires] Vinum sacco castratum, σεσακκισμένον, τῷ σάκκῳ ἐξευνουχιζόμενον, καὶ ἀποθηλυνόμενον, ἠθικὸν, Theoph. Causs. VI. 24. vocat: alii διηθικὸν, *colatum, saccatum*, ἀπὸ τοῦ ἠθεῖν. Cic. II. de Finibus, 'Quibus vinum defusum e pleno sit: hir sipho, ut ait Lucilius, cui nihil demsit, nil vires sacculus abstulit.' Nempe vinum integerrimum, quod nec siphone depletum est, nec vola manus, hic id significat, pitissatum. Hic sipho tubulus est, quo vinum exugitur, alias vero, γευστρὶς, veteri glossario. Meraria, sive gustatorium eidem, γευστρίδιον vasculum, quo in caupona vinum gustatur, tenui fistula, angustove collo. Inde 'simpo' veteribus Latinis, et a simpone 'simpulum.' Scalig. Vide XXXV. 12. Huc pertinet quæstio apud Plutarchum in Sympos. VII. 6. An colandum vinum sit. *Idem.*

Pumicis farinam] Vide quæ ex Theophrasto refert XXXVI. 21. *Idem.*

Pudet docere] Ut de Cosso tradit Seneca Epist. XII. 84. *Idem.*

Balineis coqui videmus] Cruditatem, ex pridiana temulentia infestam, balneo coquere, et in eo tantum perdurare, tantumque sudare, ut animus deficiat. *Idem.*

Lectum expectare non posse] Sed in mensa obdormiscere. Theophrast. Hist. IX. 18. *Idem.*

Nec tunicam] E lecto surgentes. *Idem.*

Peregrinæ exercitationes] Halterum, luctæ, saltus, pugilatus, &c. *Idem.*

Volutatio in cœno] Pulvere palæstritarum, quem ἀφὴν vocaverunt. Aqueus hæc omnia refert ad inhonestas et indecoras poculis certantium inter bibendum leges et gesticulationes: *cervicemque repandam*, curvam interpretatur, nervis temulentia de-

bilitatis, quod mihi non placet. Prolixe locum hunc enarrat Rhod. VII. 26. *Dalec.*

Præmio invitatur ebrietas] Apud Flavium Vopiscum Aurelianus suos phagones, sive comedones et bibones habuit. Vide apud Eras. proverb. 'Edax currus.' *Idem.*

Et si Diis placet, emitur alius ut quantum biberit, tantum edat] Scribe diversa interpunctione, *et si Diis placet emitur*; quæ prioribus annectenda sunt: deinde sequitur cum majore litera: *Alius ut quantum biberit, tantum edat, &c.* Pintian.

Alius quantum alea quæsierit, &c.] Tot haurit pocula, quot imperat modiperator, sive convivii magister et dominus, vel, ut aiunt Græci, βασιλεὺς, talorum sorte eam præfecturam adeptus; de quo Macrobius, Cicero, Plato in Legibus. 'Nec regna vini sortiere talis,' inquit Horat. Ego vero puto accusari perditos mores eorum, qui statim ab alea competarent, ut quantum lucrati essent, tantum in convivia prodigeretur, omneque vitæ tempus in alea et bibendo periret. Vide et Rhod. XXVIII. 6. Insignis est de hoc vitio, ac perverso illo vitæ genere, Senecæ Epistola CXXIII. *Dalec.*

Vulgoque veritas jam attributa vino est] Inde natum proverbium: 'Vinum cum pueritia, et sine pueritia veridicum.' Sub Tiberio Cæsare, cum vigeret accusandi publica rabies, exceptum quoque fuisse ebriorum sermonem, Senecæ de Beneficiis tradit. *Idem.*

Solem orientem non vident] Smindrydes Sybarita, luxu et opibus diffluens, id sibi contigisse annis plus minus viginti gloriabatur. Idem et Hestieus Ponticus, sed honesta causa, cum studiis operam daret tota fere vita. Rhod. XI. 13. ex Athenæo lib. VI. *Idem.*

Oculorum hulcera] Iidemque et πελιδνοὶ, et κυλοιδιῶντες, lividi, et circa cavum tumidi, quod et amantibus et melancholicis contingit. Theocritus: οἱ δ' ὑπ' ἔρωτος Αἰθὰ κυλοιδιόωντες ἀνὸ... σια μοχθίζοντι. *Idem.*

Libido portentosa] Veneris imaginarium somnium. *Idem.*

Ex ore halitus cadi] Apud Ulpianum Trebatius ait non esse morbosum os olere alicui, ut lurcosum et raponem; hoc enim ex ingluvie oris accidere, nempe ἐκ τῆς ἀδηφαγίας καὶ πολυποσίας. Quidam legunt, *ut hircosum et strabonem*; hoc enim ex illuvie oris. *Scalig.* Vide quod notatum XI. 58. *Dalec.*

Tribus congiis] Id est, libris triginta. Hemina libram pendit; sextarius 2. congius 10. urna 40. amphora 80. culeus 1600. Vel, hemina libram; sextarius heminas duas; congius sextarios quinque; urna congios quatuor; amphora urnas duas; culeus amphoras quatuor. Rhod. XXIX. 1. *Idem.*

Uno impetu] 'Αμυστί. Sic Diotimum Atheniensem χῶνα vocarunt, quoniam infundibulo ori apposito vinum affusum perpetuo biberet: sic Xenarchum Rhodium Metreten. Aureliani Phago uno die aprum integrum absumebat, vervecem, porcellum, panes centum, vini plus orca. Rhodig. XXIX. 1. Idem auctor, c. 7. lib. ejusdem, Heraclidem Pycten voracissimum et bibacissimum memorat. *Id.*

Tiberio Claudio principe, in senecta jam severo] Scribendum opinor *sobrio*, non *severo*; nam sequitur mox: 'Sed ipsa juventa ad merum pronior fuerat.' Verba autem illa, *atque etiam alias sævo*, invectitia esse existimo. *Pintian.*

Ad merum pronior fuerat] Quare per jocum quidam eum 'Biberium Meronem' pro Tiberio Nerone vocaverunt. *Dalec.*

L. Pisonem urbis Rom. curæ, &c.] Hoc est, ad curam. Præfectus urbis creatus est, non curator: et præfecturam circumloqui libuit. *Gelen.*

Regenerasse, &c.] Repræsentasse. Vide Sueton. cap. 42. in Tiberio. Druso huic Cæsari fastiditum caulium delicatiorem tenerioremque cauliculum, neque id sine castigatione Tiberii patris, dicit infra XIX. 8. *Dalec.*

Hæc ars suis legibus constat] De iis legibus potoriis vide Ciceronem ultima Tusculana. *Idem.*

Non respirasse in hauriendo] Hoc paulo ante dixit *uno impetu; ἀμυστὶ* et ἀπνευστὶ Græci; unde ἀμυστίζειν quomodo Dion scribit Commodum in theatro feras ex alto jaculis impetentem dulce vinum bibere solitum acclamante populo ζήσειας. *Idem.*

Ad elidendum in pavimentis] Eum morem indicat Horatius his versibus: 'Absumet hæres Cæcuba dignior, Centum servata clavibus, et mero Tinget pavimentum superbo, Pontificum potiore cœnis.' Vide Rhod. XXVIII. 5. ἀποκοτταβίζειν id Græci dicunt. *Idem.*

M. Antonio] Is, teste Paterculo, hedera redimitus, aurea corona tectus, cothurnos indutus, curru vectus, Liberum patrem vocari se jussit. Cum ergo sic Athenienses salutassent, ac ut Minervam suam in matrimonium duceret, rogarent, ducturum is ait, sed dotis nomine imperare se mille talenta. Imitatus est tantam insaniam et Caligula, et Commodus, Antigono et Mithridate jam antea Dionysii et cultum et nomen usurpare ausis. Had. Jun. v. 1. Seneca Suasoria I. *Idem.*

Per Gallias Hispaniasque] Vide infra lib. XXII. cap. ult. *Dalec.*

E fruge, &c.] Hordeo, tritico, avena, olyra. Cassianus in Geoponicis lib. VI. ex Leontio. Columel. 'Ut Pelusiaci proritet pocula zythi.' Vide infra loco proxime citato. *Idem.*

Aqua quoque inebriaret] Nationes, quibus familiaris est potus ejusmodi, illo inebriari testantur Leontius apud Cassianum in Geoponicis, Dioscorides, qui zytho et curmi cerebrum tentari, excitarique dolorem capitis ait, Dion Academicus, qui Ægyptios hordeaceo potu exhilaratos cantare et saltare temulentos scribit, Arist. de Temulentia, qui scribit, zytho ebrios, quoniam id potionis genus καρωτικὸν est, in dorsum supinos cadere, ac reclinari, *μόνους τῷ πίνῳ μέθυσθέντας εἰς τὸ ὕπτιον καὶ ὑπτίους κλίνεσθαι, vino autem madidos in faciem pronos ferri.* Virg. de Septentrionalibus populis, his versibus: 'Hic noctem ludo ducunt, et pocula læti Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis.' Had. Jun. II. 12. Scythæ herbarum quarundam vapore, dum uruntur, Thraces quorundam seminum, inebriantur, et veluti temulenti jacent; Babylonii quarundam arborum fructu prunis injecto; Indi succo arundinis saccharatæ. Alex. ab Alex. III. 11. Elegantes hi sunt Lucilii versus apud Nonium de vinosis, in Invito: 'Scito enim bene longinquam mortalibu' morbum In vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.' Quos etiam supra adduximus. *Idem.*

Duo sunt liquores, &c.] Alludit ad Pollionis Romuli festivum responsum, cujus meminit infra XXII. 24. *Idem.*

LIBER XV.

Cap. i. *Naturæ frugiferarum arborum.*

Nisi intra XL. M. pass. a mari nasci, &c.] Videtur legendum *LX.* non *XL.* ex Columella v. 6. 'Hanc,' inquit, 'arborem plerique existimant ultra miliarium LX. a mari aut non vivere aut non esse feracem.' Sed in Columella vitium est, non in Plinio, ostendit id Theophrast. vi. 1. scribens, spatium a mari esse CCC. stadia, quæ colligunt miliaria fere XL. *Pintian.*

Quæ nunc pervenit trans Alpes quoque] Legendum, ut sentio, *provenit*, non *pervenit*. Idem.

Appio Claudio Cæci nepote, L. Junio consulibus, olei libræ duodenæ assibus veniere, et mox anno DCLXXX. M. Seius, L. F. ædilis curulis olei denas libras singulis assibus præstitit] Hæc verba si quis accurate expendat et conferat inter se, deprehendet comparari summam olei caritatem summæ vilitati: quapropter liquet evidenter legendum non *duodenæ*, sed *duodenis*: et mox legere mallem, *duodenas libras*, quam *olei denas libras*. Idem.

Ædilis curulis olei denas, &c.] Annonæ dispensationem penes Ædiles fuisse monstrat hic locus Livii lib. x. 'Caritas etiam annonæ solicitam civitatem habuit, ventumque ad inopiæ ultimum foret, ut scripsere, quibus Ædilem fuisse anno Fabium Maximum placuit, ni ejus viri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonæ dispensatione, comparando ac convehendo frumento fuisset.' Rævard. Varior. iii. 17. *Dalec.*

Genera earum tria dixit Virgilius, Orchites, et radios et pausias] Virgilius *orchades* appellat, non *orchites*, Georg. ii. 86. 'Orchades, et radii, et amara pausia bacca:' at capite septimo Cato *orchites*. Varro quoque de Re Rustica i. 24. *orchites*: item Columella libro de arboribus cap. 17. Rursus Macrobius cum Virgilio *orchades*, Saturn. iv. *Pintian.*

Arsque vel major oleum quam musta temperandi] In exemplari Toletano, *Arsque vel major olei musta temperandi;* verbum enim *quam* neutrum exemplar agnoscit; appellat vero *olei musta*, oleum recens. *Idem.*

Nondum inchoatæ maturitatis] Omphacinum. Viride Catoni cap. 65. *Dalec.*

Ut nuper inventum est] Exilibus regulis sampsa inclusa. Columel. xii. 50. 'Postea resolutis corticulis moli debebunt, adjectis binis sextariis integri salis in singulos modios; et aut regulis, si consuetudo erit regionis, aut certe novis fiscinis sampsa exprimi.' *Idem.*

Cap. ii. *De oleo.*

Cap. iii. *De natura olivæ, et oleæ incipientis.*

Docuimus] Lib. xii. cap. 27. *Dalec.*

Augetur oleum ab Arcturi exortu ad XVI. Calendas Octobris] Ambo exemplaria: *Augetur oleum ad Arcturi exortum, ad XVI. &c.* verissima lectione, et quæ patrono fulciatur Theophrasto. Erit ergo *ad Arcturi exortum*, ad tempus usque quo exoritur Arcturus, quod est 16. Calendas Octobris. Theophrastus libro primo de Causis Plantarum cap. vigesimo-ter-

tio: 'Nonnullis quodam tempore post copia largior data, ut olivis post Arcturi exortum: ad id enim temporis usque oleum augescere creditur: postea carnis incrementum succedit.' *Pintian.*

Cum sitienti imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam] Nihil de hac siti Theophrastus, a quo Plinius hæc omissa hausit, ut ipse manifestum facit mox paulo illum citans: quare ita ego legendum censuerim: *Quid si etiam imbres copiosi accessere,* &c. Theophrastus de Causis Plant. I. 23. 'Postea carnis incrementum succedit, et si imbres copiosi accessere, oleum in amurcam deterius redditur.' *Idem.*

Vitiatur oleum in amurcam] Oleum deterius redditur et amurcæ plus habet. Theoph. Causs. I. 23. *Dalec.*

Ergo tum maxime rigantur. Quod ubi cura multa sive imbribus accidit] Scribe: *Quod ubi cura, multisve imbribus accidit,* ex exemplari Toletano. Præterea transpositio hujus particulæ *ubi* sensum elegantem perdit. Lego igitur: *Ergo tum maxime ubi rigantur, quod cura,* &c. Theophrastus loco citato: 'Enimvero si calor vehementior sit, non eodem fungi officio potest, sed velut alienus et adjectitius quidam deficit, vimque omnem succi impellens ad carnem, corpus tantummodo crescere cogit, quod etiam æstate ac hieme imbrium accessu et aquis scaturientibus accidit incrementi tempore; caro enim crescit, atque ita oleum alimenti nimietate absumitur, nisi secuta serenitas corpus exsiccet atque extenuet; sic enim servari.' *Pintian.*

Theophrasto placet] Loco citato. *Dalec.*

In torcularibus] Cato c. 65. *Idem.*

Anni damno] Theoph. loco citato. *Dalec.*

Olivantibus] Olivas colligentibus. *Idem.*

Prima ergo ab, &c.] Columellæ olivarum decem genera, pausia, licinia, sergia, sive regia, radius, nevia, culminia, cominia Plinio, orchites, algiana, murtea, circites, contia Plinio. *Idem.*

Cominia] Varro I. 24. *colminia;* Cato cap. 6. *colmiana;* Columella XII. 48. *culminea;* Palladius III. 18. et codices scripti *cominia* cum Plinio. *Pintian.*

Accedere etiam ratio pravitati videtur] *Parvitati* legerem potius quam *pravitati,* quia præcessit paulo ante *minimæ,* Idem. *Accedere etiam ratio,* &c.] Prave judicantium hominum opinioni. *Dalec.*

Frigore, &c.] Exactæ hiemis, qua memorata olivarum genera non colliguntur. *Idem.*

Similis error] Cato c. 64. *Idem.*

Phauliæ] Tales afferuntur ex Hispania et Africa. *Dalec.*

Præferuntur] Ob magnitudinem. *Idem.*

Herbarumque, &c.] Præcipue fœniculi, in Narbonensi Gallia. *Idem.*

Olivas bibere] In maturitate acerbas. *Idem.*

Per se, &c.] Nulla conditura. *Idem.*

Oleum ipsum, &c.] Ne concrescat et spissetur supra modum. *Idem.*

Palati gratia nulla est] Palatum, vini modo, non aliquo eximio insignique sapore, titillat ac invitat, oleosa sua lenitate solagratum. *Idem.*

Tribus ut plurimum, &c.] Prima, secunda, et tertia pressura. Columella. *Dalec.*

CAP. IV. *De natura olei.*

Magistratus, &c.] Qui gymnasiis præsunt. *Idem.*

CAP. V. *De cultura olivarum.*

Turmas equitum Idibus, &c.] Quintus Fabius Rutilianus, equites Romanos equis insidentes, et olea coronatos, Idibus Quintilibus ab æde honoris in Capitolium transire, et transvehi, statuit, ordinis ejus recognoscendi et probandi gratia. 'Augustus,' inquit Suetonius, 'turmas equitum

frequenter recognovit post longam intercapedinem reducto more transvectionis; sed neque detrahi quenquam in transvehendo ab accusatore passus est, quod fieri solebat,' &c. Atque id est, quod Ulpianus ait, eum, qui equo publico in Capitolium transvehitur, in jus vocari non posse. Alia fuit equitum porro censio, de qua fuse Rævardus II. 15. Var. Just. Lips. de Milit. Rom. lib. I. dial. 5. *Idem.*

Oleastro Olympiæ] Theocriti interpres et Aristophanis, Aristoteles in Pantho Callistephani oleæ ramis, non oleastri, coronatos fuisse tradunt. Ejus autem folia extra, non intus, candicare; ramos esse myrto similes; plantatam eam ab Hercule in Olympia. Rhod. XII. 19. Olympicorum certaminum initia et progressus fuse docet ex Pausania idem auctor XIII. 17. Atheniensium duces ad bellum profecturos fronde ex olea sacra sumpta coronari solitos scribit Alex. ab Alex. III. 3. *Idem.*

Catonis placita de olivis] Cap. 6. *Idem.*

Vitiari, &c.] Nequam esse hostum, id est, fructum. Cato. *Dalec.*

Nec alio ullo modo laudat] Hæc fere omnia Cato a cap. 64. ad cap. 69. *Dalec.* *Nec ullo alio modo laudat*] Hæc verba præcedenti capiti annectenda esse recte monet doctissimus Fulvius Ursinus super Varr. de R. R. pag. 41. et 60.

CAP. VI. *De servandis olivis, et quomodo faciendum oleum.*

Condi olivas] Cato cap. 117. *Dalec.*

Pausias] Ad verbum hæc Varro I. 60. *Idem.*

Fracibus] *Fragibus* vet. a frangendo, tanquam fragmentis. Eæ sunt reliquiæ fractarum ac contusarum trapetis olivarum; unde fracescere, seu fragescere, apud Catonem et Nonium ex Accio. Turn. XXVIII. 7. *Idem.*

Quare sæpius die decapulandum] Archetypum Toletanum non *decapulandum* habet, sed *crapulandum*; Salmanticense, *copulandum*. Scribo *capulandum*; unde dicti 'capulatores.' Cato cap. 67. 'Ligna in torculario ne cedant, oleum frequenter capulent.' 'Decapulo' verbum nusquam, quod meminerim, legi; quamobrem Hermolaus, qui in Lexico Plinianarum castigationum id agnoscit, et post Hermolaum alii, quibus vel Hermolai auctoritas, vel vitiosum Plinii exemplar imposuit, ubi id legerint, ipsi rationem reddant. *Pint.* *Quare sæpius die decapulandum*] Decapulandum conchis, et plumbeas oportere esse cortinas, Cato cap. 66. *Dalec.*

Ferventibus] Columella I. 6. *Idem.*

Ideo nec ligna ibi cædi oportere] 'Illud autem in totum præcipiendum habeo, ut neque fumus, neque fuligo, quamdiu viride oleum conficitur in torcular admittatur, aut in cellam olearium,' &c. Columel. XII. 50. *Id.*

Ut fraces et amurca liquentur] Adde dictionem *solide*, ex vetere lectione, *ut fraces et amurcæ liquentur solide.* Pintian.

Ob id crebrius vasa mundanda] Scribendum *mutanda*, non *mundanda*, ex utroque exemplari: rectissime. Cato cap. 66. 'Ubi factores vectibus premerint, continuo capulator concha oleum quam diligentissime poterit tollat, nec cesset, amurcam caveat ne tollat. Oleum in labrum primum indito: inde in alterum dolium indito: de his labris fraces amurcamque semper subtrahito.' Et cap. 67. 'Cotidie locum oleum commutet, donec in dolium pervenerit.' *Idem.*

Mox trapetis fractæ premerentur: iterum premi plusquam centenos modios non probant] Scribendum ita ut dictio *iterum* ad priora pertineat. Non abs re fuerit, quando *trapeti* mentionem incurrimus, confutare errabundam Servii Grammatici, et aliorum qui eum secuti sunt, opinionem, circa *trapeti* intellectum. Exponens enim

versum Virgilianum secundi Georgicon: 'Venit hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis:' Servius: 'Trapetis,' inquit, 'molis olivaribus.' Falsum esse documentum hoc, Columella, ut reliquos omittamus, nos docet libro decimo secundo, capite quadragesimo nono: 'Oleo,' inquit, 'conficiendo molæ utiliores sunt quam trapetum: trapetum quam canalis et solea. Est et organon erectæ tribulæ simile, quod rudicula appellatur, idque non incommode opus efficit, pro conditione tamen et regionum consuetudine prædictæ machinæ exercentur.' Hæc Columella, cujus ex verbis elicitur conficiendo oleo quinque fuisse in usu machinas, molam, trapetum, canalem, soleam, rudiculam. *Idem.*

Factus tergeminos fere a quaternis hominibus] Codex Salmanticensis: *Factus tres gemino ferro a quaternis hominibus;* ut forte 'ferrum' appellet, quem Cato 'vectem.' *Idem.*

CAP. VII. *De oleo factitio.*

Non erat tum, &c.] Vide XXIII. 4. *Dalec.*

Ex chamelæa, &c.] Vide infra XXIV. 14. et XXV. 7. *Dalec.*

Non altiore palmo] Ramis dodrantalibus, foliis oleæ. Dioscor. *Idem.*

Foliis oleastri baccisque] Oleæ similitudine, quæ baccifera est. Plinius decipitur. Chamelæa enim baccas non gignit, sed fructum triangulum principio viridem, deinde rubrum. *Idem.*

Fit et e cici, arbore in Ægypto copiosa] Legend. *fit et e cici arbore in Ægypto copiosa: aliis crotonem, aliis sili, aliis sesamum agreste appellantibus: quæ non pridem et in Hispania repente provenit.* Salmas. p. 977. a, b. *Fit et e cici, arbore in Ægypto copiosa*] Fallitur et hic Plinius. Herba est, non arbor. *Dalec.*

Altitudine oleæ] Altitudine ficus, cavo instar arundinis, folio platani, semine quale in uvis asperis. Dioscor. *Idem.*

Innatansque oleum tollitur] Dioscorides I. 38. *Idem.*

Nigra baccis] Supervacuæ sunt hæ duæ voces. Omnibus enim lauri generibus maturæ baccæ nigræ sunt. *Idem.*

Simile est e myrto nigra, et hæc latifolia melior] Prava interpunctio sensum, alioqui perspicuum, subobscurum et vacillantem reddit. Legendum: *Simile est e myrto. Nigra et hæc latifolia melior;* nam quia præmonuerat oleo laurino faciendo optimam esse laurum nigram et latifoliam, adjicit et myrtum similium accidentium accommodatam esse oleo myrtino faciendo. Consule Dioscoridem libro primo. *Pintian.*

Tunduntur baccæ, &c.] Dioscorides e foliis tantum parat; Palladius ex baccis, in Januario cap. 21. *Dalec.*

Oxymyrsinen vocant] Cum silvestri myrto ruscum, qui et oxymyrsine dicitur, inscienter confundit, e quo nusquam oleum parabatur. *Dalec.*

Acaron, &c.] Acares pusillum et exiguum, adeo ut præ brevitate tonderi nequeat. *Idem.*

Malis cedri, quod cedrelæon] Fallitur. Cedrelæon fit ex accensis cedri Syriacæ ramis, halitu, inquam, cedriæ, dum coquitur, lana excepto, ut et Pisselæon. Cedrelæon *chitram* Arabes vocant. Negligenter hæc Plinius. *Idem.*

Dictum est] Lib. XII. cap. 21. *Id.*

E piscibus] Cetaceis, quorum adipe pro oleo utuntur. *Idem.*

In unguentis] Lib. XII. cap. ult. *Idem.*

Gleucino mustum, &c.] Columel. XII. 51. *Idem.*

Fit et de aspalatho, calamo] Dioscorides confectionem tradit ex oleo omphacino, musto, calamo et junco odoratis, nardo Celtico, spartha, aspalatho, costo, meliloto. *Idem.*

Aut gramine herba] Gramen e quo oleum fit, meo judicio, gramen man-

næ est, Germanis *himmel daw*, id est, manna cœlestis: Italiæ vulgo, *capriola*, et *sanguinella*, quod æstate pueri spicas ejus convolutas, et naribus inditas, extrahant sanguinis eliciendi causa. Sclavi Carniolæ incolæ et Goricienses id studiose colunt, et serunt, granumque oblongum, candidum, cortice deglubunt in pilis, milii, et panici modo, ac cum carnibus coquunt, non minus suavi gustu quam orizæ. Vide Matthiolum commentario in caput Dioscoridis de coronopo et de gramine. *Dalec.*

Item sesama et urtica, quod cnecinum appellant] Lege, *Item sesama et cnico quod cnicinum appellant*, ex Diosc. I. 35. nam ex urtica oleum fieri, nec Dioscorides, nec ullus, quod sciam, auctor tradit. *Pintian.*

In Italia e gummi] Ch. *in Italia Enguini*, vel *Eguini*. Eguini autem Umbriæ populi, hodie *Engubini*. Turn. XXVII. 17. Apud Nonium, in Apisci, *Iguvini*. Sisenna Hist. lib. IV. 'Itaque postero die legatos Iguvium redeuntes apiscitur.' Turn. XXIX. 3. *Dalec.*

In Syriæ maritimis] Vide quod adnotatum est ad XXIII. 4. *Idem.*

CAP. VIII. *De amurca.*

Amurcam, &c.] Vide infra XXIII. 3. et Caton. a cap. 69. ad 130. *Idem.*

Ut formicæ rimæque absint] Et ne curculio noceat, ne mures lædant. Cato. *Dalec.* *Ut formicæ rimæque absint*] Videtur legendum *herbæ*, non *rimæ*, ex Catone cap. 91. 'Postea denuo amurca conspargito, sinitoque arescat. Si ita feceris, neque formica nocebit, neque herbæ nascentur.' *Pintian.*

Nullius fumi tædio ardere] Acapna fieri. Cato cap. 130. *Dalec.*

Oleum si lambendo, &c.] Idem infra XVII. 24. Vide quæ ad eum locum notata sunt, et supra VIII. 50. *Idem.*

M. Varro] De Re Rust. I. 2. monente ib. Fulv. Ursin. pag. 19. *Idem.*

CAP. IX. *Pomorum omnium genera, et naturæ.*

CAP. X. *Nucum pinearum genera IV.*

Tarentinæ] Tarentinæ, fragilis et mollis. Avellana et Græca nux, sive amygdala, quomodo Tarentina fiat, vide apud Columellam V. 10. Macrobio *Terentinæ*, quoniam Sabinorum lingua *terentum* molle significat, τὸ τέρεν. Turn. XXVII. 17. *Dalec.*

Sapineæ, &c.] Vide infra cap. 12. et XVI. 39. *Idem.*

Aquicelos vocant] Monspessulani vulgo *des Tourons*. Idem.

CAP. XI. *De malo cotoneo.*

Cotonea] Ob hujus fructus, et formosam speciem, et amplitudinem, in arbore tam parva nascentis, ac tenui, Tryphon medicus apud Plutarchum Sympos. V. malum ab Homero dictam fuisse ἀγλαόκαρπον commemorat, tametsi Victorius XXXII. 5. de mali citriæ fructu id potius explicandum esse putet. *Idem.*

Plura eorum genera] Columellæ V. 10. chrysomela, mustea, struthia. *Idem.*

Chrysomela] *Vera*, ἀληθινὰ, cydonia Dioscoridi parva sunt, rotunda, odorata, vulgo *pommes coin*: ex his Genuenses suum delicatissimum cydoniatum parant. Struthia vero, magna, sed minus utilia, vulgo *poires coin*. Vide XXIII. 6. *Idem.*

Salutatoriis cubilibus inclusa] Sic cubicula vocat, in quibus divitem e dormitorio suo prodeuntem communis amicus, ut inquit Manilius lib. V. salutabat: de quo Martialis: 'Et matutinum portat ineptus, Ave.' Turn. XXVIII. 13. Ad horum autem cubiculorum ornatum erectas et comparatas imagines 'simulacra noctium conscia' appellat. *Dalec.* Accuratiorem interpretationem reperies apud Casaubon. super Sueton. pag. 70.

CAP. XII. *De Persico, genera IV.*

Duracinis] Rhodacenis. Cornarius. Sostratus, ἐν τῷ περὶ βλητῶν καὶ δακέων, Perseam Rhodacenæam vocari ait,

translatamque ex Æthiopia in Ægyptum: Nicander in Alexipharmacis, Perseum Mycenis sevisse, a Cepheo Andromedes patre dono acceptam, ejusque nucleos cerussæ veneno auxiliari. Uterque scilicet, quamvis classicus et vetustus scriptor, Perseam cum Persica confundit. Rhodacena Paulo I. 81. Persicorum genera, ea sunt quæ nos vocamus *auberges*, *mirecotons*, *presses*, sic dicta vel quod rosam oleant, vel roseo et rubro colore picturata fere conspiciantur. Ea fortassis duracina Latini vocarunt ob carnis duritiem, cum mollis et tenera sit in Persicis, præcociis, Armeniis, et tuberibus, quæ vulgus appellat *peches noix*. Dalec.

Præcocia] Sub. magna et ampla; sic dicta quod e montanis et supernis locis aveherentur. Hæc vulgo, *abricots*. Idem.

Supernatia e Sabinis veniunt] Præcocium duo genera hic Plinius indicat; alterum supernas, amplum, et magnum, quod e Sabinorum locis avehebatur, vulgo *gros abricots*: alterum vulgare, parvum, et strigosum, etiam Armenium dictum, vulgo *des armegnes*. Idem.

CAP. XIII. *De pruno, genera XI.*

Nigra, candicans. Hordearia appellata] Scribendum sine distinctione: *nigra, candicans hordearia appellata*; nam nisi sic legeris, quod protinus sequitur, *alia eodem colore, seriora, majora*, quo referas non habebis. In his tamen verbis dictio *alia* desideratur in codice Salmanticensi. *Pintian.*

A comitatu frugis ejus] Quod cum hordeum metitur, ea maturescant. *Dalec.*

Cerina] Cerea Virgil. in Copa: 'Sunt autumnali cerea pruna die.' Ovid. Met. XIII. 'Prunaque non solum nigro liventia succo, Verum etiam generosa, novasque imitantia ceras.' A flavo colore sic dicta. *Idem.*

Ut uvæ autumno cadis condita] Verbum *autumno* in Tol. et Salmanticensi exemplari desideratur. *Pintian.*

Persica] Harpocrati taciturnitatis Deo Persicam sacram esse tradit Plutarchus de Iside et Osiride, quoniam ejus arboris folium linguæ simile sit, fructus cordi. *Dalec.*

Venenata cum cruciatu in Persis gigni] Id prodiderunt Nicander et Sostratus. Vide annotata supra in proximum caput. *Idem.*

Id enim de Persea diligentiores tradunt] Theophr. Hist. IV. 2. Vide et supra XIII. 9. *Idem.*

Myxis rubentibus similis] Galenus κατὰ τόπους, lib. II. Perseam a se visam in Alexandria solam, arborem proceram, fructu pyri aut mali magnitudine, noxio in Perside, vesco in Ægypto. *Idem.*

CAP. XIV. *De diversis generibus malorum, genera XXIX.*

Malorum plura sunt genera] Ἀγλαόκαρπον malum Homerus vocat, ob splendidi fructus atque formosi præstantiam et suavitatem: Συκαί τε γλυκεραὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι. Rhodig. XXIX. 23. Mirum vero non memorare hic auctorem μῆλα τὰ τοῦ Διωνύσου, minuta illa, sed quæ tantum in amoribus conciliandis valere crediderunt, ut fœminas posse iis pellicere ad concubitum sperarent. Coronæ ex illis Bacchi statuæ imponebantur. Philetas: Μᾶλα φέρων κόλποισι, τά οἵ ποτε Κύπρις ἑλοῖσα Δῶρα Διωνύσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων. Theocritus: Μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων. Ejus forte generis fuerunt mala, quæ manibus tenentem Nanam nympham concepisse tradit Arnobius; quo fortassis pertinet hic versus ex Annalibus Attii apud Nonium: 'Mala manu retinens gravido concepit in alvo.' Mustea, sive melimela, quæ primum omnium maturescunt, vulgus nostrum vocat, nunc Divi Joannis mala, nunc amoris. *Scalig.*

De citreis cum sua, &c.] De citreis vide Palladium in Martio. *Dalec.*

Ziziphа] Zizipha, vulgo *Jujubes*;

tuberes autem, *peches noir*. Idem.

Divi Augusti novissimis temporibus, in castrorum aggeribus sata] Lege: *Divi Augusti temporibus novissimis in castris sata, &c. sed aggeribus præcipue decora, quoniam in tecta jam sylvæ scandunt.* Aggeres viæ sunt publicæ stratæ, tam in urbe quam extra urbem: arbores intra urbem in iis aggeribus juxta domos plantabantur, ut in tecta scanderent. *Salmas.* p. 609. b.

Baccis similiora] De ziziphis, non tuberibus, id audiendum. *Dalec.*

Quoniam et in tecta jam sylvæ scandunt] Quoniam in ædificiis jam privatorum hominum silvæ seruntur. *Idem.*

A colore sericum dictum] *Syricum*, vel, ut Hermolaus legit, *sericum*, ruber color factus ex scandice et sinopide mixtis xxxv. 6. Hinc color sericus, ruber: vulgo, *pomme Suzine*. Idem.

Et a colore sericum dictum] Expende an non *sericum*, sed *cerinum* legendum sit, ut præcedente capite: 'Sunt et nigra, ac laudatiora cerina atque purpurea.' *Pintian.*

Ergo habent originem a Matio] De malorum generibus Columella v. 10. Pleraque eorum his hodie nominibus appellantur: cestiana, *capendu*; petisia, *apicle*; serica, *pomme suzine*; melapia, *poirepomme*; mustea, *pommes S. Jean*; orbiculata, *pommerose*; orthomastica, *taponne*; spadonia Belgis, *passepomme*; Allobrogibus Sabaudis, *pommes grillotes*; pannucea, *pannetes*; pulmonea, *folanes*, quod et ipsum stolidorum nomini convenit; sanguinea, *grosse pomme rouge*; camerina, *grannois*; quæ omnia malorum genera circa Lugdunum frequentia, pannucea quidam esse putant, quæ Provinciales vocant *pommes gelées*. Dalec.

Et Manlio, item Claudio] Lego, *et Manlio, item Scandio*, tum ex Macrobio Saturn. lib. III. et Varrone I. 59. et Colum. lib. v. Scandiana poma celebrante, tam ex vetere utroque exemplari; nam Scantiana, de quibus infra, diversi sunt generis eidem Macrobio et Colum. et statim ante, *a Matio Gestioque*, videtur scribend. *Sextio*, non *Gestio*, ex Colum. qui volumine quinto *Sextiana poma* memorat. Macrobius etiam *Sextilianorum pirorum* meminit. *Pintian.*

Cato adjicit Quiriana] Cato ipse cap. 7. *Quirisiana*; Macrobius tamen, *Quiriana*. Idem.

Patrias nobilitavere Camerina] Lego *Amerina*, ab Ameria, urbe Italiæ, ut liquebit capite sequente; favente etiam Columella lib. v. *Idem.*

Melappia] Melapii nomen inditum volunt, quod malorum et pyrorum quandam speciem habeant, illamque esse cognationem a Plinio indicatam. Malorum genus quoddam etiam nunc vulgus appellat *pomme poire*, quidam *girandette*. Dalec.

A conditione castrati seminis, quæ spadonia appellant Belgæ. Melofoliis folium unum, aliquando et geminum] Scribendum reor: *A conditione castrati seminis, quæ spadonia appellant vel gemella a foliis, &c.* Rectiorem etiam lectionem duco, *contritione*, quam *conditione*; sunt enim et castrati non præsectis sed contritis testibus, qui ob id Græce thladiæ et thlibiæ vocantur. *Pintian.*

Quæ spadonia appellant Belgæ, &c.] Mirum videri non debet, si Belgæ *spadonia* vocabant Romano, et non Gallico vocabulo, ut qui provinciales id temporis essent, apud quos ipse Plinius aliquandiu vixit: unde hoc pomum in ejus notitiam venit, urbanis alioqui non admodum notum. *Melofolium* vero dictio est ex Græca ac Latina composita, quasi μηλόφυλλον. *Gelen.*

Melofoliis] In villa Jacobi Regii, pagi, quem *Fontaines* vocant, haud procul Lugduno siti, pyra nascuntur, e quorum medio corpore folium exoritur. Ea simili ratione nominis *pyro-*

phylla vocari possent. *Dalec.*

Pannucea] Quasi in pannos fatiscentia et rugarum plicas, Persio 'pannucea Baucis,' vel tumida et præpinguis ac suffarcinata, vel pannis multis conglobata et conglomerata. Turn. cap. 23. et 28. *Idem.*

Dacis ferme vilissimis nomen] Diversa lectio exemplaris Salmanticensis, nec dissimulanda, *Dat et farina vilissimis nomen.* Pintian.

CAP. XV. *De pyris, et insitorum varietate.*

Superbiæ cognomine] Sunt et nunc quoque variis pyrorum generibus sua hæc nostratibus nomina: superba, *petite muscadelle ;* Crustumina, *poire perle ;* Faterna, *bergamote ;* lactea, *blanchette ;* Dolabelliana, *poire muset ;* Pompeiana, *bonchrestien ;* Favoniana, *grosse muscadelle ;* Lateriana, *poire prevost ;* Tiberiana, *poires forés ;* Signina, *poire chat ;* myrapia, *calvau rosat ;* nardinia, *poire d'argent ;* hordearia, *poire S. Jean ;* ampullacea, *poire d'angoisse ;* Coriolana, *poire de jalousie ;* cucurbitina, *poire course ;* Venerea, *poire Acciole ;* regia, *poire Carmagnole ;* Voconia, *poire sarteau ;* onychina, *poire cuisse madame.* Dalec.

In iisque alia colore nigro donantur Syriæ] Legendum puto: *In iis quæ alii a colore nigro vocant Syria.* De Syriis pyris præter cæteros Virgilius Georg. II. 'Crustumiis Syriisque pyris, gravibusque volemis:' quem locum Servius exponens, 'Syriis,' inquit, id est, 'nigris.' *Pintian.*

Liceriana, Severiana] Vetustus uterque codex *Licerniana.* Columella lib. v. *Lateritana* et *Severiana:* iidem codices *Seviana* appellant. Macrobius lib. III. et Columella lib. v. *Neviana,* ut puto. *Pintian.*

Severiana] Scaurianorum mentionem facit Marcellus cap. 20. ut aut illic legendum sit *Severiana,* aut hic *Scauriana.* Dalec.

Et quæ ex his nata sunt Tyranniana] Sic quidem præferunt antiqui codices: sed mallem *Turanniana,* quando et a Plinio citetur auctor Turanius Gracula: et ita sane appellantur a Columella et Macrobio; cum duplici tamen *rr, Turriana.* Pintian.

Favoniana rubra] Lego cum distinctione, *Favoniana, rubra,* ut sit *rubra* genus per se, quod Macrobius videtur appellare 'rubile.' *Idem.* *Favoniana rubra*] Favoniana dicta putant quod Favonio flante statim formentur. *Dalec.*

Lateriana] Columella XII. 10. *Lateritana ;* Macrobius lib. III. *Lateresiana.* Pintian.

Autumnalia] Eadem fortassis quæ et acidalia paulo post memorata. *Dalec.*

Onychina] *Onychina* Plinius purpurea interpretari videtur, quod onyx tegumentum conchylii sit, ut ait Dioscorides, purpurarum operculo simile. 'Pruna onychina' Columellæ XII. 10. sic purpurea exponunt. Ego vero, quia alabastrites lapis onyx dictus est, unde Propertius 'onychem myrrheum' pro poculo dixit: 'Et Crocino nares murrheus ungat onyx;' quoniam ex alabastro pocula fierent: et Horat. 'onychem' pro alabastro: 'Nardi parvus onyx:' onychinum hic interpretor pyrum, alabastro colore simile, vulgo *poire cuisse madame ;* purpureumque hic genus ab onychino diversum esse reor, non autem onychini vel epitheton, vel interpretationem. Eodem modo apud Columellam 'onychinon' exponendum arbitror. *Idem.*

Volema] Quod volam manus impleant: eadem fortassis, quæ et Libraria supra cap. 11. hujus libri. *Dalec.*

A Catone] Cap. 7. *Idem.*

Sementina] Sementina a Sementinis feriis (hoc vocabulo Varro utitur I. 2.) quæ inclinante æstate sationis causa celebrabantur. Turneb. Pyrorum hoc genus tunc maturum colligebatur. *Idem.*

Malis platanum, cerasis ulmum] *Ilicibus ulmum*, non *cerasis ulmum*, legerem ego cum Virgilio Georg. II. 'Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida, Et steriles platani malos gessere valentes, Castaneæ fagos, ornusque incanuit albo Flore pyri, glandemque sues fregere sub ulmo.' Sed forte qui *cerasis* scripsit, deceptus est illo poëtæ versu: 'Pullulat ab radice aliis densissima sylva, Ut cerasis ulmisque.' Sed illic res alia agitur, quot videlicet modis arbores proveniant. *Pintian.*

Conduntur vero pyra] Columella XII. 10. *Dalec.*

Pulmentarii vicem implent] Idem cap. 14. lib. eod. *Idem.*

CAP. XVI. *De pomis servandis.*

Loco frigido ac sicco contabulari] Vitruvius I. 4. Varro I. 59. *Idem.*

Septentrionalibus fenestris sereno die patere] Scribendum opinor, *Septentrionibus fenestras sereno die patere;* quod tum verba sequentia monstrant, tum magis M. Varro, quem sequi hac parte videtur Plinius. Ejus verba I. 59. 'Hæc omnia in loco arido et frigido supraposita palea servari recte putant; et ideo oporothecas qui faciunt, ad aquilonem ut fenestras habeant, atque ut perflentur, curant.' Et Plinius XVII. 3. 'Quidam cœlum terræ parere cogunt, ut quæ in siccis serantur, orientem atque septentrionem spectent.' Et præsenti volumine cap. 25. 'Inter prima hoc e pomis colono gratiam annuam refert, septentrione frigidisque gaudet.' *Pintian.*

Stramentis, storeis, paleisve substerni] Scribendum autumo, *ramenta scobes, paleasve substerni.* Plinius capite sequente: 'Sunt qui malunt uvas in scobe, ramentisve abietis, populi, fraxini servare.' Columella XII. 45. 'Atque ea ipsa nonnulli sic in aliis generibus, ut supra jam diximus, populnea, quidam etiam abiegna scobe interposita, mala custodiunt.' *Idem.*

CAP. XVII. *De cotoneis, Punicis, pyris, et sorbis, et uvis servandis.*

Punica aqua marina fervente indurari] Id Mago præcipit apud Columellam XII. 44. *Dalec.*

Aqua dulci perlui] Idem Columel. loco citato. *Idem.*

Foliis ficulnis] Idem XII. 45. *Idem.*

Sorba vero et in scrobibus gypsato operculo, duum pedum terra superinducta] Verba manifeste præpostero ordine scripta, sicque ut sentio restituenda: *Sorba vero et in scrobibus duum pedum gypsato, &c.* Columellæ XII. 15. unde hæc fuisse desumpta apparet perspicue: 'Eodem tempore sorba manu lecta curiose in urceolos picatos adjicito, et opercula picata imponito, et gypso linito: tum scrobibus bipedaneis sicco loco intra tectum factis, urceolos ita collocato, ut oblita ora eorum deorsum spectent, deinde terram congerito, et modice desuper calcato.' Plinius quoque eam lectionem confirmat paulo post, cum dicit: 'Plerique vero in scrobe duum pedum altitudinis arena substrata et fictili operculo, deinde terra operto.' Astipulatur et Palladius volumine secundo, titulo XV. *Pint.*

Sorba vero et in scrobibus gypsato, &c.] Columella XII. 16. Varro I. 68. *Dalec.*

Uvas malleolo sarmenti duro] Uvæ condendæ et servandæ ratio docetur supra XIV. 1. et apud Galen. de Aliment. II. 8. *Idem.*

In pediculos collocant] Ut pediculi deorsum spectent, oculi sursum, quemadmodum etiam in arbore nata sunt. Columel. XII. 45. *Idem.*

In medullam sambuci abditos obruunt] Idem XII. 44. *Idem.*

Columella auctor in puteos cisternasve in fictilibus vasis pice diligenti cura illitis mergi. Liguria maritima Alpibus proxima uvas sole siccatas junci fasciis involvit] Si hæc lectio recipiatur, falsum contra Columellam, con-

terraneum nostrum, scriptorem singulari doctrina et facundia, testimonium perhiberi sinemus; neque enim Columella in puteos cisternasve in fictilibus pice diligenti cura illitis mergi coronea tradit, sed uvas. Quam ob rem dictio quæ paulo post sequitur, *uvas*, ex loco proprio emota, ad superiorem aliquanto locum transferenda est, legendumque hoc pacto: *Columella auctor est in puteos cisternasve in fictilibus vasis pice diligenti cura illitis mergi uvas. Liguria maritimis Alpibus proxima, sole siccatas junci fasciis involvit. Maritimis*, inquam, lego, non *maritima;* nam maritimarum Alpium frequens est apud hunc auctorem mentio, ut VIII. 39. 'Et circa maritimas Alpes quondam effossæ.' Columellæ autem verba sunt: 'M. Columella, patruus meus, ex ea creta, qua fiunt amphoræ, lata vasa in modum patinarum fieri jubebat, eaque intrinsecus et extrinsecus crasse picari: quæ cum præparaverat, tum vero purpureas et bumastos, et numisianas, et duracinas uvas legi præcipiebat, pediculosque earum sine mora in ferventem picem demitti, et in prædictis patinis separatum sui cujusque generis ita componi, ne uvæ inter se contingerent: post hos opercula superponi et oblini crasso gypso: tum pice demum dura, quæ igni liquata esset, sic picari, ne quis humor transire possit: tota deinde vasa in aqua fontana vel cisternina ponderibus impositis mergi, nec ullam partem earum pati extare: sic optime uva servatur.' *Pintian.*

Fictilibus vasis pice diligenti, &c.] Columella cap. 13. lib. eod. *Dalec.*

Platani foliis] Idem cap. 16. lib. eod. *Idem.*

Sunt qui malunt uvas in scobe ramentisve abietis, populi fraxini servare] Ex Columella hoc quoque, ut supra visum est, XII. 43. sed de abiegna populneaque scobe mentio illi tantum, de fraxini nulla omnino. *Pint.*

Ramentisve abietis, populi, &c.] Eam materiam Græci vocant ῥινήματα sive ῥινίσματα, πρίσματα, πελεκύσματα, λεπίσματα, τορνεύματα· Hippocr. lib. de ulcer. ἰχθυήματα. *Dalec.*

CAP. XVIII. *De ficis, genera viginti novem.*

Ficus amplissima est] Græcis proverbium est σῦκον σύκῳ, de rebus valde similibus, ut ovum ovo, lac lacti, aqua aquæ. Priscus Comicus apud Ciceronem: σύκῳ μὰ τὴν Δήμητραν σῦκον οὐδὲ ἓν οὕτω ὅμοιον γέγονεν. Vict. cap. 5. 36. 37. *Idem.*

Retulimus inter externas] Lib. XIII. cap. 7. *Idem.*

Idæa rubet] De Idæa Theophrast. Hist. III. 17. 'Idæa,' inquit, 'fruticosa est, minime procera, tam crassa ut cubitalis ambitus sit. Lignum contortum, lentum, inferne minime nodosum, superne in orbem comosum: colore folii, et corticis livido: folio tiliæ, molli, lato, paris magnitudinis: flore mespili, qui simul cum mespilo prodit: fructu rubro, magnitudine olivæ, rotundiore, gustu mespili: crassa radice, ut fici, et lenta. Lignum non putret, et solidum cor habet, non medullam.' Hæc est Theophrasti integra descriptio, a qua Plinius quid dissideat, lector prudens judicare potest. *Idem.*

Alexandrinam hanc ibi vocant] Theophrastus nusquam ficum hanc Alexandrinam vocari tradit, sed in eodem Idæ monte laurum nasci, quam Alexandrinam nuncupant. Legendum puto: *Mespili, crassitudine molli. Alexandrinam et ibi natam laurum vocant. Onesicritus, &c.* Idem.

Callistruthiæ] Lego, *Callistr. haud parum*, ex Athenæo, apud quem lib. III. Magnus omnibus præfert, quæ ubivis nascantur. Ibidem laudatur multum ficus e Paro, quam *αἱμωνίαν* a sanguinis colore vocabant. Victor. XXXVI. 4. *Idem.*

Nam Alexandrina e nigris est, candicante rima, cognomine delicatæ] In

aliis exemplaribus tam scriptis quam excusis: *Nam Alexandrina e nigris est candicans, terena cognomine delicata.* Ex quibus verbis postremum expositionem fuisse credimus dictionis illius *terena*, eundem intellectum Græcæ habentis. *Pint.*

De Præcocibus] Protericas et Prodromos vocat Macrob. Saturn. lib. III. *Dalec.*

Harundinum] *Grandinum in foliis.* Nisi Laconicam harundinem intelligat, cujus folium versicolor est Theophrasto Hist. IV. 12. *Idem.*

Chelidonia] Eam Athenienses vocabant erythromelænam. *Idem.*

Serotinæ et a corio appellatæ duro] Quid si legas non *serotinæ*, sed exigua similis literulæ mutatione, *scrotinæ*, nota significatione verbi scrotum. *Pintian.*

Cato de ficis ita memorat: Ficus mariscas in loco cretoso, &c.] Diverso ordine in Catone leguntur hæc verba capite octavo: 'Ficus,' inquit, 'mariscas in loco cretoso aut aperto serito: Africanas et Herculanas, Saguntinas, Hibernas, Telanas, atras, pediculo longo, eas in loco crasso aut stercorato serito.' *Pintian.*

Ficos mariscas in loco cretoso] Ex hujus fici similitudine podicis ulcus attritu genitum, ut in pathicis ex obscena libidine, in iis, qui equo nudo insidant, ex nimio natium affrictu, Mariscam et ficum olim vocaverunt. Juvenalis: 'Cæduntur tumidæ medico ridente mariscæ.' Martial. 'Stragula succincti venator sume veredi; Nam solet a nudo surgere ficus equo.' *Dalec.*

Et cum venientium flore maturescunt] Lego contra omnia exemplaria non *venientium*, sed *vernantium*. Pintian.

Cum clamaret omni senatu Carthaginem delendam] Reclamante Scipione Nasica, ne urbis æmulæ sublato metu felicitas Romana luxuriaretur; qua ratione Lacedæmoniorum oppido diruto ingemuerunt, dicentes, οἴχεσθαι τὸ πάλαισμα τῶν νέων, et captum oppidum everti a rege noluerunt, ne tolleretur ἡ τῶν νέων ἀκόνη. Rhod. XXVII. 1. *Dalec.*

Quando hoc pomum demptum putetis ex arbore] Utrumque exemplar: *quando hanc pomum demptam putatis ex arbore:* et paulo post *decerptam* in eisdem legitur, non *decerptum;* quod est notatu dignum: item *quamdiu* libentius legerim, quam *quando*, et *decerptam putatis*, quam *demptam*. Pintian.

Non castra Punica ad tertium, &c.] Cum Annibal ad Romam noctu legiones ducere cœpit, ut ait Ennius, quibusdam nocturnis terriculamentis tantus pavor ejus milites invasit, ut inde pedem retulerint. Quo facto Tutano Deo ibi fanum consecrarunt, ac ideo rediculum appellaverunt. Varro in Satyra, Hercules tuam fidem: 'Noctu Annibalis cum fugavi exercitum, Tutanus hoc, Tutanus Romæ nominer: Hoc propter, omnes, qui laborant invocant.' *Scalig. ex Nonio.*

Colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio Romæ, &c.] Hæc perturbata sunt, et ficus duas Romanis sacras confundunt: alteram Ruminalem, natam jam tum in Carmanico, ut scribit Plutarchus in Romulo, haud procul a Tiberi, cum expositi sunt Romulus et Remus, sub qua rumam infantibus lupa præbuit, ab eo miraculo sic appellatam; alteram Naviam in comitio, satam ab Attio Navio augure, an sumptis ex Ruminali stolonibus, nondum reperi. Clarius hoc ut fiat, adscripsi, quæ hac de re tradit Festus in dictionibus Navia et Ruminalis. Priore quidem loco, quæ integra sunt lege usque ad hæc verba, 'jussit rex cotem, ac novaculam:' deinde subjunge quæ in codice Romæ edito sequuntur minus lacera, hoc modo: '... novaculam proferri, qua prolata, cum interrogatus augur, an cos illa posset præcidi, respondisset posse, novacula subito præcidit, quo facto,

Navium, ex eo Tarquinio nihil auso contra amplius facere, novaculam illam ac cotem sub locum consecratum defodi jussisse, et ficum ab eo satam ibi esse, intra id spatium loci, qui contentus fine sacro sit: eamque, si quando arescere contigisset, suberi, sumique ex ea surculos jussisse: quo facto, tantos intra temporis tractus, cum aliæ in eo loco complures ficus enatæ essent, atque eæ evulsæ deinde de sacro illo loco radicibus removerentur, omnes, quæ inibi tunc temporis erant, ficum præter unam illam ejectas fuisse, admonitu fatali ac jussu imprimis aruspicum, et divinis etiam responsis promittentibus, quandiu ea viveret, libertatem populi Romani incolumem mansuram, ideoque coli et subseri ex illo tempore cœptam.' Hæc scilicet Navia ficus, ad puteal Libonis in comitio a Navio depacta. Altera, Ruminalis appellata, quod sub ea arbore lupa rumam, id est, mammam, Romulo et Remo dederit, sub veteribus (sub. tabernis) prope curiam fuit, ut auctor est Varro. Hæc est illa altera, quam a Navia pauci distinxerunt, eandem esse utramque arbitrati. Ego sic locum hunc totum lego: *Colitur ficus in foro ipso Romano* (in foro judiciario, prope curiam sub veteribus tabernis) *ac comitio*, (ad Libonis puteal,) *sata ab Augure Attio Navio, sacris ibi conditis*, (novacula et cote, quam cotem præciderat,) *et tanquam in comitium sponte transisset* (e curia, Ruminalique ficu, nec illam sevisset Navius). *Illa cum arescit, rursus cura sacerdotum seritur. Magis altera* (sub. 'colitur') *ob memoriam ejus* (lupæ), *quæ nutrix fuit Romuli ac Remi conditoris*, (conditorum,) *Ruminalis appellata, quoniam sub ea inventa est lupa, infantibus præbens rumam, ita vocabant mammam, miraculo ex ære juxta dicato*. Quamvis fori, id est, amplissimæ et latissimæ plateæ partem fuisse Comitium dicant, curiam tamen a Libonis puteali, prope quod Attius ficum sevit, distare, veterum scripta ostendunt. Apud Tacit. sub finem Ann. XIII. legendum videtur: 'Eodem anno ruminalem arborem in foro, quæ super octingentos et quadraginta ante annos, &c. quod scilicet ruminalem veram significat, quæ Remum ac Romulum ejectos texit; non alteram illam, quæ a Navio depacta est. Quoniam libertatis fatum in Navia viva et virente situm erat. Cum illa exaruisset sub Nerone, qui moribus suis perditissimis exitium publici status moliebatur, mortuis ramalibus diligentissime culta est, donec in novos fœtus revivisceret. *Idem*. *Colitur ficus arbor in foro, &c.*] Leg. *Colitur ficus arbor in foro ipso ad Comitii aram enata sacro fulguribus ibi conditis*. Omnis locus fulmine ictus statim erat religiosus: at sacer fiebat, ara ibidem extructa, et sacrificio facto. Vide Salmas. pag. 1136. b. Sequentia sic lege: *tanquam in comitium sponte transisset Atio Navio Augure. Arescit, rursusque cura sacerdotum seritur*. Salmas. 1137. a.

Fulguribus ibi conditis] Nam cum puteus illic effossus de cœlo tactus esset, locus is procuratus, operculo imposito, Puteal vocatus est: τὸ τοῦ φρέατος πῶμα. Addit Halicarnass. extructam ibi aram, quæ nimirum fuit operculum ostii Deorum Manium. Polluta autem esse loca fulguratores Hetrusci crediderunt icta fulmine. Quam ob rem reliquias fulminis sacro facto ii sepeliebant, dispersos ignes colligebant, et cum quibusdam tacitis precibus terra condebant: locum sic expiatum 'bidental' vocantes. Alex. ab Alex. v. 13. Varroni 'bidental,' quod binæ oves ibi immolarentur. Gell. XVI. 62. Inde 'fulguritæ arbores' Plauto in Trinummo, ad quas qui sacrum faciebant 'strufertarii' dicebantur, a strue et ferro, quod sacrificii genus est. Festo, obstitum, violatum, et de cœlo

tactum, fanaticum. *Scalig.* Bidental; *τὰ ἐνηλύσια* Polluci, *εἰς ἃ κατασκήψει βέλος ἐξ οὐρανοῦ, ἃ περιερχθέντα ἄψαυστα ἂν εἴποις.* Inde Jovem *καταιβάτην*, Elicium, nominarunt. Persius Sat. II. 'Triste jaces lucis, evitandumque bidental.' Nam fulmine lucos parum castos ferit Juppiter. Horat. 'Tu parum castis inimica mittes Fulmina lucis.' Turn. XXV. 15. Vide Scalig. in Fest. voce 'Sceleratus campus.' *Dalec.*

Rumen] Ruma, rumis, rumen, rumin, ut germen, germin, mamma. Inde Rumia Dea, apud sacellum, cujus Varro II. 11. scribit a pastoribus satam ficum, eam nimirum, cujus hic auctor meminit. Inde lactantes agni, subrumi, rumi. Varro de liberis educandis apud Nonium: 'Hisce Manibus lacte fit, non vino: Cuninæ propter cunas: Rumiæ propter rumam.' Idem et eodem opere scribit, cum a lacte depulsos pueros primo cibo et potione initiarent, sacrificari solitos ab edulibus Edusæ, et a potione Potinæ nutrici. Nonius in 'Edusa' et 'Sacrificari.' *Dalec.*

Arescit] Accidit id, uti diximus, sub Nerone, diro prodigio publici status, quoniam arbor ea conditores urbis velut hospites excepisset, ac fronde protexisset. Cornelius Tacitus sub finem Ann. XIII. *Idem.*

Gladiatorio munere] Vide infra XIX. 1. sub finem. *Idem.*

CAP. XIX. *De caprifico, et caprificatione.*

Ficus nunquam maturescens] Theophrast. Hist. II. 12. Palladius II. 10. *Dalec.*

Aliis tribuens, &c.] Vide infra XVI. 27. *Idem.* *Alii tribuens, &c.*] Lege: *Alii tribuens. Quoniam est naturalis causarum transitus atque vis, ut e putrescentibus gignatur aliquid, ergo culices parit.* Salmas. 1335. a.

Cerealesque auras immittunt foribus apertis] Fœcundas, fertiles, maturitatem juvantes. *Dalec.* *Cerealesque auras immittunt foribus apertis*] Commodior lectio *foraminibus*, quam *foribus*: quas paulo post 'rimas' appellat: et *adapertis* habet codex Toletanus. *Pintian.*

Sponte] Naturæ vi, sed longiore temporis spatio. *Dalec.*

Apposita] Id est, propinqua. Theophrast. lib. II. cap. ult. *ὅπου δὲ πλεῖστος κονιορτὸς, ἐνταῦθα πλεῖστα καὶ ἰσχυρώτατα γίνεται τὰ ἐρινά.* *Idem.*

Ficis mollis omnibus tactus: maturis frumenta intus] Scribendum puto non *frumenta*, sed *fati*, ex Columellæ auctoritate de arboribus, III. 21. 'Semper,' inquit, 'proderit, simul ac folia agere cœperit ficus, rubricam amurca diluere, et cum stercore humano ad radicem infundere. Ea res efficit uberiorem fructum, et fartum fici speciosius et plenius.' *Pintian.*

Frumenta] Grana minuta, observa. *Dalec.*

Senescunt in arbore, &c.] Lege: *Senescunt in arbore, anusque distillant gummium lacrima. Siccas honos laudatas servat in capsis.* Vide Salmas. pag. 937. b.

Siccanturque] Ac *ἰσχάδες* Græcis dicuntur. *Dalec.*

Honos laudatas servat in capsis] Legetur forte aptius, *Mos laudatas servandi in capsis.* Pintian.

Cottana et caricæ] Lib. XIII. cap. 5. *Dalec.*

M. Crasso] Proficiscentem Crassum Atteius tribunus plebis gravissimis diris execratus est, quibus iram indignationemque Deorum maxime concitari creditum est. Alex. ab Alex. III. 21. *Idem.*

Caunea] Caunos urbs est Cariæ; Cauni civitas Æoliæ, e qua ficus etiam laudatur Athenæo lib. III. Victor. XXXVII. 6. Quod autem omen fecisse eas ait M. Crasso in Parthos exercitum moventi, hoc est, Crasse navem expeditione illa conscendenti, cum Cauneas ficus venales quidam vociferaretur, dixisse visus est, Cave ne

eas: Romani enim olim, ut 'auruncare' pro 'averruncare,' 'dortium' pro 'divortium' dixerunt, sic et 'Canneas' pro 'cave ne eas.' Cicero de Divin. lib. II. 'Cum M. Crassus,' inquit, 'exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum caveret ne iret,' &c. Vide Scal. in Festum, voce 'Aurum.' Joach. Camerar. in Plautum. Leopard. VI. 13. *Idem.*

CAP. XX. *De mespilis, et eorum generibus tribus.*

Mespilis tria genera] Theophrast. Hist. III. 19. *Idem.*

Setaniæ] Duo mespili genera esse, Dioscorides tradit libro primo, alterum in Italia nascens, quod plerique epimelida appellant, nonnulli sitanion; quamquam Marcellus *setanion* legat; Hermolaus vero in Dioscoridis tralatione *sitanion.* Idem in Corollario cap. 180. mespilum *setaniam* a Theophrasto appellari ait falso, si vulgatis Theophrasti exemplaribus fidem habemus; libro enim tertio, cap. duodecimo, *satanion* vocat penultima producta, a recto *satanios.* et Theodorus *satanea* vertit; sicque legendum in Plinio puto. *Pintian.*

CAP. XXI. *De sorbis, genera quatuor.*

Aliis enim eorum] Theophr. Hist. III. 20. *Dalec.*

Quartum genus torminale] Plinius sorbi silvestris, quam aucupariam herbarii vocant, Sequani vero lignatores *tormigne*, et quæ vera torminalis est, nusquam meminit; cratægi vero folia cum forte vidisset, ea strictim et negligenter descripsit, torminalisque sorbi esse credidit, nusquam alibi facta cratægi mentione, præterquam XXVII. 8. ubi cratægum, quem cratægonon, seu cratæogona vocat, inconsiderate aquifolium (τὴν ἀγρίαν) Italorum esse tradit. Genus id sorborum Andromacho dictum volunt ἐφεκτικὸν, quamvis nonnulli legant ἐφεσινὸν, lib. IX. κατὰ τόπους Galeni in curatione dysentericorum. Idque a Plauto significatum volunt in Pœnulo: 'Hem mihi jam video propter te victitandum sorbilo;' nempe torminali: tormenta scilicet multa, et cruciatus esse perferendos. Quo etiamnum significatu vulgo dicimus, *poires d'angoisse.* Id.

Cato] Cap. 7. *Idem.*

CAP. XXII. *De nuce juglande.*

Nuces juglandes] Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'Nux,' inquit, 'juglans, quod hæc nux antequam purgetur, similis glandi. Hæc glans optima et maxima, ab Jove et glande Juglans est appellata. Eadem nux, quod ut nox aërem, ita hujus succus facit corpus atrum.' Hæc ille: ad quæ postrema Scaliger: 'Alii,' inquit, 'a nocendo nucem dictam volunt,' quomodo et Græce quoque κάρυον παρὰ τὸ καροῦν. Est autem vox Syriaca *Luz;* sed L in N abiit; ut 'lympha,' 'nympha.' Vide infra XXIII. 8. *Id.*

Nuptialium Fescenninorum comites] Fescennina carmina, a Fescennio urbe Campaniæ vel Sabinorum dicta, ubi primum reperta sunt, lasciva et procacia inter nuptiales jocos et lusus canebantur cum sacro hymno, sive epithalamio, quo præsides conjugiorum Deos quinque, Jovem adulterum, Junonem adulteram, Venerem, Dianam, Suadelam invocabant, rogantes, ut adessent propitii, ac prolem secundarent. Alex. ab Alexand. III. 5. *Idem.*

Nec non et honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito: quod est verisimilius quam quia cadendo tripudium sonumve faciant] Particulam *ve* neutrum exemplar agnoscit, et Toletanum *summum* legit, non *sonum;* ut forte legendum sit *tripudium solistimum*, non *tripudium sonum.* Erat au-

tem tripudium solistimum faustum felixque auspicantibus; de quo Cicero libro secundo de Divinatione: 'Sed quia cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, et terram pavire, terripavium primo, post tripudium dictum est, hoc quidem jam tripudium. Cum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant.' Et in eodem lib. 'Si enim fatum fuit classes populi Romani bello Punico primo, alteram naufragio, alteram Pœnis depressam interire, etiamsi tripudium solistimum pulli fecissent, L. Junio et P. Clodio consulibus, classes tamen interissent.'—*Ex retractat. in hunc ipsum locum.* Dixi legendum videri, *tripudium solistimum*, non *tripudium sonumve*, quod *ve* particulam neuter scriptorum codicum haberet, et Toletanus *summum* præferret, non *sonum*. Nunc cogunt me nonnihil addubitare verba Servii grammatici exponentis carmen illud octavi Bucolici summi poëtæ: 'Sparge, marite, nuces, tibi deserit Hesperus Œtam:' ea sunt: 'Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Jovis nomine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit sicut Juno; nam nuces in tutela sunt Jovis, unde juglandes vocantur, quasi Jovis glandes. Nam illud vulgare est, ideo spargi nuces, ut a rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem deponentis possit audiri.' *Pintian.*

Pulvinati] In circulum subtumescentis, sed delumbata circinatione rotundi. *Dalec.*

Quam quia cadendo tripudium, &c.] Patresfamilias sponsi cum domesticos pueros meritorios ab officio turpi dimitterent, nuces dabant, quas spargerent, nuptialia Fescennina cantantes. Apud Græcos eodem instituto novus sponsus, *τὰ καταχύσματα*, juglandes, amygdala, et nuces id genus alias, spargebat, ut putant Grammatici, nuptæ clamor nea udiretur: scribunt enim, *τὰ κτύπια εἶναι ἐπικρεύματα τοῦ θαλάμου, ἃ ἐπικτυποῦσιν ἔξωθεν, ὅταν συγκατακλίνηται τῷ νυμφίῳ ἡ γημαμένη.* Vid. Scalig. in Catul. *Idem.*

Persicon atque Basilicon, &c.] *Ocellatas* vocat Tranquillus in Augusto, quod ea parte qua barbatæ suæ cati adhærent, cum avelluntur, oculi figura delineata conspiciatur, nec id in alia ulla nuce appareat. Alex. ab Alex. III. 21. quo loco plurima ludorum genera veteribus usitata commemorat, ocellatas nuces dici putat Persicorum nucleos, quod crebris velut ocellorum foraminibus pertusi sint; sed confidenter magis, quam recte: *κάρυα*, Hesychio, *τὰ Ἡρακλεωτικὰ κάρυα.* *Dalec.*

Caryon a capitis gravedine, propter odoris gravitatem, convenit dictum] Nucem capitis dolorem gignere medici omnes proclamant; unde nomen ei inditum sit *caryon*: fieri tamen id propter odoris gravitatem nullus quod meminerim prodit: quapropter tria illa verba, *propter odoris gravitatem*, commentitia esse existimo, et falso Plinianæ lectioni inserta. *Pintian.* *Caryon a capitis gravedine*] Galen. Comm. I. in 3. Epidem. tradit vicinia buxi, nucis, brassicæ propter *δυσωδίαν*, vicinum et circumjectum aërem, fieri semper *μοχθηρὸν*, *vitiosum.* Dalec.

Tinguntur cortice earum lanæ] Pulvinato calyce, quem Festus vocat culeolum, quasi exiguum culeum. *Idem.*

Duro fragilive] Duras apud Festum Titinnius moracias vocat, unde diminutivum moracillum. *Idem.*

Abellinas patrio nomine vocabant] Theoph. Hist. III. 15. *Idem.*

Amygdalis] Columella v. 10. *Idem.*

Acriore callo] De amaris id verum est, non de dulcibus. *Idem.*

Græcas nominat] Cap. 4. Ita et Varro II. 9. et III. 16. Vide infra XXIII. 8. *Dalec.*

Adjicit præterea avellanas et galbas, Prænestinas] Leg. *Adjicit præterea*

avellanas et calvas Prænestinas. In veteri glossario, *calva nux, κάρυον βασιλικόν.* In eodem, Albanæ nuces, Prænestinæ. In Priapeis, 'longæ nuces,' avellanæ: 'Nucemve longam, quam vocant abellinam.' Turnebo XXV. 19. calva nux quæ fructum calvum fert, id est, summo apice nudum, nec undique putamine corticis obductum, qualis est avellana. Turn. XXVII. 17. e Vet. Cod. legendum putat *abellanas*. Idem.

Nunc Thasiæ et Albenses celebrantur] Exemplar Salmanticense *Albeses* legit, non *Albenses:* quod non magno opere displicet; nam Festus 'albesia' appellat scuta, quibus Albenses usi sunt, qui fuerunt Marsi generis. *Pintian.*

Molluscæ] De iis Plautus, in Calceolo, molluscam nucem super ejus dixit impendere tegulas. *Dalec.*

Retulimus] Lib. XIII. cap. 5. Vide infra XXIII. 8. circa medium. *Idem.*

CAP. XXIII. *De castaneis genera octo.*

Nuces vocamus et castaneas] Virgil. 'Castaneasque nuces.' Castaneæ dictæ a Castano oppido Magnesiæ; aut, si Stephano credimus, Apuliæ, non procul Tarento. Eædem Sardianæ glandes a Sardibus, ut mox, et λόπιμοι ἀπὸ τοῦ λέπεος, corticoso integumento. Columel. IV. 43. *Idem.*

Ideo apud Græcos, &c. Nam Divus Tiberius postea, &c.] Nomen *Tiberius* in neutro exemplari habetur. Alioqui a nullo, quod sciam, nisi impudenti adulatore *Divus* appellatus est Tiberius, homo impurus et omni flagitiorum genere inquinatus, tanto minus a Plinio, qui omnes adulandi Tiberio causas procul habuit. Item paulo post *imposuere* legit, non *imposuit*, apographum Toletanum. *Pintian.* *Ideo apud Græcos, &c.*] Lege: *Ideo apud Græcos Sardianos balanos appellant; nam Dius balanum postea imposuere, &c.* hoc est Διὸς βάλανον. *Salm.* p. 601. b. Sequitur, quod sit legend. *Tarentinæ faciles nec operosæ cibo, figura rotundior. Quæ balanitis vocatur, purgabilis maxime et sponte prosiliens pura. Plana est et Salariana, Tarentina minus tractabilis.* Salmas. 603. a.

Intra nucleos quoque ruminatione] Lego, *scrupulosa corticis interioris circa nucleos quoque ferruminatione.* Ferruminatione, tanto adhæsu, et tam arcto, ut interior cortex glutinatus cum nucleo, solidatus, ferruminatus videatur, ideoque ab eo separari et divelli nequeat, quod vitium est. Potest et omitti vox *quoque*. Dalec.

CAP. XXIV. *De siliquis, et carnosis pomis, et moris, et de acinis, et baccis.*

Prædulces siliquæ] Gellius Flaminicas Diales in sacris venenato operiri scribit, quoniam in rica, id est, palliolo purpureo surculum haberent arboris siliquæ. Servius vetere cerimoniarum jure præceptum ait, ut Flaminica habeat inarculum, ricam, venenatum, sibulam, quibus in locis non hanc siliquam interpretor, sed rhododendron siliquatum, quod multis quadrupedibus venenatum est. *Dalec.*

Moris succus] Theoph. Caus. V. 21. Colum. V. 10. *Idem.*

Nascuntur et in rubis] Ovid. 'Cornaque et in duris nascentia mora rubetis.' *Idem.*

Quod solum pomum simile fructui terræ gignitur] Locus hic restituitur, ni fallor, si ad hunc modum scribatur: *quod solum pomum simile fartum aceri gignit*, ex Dioscoride lib. I. his verbis: 'Is cum manditur, veluti palearum acus linguæ et dentibus repræsentat.' *Pintian.* *Quod solum pomum, &c.*] Lege, *Quod solum pomum simile frutici terræque gignitur.* Fruticum et arborum fructus in alto, non humi gignuntur, ut herbarum, quarum fructus in terra fusi: ideo terræ et frutici simile pomum gigni dicit, fraga et unedones: consimiles igitur fruc-

tus fraga et unedo. Vide Salmas. p. 511. a. *Quod solum pomum, &c.*] Non recordabatur Plin. cum hæc scriberet, adrachnes fructum, quem similem memæcylo Theophrastus esse tradit Hist. III. 16. fructui quoque terræ, nempe frago, similem esse. Apud Pausaniam lib. IX. interpres vertit *portulacam*. Dalec.

Fructus anno maturescit] Theophr. Hist. lib. IX. *Dalec.*

Duobus tamen hoc nominibus appellant Græci, comaron et memæcylon] Si lectio hæc errore vacat, quod non puto, mirandum est tam diversum abiisse Plinium in hac traditione ab aliis auctoribus; nam Theophr. III. 16. arborem comarum vocat, fructum memæcylon: 'Comaros,' inquit, 'quæ fructum esui habilem memæcylon fert, magnitudine non nimium præstat.' Et Diosc. lib. I. 'Comaron,' ait, 'Romani arbutum dicunt: cotoneæ malo similis arbutus est, tenui folio, fructu prunorum magnitudine, sine nucleis, quem memæcylon vocant.' Hesychius glossographos: 'Comaros,' inquit, 'planta quædam est quæ memæcylon fert.' Confirmat id quoque Athenæus lib. II. consentiuntque ceteri omnes. Illud non præterierim, a Theophrasto præallegato loco cum *e* in prima syllaba, et *æ* diphthongo in secunda, *memæcylon* scribi; ab Athenæo autem et Hesychio cum i in prima, et eadem diphthongo in secunda, *mimæcylon*. Pintian.

Sambucique acini] Lucilius lib. XXVII. apud Nonium, Ardum, miserrimum atque infelix lignum sambucum vocat. *Dalec.*

Iis præcipue] Apyrenis. *Idem.*

Cerasis] Silvestribus, quorum fructus maturitate summa eum colorem accipit, et sativarum uni generi. *Dalec.*

CAP. XXV. *De cerasis, genera octo.*

Eadem, ut diximus] Lego, *Eædem, ut diximus, peregrinæ, Ægypto, &c.* Peregrinas quidem ut et Persicas dixit XII. 3. sed nusquam Ægypti solum dedignatas, præterquam hic. *Idem.*

Aproniana maxime rubent] Vide Theophr. Hist. III. 21. *Idem.*

Pliniana] Vulgo, *Duraines.* Idem.

CAP. XXVI. *De corno, et lentisco.*

In veneficiis] Ut fungis. *Dalec.*

CAP. XXVII. *De generibus succorum, et de odore.*

Saporum genera XIII. reperiuntur] Theophrastus simplices recenset Hist. I. 19. vinosum, pinguem, dulcem, acrem, amarum, aquosum, acidum. At Causs. VI. 4. dulcem, pinguem, amarum, austerum, acrem, acidum, acerbum, et ex quorundam sententia vinosum, ac salsum. *Idem.*

Acer] Acer, linguam urens, ut pyrethri; acutus, linguam pungens, ut cinamomi. *Idem.*

Omnes alieni] Præter proprium accedentes, præter τὸν οἰνώδη, præter uvæ saporem genuinum adventitii, quia in omni vino necessario non insunt. *Idem.*

Siquidem inest ei quod tamen jure dici dulce, et pingue, et suave non posset] Vetus lectio: *Siquidem inest ei quod tamen jure dicitur potest dulce et pingue, &c.* Legendum puto: *Siquidem inest ei (quod tamen jure dici suum non potest) dulce et pingue et suave, obtinenti tamen lenitatem, quæ ipsa succedit in saporis vicem;* ut illud verbum *tamen,* quod paulo post redundare videtur, huc transferatur: ita sensus erit dilucidus. *Pintian.*

Suum] Fatuum, ὑδατώδης. *Dalec.*

CAP. XXVIII. *De succis fructuum, et arborum, et coloribus, et odoribus, et natura pomorum, et de commendatione fructuum.*

De succis fructuum] Theoph. Hist. I. 19. et IX. 1. et Caus. I. 18. *Dalec.*

Ergo succorum vinosus pyro, &c.] Scribo *vinosi*, non *vinosus*, tum ex exemplari Salmanticensi, tum ex Theophrasto I. 19. 'Succorum vero

alii vinosi, ceu vitis, mori, myrti.' *Pintian.*

At pinguis] In eodem exemplari *pingues*, non *pinguis*, legas; et eodem jure statim, *dulcis* et *aquosus:* legendum *dulces*, et *aquosi;* sicque præfert idem exemplar. *Idem.*

Sua et in odore miracula] Theoph. Caus. toto lib. VI. *Dalec.*

Malis acutus] Suavis tamen, et adeo jucundus, ut vel animo defectos revocet : Plaut. in Amphit. 'Enimvero prægnanti oportet et malum dari, Ut quod abrodat sit, animo si male esse cœperit.' *Idem.*

Pariter odor et sapor] Pariter, non simul, alioqui id falsum foret, sed pari modo. Theophrast. de Odoribus: ὡς γὰρ ἐπὶ τὸ πᾶν, οὐδεὶς οὔτε χυλὸς ἄοσμος, οὔτε ὀσμὴ ἄχυλος. *Idem.*

Nullusque odor ficis] Ficis etiam siccis odor est, sed tenuis. Vide Scalig. in Theophr. Hist. I. 19. *Id.*

Alia siliquis gignuntur] Verbum *gignuntur* Plinianum non putamus, constante sine illo sensu, immo cum illo non constante. *Pintian.*

Semenque complexis amarum] Apud Dioscoridem de Siliqua, non, ut vulgo legitur : τὰ ἐκ τῶν στεμφύλων συντιθέμενα, sed legendum: τὰ ἐπὶ τῶν, κ. τ. λ. *Idem.*

Aliquorum intus baccæ] Lege, *Aliquarum intus baccæ, foris lignum*, id est, aliquarum baccarum, non pomorum. *Salmas.* 609. a. *Baccæ*] Abutitur hac voce ad nucleum significandum, ut in Perseæ fructu, quam et Persicam vocat XIII. 9. *Dalec.*

Carne et succo mora constant] Confer Theophr. Hist. I. 18. quem hic superavit. *Idem.*

Quædam] Fructuum genera. Vide XIII. 9. *Idem.*

In palmarum genere] Supra XII. 22. Spadonas eas vocat XIII. 4. *Idem.*

Et pomi vice, ut generi amygdalæ, quam in Ægypto, &c.] His verbis indicat, pomum longius pyro, inclusum amygdalæ putamine et còrio, colore herbido. *Gelen.*

Vasculis] Vel *flosculis*, ut apud Columel. XII. 45. id est, umbilicatis, in summo fructu cavis; vel, ut quidam legendum apud Colum. censent, *oculis*. Dalec.

In papyris et ferulis] Nam Ægyptii papyri caulem crudum coctumque mandunt, succum tantum devorantes, XIII. 11. Hac ratione caulem, sive thyrsum, καρπὸν Æschylus vocat; Βίβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν. *Guilland.* De papyro vide supra XIII. 11. ex Theophrast. Hist. IV. 9. De ferula infra XX. 9. et 23. ex Theoph. Hist. VI. 2. Vide et Dioscor. III. 90. *Idem.*

In siliquis vero quod manditur, &c.] Falluntur doctissimi viri, qui de siliquis leguminum hæc dici putarunt; de siliquis arboris, quæ κεράτια Græcis, omnino sunt accipienda. *Salmas.* p. 459. b.

CAP. XXIX. *De myrto, genera ejus XI.*

Bini genera fiunt] Unum genus vini myrtei docet Cato c. 125. Palladius in Januario c. 19. Dioscor. lib. V. At duo hujus vini genera describit, nempe album et nigrum, Colum. XII. 38. Olei genera duo tradit Dioscorides: Pallad. unum in Januario c. 18. *Dalec.*

Ut diximus] Supra XIV. 16. *Idem.*

Nunc myrtatum vocatur] Etiamnum *murtatum*. Varro de Ling. Lat. lib. IV. 'Quod in extis dicitur nunc prosectum, murtatum a murta, (sic et Cato pro myrto,) quod eo large fartum intestinum crassum.' *Idem.*

Ad intinctus] Τὰ ἐμβάμματα, liquores nimirum vel liquamina, quibus aut panem aut carnem intingimus ad saporis gratiam, et gulæ irritamentum: ἀρτύματα, odorata et aromata, quæ liquoribus induntur, ut eos condiant. Sæpius alterum pro altero usurpatur. *Idem.*

Arbor ipsa in Europæ, &c.] Virgil.

in Culice 'Parthicam' vocat: 'Et rosa purpureo crescit rubicunda colore, Et violæ omne genus hic est, et Parthica myrtus.' Apud Athenæum quoque lib. xv. Apollodorus lib. iv. τῶν Παρθικῶν scribit in Parthia μυρσίνης εἶναι ποικίλα γένη, μίλακά τε, καὶ καλουμένην φιλάδελφον. *Idem.* *Arbor ipsa in Europæ citeriore cœlo*] Lego, *Arbor ipsa in Europæ tetriciore cœlo*, ex exemplari Toletano, rectissime. *Pintian.*

Elpenoris tumulo] Hic est Elpenor unus ex Ulyssis sociis, quos a Circe in porcos mutatos fabulatus Homerus Odyss. K. *Dalec.*

Cum propter raptas virgines, &c.] Livius lib. i. *Idem.*

Veneris Cluacinæ] Luere, purgare: Lua mater, Dea quæ purgabat: ei nonnunquam ad instrandam hostium cædem arma et spolia incendebantur. Cluacina Venus, quasi luacina, a purgatione est dicta, quamvis Tertullian. a cloaca Cloacinam dictam contendat. *Dalec.*

Inter antiquissima namque, &c.] Semper id clausum fuit, nec aperire licebat, quasi arcanum haberi vellent, an humo tectus, an inter Deos Romulus relatus fuisset, tametsi Varro post rostra Romuli sepulchrum fuisse scribat. Alex. ab Alex. ii. 14. *Idem.*

Patricia multis annis prævaluit, &c.] Lege, *Patricia multis annis prævaluit exuberans ac læta, quamdiu senatus quoque floruit, illa ingens, plebeia, retorrida ac squalida: quæ postquam evaluit flaccescente patricia Marsico bello, &c.* Salmas. 442. b. *Patricia multis annis prævaluit flaccescente plebei*] Duo ultima verba delenda, si codici Toletano credimus. *Pintian.*

Illa vigens] Verba hæc falso adjecta putamus. *Idem.*

Flaccescente patricia] *Flavescente patricia*, in utroque codice, non *flaccescente.* Idem.

Murtiam vocant] Idem Plutarchus in causis Rom. Alia fuit Murcea desidiæ ignaviæque Dea, de qua vide Gyraldum. De Venere Murtia, quæ ædem habuit ad metas primas Circi, prope Consi aram defossam, Tertull. de Spectacul. Vide Murcia apud Festum. Porro ut Veneri Myrtus sacra est, sic Jovi æsculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Herculi populus, Baccho hedera, Pani pinus, Diti cupressus. Itaque cum iis Divis sacrum fieret, sua fronde templum araque ornabatur. Alex. ab Alex. iv. 17. *Dalec.*

Cato] Cap. 8. *Idem.*

Exoticam densissimo] Plurimum hoc loco debemus archetypo Salmanticensi, cujus beneficio restituitur locus pulcherrimus; legendum est enim ex eo non *exoticam*, sed *hexastícham*, hoc est, sex ordinum; unde statim sequitur: *senis foliorum versibus.* Meminit et Columella lib. ii. cujusdam generis ordei, quod vocetur hexastichon, et alterius quod distichon. *Pintian.*

Myrtus odoratissima] Theophrast. Caus. vi. 27. *Dalec.*

Atque ita in mulso indita] *Musto* non *mulso* agnoscit codex Toletanus; quam lectionem confirmant verba Catonis cap. 124. 'Myrtum nigram arefacito in umbra: ubi jam passa erit, servato ad vindemiam: in urna musti myrtæ semodium: id oblinito: ubi desierit fervere mustum, myrtam eximito. Id est ad alvum crudam,' &c. *Pintian.*

Postea compertum] Columel. xii. 38. *Dalec.*

Folia et per se sicantur] Vide supra xiv. 22. *Idem.*

Virgæ quoque ejus gestatæ, &c.] Ad myrtum Græci olim canebant, ejusque ramo tradito, illum, qui postea cantaturus esset, invitabant. Alex. ab Alex. ii. 25. *Idem.*

Quin et virgei anuli, &c.] In antiquis sanctuariis Turn. reperit, *Quin et virgæ jaculi;* fortasse quod e myrto jacula nonnunquam fierent, quorum

hastile nondum ferro spiculatum virgam vocant. Virgilius: 'Crebris hastilibus horrida myrtus.' Iterum: 'Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.' Itaque 'virgæ jaculi' dici possunt, tam grandes, ut pro jaculo muniri ferro possint. *Idem.*

Myrto Veneris Victricis coronatus incessit] Dionysius Halicarnasseus non myrto, sed laurea coronatum tradit, volumine quinto. *Pint.* *Myrto Veneris Victricis, &c.*] Myrto, quod Plin. tacet, mortuorum busta etiam Græci ornarunt, cum inferias solverent. Euripides in Electra: *Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος, Οὐ πώποτε χοὰς, οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης Ἔλαβε, πυρὰ δὲ χέρσος ἀγλαϊσμάτων.* Cui respondet Agamemnonis altor: *Ἦλθον γὰρ αὐτοῦ πρὸς τάφον, πάρεργ' ὁδοῦ, Καὶ προσπεσὼν ἔκλαυσ', ἐρημίας τυχὼν, Σπονδάς τε, λύσας ἀσκὸν, ὃν φέρω ξένοις, Ἔσπεισα, τύμβῳ δ' ἀμφέθηκα μυρσίνας.* Victorius XVI. 2. Præterea qui olim in conviviis carmina cantabant, myrtum laurumve manu tenebant; laurum, qui versus Homericos recitarent; myrtum, qui Æschyli, Simonidis, Stesichori. Apud Plutarchum Dicæarchus de certaminibus musicis. *Dalec.*

Papyrium Massonem] Valer. Max. III. 5. *Idem.*

Ludos Circenses] De Circensibus vide quod notatum est ad XXXVI. 22. hujus operis. *Idem.*

CAP. XXX. *De lauro, genera tredecim.*

Pontificumque] Pontificum majorum et minorum gradus, ordinem, dignitatem, jus, auctoritatem, immunitatem, cultum, munus et officium, collegia, prolixe describit Alex. ab Alex. II. 8. Pontifices a ponte dictos volunt; quod iis solis licet pontem sublicium ligneum, nullo ære vel ferro compactum, si collaberetur, cæsa victima, et sacrificio peracto, reficere. Pontificum galerus insigne fuit, ut augurum lituus. *Idem.*

Delphicam et Cypriam] His duabus addit tertiam Cato cap. 8. silvaticam; quod mirum est Plinium tacuisse. *Dalec.*

Pompeius Lenæus] Pompeii libertus, Grammaticus doctissimus, de quo XXV. 2. Olim gentilitium nomen patronorum liberti assumebant. Auctor Lactant. lib. III. Inst. Tertul. de Resurrect. Carnis. Sic Carvilius Carvilii libertus nominatus est Plutarcho, Laurea Tull. Ciceronis XXXI. 1. Cornel. Alexander Cornelii Lentuli, Suidæ. Brissonius II. 14. Persius: 'Verterit hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama.' *Idem.*

Mustaceis subjiceretur] 'Mustacei' Catoni, 'mustacea' Juvenali, fiunt e farina siliginis musto conspersa, anyso, cymino, adipe, caseo, ramentis virgæ lauri subditis, dum coquuntur lauri foliis. Juvenal. 'nec est quare cœnam et mustacea perdas Labente officio, crudis donanda.' *Idem.*

Iidem in alio genere baccaliam appellant hanc, quæ vulgatissima est baccarumque fertilissima] De eadem XVII. 10. 'Laurus plurimis modis seritur. Genera ejus diximus. Ex his augusta et baccalis et tinus simili modo seruntur.' Nempe 'baccalis' et 'baccalia' idem, ut 'hortensis' et 'hortensia.' Cæterum et suspicabar aliquando Ovidium scripsisse Met. XV. 590. 'ante tamen baccali cornua lauro Velat.' Etsi 'pacali' suam habeat Venerem. *Gronov.*

Docebimus] Mox eodem hoc capite. *Idem.*

Est et Alexandrina, &c.] Lege: *Est et Alexandrina, quam aliqui Idæam, alii hypoglotton:* male legitur, *hippoglotton.* Salmas. p. 403. a. *Idæam* appellari volunt, quod in Ida monte plurimum nascatur. *Est et Alexandrina, &c.*] Theoph. Hist. III. 17. *Dal.*

Id quoque, quod Daphnoides vocatur, genus, in nominum ambitu est; alii enim Pelasgum, alii eupetalon, alii stephanon Alexandri] Hic vides *stephanon Alexandri* vocari τὸ δαφνοειδὲς, quod cog-

nomentum proprie convenit Alexandreæ lauro, quod ea coronari solitus esset Alexander. Paris in agonalib. certaminibus. Vide Salmas. pag. 403. b. *Id quod, &c.*] Vide quæ de chamædaphne sunt adnotata infra XXIII. 8. et XXIV. 15. *Dalec.*

E nigro ruffis] Nigris vel ruffis. Dioscor. bacca nigra est Daphnoeides. Theophr. IX. 15. In Arcadia nascitur Daphnides croceum, id est, croceis baccis. Utrumque Plinius hic significat. *Idem.*

Ideoque etiam grata Apollini] Nam, ut ait Hesiodi interpres, ἐνεργεῖ πρὸς ἐνθουσιασμούς. Ideo μαντικὸν φυτὸν nominatur. Sophocles in Cassandra: Δάφνην φαγὼν ὀδόντι πρῖε τὸ στόμα. Lycophron, δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Vates certe lauro semper coronati futura præcinebant. Vide Rhodig. v. 7. *Dalec.*

Lauriferam tellurem illam osculatus ex responso] Titus Livius, Ovidius, et alii auctores, non explicant, utra fuerit terra, quam exosculatus sit Brutus, Delphica an Italica. Plinius Delphicam intelligit; Dionysius Halicarnasseus, quarto volumine, Italicam: 'Brutus,' inquit, 'intelligens quid vellet declarare Deus, ubi quam celerrime Italicam terram ascendit, procidens osculatus est terram, hanc esse putans omnium hominum matrem.' *Pint. Lauriferam tellurem, &c.*] Livius lib. I. Valer. Max. VII. 3. Ovid. Fast. II. *Dalec.*

Honorem ei habitum, &c.] Et, si quando Imperatores de hostium exercitu deleto, aut expugnata urbe ad senatum scriberent, literis exornandis, quas nunc victrices, nunc laureatas appellabant. Ovid. 'Non ego victrices lauro redimire tabellas,' &c. Brod. I. 33. Alex. ab Alex. I. 27. Quin et iidem insigni victoria parta, laureatis fascibus incedebant, nuncios cum laureatis jaculis mittebant, navesque laureatas, aut vittatas. *Idem.*

Pollui oleam fas non est] Castitas etiam requiritur in oleæ cultura. Constantinus Γεωπονικῶν lib. IX. Palladius I. 9. *Idem.*

Laurus quidem, &c.] Inde Græcis δάφνη quasi δαφωνὴ dicitur. Crepitum eum sonorum portendere fœlicia existimatum a Theocrito, Lucretio, Porphyrio: contra vero, laurum injectam igni et tacitam, tristia. Tibullus: 'Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.' Propertius: 'Et tacet extincto laurus adusta foco.' Rhodig. v. 7. *Idem.*

Tiberium principem, &c.] Suetonius in Tiberio cap. 69. *Idem.*

Circa Divum Augustum] Idem in Augusto, et Dion lib. XLVIII. *Idem.*

Liviæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit] Vertranius ad Taciti Annal. I. 8. corrigit *mariti.* Forte: *quæ postea Augustæ matrimonio nomen accepit.* Gronov.

Nonum lapidem] Nonum milliare, Plutarcho. Tiberius Gracchus vias milliaribus dimensus est omnes: quod spacium parum abest ab octo stadiis, ejusque mensuræ notam lapideam columellam statuit: ac præterea ex utraque parte viæ lapides parum ab invicem distantes disposuit, e quibus facilius salire in equum liceret, nec τῷ ἀναβολεῖ opus esset: quo in loco ἀναβολέα quidam stapham nostram exponunt, alii servum corpus domini prehensis natibus attollentem. Inde usus obtinuit, ut milliare lapis vocetur. Brissonius IV. 9. *Dalec.*

Nomen imponitur viris] Libertus Ciceronis Laurea Tullius vocatus est. *Idem.*

Theophrastus] Lib. II. cap. 1. *Id.*

LIBER XVI.

Silvestrium arborum naturæ.

Prooem. *Idque munus etiam, &c.*] Ut jucundioribus, scilicet, industria operaque nostra fructibus, ac suavioribus, vescantur. *Dalec.*

Quæ primo victum mortalium aluerunt] *Primæ*, non *primo*, archetypum Toletanum. Cæterum commonere hic lectores libuit, deseri nos in præsenti volumine, reliquisque insequentibus, a semiveteri illo exemplari bibliothecæ florentissimæ hujus Salmanticensis Academiæ, cujus testimonio in superioribus usi sumus; neque enim plures quindecim libros illud complectitur: reliquum præsidii nobis superesse in uno tantum Toletano codice, tantæ tamen integritatis, ac in locis numerosissimis tam indubitatæ fidei, ut, quod de Platone dixit Antimachus, solus sit instar omnium. *Pintian.*

Cap. i. *Gentes sine arbore, et miracula in Septentrionalis regionis arboribus.*

Captumque manibus] Scribendum reor *capiuntve manibus*, ut intelligas piscem. *Pintian.*

Lutum ventis magis] Bituminosum, quo in culina, et usu domestico, non aliter quam ligno utuntur. *Dalec.*

Et rigentia septentrione viscera sua urunt] *Suburunt* commodius scribetur, quam *sua urunt*. Pintian.

Multis fortuna, &c.] Publius Laberius: 'Fortuna multis parcere in pœnam solet.' *Dalec.*

Cap. ii. *De Hercyniæ silvæ magnitudine.*

Hercyniæ silvæ] Melæ Hercyniæ silvæ magnitudo sexaginta dierum itineris est ab Istro usque ad Neccarum. Ea *Schwartzwaldt* dicitur; a Neccaro ad Mœnum, *Ottenwaldt*; a Mœno usque ad fluvium Lonam, quem et *Mosul* vocant, prope Confluentiam, *Westerwaldt*. Inde Franconiam ab Hassia et Thuringia dividens, in Boëmiam, Moraviam, Sarmatiam, Pannoniam, Getas porrigitur, variis appellata nominibus. *Dalec.*

Arcus, &c.] Radicum in altum sublatarum. *Idem.*

Rixantes] Collisu veluti dimicantes. *Idem.*

Cap. iii. *De glandiferis.*

Cap. iv. *De civica corona, et qui frondea corona donati.*

Civicæ coronæ] Corona querna et draconum voluminibus olim Triviæ Dianæ, τῆς Εἰνοδίας, sive Τριοδίτιδος, quam eandem esse cum Hecate putabant, imaginem coronare mos fuit. Sophocles in Rhizotomis apud interpretem Apollonii: Ἥλιε δέσποτα, Καὶ πῦρ ἱερὸν, τῆς εἰνοδίας Ἑκάτης φέγγος, τῷ δι' Ὀλύμπου Πολλῇ φέρεται καὶ γῆς, καίουσ' Ἱερὰς τριόδους, στεφανωσαμένη Δρυσὶ καὶ πλεκτοῖς Ὠμῶν σπείρησι δρακόντων. Hanc coronam ut inferis Diis, sic etiam Parcis imponebant. Catullus: 'His corpus tremulum complectens undique quercus, Candida purpureis ramis induxerat ora.' Purpureis, τοῖς ἀγλαοῖς. *Scaliger.*

Clementiæ Imperatorum] Hac ratione Palatinæ ædes, et Augustæ quercu coronabantur, ut regis sacrorum, flaminis, Pontificis maximi, lauro. Alex. ab Alex. iii. 27. *Dalec.*

Itemque M. Agrippa] In denario

antiquo gentis Vipsaniæ Marci Vipsanii Agrippæ altera parte signatum caput est, cum rostrata corona, altera Neptunus delphinum manu dextra gestans: in alius denarii parte altera caput Agrippæ cum civica et rostrata corona, altera Augusti caput. *Idem.*

Rostra navium] Ex ære illa fuerunt, unde æratæ naves, rostratæ, Græcis χαλκέμβολοι, et χαλκέμβολοι. Virg. Æn. IX. 'Quot prius æratæ steterant ad littora puppes.' Brod. IV. 18. vide Navalis apud Festum. *Idem.*

In sacris certaminibus usurpatæ] Olympiis, Nemeis, Pythiis, Isthmiis. Vide supra VII. 26. *Idem.*

Ac data ubique] Plutarchus in Quæst. Roman. 92. *Idem.*

Superbæ] Coronæ. *Idem.*

Summæ] Clarissima ex oleastro in Olympicis, ut diximus. *Idem.*

Quæ sub ipso Jove datur, cuique, &c.] Confert leges Romanas de civica cum illa Græcorum de Hieronicis, hoc est, sacrorum certaminum victoribus, in quorum honorem patria cuique sua redeunti murorum partem diruebat, qua oppidum intraret: tanquam nihil opus esset mœnibus civitati, quæ tales viros gigneret. Mox subjiciuntur capita legum: *Civem servare: Hostem occidere, &c.* Gelen.

Cuique muros patriæ, &c.] Nero e Græcia reversus Neapolim, quod in ea primum artem canendi protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos est hieronicarum. *Dalec.*

Retulimus suo loco] Lib. VII. cap. 28. *Idem.*

De patre accipere, &c.] Consule cum Hannibale pugnante adversis auspiciis ad Ticinum. *Idem.*

Apud Trebiam] Apud Ticinum. Val. Max. V. 4. Seneca de Beneficiis III. 33. *Idem.*

CAP. V. *De glande, genera XIII.*

Glandes opus, &c.] Theophr. Hist. III. 9. et 10. *Idem.*

Lege XII. tabularum] Ræyardus cap. 26. in LL. XII. Tabularum. *Idem.*

Distant fructu, situ, sexu, sapore] Videtur nullo modo legi posse *fructu*; nam quatuor hic differentias Plinius notat, quas statim singulatim exequitur, cum tamen nulla sit quæ fructui respondeat. Scribendum igitur *figura*, non *fructu*, ut confestim fit manifestum. *Pintian.*

CAP. VI. *De fagina glande, et reliquis glandibus, et carbone, et pastu porcorum.*

Fagi glans nuclei similis] Castaneæ, Theophr. Hist. III. 10. qui et fagum ὀξύαν vocat: Gaza vertit inepte *scissimam*. Dalec.

Folium tenue] Folium crassum, pyro simile. Theoph. *Idem.*

Baccam viridem] Duriusculum tuberculum baccæ simile. *Idem.*

Suber] Omittit Haliphlœon, quam postea memorat. *Idem.*

Ilicis duo genera] Theoph. Hist. III. 16. *Idem.*

Smilaces a quibusdam, &c.] Legend. *smilaces a quibusdam Græcis dictæ, in provinciis aquifoliæ sunt ilices. Glans utrinsque brevior, &c.* Duo genera ilicis facit, et utrumque describit: ex iis esse in Italia, folio non multum ab oleis diverso; ergo nec aculeato: in provinciis vero aquifolias ilices, ab aculeatis nimirum foliis sic dictas. Multum itaque distant apud Plinium *aquifolia ilex*, et *aquifolium*: *aquifolia ilex* genus est omnes ilices comprehendens, quæ aculeato sunt folio: aquifolium spinæ genus. *Salmas.* pag. 271. b.

Acylon appellat] Acylon hodie Græci, præsertim in Lemno insula, *acylaca* vocant. Bellonius smilacem. Plinius glandiferam a phellodryi nescit distinguere. Smilacis folium in ambitu minime pungit: phellodryi vero aculeatum est et margine, et cacumine, agriæ modo: quamobrem Dores agriam, quæ Latinis aquifolia est, vocaverunt. Theophrast. Hist.

III. 16. Smilaces etiamnum Græci vocant *milaci*. Dalec.

Masculas ilices negant ferre] Theophrast. Hist. III. 16. quo loco tractat de ilice, smilace, phellodryi, nusquam id scribit. Vide vocem παζαλιθάζουσι in Diction. Constantini. *Idem.*

Glans optima in quercu, &c.] Dulcissima in fago atque grandissima, mox hemeridi; nam latifoliæ parva, cerro amarissima. Theophr. *Idem.*

Latifolia] Fagi. Theoph. *Idem.*

Probatur et ea, &c.] Id accidere glandi maris fagi, et haliphlœi, tradit Theophrastus, sed glandem non commendare. *Idem.*

Lapidescit duritia] Nunc in cute, nunc in carne. Theoph. *Idem.*

Fertius lignum quercus habet, et incorruptius, rameas et ipsa, procerior tamen et crassior candice] Legendum non *quercus*, sed *fagus*; et non *procerior*, sed *brevior*. Utrumque evidentissime ex Theophr. III. 9. comparat enim hemerida, quam Theodorus 'placidam' vertit, cum fago: 'Namque placida,' inquit, 'non erecta, nec levis, nec excelsa est; quippe quæ corpore in orbem comoso, contorto, sinuosoque stet, ut nodosa alataque assurgat. Materies robusta, verum infirmior quam fago; hæc enim robustissima, putredinique nulli obnoxia est. Sed nec ipsa erecta, quanquam minus torta quam quercus, caudice vero crassissimo constat, ut tota quæque brevis species reddatur; nam ejus etiam corpus in orbem comosum minimeque erectum est.' *Pintian.*

Ab hac proxima latifoliæ proceritas, sed minus utilis ædificiis: atque carbone dolata vitiis obnoxia est. Quam ob rem solida utuntur, carboni ærariorum tantum officinis compendio; quoniam, &c.] Scribo: *Aspris dolata, vitiis obnoxia. Quam ob rem solida utuntur. Carboni utilis, ærariorum tantum officinis compendio, &c.* Theophr. lib. III. de aspri arbore loquens: 'Materies,' inquit, 'improba, et laborata quidem inutilis; rumpitur enim et cadit: rudis autem melior: ob id sic ea utuntur. Improba etiam ad cremandum et ad carbonem faciendum; quippe cum carbo ejus omnino inutilis, quod transiliat scintilletque, præterquam ærariorum officinis; his enim utilior cæteris hic habetur, quod enim flatu desinente protinus extinguitur, parum absumi potest.' *Idem.* Legend. *Ab hac proxima latifoliæ proceritas, sed minus utilis ædificiis atque carboni, dolata vitiis obnoxia est: quamobrem solida utuntur. Carbo in ærariorum tantum officinis compendio, quoniam desinente flatu emoriens protinus recoquitur.* Paulo post lege: *quercu distusam: gravissima et ipsa glandium atque dulcissima.* Sequitur: *proximam huic cerream tradit Nigidius, nec ex alia solidiorem carnem, sed duram.* *Cerrum* Latini vocarunt, quam Græci ἀζόην. *Salmas.* p. 384. a, b.

Vitiis obnoxia est] De cerro, sive aspri Macedonum, hæc Theophr. Hist. III. 10. *Dalec.*

Item e novellis melior] Idem Hist. V. 16. *Idem.*

Caminantur] In camini formam oblinuntur. *Idem.*

Durescens calyx] Corium, seu tegumentum, lutosa crusta. *Idem.*

Atque ita sudorem emittit] Hoc fieri Theophrastus vult, ut excitata flamma omnia corripit. *Idem.*

Haliphleos] Scribe *haliphlœos* cum æ diphthongo in tertia. *Pintian.*

Eidem raro glans, et cum tulit, amara, quam præter sues nullum attingat animal, ac ne eæ quidem si aliud pabulum habeant] Hæc verba falso hic inserta sunt, falsoque haliphlœo tribuuntur, ad hemeridem enim pertinent, et cum his quæ de illa paulo ante dicta sunt continuari debent, ex Theophr. IV. 10. 'Hemerida,' inquit, 'quam alii sterilem dicunt, alii fructum adeo vitiatum ferre, ut eum animal nullum

mandere possit præterquam sues, et hos cum aliam nullam habent.' *Idem.*

Nullum attingat animal] De cerri glande id Theophr. *Dalec.*

Iligna] Horatius: 'Umber, et iligna nutritus glande, rotundas Curvet aper lances carnem vitantis inertem.' *Id.*

Angustam] Compacta et minime laxa carne. *Idem.*

Tradit Nigidius] Contra judicium Theophrasti. *Idem.*

Hanc novissimam cadere] Quoniam sero maturescit, novaque veterem occupat. Theophr. Hist. III. 16. *Id.*

Quæ glandem ferunt omnes et gallam] Videtur hoc falsum esse; nam ilex glandem fert teste Plinio hoc ipso libro et capite, et Theophrasto de Hist. Plant. III. 16. et tamen gallam non fert, ut eodem loco refert Theophrastus. Videtur autem deceptus Plinius, dum Theophrastum sequitur male intellectum; nam quod Theophrastus eodem libro cap. 9. tradit de generibus roboris, ferre videlicet omnia genera glandem et gallam, id Plinius ad omnes glandiferas arbores transtulit. Annotavit hoc ante me Genesius Sepulveda Doctor Theologus, ac Cæsareæ Majestatis Historiographus, vir multarum disciplinarum scientia clarus, Græcaque ac Latina facundia eminentissimus. *Pintian.*

Similem huic latifolia, sed leviorem] Scribo diphthongo *æ lævioren*, ut intelligas lævorem, non levitatem, ex Theophrasto. *Idem.*

Hæc tingendis utilior] Adde verbum *lanis* ex Theophrasto evidenter, III. 9. 'Fert,' inquit, 'et alteram nigram, qua lanas tingunt.' *Idem.*

CAP. VII. *De galla, et quam multa præter glandem eædem ferant arbores.*

De galla] Theophr. Hist. III. 6. et infra XXIV. 4. *Dalec.*

Sole de Geminis exeunte] Theophr. loco citato tempore secundæ germinationis, quæ fit circa desinentem Martium, cum in Ariete sol adhuc vertitur. *Idem.* *Sole de Geminis exeunte*] Theophr. III. 6. 'Scirthophorione mense:' Theodorus 'Martio' transtulit. *Pintian.*

Hoc est ut nucleum fabæ magnitudine habeat] Scribendum puto, *hoc est cur nonnullæ fabæ magnitudinem habeant*, ex Theophr. III. 6. 'Si ab æstu,' inquit, 'occupetur, arescit, augerique amplius nequit: qua de caussa earum aliquæ non majores fabis evadunt.' *Idem.*

Robur, præter fructum] Theophrasto, præter fructum, quercus hæc omnia fert: Κηκίδα, συκαμινώδες, αἰδοιώδες, ταυρόκεφαλον, πίλον, σφαίριον, μελιτήριον, σφαίριον μασχαλαγενὲς, λιθάριον, σφαίριον φυλλικὸν, σφαίριον ὑδατώδες. *Dalec.*

Utrunque genus] Album et nigrum. Theophr. Hist. III. 10. *Dalec.*

Nascuntur in eo pilulæ nucibus non absimiles intus habentes flocculos, &c.] *Nucleis* hic legendum non *nucibus*: Idem Theophrastus docet III. 8. 'Fert,' inquit, 'et quod quidam pilum appellant: id pilula est, comam gerens lanaceam, mollem, nucleo durior, qua in lucernarum luminibus utuntur.' *Pintian.*

Adhærentes] Adhærentes, intus sculptas, varii coloris; nam eminentes umbilicos aut candicantes, aut punctis maculosos, aut nigros: media splendida et coccinea. Apertæ vero et nigræ sunt, et putres. Theophr. *Dalec.*

Apertis amara inanitas est] Legendum forte *atra* potius quam *amara*. Theophr. III. 8. 'Aperta nigra et fruticans cernitur.' *Pintian.*

Et in folio rubente, &c.] A tergo vero folii, mediæ costæ insidentes, *pilulas albas*, σφαίρια λευκὰ, pellucidas, aquosas, quandiu molles sint, in quibus et muscæ interdum nascuntur: durescunt in modum gallæ parvæ et levis. Theophr. *Dalec.*

CAP. VIII. *De cachrye, et cocco grano, et agarico, et subere.*

Ferunt robora] Theophr. Hist. III. 7. *Idem.*

Cachryn] Cachrys foliorum conceptu, e medio germinis globo prominens, tanquam parturiente folium natura, qui in folia post explicatur: convoluta e foliis pilula iulus, in juglande et avellana racematim compactus callus, floris vicarius. Cyttarus in coniferis gradatum squamosumque nucamentum, rudimentum fructus: bryon in quercu, racemosi villi, qui loco floris sunt. Hæc diligenter distinguenda. Κάγχρυν pro libanotidis semine quidam scribunt. *Idem.*

Urendi vim habens] Roboris et arborum sequentium cachryn inepte confundit cum rosmarini pilula acri et urente, quæ etiam cachrys dicitur; ut et medulla seminis crethmi, XXVI. 8. non procul a fine. *Idem.*

Tilia, nunc, platano] Theophrastus *castanea*, non *platano*, III. 7. *Pintian.*

Continet nucleum, &c.] Hoc de iulis avellanarum Theophrast. esse nuci pineæ similes, crescere hieme, aperiri vere totos, &c. Dormitavit hic Plinius. *Dalec.*

Boletos suilloque] Vide infra XXII. 23. *Idem.*

Robora ferunt et viscum] Theophr. XXII. 10. *Idem.*

Granum hoc primoque, &c.] Legend. *Granum hic primoque seu scabies fruticis parvi, aquifoliæ Ilicis: coscylium vocant.* Hic coccus, inquit, et primo seu scabies parvi fruticis, aquifoliæ nempe ilicis, et coscylion vocatur. Ilicem solo croco provocare omnes roboris dotes ait; non omnis ilex coccum βαφικὸν fert; sed aquifolia. Vide Salmas. p. 268. b.

Cusculium vocant] Fortassis *quisquilium*; nam *quisquiliæ* Festo, quidquid surculorum foliorumve cadit ex minutis arboribus, ac inde res quævis nihili. Cæcilius: 'Quisquilias volantes, venti spolia memorasti modo.' Nævius in Togularia: 'Abi, deturba te saxo, homo non quisquiliæ;' id est, non nauci. Coccum scapis derasum cadere notum est: inde *quisquilium* appellarunt. *Dalec.* Imo *cusculium*; est enim Hispanum vocabulum, non Romanum; et 'cusculiatum' videtur olim dictum, quod nunc depravate 'scarlatum.' *Gelen.*

Tradidimus] Supra IX. 4. et infra XXIV. 4. *Dalec.*

Glandiferæ maxime, &c.] In laricibus maxime nascitur. *Idem.*

Odoratus] Imo potius odoris expers. *Idem.*

Nocte relucens] Fabulosum hoc. *Id.*

Non in cortice modo, verum et e ramis dependentes] Contraria prodit Theophrast. III. 9. 'Nascitur,' inquit, 'idem cortice non e surculo unde glans, neque e gemma, sed e latere supernorum nodorum.' Quare hic mallem legeres, *e cortice modo*, quam *e ramis*. Pintian.

Usus ejus ancoralibus] Theophrast. Hist. III. 16. *Dalec.*

In hiberno fœminarum calceatu] Non solum valetudinis causa id fœminæ hieme fecerunt, sed ut grandiores viderentur. Clemens Alexandr. Pædag. III. ex Alexi Comico: τυγχάνει μικρά τις οὖσα; φελλὸς ἐν ταῖς βλαύταισιν ἐγκάττυται. Xenophon de tuenda re famil. de uxore Ischomachi, ὑποδήματα δ' ἔχουσαν ὑψηλὰ, ὅπως μείζων δοκοίη εἶναι ἢ ἐπεφύκει. Victorius XV. 25. *Idem.*

Qui fœminam ilicem vocent] Hæc male. De Phellodryi id Theophrastus, non de Subere. *Idem.*

Nec in Italia tota nascitur, &c.] Falsum id; nam quod et Theophr. ait, Thyrrheniæ, id est, Hetruriæ familiarissima est, et pene propria. *Idem.*

CAP. IX. *Quarum sint in usu cortices.*

Vasa corbesque ac patentiora quædam] Immo e contrario lego, *corbesque ac patentiora quædam vasa*. Pintian.

Scribit in recenti ad duces explorator] Literis ob succi madorem non conspicuis, et cum siccatus fuerit cortex

apparentibus. *Dalec.*

Nec durat arbor ipsa] Cortice spoliata. *Idem.*

CAP. X. *De scandulis, et pinu, pinastro, abiete, picea, larice, teda, taxo.*

Fagutali Jovi] Varroni de Ling. Lat. lib. IV. in Esquiliis fuit lucus Fagutalis et Virarum querquetulanum sacellum, et lucus Mesitis. *Viras* Festus dictas vult nymphas, quæ præsident querceto virescenti, Χλωρίδας καὶ Ἁμαδρυάδας. *Idem.*

Nec forma alia] Nam camerato ramorum et foliorum veluti fornice imbrem prorsus respuit. Theophr. *Dalec.*

Sextum genus est teda proprie dicta] Male hæc. Vide Theoph. Hist. III. 12. Tedæ nomen πολύσημον est. Nunc enim pini resinosum et pingue lignum significat, τὴν δᾷδα, quod lucernæ candelæve loco uritur; nunc arborem sui generis, ignotam Theophrasto, quam *Cembro* vocant Tridentini, Allobroges *Auvia.* Dalec. Vide Salmas. p. 505. a.

Lumini sacrorum etiam grata] Inde lustrales faces, quas Claudianus VI. Consulatu Honorii describit luculenter: 'Lustralem sic triste facem, cui lumen odorum Sulphure cæruleo, nigroque bitumine fumat, Circum membra rotat, doctus purganda sacerdos, Rore pio spargens, et dira fugantibus herbis Numina, terrificumque Jovem, Triviamque precatus, Trans caput aversas manibus jaculatur in Austrum, Secum rapturas cantata piacula tedas.' Ovidius: 'Uror ut inductæ cerato sulphure tedæ.' Vide quæ notata sunt XXXV. 25. Juvenal. 'si qua darentur Sulphura cum tedis.' Ab agitatione quæ in orbem fiebat, ductum est verbum 'circumferre' et 'circumferri.' Virgilius: 'ter socios pura circumtulit unda.' Plaut. in Amphit. 'So. Quæso quin tu istam jubes Pro cerrita circumferri?' *Lustrati*, περιμάττεσθαι, περιαγνίζεσθαι, καθαίρεσθαι, quod fieri ovis solitum, teda, scilla, sulphure, carmine ad aurem insusurrato. Turneb. Adnot. IV. 15. et IX. 10. sed manibus prius rore pio, sive expiatorio ablutis: quod Aristophanes, ἐν Εἰρήνῃ, χερνίπτεσθαι dixit. Apuleius lib. XI. Asini aurei de expiata nave: 'Summus sacerdos,' inquit, 'teda lucida, et ovo, et sulphure, solemnissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam Deæ nuncupavit.' *Dalec.*

Excepta larice] Theophrastus id de fico adnascente pinis maribus: de larice idem Vitruv. *Idem.*

Et tenuiora ac magis algentia] Legendum videtur *rigentia*, non *algentia*: cum ut opponatur illis, *mollior flexu*, tum quod sequitur paulo post: 'pinguioribus foliis et simplicibus atque non rigentibus.' Appellat autem *folia rigentia*, subrecta, non proclivia in terram, ex Theophr. III. 10. κεκλιμένα μᾶλλον, id est, *inclinata magis*: *simplicibus* autem intelligo 'mollibus' ex eodem. *Pintian.*

Algentia] Πεφρικότα μᾶλλον. Theophrast. Hist. III. 10. hispidiora. *Dalec.*

Mas brevior et durior] Addi debet, ut opinor, verbum *foliis*, ex Theophr. III. 10. 'Et marem,' inquit, 'breviorem folioque duriorem, fœminam proceriorem, foliis pinguem, mollem procliviorемque.' *Pintian.*

Ipsa materies retorrida et nigrior maribus radix] Dictio *radix* videtur superfluere ex eodem Theophrasto citato loco: 'Omnis mas securi brevior et contortior, operique difficilior est: fœmina procerior atque facilior.' *Id.*

Nam in Macedonia et Arcadia] Macedones pinum dividunt in marem, fœminam, sterilem, Arcades nec sterilem agnoscunt, nec sativam, sed silvestrem tantum, quam suis notis a picea distinguunt. In Arcadia picea pauca nascitur, in Eleo agro multa. Theophrast. Plinius negligenter hoc reddit. *Dalec.*

Materie mollior utiliorque] Operibus facilior, εὐεργοτέρα. Theophrast. *Idem.*

Folio pinnato densa] Frons pinnas habet, superne minores, tota specie camerata, Bœotorum galeis simili, tam densa, &c. Theophr. qui 'pinnas' vocat ramos exporrectos alarum distentarum modo. *Idem.*

Præterquam larici] Fallitur Plinius; sui enim sunt et larici coni, veluti pino, sed minores et cupressinis similes. *Idem.*

Minimos ac nigros] Pediculis similes, aut pulicibus. *Idem.*

Ut qui obdormiant sub ea] Plutarch. in Sympos. Ἱστοροῦσι γὰρ ὅτι καὶ σκιὰ σμίλακος ἀποκτείνει τοὺς ἐγκαταδαρθέντας, ὅταν ὀργᾷ μάλιστα πρὸς τὴν ἄνθησιν. Lucretius: 'Est etiam magnis Heliconis montibus arbos, Floris odore hominem tetro consueta necare.' Victorius XVIII. 22. *Idem.*

Taxica hinc appellata dicant venena, &c.] Plaut. in Merc. 'Certum est: ibo ad medicum, atque me ibi toxico morti dabo; Quando mihi adimitur, qua causa vitam cupio vivere.' *Idem.*

CAP. XI. *Quibus modis fiant genera picis, et quomodo fiat cedrium, et de spissa pice quomodo fiat, et quibus modis resina coquatur.*

Quibus modis fiant genera picis] Theophrast. Hist. IX. 2. et 3. De resina et pice XIV. 20. XXIII. 1. XXIV. 6. *Dalec.*

Pix liquida in Europa e teda coquitur] In libris legitur: *Pix liquida in Europa tæda cogitur;* quod rectum est; id est, colligitur. Sequitur paulo post: *e tæda omnia illa fiunt, e picea, &c.* hæc inepta sunt et falsa. Vide Salmas. p. 504. a.

Multosque alios et usus] Pice liquata et in corpus affusa, flagitiosos homines olim cruciari solitos indicat hic Plauti versus ex Captivis: 'at pol te, hic si sapiet senex, Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat.' *Dalec.*

Hoc in Syria cedrium vocatur] Sensus, qui potest ex his verbis colligi, est, primum illum sudorem aquæ modo fluentem e canali in Syria vocari cedrium, sive ex teda, seu ex quovis ligno. At hoc falsum est, si Dioscoridi fidem habemus lib. I. capite de cedro; ex cedro namque tantum cedrum, aut 'cedrinus liquor,' dicitur. Aut igitur legendum: *hoc e cedro cedrium vocatur;* aut additis aliquot verbis: *hoc in Syria e cedro cedrium vocatur;* nam in Syria præstantissimas esse cedros Theophr. auctor est XI. 6. *Pintian.*

In Ægypto corpora hominum, &c.] Vide XXIV. 5. Varius modus curandi funera apud diversas gentes fuit. Græci, statim ac expirasset qui obierat, calentis adhuc corporis membra dirigebant. Vide infra XXI. 3. et XXIV. 5. Victorium X. 20. Muret. Var. III. 16. Alex. ab Alex. III. 7. qui copiosissime omnes omnium gentium mores in curandis funeribus tradidit. *Dalec.*

Rursus in cortinas æreas conjecta] Palimpissa vocatur Dioscoridi. *Idem.*

Aceto spissatur, et coagulata Brutiæ cognomen accepit] Archetypum Toletanum: *aceto spissatur ut coagulo, et Brutia, &c.* Pintian.

Coagulata] Talis Brutia et Lycia est Dioscor. *Dalec.*

Brutiæ cognomen] In Brutiis, Straboni, oppidum Mamertium, et silva, quæ optimam picem fert. *Idem.*

Doliis duntaxat, &c.] Pugnat secum Plinius, qui XXIV. 7. scribit Brutiam medicinæ utilissimam esse. *Idem.*

Lentore ab alia pice differens] Scrib. *Lentore ab alia pice differens: item colore rutilante, et quod pinguior est reliqua illa omni. Fit e picea resina.* Vult e tæda picem cogi, quæ piceæ species est, e picea autem resinam fieri, quod est falsissimum. Vide Salmas. p. 504. a.

Ferventibus cocta lapidibus] Eam

Græci φρυκτὴν vocant. *Dalec.*

Eadem resina si cum aqua, &c.] Negligentius, breviori tempore, minore cura. Hunc cocturæ modum Dioscorides non descripsit. *Idem.*

Seponuntur autem, &c.] Antequam resina coquatur, liquatam eam prius colare oportet, ut spurcities eximatur ac separetur. Diosc. Lego, *seponuntur ante id fere vitia, &c.* Vide supra XIV. 20. *Idem.*

Ad crapulam] Crapula vini condimentum ex pice, resina, resinæ flore, sic dictum, quod vertigines et capitis dolorem facit, XXIII. 1. Florem autem vocat tenuissimam, purissimam, et nitidissimam ejus partem quæ in superficie extat vulnerati ligni. *Idem.*

Conciditur ad cribri minuta] Quæ ita minutatim conciditur, ut cribro excerni possit. Flos resinæ crudus cum astula excisus δᾲς est, quod Plinius non intellexit. *Salmas.* pag. 502. a.

Resinæ albæ congium] Resinæ liquidæ Dioscor. qui hoc coctionis genere eximie fieri albam tradit, ὑγρὰν ἐκ κεραμίων. Liquidam Galenus vocat Methodi lib. VI. et Tuendæ Valetudinis lib. IV. *Dalec.*

Tota die] Triduo et sine intermissione, si liquida est; sin arida, unius diei spatio. Dioscor. *Idem.*

Hanc cæteris præferentes] *Hanc* 'terebinthinam' sub. sed non frictam. Cui bonitate secunda lentiscina. Dioscorid. Suspicor Plinium φρυκτὴν ῥητίνην Græcorum, id est igne, non aqua coctam, existimasse in sarragine frigi. *Dalec.*

CAP. XII. *De zopissa, et sapio, et quarum arborum materia in pretio.*

Non omittendum] Hæc ex Theophr. Hist. IX. 2. et 3. *Idem.*

Derasam navibus maritimis] Vide infra XXIV. 7. *Idem.*

Cum cera] Inde ceratæ naves, Ovid. Met. XI. 'Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ Rima patet.' Idem de Remed. Amoris: 'Nec satis una tenet ceratas anchora puppes.' Lucianus in dialogo Mercurii et Charontis: καὶ κηρὸν, ὡς ἐπιπλάσαι τοῦ σκαφιδίου τὰ ἀνεῳγότα. Bred. IV. 13. *Idem.*

Adjecto salis callo] Adstringente et resiccante vi. *Idem.*

Aperitur, &c.] Ad resinam eliciendam id fit. Theophrast. id ἀφελκοῦν, *ulcerare*, et scalpere, dicit, non vulnerare. *Idem.*

Nec corpori ipsi parcitur] Plinius apud Theophr. Hist. II. 2. legit, et recte: ἐν μὲν τῇ πεύκῃ ἀφελκωθείσῃ, ὅταν ἡ δορὰ ἐξαιρεθῇ, κ. τ. λ. *In pino quidem cum detracto cortice corpus vulneraverint:* in picea et abiete cum lignum delibratum tantum scalpserint. *Idem.*

Verum hæc terræ proxima laudatur] Idæi, inquit Theophr. ubi arboris caudicem cortice spoliarint, quod parte solari fit, binis aut ternis supra terram cubitis, anno post confluxum succi pinguis et resinosi abundantissimum in plagam fieri arbitrantur: μάλιστα ἔνδᾳδον συῤῥοήν. Eum vero cum securi detraxerint, secundo rursum anno resinoso succo vulnus expleri, ac tertio pariter. Postea ob eas paulatim factas incisuras arborem extenuatam et putrefactam a ventis humi prosterni, ac ejus medullam extrahi, quæ maxime pinguis tedæ faciendæ idonea est. Hunc locum Plinius corrumpit. *Idem.* *Verum hæc terræ proxima laudatur, altior amaritudinem affert*] Salmas. p. 502. a, b. Et circa finem ejusdem capitis. *Inter hæc genera proprium quidam fecere sapinum, &c.* usque ad finem multa hic animadvertenda et corrigenda; ut et hoc legendum: *ejusdemque arboris imas partes cum sit illa arbor nihil aliud quam picea feritate paulum mitigata satu: sapinus autem materies cæsa regeneresfiat, sicut docebimus.* Vide Salmas. p. 503. b.

Hulcus] Hulcus resinosum, ἔνδᾳ-

δον, ut Idæi loquebantur. Theophr. *Dalec.*

Cum id manare desiit] Cum id ascia securive abstulerint simili modo anno proximo resina iterum manat, ac deinde rursum alio. Posthac ob vulnera succisa arbore ventis facile, putrefacta, dejicitur, ac tum medulla et trunci et radicum, quæ maxime resinosa est, eximitur ad tedam, Theophr. *Idem.*

Medulla ejus uritur] Teda ex ea facta candelarum vice. *Idem.*

In Syria terebintho, &c.] Theophrastus ait Syrios vulnerare terebinthorum ramos et caudicem, ad eliciendam resinam, meliorem tamen et largiorem confluere in caudicem, quam in ramos. *Idem.*

Laricem masculam urunt] Ad picem conficiendam, Theophrast. Id quomodo fiat, intelligi non posse, tanquam oblitus sui Plinius tradit XXIII. 7. *Idem.*

Picem fossilem] Ea Pissasphaltum est: ita appellavit Theopompus nomine e vulgo sumpto. Nasci id in Apolloniatarum agro circa Epidaurium, ait Dioscorides. *Idem.*

Quidam arbitrantur] Theophr. Hist. IX. 2. et III. 12. *Idem.*

Odorem quoque gratiorem] Sinceriorem εἰλικρινεστέραν, Theophr. Plinius legit εὐωδεστέραν. *Idem.*

Dum resina sit] De pice cruda id Theoph. non de resina. *Idem.*

Tenuioresque esse ipsas arbores] Tenuiorem esse resinam ex Idæa pino Theophr. ait, crassiorem ex maritima, non autem tenuiores esse arbores. Præterea ex pari teda pluvio cœlo largiorem, et serosiorem picem fieri, quam sicco; et ex gelidis ac opacis locis, quam ex tepentibus et apricis. *Idem.*

Fructum] Resinosum et pinguem confluxum. Theophr. *Idem.*

Qualis dicta est in nucleis] Supra XV. 10. *Idem.*

CAP. XIII. *De fraxino, genera ejus quatuor.*

Pennata et ipsa folio] Taxum similem esse τῇ ἐλάτῃ Theophrastus ait Hist. III. 10. atque idem eodem cap. tradit abietis folium πτέρυγας ἔχειν, *pinnatum esse:* quod movit Plinium, ut fraxini folium, quam milum esse putavit, pinnatum esse traderet: legit nimirum loco τῆς μίλου apud Theophrastum τῆς μελίας. *Idem.*

Ad plurima utilis] Vitruvius II. 9. *Idem.*

Citro similis] Materiæ e qua fiunt citreæ mensæ pretiosissimæ et pulcherrimæ. *Idem.*

Cortice ablato] De taxo id Theophr. Hist. III. 10. *Idem.*

Campestrem enim esse crispam] Theophrast. Hist. III. 17. *Idem.*

Jumentis mortifera] Id quoque de taxo Theophrastus. *Idem.*

Tantaque est vis ut ne matutinas quidem occidentesve umbras quam sunt longissimæ, serpens arboris ejus attingat] Verba temere et inordinate posita; videntur enim hoc modo esse legenda: *Tantaque est vis, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras arboris ejus, quum sunt longissimæ, serpens attingat.* Pintian.

CAP. XIV. *De tilia, genera duo.*

Differunt omni modo] Tota figura, ligni specie, fœcunditate, Theophrast. Hist. III. 16. *Dalec.*

Odoratior] De fœmina id Theophrast. Hist. III. 10. *Idem.*

In hac arbore] Idem I. 20. *Idem.*

Multiplici membrana] Idem Hist. III. 21. *Idem.*

Philyræ] Vide Politianum Miscell. cap. 27. *Idem.*

CAP. XV. *De aceris generibus decem.*

De aceris generibus decem] Vide Theophr. Hist. III. 17. et XI. 4. *Idem.*

Acer] Apud Theophr. Stagiritis, sphendamnos: acer est nervosum, et

album, vulgo *bois blanc* vel *plane*. Zygias, acer flavum et crispum: clinotrochos, flavum et non crispum: Olympicis vero zygias montanum est, sphendamnos et montanum et campestre: ac montanum quidem flavum, pulchrum, solidum, crispum: campestre, quod et glinon vocant, laxum, candidum, minus crispum. In hoc quoque genere marem a fœmina distinguunt, quod mas in planis potius nascatur, germinet citius, ligno sit crispiore et contorto. Campestria, e quibus rumpotinum fit, opulos Columella vocat, Insubres nunc *opuli*, quod alibi monuimus. *Dalec.*

Alterum genus crispo macularum discursu, qui cum excellentior fuit a similitudine caudæ pavonum, &c.] Perperam corrigunt, *quod cum excellentius fuit;* nec enim ad aceris genus id referri debet, sed ad venarum discursum, qui cum excellentior in illo aceris genere reperitur, pavonum caudæ oculos imitatur, et inde nomen habet. *Salmas.* pag. 506. a. Sequitur: *e viliore genere crassivenium vocatur, Græcis ἰσόργοχον. Idem* ibid. *Alterum genus crispo, &c.*] Zygias Theophr. *Dalec.*

Pavonum] Fortassis *pavonacei.* Id.

Crassivenium] Clinotrochos, Theophrast. *Idem.*

Campestre enim, &c.] Sphendamni genus. *Idem.*

Montanum] Sphendamni genus alterum. *Idem.*

Rubentem] Flavum, fissili ligno, platani modo, cortice paulo asperiore quam tiliæ, sublivido, crasso. Theophr. *Idem.*

CAP. XVI. *De brusco, molluseo, et staphylodendro, et buxo, genera tria.*

Mollusoum] Lignarii montis Juræ abietum et picearum candidissimos truncos, recto venarum discursu, nec nodis interruptos, ad opera faciles, adhuc vocant hodie *louchon* et *ouchon*, Theophrastus vero λουσὸν, servata vetusta dictione. *Idem.*

Arboris] Aceris. *Idem.*

Simplicius sparsum] Rectiori venarum discursu. *Idem.*

Lectorumque silicios] Porrectos inter eminentes sculpturas tabellarum velut abacos. Sed locus citra controversiam corruptus. Lego, *lectorumque silaceas laminas;* scilicet luteas, flavas, qualis est aceris color: qua voce usus est Vitruvius VII. 5. Alii legunt, *lectorumque scilicia aut laminas;* id est, secamenta, a 'siciliendo,' id est, secando, quamvis rei rusticæ scriptores peculiari significatione 'sicilire' dicant secare, quæ fœniseces prætericrunt. Apud Catonem 'sicilimentum' pro fœno secto legitur. *Idem. Lectorumque siliciös*] Lege, *lectorumque solidos:* loquitur de brusco et molluseo quæ et sunt aceris tubera. *Salmas.* pag. 416. a.

Reperitur et in alno tuber] Colore rubro, et macularum varietate, linearumque procursu excellens. Reperitur et in populo et in ulmo. *Dalec.*

Nec nisi radice] Germani ex Gallia Narbonensi, locis Hispaniæ finitimis, et præcipue montibus Pyrenæis, circa oppidum dictum *Limons*, haud procul Carcassona, radicum buxi magnam copiam emunt, ob maculas varias, variosque et fluxosos linearum discursus, ad opera lautiora expetitarum, quas servato prisco vocabulo adhuc vocant *brouchin* et *brouchon*. Ex iis cochlearia pretiosa et cultellorum manubria faciunt, qui in monte Jura oppidum incolunt Divi Claudii nomine celebre. *Idem.*

Lenis quies] Pigra et tristis soliditas, oculos nullo fulgore excitans. *Idem.*

Oleastrum] Oleastrum, nisi mendosus locus sit, id buxi genus vocant, quod oleastri modo semper humile sit, ac vix umquam in arbusculæ magnitudinem assurgat: et quod re-

liquis generibus folium minus habet, quemadmodum oleastri folia, si cum oleo conferas, breviora et angustiora sunt. Ego equidem prorsus deceptum fuisse Plinium, aut libertum ejus scribam puto, et cum apud Græcum auctorem legisset secundum buxi genus ἄγριον ὅλον εἶναι, *omnino silvestre et agreste esse*, nec utile materia, ut primum genus, nec vestiendis parietibus idoneum, ut tertium, imo etiam abominandum fœtore et gravitare odoris, incaute legisse ἀγριέλαιαν εἶναι, *oleastrum esse*. Dalec.

Semen illius] Carthegon vocat cap. 30. hujus lib. *Idem.*

CAP. XVII. *De ulmo, genera quatuor.*

Genera quatuor] Columella v. 6. *Idem.*

Duo ejus genera novere] Theophr. Hist. III. 23. *Idem.*

Fruticosa] Ramis pluribus opaca, sed exiguis et brevibus. *Idem.*

Atiniæ non ferunt] Columellæ ferunt quidem, sed rariorem. *Idem.*

CAP. XVIII. *De arborum natura per situs.*

Montes amant cedrus] Theophrast. Hist. II. 7. III. 4. IV. 1. *Idem.*

Populus] In planis hæc magis nascitur. *Idem.*

Cotinus] Coggyriam supra vocavit, XIII. 22. Itali hodie vocant *scotano*, Galli *fustet*. Hanc esse putant, quod Scytharion, tanquam Scythicum lignum, Græci vocaverunt: alii thapsum, alii chrysoxylon, flavo melinove colore, et lanas tingens, et capillum, Rhod. XVIII. 24. Apud Cratinum Hipponicus Σκυθικὸς, id est, πυῤῥὸς, vocatur. Interpres Theocriti ait eo ligno ἔρια βάπτεσθαι, μῆλα ποιεῖσθαι, τρίχας ξανθίζεσθαι, Asclepiademque id vocare, φυτὸν χλωρὸν, καὶ βάπτεσθαι ἐκ τούτου τὰ κροκοειδῆ. Paulus Æginet. III. 2. θάψον, *rubiam*, exponit, perperam, ut sentio; nam rubiæ tinctura subrubra est, non crocea. Quidam glycyrrhizam vulgarem esse putant, cujus fructus aculeatus non est: quod in historia sua Dioscorides requirit ad ejus coloris infecturam commodam, quam et Scythicem auctor vocat infra XXV. 8. Aristophanes in Vespis, Γυναικὶ κλητεύειν ἐοικὼς θαψίνῃ. Plutarchus in Phocione: Αἱ ταινίαι μὲν, αἷς περιελίττουσι τὰς μυστικὰς κοίτας, βαπτόμεναι θαψινὸν ἀντὶ φοινικοῦ χρῶμα καὶ νεκρῶδες ἀνήνεγκαν. Hoc loco θαψινὸν, *sepulchralem*, ἀπὸ τοῦ θάπτειν intelligo, et *atrum*, non *croceum*, ἀπὸ τοῦ θάψου. *Dalec.*

Sanguinei frutices] Tetragoniæ, Theophrasto. Gaza vertit, *Quadratorias.* Sanguineam virgam auctor appellat XXIV. 10. quo in loco et Sileris meminit. *Idem.*

Terribilis magistratuum virgis] Vide Brissonium III. 14. *Idem.*

Spina, nuptiarum facibus, &c.] Cum ad maritum virgo prodiret, ingenuus patrimus, matrimusque puer ex alba spina facem accensam ferebat, eaque prælucente ad domum sponsi deducebat, more a priscis seculis tradito: quibus non nisi noctu et in tenebris uxorem advenientem maritus excipiebat. Eam facem sub viri lecto posuisse, aut in sepulchro combussisse, tristissimum et inauspicatissimum credebatur. Alex. ab Alex. II. 5. Plautus in Casina: 'Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem.' Usi sunt et ad nuptiales faces pino. Virg. 'Nec mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha, Pronuba nec castos accendet pinus honores.' Neque recte Parthenius, hoc loco impulsus, apud Catullum in Epithalamio pro 'pineam quate tedam,' legit 'spineam.' Ritum uxoris domum ducendæ vide apud Brissonium I. 18. Vide et III. 14. et alium ritum nubentium apud Nonium. Rhodig. XXVIII. 15. Alex. ab Alex. cap. 5. Ovidius: 'Exoptat pueros spinea teda Deos.' *Idem.*

Siler] Vide infra XXIV. 10. *Idem.*

Ligustra tesseris utilissima] Alexander ab Alexandro III. 21. tesseras hic lusorias interpretatur; ego vero lignea signa, vinum, frumentum, oleum, aut aliud quippiam ejusmodi significantia et promittentia, quibus in congiariis et publicis largitionibus Imperatorum utebantur. De tessera militari vide apud eundem scriptorem c. 24. *Idem.*

Item Vaccinia, &c.] Lege: *Item Vaccinia Italiæ mancupiis sata, Galliæ vero etiam purpuræ tingendæ causa ad servitiorum vestes.* Ideo *satam mancupiis* dicit, quod mancupiorum pubertatem tardaret, idque utile erat mangonibus, ut quam diutissime venales suos impubes conservarent. Vaccinium, id est, hyacinthum, in Gallia seri dicit tingendæ purpuræ ad servorum vestes. Dixerat supra in Gallia hyacintho hysginum tingi, hic purpuram vaccinio infici scribit; atqui hyacinthus et vaccinium idem: ergo purpureus et hysginus color idem, qui et hyacinthinus. Vide Salmas. pag. 272. b. 1225. a. *Item Vaccinia*] Constantinus e Turnebo legit: *Italia mancipiis sata: quia mangonio Vaccinii tardatur corporis pubertas: quod erat venalitiis utile.* Ego vero si eam lectionem probarem, rationem potius ex sequentibus verbis afferrem, quia vaccinii succo tingantur servitiorum vestes in purpuræ colorem. Præterea tardior pubertas iis utilis non erat, sed dominis, et mangonibus, quod pluris eos nondum barbatos venderent. Constantinus putat Vaccinium fuisse Hyacinthum; ego vero arbusculam in sepibus frequentem, quam *magaleb* quidam vocant. Vide XXI. 26. Plinius certe Vaccinium arbusculam perperam loco citato hyacinthum reddit, eamque inepte cum hyacintho bulbosa herba confundit. *Dalec.*

Quæcunque communia] Theophrastus Hist. III. 4. et 11. *Idem.*

CAP. XIX. *Divisio generum.*

Præterea arborum, &c.] Theophr. Hist. I. 14. *Dalec.*

Quædam urbaniores] Idem cap. 16. lib. eod. *Idem.*

CAP. XX. *Quibus folia non decidunt, et de rhododendro.*

Quibus folia non decidant] Theophr. Hist. I. 15. *Idem.*

Rhododendron] Lucius Apuleius 'roseam lauream' appellat. *Idem.*

CAP. XXI. *Item quibus folia non decidant, et quibus non omnia folia cadant, et quibus locis nulli arborum.*

Adrachne in Græcia] Vide supra XXII. 12. *Idem.*

Unedo] Οὔναρος Theophr. Hist. I. 15. quæ eadem et κόμαρος dicitur. *Idem.*

Non decidunt autem] Idem ibid. *Idem.*

In Thurino agro] Sybari, qui nunc Thurii dicuntur. Varro de Re Rust. I. 7. ubi et de Elephantine. *Idem.*

Nam locorum tanta vis est] Theophrast. Hist. I. 6. et 15. *Idem.*

CAP. XXII. *De natura foliorum cadentium, et quibus foliorum varii colores.*

Falsa definitio est] Adversatur Theophrast. Hist. I. 15. *Idem.*

Quædam tardius amittunt] Theophrast. ibid. *Idem.*

Foliorum unitas] Theophrast. Hist. I. 16. et de Caus. II. 22. *Idem.*

CAP. XXIII. *De populo tria genera, et quorum foliorum figura mutetur.*

Circinatæ rotunditatis] Theophr. Hist. I. 16. *Idem.*

Populorum foliis grandissima lanugo] Legend. *Populorum foliis grandissima lanugo evolat, candidæ, traditæ folio numerosiore, candida, et ut villi.* Dicit populorum foliis in genere grandissimam evolare lanuginem, hoc est, grandissimum βρύον, candidæ vero, traditæ folio numerosiore, candidam evolare, et ut villos. *candida tradita folio numerosiore*, loquutio Pliniana,

id est, quæ traditur esse folio numerosiore. *Salmas.* 329. b.

Mirum in primis id] Theophr. Hist. I. 16. Vide infra XVIII. 28. *Dalec.*

CAP. XXIV. *Quæ folia versentur omnibus annis, quæ foliorum e palmis cura et usus, et foliorum mirabilia.*

Inferior] Superior. *Supina* Theoph. τὰ ὕπτια ποωδέστερα, colore magis herbaceo viret. *Dalec.*

Incisuras] Nihil de incisuris Theophrastus. *Idem.*

Oleæ superne candidiora] Theoph. Oleæ folia supina et superiore parte, contra aliorum naturam, candidiora sunt, et minus lævia; hederæ vero superne, non quidem candidiora, sed minus lævia. *Idem.*

Omnium] Vel maximæ partis. *Id.*

Oscitant] Convertuntur. *Idem.*

Interiores partes tepefieri volentia] Hæc de suo Plinius, et absurde. *Id.*

Superior pars] Inferior et prona. *Theophr.* Idem.

Funes validos e palmæ foliis] Dictum est supra XIII. 4. Fiunt et ex iis scopæ. Martialis: 'In pretio scopas testatur palma fuisse, Otia sed scopis nunc analecta dabunt.' *Idem.*

Et apud nos fere palmis] Et apud nos vere palmea a matre integra decerpuntur. Meliora enim sunt quæ divisa non fuerint. Vetusta omnia. Convenit id cum eo, quod scripsit XIII. 4. palmæ folia, cum primum novellas demonstravere gemmas, in opera varia findi. *Idem.*

Duplicia] Velut ex duobus composita, Theophr. *Idem.*

Insecta pectinum] In rectum velut serra dissecta. *Idem.*

Urticis] In Lexico vetere Græco-Latino ob id *urtica*, sive ἀκαλήφη, *acia* et *aciela* dicitur, quod ut ferri acies ulceret. Turn. XVII. 21. *Idem.*

In cacumine ramorum] *Ex surculis*, ἐκ τῶν ἀκρεμόνων. Theophr. *Cacumen ramorum* Plinius inconsiderate vertit. *Idem.*

Quibus adjicit Cato decidua populea quernaque, animalibus jubens dari non perarida] Scribendum puto *et cædua*, non *decidua*. Cato cap. 5. 'Frondem populneam, ulmeam, querneam cædito, et per tempus condito; non perarida pabulum ovibus.' Hæc Cato. Cum igitur Plinius hic scribat *animalibus*, non, ut Cato, *ovibus*, et Cato addat *ulmeam*, quod in Plinio non legitur, adducor ut putem scribendum hic, *a populo quercuque et ulmo ovibus;* indoctus enim librarius, ut conjicio, pro *ulmo ovibus*, scripsit *animalibus*. Pintian. *Quibus adjicit Cato decidua, &c.*] Cap. 30. et 54. *Dalec.*

CAP. XXV. *De ordine naturæ in satis, et de flore arborum, et conceptu et germinatione, et partu, et quo ordine floreant.*

Ordo autem naturæ] Theophrast. Hist. III. 6. et de Caus. I. 10. *Dalec.*

Maritantur] Ad conceptum stimulantur, invitantur, illiciuntur. *Idem.*

Ver inchoans] Vide infra XVIII. 34. *Idem.*

Catulitionem rustici vocant] Catulire, ad Venerem incitari. Apuleius de fœminis *subare*, ὀργᾷν, dixit, de maribus *surire*, καπριᾷν, ut vetus Grammaticus exponit. Inde catulaster in Critico, βούπαις. *Catilitionem* hic multi legunt ex fide vetusti exemplaris. Apud Vitruvium pro 'catlastros' legitur 'Catastos.' 'Ideoque semper,' inquit, 'transmarinos catastos emere formosos et puellas maturas, eosque conjungere, ut qui nascerentur ex iis, non solum egregia voce, sed etiam forma essent non invenusta.' Turn. XXIV. 7. σκυζᾷν canum est ad libidinem incitatorum et prurientium, καπριᾷν suum, ταυριᾷν taurorum, ἱππομανεῖν equorum. *Idem.*

Alia protinus] Theophr. Hist. III. 6. *Idem.*

Arborum flos est pleni veris, &c.] Apud Athenæum lib. XIII. Chæremon vocat flores, nunc veris, nunc pra-

torum filios. Ἐν τῇ Ἰοῖ· Ἀνθηροῦ τέκνα Ἔαρος πέριξ στρέψαντες. In Centauro: Ἔνθεν μὲν αὐτῶν εἰς ἀπείρονα στρατὸν Ἀνθέων ἀλόχων ἐστράτευσαν, ἡδοναῖς Θηρωμένων τὰ λειμώνων τέκνα. Æschylus in Persis: Ἄνθη τε πλεκτὰ, παμφόρου γαίας τέκνα. Victorius XXXII. 21. ex Athenæo. *Idem.*

Nam neque ilex, &c.] Apud Theophrast. Hist. III. 5. ilex floret. Eidem cap. 6. libro eodem, pyro pro flore est squammatim compactilis meta, κόττανος. Larix autem vere florem mittit, e ramulorum cacuminibus, in purpura ardenter rubentem, foliolis comantibus adnexum, miro quodam naturæ artificio. *Idem.*

Nec juniperi florent] Modestius Theophrast. Hist. III. 6. diligentius inquirendum id esse censet. *Idem.*

Dura facies semper] Flore nuda et privata. *Idem.*

Quippe cum ex eodem] Theophrast. loco proxime citato. *Idem.*

Glandes] Juglandes, ex Theophr. Hist. III. 6. Τὰ δ' ἄλλως περιενισταμένου τοῦ ἦρος, οἷον ἐρινεὸς, φιλύκη, ὀξυάκανθος, παλίουρος, τέρμινθος, καρύα, Διὸς βάλανος. *Idem.*

Sideribus] Theophr. Hist. III. 7. *Idem.*

Reliquæ quidem arbores] Idem ibidem. *Idem.*

Vitis sola bis parturit, &c.] Bis, si bifera est: ter, si trifera. *Idem.*

Sicuti morus] Theophr. de Causs. I. 21. *Idem.*

Floret] Flore purpureo. In Priapeis: 'Amygdalumve flore purpureo fulgens.' *Idem.*

Hæ coactæ] Hominis industria et cultura effectæ. *Idem.*

Sambucus] Sambuci tamen interiora mire firma tradi posthac scribit c. 39. hujus libri. *Idem.*

Vergiliarum exortu] Circa nonum aut decimum diem Maii. *Idem.*

CAP. XXVI. *De corno, et quo tempore quæ ferant, et quæ fructum non ferant, et quæ infelices existimantur, et quæ facillime fructum perdunt, et quibus fructus, antequam folium, nascantur.*

Cornus enim circa, &c.] Hoc Theophrastus Hist. III. 6. At idem c. 12. lib. ejusd. fructum eodem fere tempore ferre scribit, quo olea. *Idem.*

Nuces et mala, &c.] Alnus, nux juglans, et achradum quoddam genus, autumno; quercus et castanea serius, circa Vergiliarum occasum. *Idem.*

Incipiente autem hieme, &c.] Aria hiemis initio, malus primis frigoribus, achra serotina hieme. *Idem.*

Post Vergiliarum occasum] Circa diem nonum Decembris. *Idem.*

Citrea et juniperus] Celastri, juniperus, et ilex tardissime perficiunt fructum, &c. Theophr. Hist. III. 6. Plinius hæc negligenter vertit. *Idem.*

Zamiæ] Ζημίαι, *damna, detrimenta.* Idem.

Tamarix] Myrica silvestris, et nostras, Dioscoridi fructum fert compage muscosum. Ægyptia vero et sativa, gallæ similem. *Idem.*

Populus] Infra XXIV. 8. Populus semen fert comitialibus utile, Columella V. 5. Ulmus Atinia. *Idem.*

Alaternus] Vide Macrobium. Is alaternum sanguine infelicem esse ait. *Idem.*

Quæ neque seruntur, &c.] Vocarunt et infelicem, ad quam capitis damnatus suspendio necaretur, obtecto velatoque capite, quod constat ex illo prisco diro carmine: 'Caput obnubito, arbori infelici suspendito,' recitato a Cicerone in Orat. pro Caio Rabirio; nisi quis forte existimet, non solitos veteres supplicium id sumere ad alias arbores, quam quæ esset ex infelicium genere. Muret. in Var. VIII. 9. Brod. IV. 6. Apud Gellium X. 15. Flaminica surculum de arbore felici in rica habet, quod inarculum, a tegendo, 'arcere' enim hoc significavit, olim nominarunt.

Fuit autem Rica cingulum capitis, quo sacerdos vittæ loco redimibat se. Arborem felicem punicam malum Festus exponit. *Scalig.* Inarculum quod fuit Flaminicis, 'Stroppus' in Flaminum pileis dicebatur. *Idem in Varr.*

Cremutius auctor est, &c.] Id est, quod fabulantur, Phyllidem post suspendium mutatam in amygdalum nudam foliis, et cum Athenis reversus Demophon ejus truncum amplecteretur, quasi sponsum sentiret, frondem emisisse. *Dalec.*

Aperiuntur] Finduntur ut gummi exeat. *Idem.*

Inflectunt ramos ejus] Theophrast. de Caussis II. 11. *Idem.*

Pyrus] Theophr. ibid. *Idem.*

Salix amittit semen] Theophrast. Hist. III. 2. *Idem.*

Dicta Homero frugiperda] Homerus Odyss. K. Μακραί τ' αἴγειροι, καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. *Idem.*

Sterilitatis medicamentum] Quod sterilitatem inducit, Nonius. ἀκυρολογία. *Idem.*

Et ex sexu] Theophr. Hist. III. 6. *Idem.*

Gignentium autem, &c.] Theophr. Hist. I. 23. et 25. *Idem.*

Cætero eadem natura] Arborum aliæ fructum edunt cacumine, aliæ lateribus, aliæ utraque parte. Ex aliis plantis cacumine plures ferunt quam arbores, ut frumenta quæ spicam gignunt, &c. Theophr. Male hunc locum vertit Plinius. *Idem.*

Ut dictum est] Lib. XIII. cap. 4. *Idem.*

Nasci] Theophr. de Causs. V. 1. Athenæus lib. III. *Idem.*

CAP. XXVII. *De biferis et triferis, et quæ celerrime senescant, et de ætatibus earum.*

In Cea insula] Chio. Hodie etiam incolæ ejus insulæ hunc caprificandi morem retinent. *Idem.*

Vites quidem et triferæ sunt] Non ter, sed triplicem fructus varietatem ferentes, ut apparet ex Aristot. περὶ θαυμ. ἀκουσμ. *Constant.* Ego vero sic dictas puto, quod ter fructum quotannis edant: quales multis in locis mihi visæ sunt, et præcipue in horto Guil. Caulii Lugduni. Earum meminit Theophrast. de Causs. I. 11. *Dalec.*

M. Varro auctor est vitem fuisse Smyrnæ apud mare] Archetypum Tolet. non *mare* habet, sed *matream*; quæ dictio non temere mutanda fuit; fortasse enim Plinius *Metroon* scriptum reliquit, hoc est, templum Matris Deorum, quale in Elide Peloponnesi fuisse auctor est Pausanias in Eliacis. *Pintian.* *M. Varro auctor est, &c.*] Locus Varronis hic est I. 7. 'Propter eandem causam multa sunt bifera, ut vites apud mare Smyrnæ: majus bifera, ut in agro Consentino.' *Dalec.*

Alias] Infra XVIII. 22. *Idem.*

Et in ipsis arboribus, &c.] Theophr. Hist. I. 23. *Idem.*

Summa parte fertilior est arbutus, quercus inferiore, juglandes, fici, mariscæ] Emendatius antiquus codex: *Summa sui parte fertiliores arbutus, quercus; inferiore, juglandes, fici, mariscæ.* Pintian.

Mariscæ] Prægrandes. Vide supra XV. 18. *Dalec.*

Medicatur] Veluti Medicina juvatur. Caprificatione id fit, cum putrescente caprifici fructu culices geniti in urbanæ fructus evolant, et fructum mordent, sic properante ejus maturitate. Vide XV. 19. *Idem.*

Præposteris] Serotinis et novissimis, quæ salubriores censentur. Infra XXIII. 7. *Idem.*

CAP. XXVIII. *De moro.*

CAP. XXIX. *De silvestribus.*

Silvestria autem tardissime] Theophrast. Histor. IV. 14. *Idem.*

Omnis cura fertilitatem adjicit] Idem de Caus. II. 15. *Idem.*

Multa vero plura gignunt] Idem

Hist. III. 10. *Idem.*

Inter quas laurus uvas suas] Apud Theophr. de Causs. II. 15. et Hist. III. 11. Laurus hæc fert τὰ βρύα, non βότρυας, nempe consertos flores, similes quercuum et olearum floribus. Gaza tamen hoc Plinii loco deceptus, apud eundem Philosophum Hist. III. 8. βότρυας inconsiderate reposuit, nec in aliis supra citatis locis emendandum putavit, inconstanti judicio. *Idem.*

CAP. XXX. *De buxo, et faba Græca, sive loto.*

Sive loto] Loti genera tria diligenter distincta vide XXIV. 2. *Idem.*

Plurima vero buxus. Nam et semen suum et granum, quod carthegon vocant, &c.] Scribendum non *buxus*, sed *ilex*, manifeste ex Theophr. III. 16. Nihil enim tale, quale hic dicitur a Plinio, fert buxus, ex eodem Theophrasto cap. 15. De ilice vero mox loco ante citato sic tradit: 'Fert præter glandem granum quoddam puniceum, et viscum atque hyphear habet. Quapropter ut fructus quaternos habeat interdum contingit, binos proprios, binosque alienos, visci scilicet atque hyphearis: fert a septentrione viscum, a meridie hyphear.' Quod autem sequitur *carthegon*, legendum quidam *crategon*; sed arbor est non granum eidem Theophrasto crategon, eodem libro cap. 15. Et ejusdem nominis herba Dioscoridi lib. III. *Pintian.*

Viscum] De ilice hoc Theophrastus, et non de buxo, Hist. IV. 16. et de Caus. II. 32. τὸν πύξον σὺν τῷ πρίνῳ Plinius confundit. *Dalec.*

Mox paulo] Cap. 44. eodemque ultimo hujus libri. *Idem.*

In quibusdam omnino nullus] Theophrast. Hist. I. 13. Spissæ omnes raris fere magis nodosæ. Mares autem et silvestres omnes spissiores; nisi si qua ob spissitudinem prorsus enodis sit, aut nodos paucos habeat, ut buxus, lotus, &c. Infeliciter hæc vertit Plinius. Fefellit eum æquivoca significatio τοῦ ὄζου, et *ramum* indicantis, ut ait Theophrast. Hist. I. 2. et *nodum*. Idem.

Loto transmarinæ] Nihil Theophrastus. Dioscoridi lotos arbor, lotos silvestris, lotos Ægyptia caulem habent. *Idem.*

Sambuci] Theophrast. Hist. I. 2. laurus, ficus. *Idem.*

Et abieti quidem subrecta divisura] Hæc non satis fideliter Plinius recitat e Theophrast. Hist. I. 13. *Idem.*

Cacuminibus eorum decisis moritur] Theophrast. Hist. III. 8. IV. 19. et de Caus. V. 24. *Idem.*

Lotos, sive faba Græca] Lotos quatuor novimus: Primam Dioscoridis, et Theophrasti priorem, vulgo *micacolier*, *perlaro* Italis: Secundam, quæ Theophrasti posterior est, vulgo laurocerasus: Tertiam, diospiton Theophrasti, gaiacanam vulgi, fabam Græcam Romanorum, cerasum Constantinopolitanam Matthioli: Quartam Polybii apud Athenæum lib. XIV. *Id.*

Cortice pelles tingunt] Dioscorides decoctum ramentorum loti capillum ruffat. Sed ea diversa est a faba Græca. *Idem.*

Malis proprium genus, ferarum enim rostra reddunt] Scribendum reor: *Malis proprii nodi: ferarum enim rostra reddunt.* Theophrast. I. 13. 'Malis profecto nodi peculiares; faciebus enim beluarum similes extant. Unus prægrandis: alii circa eum parvi complures.' *Pintian.*

Ramorum aliqui cæci, &c.] Deceptus et hic est ambiguitate vocis ὄζον, quæ in eo loco Theophr. *nodum* significat, non *ramum*. Dalec.

Si non evaluere] Viribus defecti germen non ediderunt. *Idem.*

Cum deputatos cicatrix hebetavit] Cum discerpti, avulsi, excisi, incendio mutilati fuerint. Theophrast. *Idem.*

Quæ dividuis in ramo natura est] Quod nodus in cæteris, id in vite oculus, sive gemma, in arundine geniculum. Theophrast. *Idem.*

In longitudinem excrescunt abies] Theophrast. Hist. I. 8. et 14. *Idem.*

Unistirpia] Μονοστελέχη. *Idem.*

Quædam statim in ramos sparguntur] Theophrast. Hist. I. 14. *Idem.*

CAP. XXXI. *De ramis, et cortice, et radicibus arborum.*

Cortex aliis tenuis] Idem ibid. cap. 8. *Idem.*

Ut lauro] Ut lauro philyreæ. Vitiosum est exemplar Theophrasti I. 8. cum idem scribat III. 10. tiliæ crassum esse corticem. *Idem.*

Omnibus in senecta rugosior] Scribo *quibusdam*, non *omnibus*. Theophrast. I. 8. 'Quædam,' inquit, 'scabro cortice, ut robur, suber, palma. Hæc dum adolescunt, læviori cortice sunt: cum senescunt, crassiori, scabriorique.' *Pintian.*

Quibusdam rumpitur sponte, ut viti] Ἔνια ῥηξίφλοια, inquit Theophrast. ubi perperam legitur ῥηξόφλοια, quod Gaza non animadvertens, sic inepte locum eum vertit: 'Nonnullis cortex radicis specimen gerit, ut viti.' *Dalec.*

Quibusdam etiam, &c.] Theophr. sic habet: τὰ δ' ὡς περιπίπτειν, ὡς ἀδράχνη, νηλεία, κόμαρος. Quibusdam veluti per circuitum cadit, ut adrachnæ, unedoni, arbuto. Loco νηλεία lego ἐπιμηλία, quæ et ἐπιμηλὶς dicitur. *Idem.*

Abieti] Addit Theophr. linospartum et cæpas. *Idem.*

Harundini] Addit idem lolium. *Id.*

Magna et radicum differentia] Idem Hist. I. 9. *Idem.*

Crassiores lauro et inæquales] Quibusdam, crassæ magis, quibusdam inæquales, ut lauro, item oleæ, cui et nodosæ ac fimbriatæ. Theophr. ὀζώδεις, καὶ θυσανώδεις. *Idem.*

Malis et cupressis] Theophrast. ibidem. Ejus loci sensum Plinius non intellexit. *Idem.*

Aliis recto meatu, ut lauro] Quibusdam rectæ et æquales; aliis obliquæ et inæquales; idque partim natura, et lauro et oleæ, partim qui recto meatu non distenduntur, sed flexuoso, ut fico. *Idem.*

Quidam non altius, &c.] Tacite reprehendit Theophrastum, a quo id scriptum est Hist. I. 11. *Idem.*

Apud auctores certe invenitur, abietis planta cum transferretur, octo cubitorum] Lego *plantæ*, non *planta*; ut repetas radicem. Consimiliter mox paulo cum dicit: *Visa etenim est annosa quercus vi tempestatis eversa*; legendum patrio casu, *annosæ quercus vi tempestatis eversæ*; ut rursus subaudias *radix*. Pintian.

Quidam brevitate, &c.] Theophrast. Hist. I. 11. non ita quidem scribit, ut refert Plinius, sed novellas et vigentes arbores longius et altius radices mittere quam vetustas, radicemque marcescente arbore minui, et velut una contabescere: quod verissimum est. *Dalec.*

CAP. XXXII. *De prodigiosis arboribus, et quibus modis sponte nascantur, et quod non omnia ubique nascantur, et quæ non alibi nascantur arbores.*

De prodigiosis arboribus] Arborum ostenta vide et infra XVII. 25. *Dalec.*

Memoratur hoc, &c.] Theophrast. de Caus. V. 4. et Hist. IV. 19. *Idem.*

Circumdolatis lateribus] Ramis amputatis, et aliqua parte circumdolata. Theoph. ibidem. *Idem.*

Restibilis sponte facta] Sponte erecta et sibi restituta. Observa significationis modum. *Idem.* Simile propemodum exemplum narrat oculatus testis Cl. Jacobus Palmerius Exercitat. Criticar. ad Theophrast. lib. V. pag. 598. de quercu quadam truncum habente 25. pedes aut circiter longum, crassum vero unius pedis, aut paulo minus diametro: hæc ventorum violentia dejecta et humi prostrata jacuit per duorum mensium spatium, postea vero, ramis amputa-

tis, onere levata denuo sponte resurrexit, et tanquam nihil passa viguit.

Quas naturæ debeamus] Theophrast. Causs. I. 1. *Dalec.*

Fastidit balsamum alibi nasci, &c.] Lege, *Fastidit balsamum alibi; nata Assyria malus alibi ferre.* Feracem alibi esse negat nisi in Assyria, quamvis alibi natam. Vide Salmas. pag. 964. a.

Vivit in Italia piperis arbor] Piperis arborem a Plinio dici volunt fruticem, quem vulgus adhuc vocat *poivrier*, officinæ vero ribes nigrum: casiam autem plantam non quidem Indicam, sed Hygini, Theophrasti cneoron, nempe rosmarinum coronarium, et nostratem lavendulam, sive spicam. *Dalec.*

Mutari naturam, &c.] Ut æstuosa plantas edant frigidis locis familiares, et frigida plantas gignant in æstuosis nasci solitas. *Idem.*

Cedrum æstuosis, &c.] Cedrus quidem conifera in æstuosa Syria gignitur, ac baccifera in Ida. Theophr. Hist. III. 12. Cedrum in Lycia multam nasci, materia ad navium fabricam utili, Strabo scribit lib. XIV. *Idem.*

In Olympo, &c.] Frigido monte. Theoph. Hist. IV. 6. *Idem.*

CAP. XXXIII. *De cupresso: et quod ex terra nova aliqua sæpe nascantur, quæ in ea ante non fuerunt.*

Cupressus, &c.] Κυπάριττος Græcis, ἀπὸ τοῦ κύειν τοὺς παρίσους ἀκέρωνας. Quidam cupressos χάριτας dixere, ab eleganti venustaque coma. In Arcadia apud Psophidem tantæ proceritatis fuerunt, ut proximus mons inumbraretur: dictæ παρθένοι, quia ferro intactæ, et Alcmæoni sacræ, quoniam Argis necata matre illuc se recepisset. Materia cupressi ἄσηπτος· quamobrem eorum, qui in bello ceciderant, corpora arcis e cupresso condi solita Thucydides scribit; et Plato leges publicas, sacrorumque ritus, ob æternam firmitatem in tabulis cupressinis describi voluit. Rhodig. XXV. 2. Vejovis simulacrum ex hoc ligno in arce duravit ab urbis conditæ anno 551. ad auctoris usque tempora. Infra cap. 40. hujus libri. *Idem.*

Cato] Cap. 42. et 151. *Idem.*

Natu morosa] Theoph. de Causs. I. 8. *Idem.*

Baccis torva] Galbulis. Varroni, conis et nucibus. *Idem.*

Funebri signo, &c.] Nobilium tantum et divitum. Lucanus: 'Et non plebeios luctus testata cupressus.' Varro adhiberi rogis cupressum ait propter gravem ustrinæ nidorem; quoniam fœtorem cadaveris, dum uritur, odoris sui jucunditate lenit. Festus Diti sacram esse, Servius Proserpinæ vult, quia præciso capite moritur, et subsecta non renascitur, præterquam in Ænaria, quemadmodum ex mortuis nihil speratur. Fabulas de Cyparissa filia Boreæ, Cyparissarum Eteoclis gnatarum, Cyparissi a Telepho geniti, cujus meminit Ovid. Met. X. Servius Æneid. III. prolixe narrat. Hadr. Jun. I. 20. Hermippus sceptrum Jovis e Cyparisso edolatum fuisse prodit, ideoque Pythagoræos arculis et utensilibus cupressinis abstinuisse Laërtius refert. Virgilius de funere Polydori: 'stant Manibus aræ, Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso.' *Idem.*

Fœmina sterilis diu] Legendum arbitror *spreta*, non *sterilis*; supra enim traditum fuit, fœminam esse feracem, marem sterilem: indicant id etiam verba protinus sequentia: 'Metæ demum aspectu non repudiata.' *Pintian.*

Distinguendis tantum, &c.] Id fieri solitum duobus modis intelligunt, aut cum in singulis ordinibus duabus pinis cupressum unam interponebant; aut cum duobus pinorum ordinibus cupressorum ordinem unum interserebant, venustatis gratia, elegantisque et jucundi aspectus. *Dalec.*

Distinguendis tantum pinorum ordinibus] Scribo *vinearum*, non *pinorum*, e M. Varrone I. 26. 'In omni,' inquit, 'vinea diligenter observa, ut ridica vitis ad septentrionem versus figatur, et si cupressos vivas pro ridicis inserunt, alternos ordines imponunt,' &c. *Pintian.*

In densitate parietum] Vestiendis parietibus. *Dalec.*

Coërcitaque gracilitate, &c.] Lege: *coërcitaque gracilitate perpetuo terete. Trahitur etiam in picturas operis topiarii: venatus classesve et imagines rerum tenui folio breviqus et virente semper vestiens.* Et postea scribe, *vulgoque dotem filiæ antiqui plantare appellabant;* quod erat quæstuosissima illa ratio cupressuum plantandarum ad perticas et asseres, cum eas pangebant, vulgo dictitabant antiqui dotem filiæ plantare se. *Salmas.* p. 173. b.

Dotem filiarum, &c.] Dos apud Romanos quanta olim fuerit, explicat Alexander ab Alex. IV. 8. *Dalec.*

Huic patria insula Creta, &c.] Lege: *Huic patria insula Creta, quum Cato Tarentinam eam appellet, credo quod primum eo venerit, et in Ænaria succisa regerminat. Sed in Tarento quocunque in loco terram moverit quispiam, si naturalis hæc gignitur protinusque emigrat: in illa vero etiam non appellato solo e sponso, maximeque, &c. naturalis terra est οἰκεία*, ut vocat Theophrastus de eadem re loquens. *Salmas.* p. 173. *Huic patria insula Creta, &c.*] Theoph. Hist. I. 2. et 3. *Dalec.*

Quocunque, &c.] Idem ibid. *Idem.*

Hæc gignitur protinusque emicat] In aliis codicibus non *emicat* legitur, sed *emigrat*, minus vitiose; legendum enim, ut opinor, *emergit:* quo verbo tanquam Pliniano usus est Theodorus in Theophr. III. 2. 'Nonnusquam modo subegeris moverisque solum, familiaria protinus terræ illius emergunt, ut in Creta insula cupressi.' *Pintian.*

Et quos Albos vocant, &c.] Lege: *Et quos Albos vocant, summisque in iis unde nunquam, &c.* De summis Albis montibus intelligit, unde nunquam nives absunt, et inde Albi dicti. *Salmas.* p. 172. a.

In tepore proveniens] Theophr. Hist. IV. 6. *Dalec.*

Nec terræ tantum, &c.] Lege: *Nec terræ tantum natura, &c. temporaria vis, imbre aliquo plerumque semina afferente. Certe fluunt genere aliquando etiam incognito: quod, &c.* Vide Salmas. pag. 173. b.

Aliquæ plerunque, &c.] Theophr. Hist. III. 2. et de Caus. I. 5. *Dalec.*

Dicemus] Infra XIX. 3. *Idem.*

CCCCXXX.] *CXXXVI.* ex IX. 3. nam urbs Cyrenæ condita est anno urbis Romæ 143. defluxit autem is imber annis septem priusquam conderetur. *Idem.*

CAP. XXXIV. *De edera.*

Edera jam, &c.] Theoph. Hist. IV. 4. Vide infra XXIV. 10. *Dalec.*

Quin et Harpalum, &c.] Hoc male Plinius. Confer Theophrast. *Idem.*

Inimica arbori, &c.] Laberius: 'Ut hedera serpens vires arboreas necat, Ita me vetustas amplexu annorum enecat, Sepulchris similis, nil nisi nomen retineo.' *Idem.*

Duo genera ejus prima] Theophr. Hist. III. 18. *Idem.*

Mas et fœmina] Turpissime lapsus hic Plinius, quæ de cisto audienda sunt, τῷ κιττῷ, id est, *hederæ*, tribuit. Nec apud Theophr. nec apud Dioscorid. ulla hederæ differentia statuitur e sexu petita. *Idem.*

Species horum generum tres] Theophrasto, hederæ summa duo genera sunt: altera quæ humi repit; altera quæ in altum tollitur. Posterioris rursum tria genera, candida, nigra, helix, &c. *Idem.*

Qui vocantur corymbi] Lego, *quæ vocantur corymbiæ*, e Theophr. III. 18. Neque enim ad ramos referenda est vox *corymbi*, sed ederas fructum album ferentes. Est et genus ederæ

corymbia, Diosc. lib. II. *Pintian.*

Concinnioraque] Εὐθημονέστερα, Leopard. v. 2. *Dalec.*

Quoniam fructum non gignit] Hederæ folium novum angulosum est, vetustum rotundius, auctore Theophrast. Hist. I. 16. At helicis folium, sive novum, sive jam vetustum, semper angulosum est; qua re ab hederæ foliis discrepat. Quod autem ἀποκιττοῦσθαι Theophrastus ait, et Plinius vertit *hederam fieri*, alii, et rectius, intelligunt, *hederæ modo folium mutare.* Idem.

Alia tenuioribus foliis] Nihil Theophrast. Hæc de suo Plinius. *Idem.*

Et in candidis, &c.] In candida, alia tantum fructu, alia etiam folio candida est. Theophrast. *Idem.*

Arbores autem, &c.] E candidis quæ asperrima et maxime silvestris est. *Idem.*

Signa ejus folia, &c.] Lege: *Signa ejus maxima atque latissima: mammas erigentes, quæ sunt cæteris inflexæ, racemi stantes, &c.* dicit eam hederam racemis stantibus et subrectis esse, erigentibus mammas quæ sunt cæteris inflexæ: *mammas* vocat acinos hederæ; quos qui inspexit, scit mammis similes esse, cum parvo ἀκρομαστίῳ quod papillam refert. inde et 'bumastus' uva dicta, quod acinos haberet hederæ mammis, id est, acinis, similes. *Salmas.* 376. b. *Signa ejus folia, &c.*] Signum ejus quæ ad perfectæ hederæ naturam ventura sit, et folium mutatura, est non tantum folium majus, et amplius, sed quod statim germina recta habet, (inepte pro βλαστοὺς, μαστοὺς Plinius hic legit,) non ob longitudinem et tenuitatem, (quemadmodum in helice,) velut inflexa. Veris enim hederis crassa et brevia germina sunt, ac illarum cuivis, cum fructum edit, recta et sublimia. Theoph. *Dalec.*

Huic, &c.] Candidæ, asperrimæ, et maxime silvestri. Theoph. nigræ magis id tribuit, deinde candidarum huic generi. *Idem.*

Sed proprium albæ] Candidæ proprium id esse nusquam scribit Theophr. sed id maxime facere præ cæteris. *Idem.*

Sola omnium, &c.] Nihil horum apud Theophr. nihil apud Dioscor. Vel aliunde hæc sumpsit Plinius, vel chamæcissi voce deceptus, eam a rigente distinguere tentavit. Theophr. quidem hederæ ἐπιγείου, et εἰς ὕψος αἰρομένης meminit, nusquam chamæcissi, plantæ sui generis, ab hederis diversissimæ. *Idem.*

CAP. XXXV. *De edera, quæ vocatur smilax.*

Cilicia primum, &c.] Theophr. Hist. lib. III. cap. ult. *Idem.*

Non angulosa] Apud Theoph. legitur ἐγγώνιον absque negatione: verius esse quod hic legitur, herbæ figura monstrat. *Idem.*

Olente lilium] Apud eundem Gaza legit λαρινὸν, non ut Plin. λειρινόν. *Idem.*

Infausta omnibus, &c.] Vide infra XXI. 9. *Idem.*

Croci] Ovid. Met. IV. 'Et Crocon in parvos versum cum smilace flores.' *Idem.*

Levem sonum reddat] Vide infra XXIV. 10. *Idem.*

Si vas fiat ex ligno ejus] Κισσύβιον vocat Macrobius Saturn. v. de quo Euripides in Andromeda: πᾶς δὲ ποιμένων ἔῤῥει λεὼς, Ὁ μὲν γάλακτος κίσσινον φέρων σκύφον, Πόνων ἀναψυκτῆρ', ὁ δ' ἀμπέλων γάνος. Victor. XVI. 27. *Idem.*

CAP. XXXVI. *De aquaticis calamis, et fruticibus.*

Belli pacisque, &c.] Belli, ad jacula: pacis, ad scribendum. *Idem.*

Deliciis gratæ] Ad tibiarum usum. *Idem.*

Tegulo earum, &c.] Ob id panniculam tectoriam vocat Plautus in Milite: 'Cujus tu legiones deflavisti spiritu, Quasi ventus folia, aut panniculam tectoriam.' Turn. II. 28.

Plaut. in Rudente: 'Quin tu in paludem is, exigisque harundines, Qui pertegamus villam, dum sudum est?' *Dalec.*

Durantque avis, &c.] Equidem καλάμινον πῦρ. Aristot. Quæst. sect. III. 6. ignis in arundine accensus, qui cito exardescit, cito emoritur, διὰ τὴν τῆς ὕλης ἀσθένειαν ἀσθενέστερον τοῦ ξυλίνου. Quare et Herodoto lib. v. Sardibus captis Persæ nullam prædam ex ea copiosa et opulenta urbe retulerunt, quod domus ex harundine constructæ, vel harundine tectæ, injecto igne, incendio statim absumptæ sint. Vict. XXXIII. 1. *Idem.*

Cameras levissime suspendunt] Ex iis cameræ fornicesque pergularum quam levissimi et minime onerosi fiunt. *Idem.*

Circa Anaiticum, &c.] Vicinum Anææ urbi Cariæ. Anaitidis Dianæ apud Lydios templum est, auctore Pausania lib. III. *Idem.*

Fungosior] Rarior, laxior, minus farcta, spongiosa carne, quæ sub lignoso cortice jacet, et ei contigua est. *Idem.*

Geniculata. Cætero gracilitas, &c.] Lege: *geniculata cetero gracilitas nodisque distincta, leni fastigio tenuatur in cacumina crassiore panniculæ coma.* Vide Salmas. p. 1300. b. *Geniculata, &c.*] Nimis frequentibus nodis distincta. *Idem.*

Ferruminat textus, &c.] Tabularum compages. Qua ratione Ararici et Rhodanici nautæ, suis navigiis construendis, tabulis hiatus interpositos, musco cuneis adacto, fibulisque ferreis insuper affixis, obstruunt. *Idem.*

Calamis Orientis, &c.] Sagittariis. Democritus Geopon. II. βέλιτας et νασтокαλάμους vocat; quoniam, ut ait Dioscorides, ex harundine nasto sagittæ fiunt; quamvis in Geoponicis corrupte legatur, *balitæ et mesto calami.* Guilland.

Præcipitavit] Paratiores audacioresque fecit, et ad bellum temere suscipiendum cum Romanis impulit, quo profligati sunt. Cretensibus gentilitium telum sagittas esse scribit Pausanias lib. I. Hinc et Theophrasto Hist. IV. 12. κάλαμος τοξικὸς, *harundo sagittaria*, Cretica dicitur. *Dalec.*

Aptior calamus] Harundo sagittaria ea vocatur, de qua paulo infra. *Id.*

Pondusque volucre] Findendo aëri opportunum, in jaculatione expeditum. *Idem.*

Contra flatus quoque, &c.] Legend. *et contra flatus quoque pervicax; libra quippe, non eadem gratia Belgicis et Creticis commendatioribus.* Paulo inferius lege: *Suum genus sagittario calamo, sed Cretico longissimis internodiis, obsequiumque quo libeat flecti calefacto.* Salmas.

Et hastarum vicem, &c.] Quoniam tanta magnitudine et firmitate sunt, ut iis pro jaculis utantur. Theophr. *Dalec.*

Indicæ] Alia hæc Indica est, quam calamus aromaticus. *Idem.*

Differre mares, &c.] De harundine epigeio, non de Indica, id Theophr. qui masculam solidam esse, fœminam vero inanem, etiam scribit. *Id.*

Circa Acesinem, &c.] Theophr. IV. 12. de calamo tantum id scribit qui hastæ vicem præstat. *Idem.*

Harundo omnis ex una stirpe numerosa, atque etiam recisa fœcundius resurgit. Radix natura vivax, geniculata et ipsa] Scribendum opinor et alia lectione: *harundo omnis vivax, atque etiam exusta fœcundius resurgit. Radice natura ex una stirpe numerosa, geniculata et ipsa*, e Theophr. IV. 11. qui vivacitatem harundini tribuit, non radici. 'Omnis,' inquit, 'harundo vivax est, atque adusta melius resurgit. Itemque stirpe crassa numerosaque est, ob id mori pervicax. Radix ipsa geniculata est.' Astipulatur Columella IV. 31. *Pintian.*

Latera harundini, &c.] Foliorum sese explicantium velut alæ. *Dalec.*

Calamus vero alius, &c.] Falsum id esse apertissime ostendit historia Theophr. de Orchomenio calamo. Plinius hæc mire perturbat. Lego: *Calamus vero alius Orchomenius totus concavus q. s. v. u. f. q. n. e. e. c. a. carnis, continuo foramine pervius. Quem vero Auleticon, &c.* Idem.

Syringiam vocant] Syring. Theophr. Ita porro vocant, non quod utilis sit fistulis, quemadmodum Plinius exposuit, sed quod fistulosus et inanis sit. *Idem.*

Hic tibiis utilior] Tibias a Barbaris inventas fuisse tradunt, ideoque in describendis musicis instrumentis, quibus perstrepebat furiosa Bacchantium cohors, recte Catullum dixisse: 'Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.' Apud Hom. Trojani, de suis rebus prosperis læti, sese ut oblectent, pernoctantes in campo tibias inflant. Olympiodorus a Phrygibus inventas fuisse tradit, usumque in certamine Marsiam tibia, Apollinem vero cithara. Victorius xxx. 10. Vide quæ notata sunt vii. 46. *Idem.*

Est alius crassiore ligno] Est alius solidus et totus pene intus repletus. Theophr. *Idem.*

In aquaticis natus] Apud lacus et flumina nascens potissimum. Theophr. *Idem.*

Hæc differentia est] Plurimum tamen in quoque genere differunt inter se aquaticæ et in sicco nascentes. Theophr. *Idem.*

Longissimis internodiis] Nodis paucis, geniculatæ, carnosiori omnibus. Theophrastus. *Idem.*

Differentias faciunt et folia, non multitudine, verum robore et colore. Valida Laconicis, et ab una parte densiora] Deesse arbitror dictionem *tantum*, et legendum *varia*, non *valida*, et *ima*, non *una*, ut in totum scribendum sit: *Differentias faciunt et folia non multitudine tantum, verum robore et colore. Varia Laconicis, et ab ima parte densiora.* Theophr. iv. 11. 'Magnas et folia differentias reddunt, non multitudine magnitudineque tantum, sed etiam colore; quippe quæ Laconica cognominatur, versicolor est,' &c. *Pintian.*

Valida Laconicis] Laconica versicolor est. In positu etiam foliorum et adnexu differentia est; nam quædam ab ima parte foliorum suorum maximum numerum edunt, ac velut e frutice se attollunt. Theophr. *Dalec.*

Est et in Italia, &c.] Lege: *Est et in Italia nascens Adarca, calami palustris ex cortice tantum, sed ipsa coma, &c.* Ex cortice calami palustris sub ipsa coma nasci vult Adarcam. Et pro *utilissima dentib.* scribe, *utilis medentibus.* Salm. 1301. a. *Est et in, &c.*] Nam in Cappadocia tantum nasci Dioscorides scribit. *Dalec.*

Adarca nominè] Calamachne ea quoque dicitur xxxii. 10. Vide xx. 22. Adarces est subsalsa concretio, humidis et palustribus locis, sicco cœlo, spissescens, harundinibus et herbis inhærescens: molli Alcyonio prorsus similis, valde spongiosa, &c. Ex hac historia Dioscoridis apparet Plinium Adarces naturam non intellexisse, quoniam nec harundini peculiaris est, nec e cortice comave nascitur. *Idem.*

Et cortice] Harundinibus atque herbis inhærescens. Dioscorid. Inepte Plinius adarcen, quæ salsilago est, inter harundinum genera commemorat. Vide xx. 22. et xxxii. 10. *Idem.*

Characiam] Phraginiten ipse vocat, xxxii. 10. *Idem.*

Illam in ripis, &c.] Harundineis cespitibus, ubi harundo multa connexu mutuo radicum implectitur, pingui lætoque solo. Theophr. *Idem.*

Tertia harundo, &c.] In sequentibus multa Plinius ex Theophrasto male transcripsit. Apud Theophrastum locus est iv. 12. *Idem.*

Nono hic anno nascebatur] Nono

anno nasci putabant, quoniam eo temporis intervallo lacus augebatur, sed magno errore, &c. Theophrastus. *Idem.*

Prodigiosus] Prodigiosum id esse Theophrastus non ait, sed contigisse circa tempus ejus infausti prælii. *Idem.*

Biennio extendisset] Post imbres frequentes aqua biennio copiosa permansisset. Theophr. *Idem.*

Quod notatum, &c.] Lege: *quod notatum apud Cheroniam infausto Atheniensium exitu, et sæpe, Copaida vocatur influente Cephisso;* ut dicat Orchomenium illum lacum Copaidem vocari, in quem influit Cephisus. Vide Salmas. pag. 117. b.

Cheroniam, &c.] Chæroneia Straboni, oppidum, ad quod Philippus, Amyntæ filius, Bœotiis, Corinthiis, Atheniensibus gravi prælio superatis, Græciam subjugavit. In vicino Lebadiæ est, quæ Jovis Trophonii antrum et oraculum habet. Strabo lib. IX. *Dalec.*

Zeugitæ] Zeugitin aucupatoriam male Plinius exponit. ζευγίτην dicebant eam, quæ crassitie et longitudine ad compingenda duarum tibiarum paria et *conjugia*, τὰ ζεύγη, idonea et apta foret, ut βομβυκίαν, quæ ob strigosam maciem tibia dignum sonum non ederet, sed bombum tantum. Apuleius Asini lib. IV. nuptiales tibias vocat zygias, quasi jugales, sicut Junonem zygiam, jugam, sive jugalem vocant, 'cui vincla jugalia curæ,' ut inquit Poëta. Idem lib. VI. harundinem 'Musicæ nutriculam' appellat, lepide quidem, sed affectate. *Idem.*

Maturius reciproco] Cum aqua copiosa non permanserit. Theophrast. *Idem.*

Hinc erant armamenta] Tibiæ fiebant, quibus canerent. *Armamentum* licenter Plinius instrumentum vocat: quod Gazam impulit, ut apud Theophrastum parum apte ζευγίτην verteret *armamentarium*. Idem.

Ad inclusos cantus] Inclusos cantus dici volunt, qui in theatris aut templis muro circumseptis, vel etiam in privatis ædibus personarent, non autem in aperto ederentur, veluti tubis et cornibus. Aldus putat scriptum fuisse *inclutos* pro *inclytos*, unde factum sit *inclusos*. Ennius de Coclite: 'Hic datus est occasus Horatius inclutu' saltu,' apud Festum. *Idem.*

Reliquo curæ miraculo] In harundinis tibialis præparatione. *Idem.*

Ad Antigenem tibicinem] Antigenem Thebanum musicum primum calceis Milesiis usum fuisse, fimbriatamque vestem, κροκωτὴν, in comessationes attulisse, καὶ μελοποιῆσαι, Suidas refert. Antigenide tibicine harmation canente, Plutarchus scribit epulantem Alexandrum sic exarsisse, ut raptis armis adstantes fere invaderet, ut verum sit quod Spartiatæ dictitabant: 'Urget in ferrum scita fidibus cantio.' Magius IV. 13. Antigenidæ Musici meminit Apuleius lib. Florid. *Idem.*

Simplici musica] Tibia Theophr. ὅτι ηὔλουν ἁπλάστως. *Idem.*

Comprimentibus se ligulis] Connivente ore linguarum. Theophr. *Idem.*

Quod erat illis theatrorum, &c.] In Theophrasto est, ὃ πρὸς διακτορίαν ἦν χρήσιμον, *quod ad usum exercitationemque canendi utilius fuit.* Idem.

Postquam varietas accessit] Cantus varietatem ac luxuriam Latine reddit, quod Theophrastus ait τὴν πλάσιν, nempe rudioris simplicioris que musicæ ad cantus delicias, ac jucundam argutamque varietatem, velut conformationem atque eruditionem. *Idem.*

Quæ radicem antecesserat] Theophrastus radici proximam linguam lævam esse ait, dextram vero quæ ad germina est. Plinius ad dextram lævamque tibiam perquam apte refert, et eum Theophrasti locum quasi interpretatur commode. Varro I. 2.

ait, tibiam dextram in carminibus esse modorum incentivam, lævam autem succentivam. Sed de his statim. *Dalec.*

Lævæ tibiæ convenire] Ut capaciorem, amplioris et gravioris soni. Dextra acutior, læva gravior, obtusior, obscurior. 'Impares,' id est, unica tantum, in monodio, cum unica persona ageret, inflabantur: 'pares,' sive binæ, cum multi: 'choricæ,' cum chorus. Unicæ personæ *μονῴδιον* fuit; plurium *συνῴδιον*. *Monodium* et canticum dixerunt: *Synodium*, diverbium. Vide Rhod. IX. 7. Quando chorus canebat, inquit Diomedes lib. III. choricis sive choraulicis tibiis artifex concinebat: in canticis autem, pithaulicis responsabat, nempe quibus pithaules, sive ascaules, id est, utricularius utitur. Brod. II. 13. Vide quod notatum est supra in VII. 37. De monodia vide Victorium Observat. XXXI. 8. Dextras vocarunt, quod oris parte dextra inflarentur, dextra manu tenerentur; lævas ob contrarias causas. Victor. XXXVIII. 22. Serranæ tibiæ ab acuto serræ stridore ac sono, ut gingrinæ, ab anserum clangore; gingriunt enim anseres. Serranæ sinistræ fuerunt, acutius tinnientes, et, ut Varro inquit, succentivæ, ut dextræ, quæ gravius sonant, incentivæ. Turn. XXVIII. 34. Dextra ea fortassis est, quam Cic. ad Att. lib. II. *μικρὰν* vocat: 'Cn. quidem noster,' ait, 'jam plane quid cogitet nescio: *Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλισκοῖς ἔτι, Ἀλλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ.*' Qui locus apud Dionysium Longinum citatur ex Sophocle: *Φλοιώδης γὰρ ὁ ἀνὴρ,* inquit, *καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα οὐ σμικροῖς μὲν αὐλισκοῖσι, φορβειᾶς δ' ἄτερ.* Leopardus I. 2. Servius in Æneid. II. 'Serranæ tibiæ, quæ sunt pares et æquales, habent cavernas, sive foramina, *τὰ τρήματα*: Phrygiæ, quæ impares, et inæquabilibus foraminibus.' Varroni Phrygia dextra unum habet foramen, sinistra duo: quorum unum sonum acutum edit, alterum gravem. Brod. V. cap. 32. Præcentarias, vascas, Puellatorias, Gingrinas, Milvinas tibias memorat Alex. ab Alexand. IV. c. 2. Funebrium hic non meminit, quas adhibebant plebeiorum exequiis, ut tubas justis nobilium et locupletum. Statius: 'Tibia, cui teneros solitum deducere manes.' Ovid. 'Tibia funeribus convenit ista meis.' Persius de divite: 'Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto,' &c. Hinc Siticines Apuleio in Floridis monumentarii tibicines. Sic elatus est corvus supra X. 43. Athen. p. 314. vs. 18. ex Philetæro: *Ὦ Ζεῦ, καλόν γ' ἐστὶν ἀποθανεῖν αὐλούμενον, Τούτοις ἐν ᾅδου γὰρ μόνοις ἐξουσία Ἀφροδισιάζειν ἐστίν· οἱ δὲ τοὺς τρόπους Ῥυπαροὺς ἔχοντες μουσικῆς ἀπειρίᾳ Εἰς τὸν πίθον φέρουσι τὸν τετρημμένον.* *Idem.*

Quas ipse Cephissus abluisset] Et si lætum, profundum, cœnosum solum sit. Theophr. *Idem.*

Ossibusque asininis] Plutarchus in convivio septem sapientum miratur, asinum, animal stolidissimum et alienissimum a musica, ossa tenuissima, atque maxime canora suppeditare. Vide locum. *Idem.*

Abaritana ex Africa] Hæc sunt viginti duo genera: quibus si addas Ægyptium, Gnidium, Anaiticam, Italicam, Belgicam, Creticum, Indicum, supra memorata, viginti novem comperies, quot se recitasse ait c. 11. l. XXIV. *Idem.*

Ad vineas maxime] Ad earum pedamenta et juga. Vide Varronem I. 8. *Dalec.*

Cato] Cap. 6. et 48. *Idem.*

Concordare enim amicitiam] Quia foditur, incenditur, et umbram per tempus habet. *Idem.*

CAP. XXXVII. *De salice, ejus genera octo, et quæ præter salicem sunt utilia ligaturis, et de rubis.*

Balteo] Cinctu, cingulo, philyra sive tilia corticis exterioris, qui pe-

damentis aufertur. *Idem.*

Aliæ] Amerinæ, ruffæ, Vitellinæ. *Idem.*

Aliæ, &c.] Nigræ, purpureæ. *Idem.*

In delicias cathedrarum aptissimæ] In quibus ignavæ sedent totos dies mulierculæ, et cum iis molles ac effœminati viri; unde cathedralitii Martiali: 'Cum cathedralitios portet tua rheda ministros, Et Libys in longo pulvere sudet eques.' Ac rursus: 'Inter fœmineas qui tota luce cathedras Desidet.' Rhod. xv. 8. *Id.*

Cato] Cap. 1. *Idem.*

Sanguinei frutices] De iis vide supra xix. 10. et 18. et infra xxiv. 18. *Idem.*

Græca rubens] Amerina sub. Hæc enim de amerina, quæ sola finditur, sunt intelligenda. Amerinarum quædam rubet, quam Græcam vocant. Plinius etiam nigram xxiv. 9. quædam candida est. Amerinam Lugdunenses hodie vocant *amerines*, et *umbres*, Parisienses *Osier*. Idem.

Nigram] Theophr. Hist. iii. 13. *Idem.*

Helicem vocant] Vel helicem a similitudine hederæ sic dictæ, quæ ad justum hederæ modum non excrescit, vel ἑλίκην, ut apud Theophr. legitur ἀπὸ τοῦ εἰλίττεσθαι, quod maxime flexilis sit ac plicatilis. *Idem.*

Apud nos quoque, &c.] Columellæ iv. 30. vimineæ Salicis tria genera: Græca, flavi coloris; Gallica, obsoleti, purpurei, et tenuissimi viminis; Sabina, quam plurimi amerinam vocant, gracili et rutila virga. *Idem.*

Purpuream] Cortice e nigro purpurascente. *Idem.*

Nec in fruticum, &c.] Legend. *Nec in fruticum, nec in veprium cauliumve, nec in herbarum aut ullo alio quam suo genere numerentur jure scirpi fragiles palustresque ad tegillum tegetesque.* Tegilla cuculli vel petasi ex scirpo facti. *Scirpum* Grammatici interpretantur, 'id quod in palustribus locis nascitur leve ac procerum, unde teges fiunt.' Hoc est φλοῦς Græcorum. Et quod sequitur sic corrige: *pro maximoque æstimanti hoc videatur esse quod in interiore parte mundum papyrum usui det. Frutectosi generis sunt inter aquaticas et rubi atque sambuci.* Æstimanti, inquit, virtutes papyri hoc pro maximo videatur esse, quod interior ejus pars mundum papyrum usui det, id est, mundi papyri usum præstet. Vide Salmas. pag. 1002. b.

Scirpi fragiles] Plautus: 'O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas, Qui semper servas gloriam aritudinis.' *Dalec.*

Et funeribus serviunt] Quod adnotavit interpres Theocriti, juxta mortui cadaver, quamdiu supra terram esset, ignem accensum conservabant, qua in re candelis his utebantur. *Idem.*

Mapalia] Vide Sallust. in Jugurtha. *Idem.*

Similitudinem rosæ] Hoc est quod Theophr. ait Hist. iii. 8. Cynosbaton fructum subrubrum habere, παραπλήσιον τῷ τοῦ ῥόδου, non, ut legitur, τῆς ῥοιᾶς. *Idem.*

Aqua decocti manduntur] Olerum more. Diosc. qui de Sambuci et Ebuli foliis id tradit. *Idem.*

Cap. xxxviii. *De succis arborum, et natura materiarum, et de cædendis arboribus.*

Humor et cortici arborum est, qui sanguis earum intelligi debet, non idem omnibus: ficis lacteus] Dictionem *cortici* Plinianam non credimus, ducti verbis Theophrasti i. 19. 'Arborum,' inquit, 'ipsarum humor variis generibus consummari videtur: alius enim succus lacteo similis est, ut fici, papaveris,' &c. *Pintian.* *Humor et cortici arborum est, &c.*] Lege, *Humor et cortici arborum est, &c. huic ad caseos figundos coaguli vis;* caseus enim *figi* dicitur, cum cogitur, πήγνυσθαι. *Salmas.* 1284. b. *Humor et cortici, &c.*] Theophr. Hist. i. 19. et ix. 1. *Dalec.*

Ad caseos figurandos] Varro de Re Rust. II. 11. Caseum eum veteres ὀπίαν, ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, et κραδίαν ἀπὸ τῆς κράδης, ut exponit Hesychius ὑπὸ τοῦ ὀποῦ τῆς κράδης πηγνύμενον. Apud Euripidem Polyphemus suas divitias ostentans, inquit: Καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ, καὶ βοὸς γάλα. Victor. XXXII. 7. et Annot. in Varronis citatum locum. *Idem.*

Ut reliquorum animalium] Theophrast. Hist. IV. 3. *Idem.*

Mirum, hic in moro, &c.] Legend. *Mirum, is in moro succum quærentibus medicis, vere hora diei secunda lapide incursus manat, altius fractus siccus videtur.* Mirum, inquit, is cortex in moro lapide incursus manat. 'Incursum' hunc corticem lapide dicit, qui in summa superficie lapide læsus est levi tantum incursu. *Salmas.* 1284. b. *Mirum hic in moro medicis succum quærentibus fere hora diei secunda lapide incussus manat*] Antiquum exemplar: *Mirum hiis in moro medicis succum quærentibus, vere hora diei secunda lapide incisus manat;* ut forte legendum sit *imus*, non *hiis;* nam sequitur statim *altius fractus, &c.* Pintian.

Fere hora diei secunda] Νεαρὸν δένδρον πρὶν καρποφορεῖν ὀπίζεσθαι, Diosc. scribit, nempe lacteum succum ex arbore tenella colligi, priusquam fructum ferat. Νεαρὸν ad matutinum sive horam diei secundam retulisse videtur Plinius. Ruellius *primo vere arbore tenera succum eximi* vertit in Hist. Sycomori apud Dioscorid. tanquam ἐαρινὸν pro νεαρὸν legisset. *Dal.*

In quarundam arborum, &c.] Theophrast. Hist. I. 2. *Idem.*

Vel graphii sentiatur] Est autem *graphium*, ut vulgo etiam notum est, stylus ferreus, quo in ceratis tabellis, quicquid libuerit, exarare solemus. *Gelen.*

Tubera] Prominentes foras humores ac veluti quidam gibbi. *Dalec.*

Quodam callo carnis in se convoluto] Σπείρας vocat Theophr. Hist. V. 3. quo in loco spiram nec nodum, ὄζον, esse, nec crispam materiam, οὐλότητα, ait, quemadmodum in acere et citro Plinius interpretatur. *Idem.*

Manius Curius] Ad focum sedenti illi, et quod Athenæus ex Megacle tradit, rapum coquenti, cum Samnites magnum auri pondus attulissent, repudiati sunt; non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed eis, qui haberent aurum, imperare. Cicero in Cat. Majore. Victor. X. 5. Valer. Max. IV. 2. *Idem.*

Ut quæ pars fuit ab radice] Theophrast. Hist. V. 6. observari hoc tradit in lignis quæ mari inveterantur. *Idem.*

Alia frangi celeriora] Idem Hist. I. 8. *Idem.*

Nodata propter decorem] Et ut firmius manu teneatur, cum feræ, præsertim sævæ, ut apri, transfigendæ sunt. *Idem.*

CAP. XXXIX. *De larice, et abiete, et sapino, et cæteris hujusmodi arboribus cædendis.*

Mellei coloris] Elegantis. Theophr. εὔχρουν. Plinius legisse videtur μελίχρουν. *Idem.*

Proximum medullæ est] Imo vero medulla, ἐγκάρδιον. *Idem.*

Leuson] Λοῦσσον Theophr. III. 10. Lignatores montis Juræ adhuc vocant *louchon.* Idem.

Et sambuci interiora, &c.] Plurimam tamen habere medullam Sambucum supra scripsit c. 25. hujus lib. Idem tradit et Theophr. Hist. I. 9. et III. 13. ita tamen, ut quosdam existimasse medulla carere dicat. Lego: *traduntur. E corno, qui venabula, &c.* Theophrast. maris corni materiam *corde carere*, ἀκάρδιον εἶναι, totam solidam esse, densitate ac firmitate cornibus similem: id quod Plinius parum feliciter vertit: *constare ex cute et ossibus.* Idem.

Namque qui venabula, &c.] De corno id scribit Theophr. Hist. III. 12. *Id.*

Cædi tempestivum quæ decorticentur, ut teretes] Scribo *et teretes*, non *ut teretes*, ex Theophrast. v. 1. 'Cædi itaque tempestivum rotundam quidem materiam, et omnem quæ decorticanda accipitur, cum germinare incipit.' *Pintian.*

Ad templa] Idem Hist. v. 1. *Dal.*

Tigna et quibus aufert, &c.] Sic Theophr. 'Quadrata, cum turgere, λιπεῖν, desierint. Securis enim τὸ δυσειδὲς, vel, ut alii, δυσῶδες, deformitatem aut putorem (*corticem* Plinius) aufert. Reliqua nunc post messem, (*Solstitio* Plinius,) nunc post Vindemiam et Arcturum, ut Aria, Ulmus,' &c. Plinius τετράγωνα *ligna* reddidit, et Arcturum, nempe Arcturi ortum, qui fit pridie Idus Septembreis, ejus occasum intellexit, qui fit prid. Idus Martii, ante quod tempus Fidicula occidit, nempe pridie Nonas Februarii, et Favonius spirat, nempe circiter sextum Idus Februarii. *Idem.*

Robur vere cæsum, &c.] 'Quercus profecto cæsa tempestive nec putret nec vermibus eroditur, et cornu instar dura spissaque manet, tota enim cordi similis est; at haliphlœos etiam tum vilis et inutilis.' Theophr. Negligentissime Plin. hæc vertit; *suber*que pro *haliphlœo* scripsit. *Idem.*

Quod fieri non potest nisi noctu] Nam Solis sidus, cum quo Luna coit, non nisi noctu sub terra est. *Idem.*

Circumcisas quoque, &c.] Vitruvius II. 9. Palladius cap. 15. Novembris. *Idem.*

Prælum e sapino atra potissimum facito. Ulmeam pineam, nuceam] In ipso Catone leges cap. 31. 'Prælum e sapino atra potissimum facito, aut ulmeam, aut pineam vel nuceam.' *Pintian.*

Tunc erit tempestiva] Cato cap. 17. 31. et 37. *Dalec.*

M. Varro] De Re Rust. I. 37. ubi et Varr. emendat et hunc Plinii locum adducit Fulv. Ursin. *Idem.*

Succisis] Theophr. Hist. v. 2. *Idem.*

Navium malis antennisque, &c.] Theophrast. Hist. III. 8. abietis caudicem comparat cum navis arbore. *Idem.*

Ut quadripartitos venarum, &c.] Κτένας, κτηδόνας, καὶ διαφύσεις τετραζόους. Vitruv. quadrifluvio disparatos vocat. *Idem.*

Ad fabrorum, &c.] Lege: *Ad fabrorum intestina opera medulla pectilis optima quadripartitis materiis, &c.* Talis est abietis in ea parte quæ proxima terræ est, quadruplici nempe venarum cursu fluviata. Vide Salmas. p. 1033. b. 1034. a. *Ad fabrorum*] De medulla ebeni, cytysi, terebinthi, et cujusdam arboris colore ebeno similis, roboris, hoc Theophrast. Hist. v. 4. *Dalec.*

Intestina opera medulla sectilis] Lautiora, minutiora, pretiosa, σπουδαζόμενα. Theophr. *Idem.*

Optima quadripartitis materies] 'Quadripartitas ad opera valde probant, ægidem gignere solitas, quoniam materiam spississimam habent. Bifidarum mollis materia, sed in opere pessima, quia maxime pervertitur. Simplicium rara quidem est materia, sed a perversione tutissima.' Theoph. *Idem.*

Sapinus vocatur] Vide supra XV. 10. et cap. 12. hujus libri. *Idem.*

Superior pars nodosa] Vitruvius II. 9. *Idem.*

Aquiloniæ partes] Theophr. Hist. I. 14. et. v. 2. *Idem.*

Infernas abies supernati præfertur] Infernas abies, et cæsa in Apennini parte mari Thusco proxima: supernas cæsa in ea parte quæ Adriatico vicina est. *Idem.*

Vegeso] Vulgo *Faugé*. Idem.

Deteriores Æneatica et Arcadica, pessimæ Parnassica et Euboica] Scribo *Ænica*, non *Æneatica*, ex Theophr. v. 3. 'Secundam,' inquit, 'Ponticam tradunt; tertiam Rhyndacicam; quartam Ænicam; deterrimam Parnas-

siam atque Euboicam.' Hæc Theophrastus. Est autem Æane urbs Macedoniæ Stephano. *Pintian.*

Arcadica] De Arcadica cogitandum. Theophr. *Idem.*

Ubi convolvere se venæ atque nodi] Ubi convolutio quædam fit in plures orbes, quam nec nodum, nec crispitudinem jure dixeris, fabris longe molestior, tractatuque difficilior quam nodi. Theophr. Hist. VI. 39. *Idem.*

Clavo similis] Alius est Oleæ clavus, de quo infra, XVII. 24. *Idem.*

Et quædam forte accidunt, &c.] 'Nodos arborum, cum mitius est cœlum, alimentumque melius ac utilius, augescente carne et cute obduci, quamvis sensui manifestissimum sit, tamen et ex aliis similibus cognoscimus. Nam sæpe arboris pars quædam ab altera coalescente prehenditur; ac si quis saxum, vel aliquid aliud ejusmodi, incutiat, accrescente quod in ambitu est, id occultatur, sicut in oleastro contigit Megaris in foro sato,' &c. Theophr. Hunc locum Plinius incuriose vertit. *Idem.*

CAP. XL. *De materiis, de magnitudine arborum, et quæ cariem et ruinam non sentiunt, et de perpetuitate materiarum.*

In porticibus septorum] Septa, quondam Ovilia, in campo Martio loca frequentia, cincta primum tabulatis, deinde marmore, sumptu magnifico, excellentique cultu, excelsis porticibus, ingentibusque et amplis ambulationibus ornata, in quibus pretiosæ merces venundabantur. Eo populus ad comitia conveniebat, ut honores daret, et de Rep. decerneret. Alex. ab Alexand. II. 18. *Idem.*

Diribitorio] Alii *delibatorio*. Suetonius in Claudio 'diribitorium' appellat: itemque Dion Græcus auctor, διριβιτώριον: ut dubitari præterea nec possit, nec debeat, etiamsi nemo eorum, quale id esset, explicavit. In antiquissimo autem Latino Lexico, in Noricis, Pomponio Læto referente, scriptum erat, 'Diribitorium' a diribendo, hoc est, distribuendo, nominatum fuisse, quia locus esset, in quo recenserentur exercitus, et stipendia militiæ numerarentur: ut *diribere* sit quod Græce διανέμειν χρήματα: id autem munus in provinciis Procuratores Cæsaris obibant: Strabo auctor, qui et 'militare logisterion' locum vocari tradit in relatione Syriæ, non dissimilem fortasse ab eo quod nos 'diribitorium.' Cicero de reditu suo ad Senatum: 'Quando,' inquit, 'ulla dignitate tot rogatores, diribitores, custodesque vidistis?' hoc est, divisores distributoresque, qui inter tribus viritim pecuniam dividerent: quos Plautus in Aulularia 'curiarum magistros' appellavit, qui distribuerent, inquit, argenti minas in viros; nam et Pedianus Asconius quærere id solet, numquid tribus legitimos aliquos habuerit divisores suos. Erant et in petitione honorum, qui munia et dictata gratiosis quibusque sua partirentur, ut apud Ciceronem legitur. Ausonius ad Gratianum de consulatu suo: 'Nihil,' inquit, 'cum sequestre deposui, cum distributore nihil pepigi.' Distributorem vocavit ipse, quem Cicero 'diribitorem.' Ex hac similitudine structores epularum, et omnino præpositi negociis, vocabulum id quandoque accipiunt. Apuleius Fabulæ Milesiæ lib. II. 'Frequens ibi,' inquit, 'epulonum diribitores plusculi, splendide amicti, fercula copiosa, scitule administrata, pueri calamistrati, pulcre indusiati.' Ammianus l. XVIII. 'Dum hæc,' inquit, 'in castris Constantii quasi per lustra aguntur, et cœnam et diribitores venundatæ subito potestatis pretium per potiores diffundit.' *Herm. Barb.*

Obiter Puteolano pulvere advectisque] Scribendum arbitror, *ob id ter Puteolano pulvere advecto;* nam cum tres moles altitudine turrium exædificatæ

fuerint, optime quadrat ter ob id advectnm esse Puteolanum pulverem; de quo Vitruvius secundo. *Pintian.*

Et Syria] Theophrast. Hist. v. 9. *Dalec.*

Centum triginta pedum] Τρὶς καὶ δέκα ὀργυιῶν, *tredecim orgyarum.* Theophrast. Ita decem pedes quævis orgya metitur. *Idem.*

Spississima, ex omni materie] Theophrast. Hist. v. 4. *Idem.*

Graciles natura] Buxus quidem tota, ebenus medulla. Theophr. *Idem.*

Si dematur cortex] Nihil Theophr. Vide Vitruvium II. 9. *Idem.*

Huic nigricans color] Roboris exalburnati nigram medullam Theophr. μελάνδρυον vocat Hist. I. 9. et v. 4. *Id.*

Calices ex terebintho, &c.] Lege: *Calices ex terebintho solitus facere torno, per quam probatos. Materies omnium hæc sola ungi vult.* Valde probatos calices ex terebintho tornare solitum dicit hunc Thericlem, quæ ab eo 'Thericlei' sunt nominati. Vide Salmas. pag. 1043. b. *Calices e terebintho solitus facere torno, per quem probatur materies. Omnium hæc sola, &c.*] Scribendum videtur: *Calices e terebintho solitus facere torno: cor cujus probatur. Materies omnium hæc sola, &c.* Theophrastus v. 4. 'Et pocula Thericlea tornari quæ a fictilibus secerni non possunt: verum cor tantum accipi et perungi materiam oportere volunt.' *Pintian. Calices ex terebintho, &c.*] Quos a figlinis discernere facile non erat. Theophr. Corinthius is Thericles fuit. Quidam θηρίκλεια dicta volunt, quod in iis feræ insculperentur. Rhod. XXVII. 27. Figulum Corinthium Thericlem fuisse, non autem usum torno, scribit Athenæus lib. XI. Idem tamen ex Apollodoro Geloo citat θηρίκλεια τορευτά. *Dalec.*

Ungi vult] Syriacæ terebinthi medulla. Theophrast. *Idem.*

Quamquam non potest videri materies propter exilitatem, sed lignum non alio pene, quam, &c.] Hinc sequior Latinitas 'materiem' pro trabe usurpavit. Et 'materiæ quinquagenariæ,' pro trabibus quinquaginta pedes longis. Notanda et illa locutio, *non alio pene*, id est, non *alio* utile, pro non ad aliam rem utile. Sic *quo*, pro ad quam rem, *Salmas.* pag. 1035. a.

Calidæ et morus] Menestor calidis morum addidit, inquit Theophrast. *Dalec.*

Teritur ergo lignum ligno, &c.] Mercurio id inventum tribuit Hymnus ad eum scriptus: Σὺν δ' ἐφόρει ξύλα πολλὰ, πυρὸς δ' ἐπεμαίετο τέχνην· Δάφνης ἀγλαὸν ὄζον ἑλὼν, ἐπέλεψε σιδήρῳ Ἄρμενον ἐν παλάμῃ· ἀνὰ δ' ἄμπνυτο θερμὸς ἀϋτμή· Ἑρμῆς τοι πρώτιστα πυρήϊα πῦρ τ' ἀνέδωκε. Sic apud Festum, ignis Vestæ si quando interstinctus esset, virgines a Pontifice verberibus affectæ clavulam, (nimirum, clavulam, sive exiguam clavam, mateolam,) felicis materiæ, tamdiu terebrabant, quousque ignis conciperetur, quem æneo cribro virgo in ædem ferret. Sic arboribus silvarum, ventorum vi inter se collisis, ignis exprimitur, ac ut ait Lucretius lib. v. 'Exprimitur validis extritus viribus ignis, Et micat interdum flammai fervidus ardor, Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.' Ut vero Corn. Severus in Ætna: 'Haud aliter, quam cum prono jacuere sub Austro, Aut Aquilone fremunt sylvæ: dant brachia nodo Implicitæ, ac serpunt junctis incendia ramis.' *Scaliger.*

Aridi fomitis] Eam olim 'lucubrum' vocaverunt. Paratur fere ex sulphuratis, fungis arborum insolatis et arefactis, acie, sive acu, nimirum carpto carminatoque lino, vel stupa, ut in Moreto: 'Et producit acu stupas humore carentes:' nimirum, εἰς τὸ ζωπύριον καὶ ἔναυσμα πυρός. Hanc λυχναψίαν Glossarion vetus appellat, *canapturam.* Idem.

Vitis silvestris] Athragenam significat, memoratam Theophr. Hist. v. 10. *Dalec.*

Quo sunt genere fici, &c.] Salix, vitis; sed levior salix, quia laxior; ideo magis ea utuntur. Platanus lenta est, sed natura humidior, ut et ulmus. Morus spissa, et lenta est. Theophrast. Plinius hæc oscitanter. *Id.*

Rigorem fortissime servat ulmus] 'Ἀστραβεστάτη ἐστὶ, minime pervertitur. Theophr. Hist. III. 23. et v. 8. *Idem.*

In omnibus silvestria, &c.] Idem ibid. I. 13. *Idem.*

Et infœcunda firmiora fertilibus] Id. ibid. v. 5. *Idem.*

Taxus, juniperus] Nec taxum, nec juniperum his adnumerat Theophrast. loco proxime citato. *Idem.*

Rimam fissuramque, &c.] Legend. *Rimam fissuramque non capit sponte cedrus, cupressus, olea, buxum. Maxime æterna putant hebenum et cupressum, claro de omnibus materiis judicio in templo Ephesiæ Dianæ.* Salmas. p. 813. a.

Hanc materiam elegisse, &c.] Lege: *Hanc materiam elegisse Demonicon, etiam nomen artificis nuncupans: quod equidem miror, cum antiquiorem Minerva quoque non modo Libero patre vetustatem ei tribuat.* Vide Salmas. p. 816. b.

Quas et ipsas esse modico, &c.] *Modico* scil. simulachro. Id miratur, quod alioqui juncturæ fere nullæ sint in grandibus simulachris. *Gelen.*

Valvas esse e cupresso] Theophrast. ibidem. Vide quæ adnotata sunt in cap. 33. hujus libri. *Dalec.*

Id quoque notandum, &c.] Valvas ulmeas non statim perficiunt, sed compactas relinquunt. Nonnulli, ut lautius opus sit, anno post tertio statunnt; nam æstatis fervore siccatæ dehiscunt; hieme vero coëunt, quia rara carnosaque materies aërem humidum trahit. Theophr. Hist. v. 4. *Idem.*

Quonam genere materiæ scientia obliterata] In aliis codicibus: *cujus quoniam generis materiæ, &c.* Scribendum conjicio: *Thuiæ quidem generis materiæ, &c.* tum quod Theophrastus post cedrum et thuiam tertiam tertio loco ponit morum, quod hic vides fieri itidem a Plinio; tum etiam quod statim subjungit Plinius: *quæ odore præcellant, æternitate præstare;* et supra Plinius XIII. 16. de thuia loquens, 'Hanc,' inquit, 'inter odores uri tradit in deliciis Circes.' *Pintian.*

In plenum dici potest, &c.] *In plenum dici potest, utique quæ odore præcellant, eas et æternitate præstare.* Ita corrigend. *in plenum*, ὅλως, καθόλου, συνελόντι εἰπεῖν. *Salmas.*

A prædictis morus proxime laudatur] Theophr. Hist. v. 5. *Dalec.*

Robur defossum, et in aquis quercus obruta] Lege alia distinctione: '*Robur defossum et in aquis, quercus obruta.* Theophr. v. 5. 'Robur defossum atque in aquis demersum, putredinis quippe hoc immune omnino videtur: ob id fluviis lacubusque naves hac etiam materia condunt; sed mari putrescit.' Confirmat id rursus cap. 7. ejusdem libri. *Pintian.*

Stantesque a circumcisura, &c.] Vide proximum præcedens cap. 39. *Dal.*

CAP. XLI. *De teredinibus.*

Quorum quidem alii putrescente succo] Verbum *quidem* demendum est, ex archetypo Toletano: ego vero et dictionem etiam illam *succo* adventitiam esse existimo. Theophr. v. 5. 'Vermium autem qui nasci in materie solent, alii putrescente materie generari solent, alii parientibus aliis vermibus. Pariunt enim vel in cæsa materia vermes, quemadmodum in arboribus qui cerastæ vocantur; cum scilicet tantum eroserunt atque excavaverunt, ut se circumagere possint.' *Pintian.*

Cum tantum eroserit, &c.] Ὥσπερ μυοδόχον, ut murium modo fossam sibi latebramque excavaverit. Theophr. *Dalec.*

Circa germinationes decorticatam] Theophr. Hist. v. 5. Vide supra cap. 25. hujus libri. *Idem.*

Quas CC. annis durantes inventas] Verbum *durantes* supervacaneum putamus, et caveto ne illo *quas* naves referri putes. Theophr. v. 6. 'In Tylo autem Arabiæ insula materiem esse affirmant ex qua naves ædificant, quæ mari incorrupta pene perdurat: quippe cum annos plus quam ducentos demersa, immunis ab omni offensa servetur.' *Pintian.*

CAP. XLII. *De materiis architecti, et quæ materies ad quid utilis, et quæ firmior materia in tectum.*

Apud nos materiæ, &c.] *Lotum, et alias e quibus cardines fiunt, ne findantur, fimo bubulo illinunt, ut siccetur et diffletur paulatim medullæ humor.* Theophrast. Hist. v. 7. Male Plinius. *Dalec.*

Sustinere valide] Ἑλληνισμός· βάρος δὲ ἐνεγκεῖν ἰσχυρά. Theophrast. *Id.*

Et palma arbor invalida: in diversum enim curvatur. At populus, &c.] Scribo: *Et palmæ arbor valida: in diversum enim curvatur. Nam cum omnes in inferiora pandentur, palma e contrario fornicatur:* reliqua falso adjecta sunt ex Theophrasto v. 7. *Pintian.*

Juglans] Εὐβοϊκὴ καρύα, *castanea*, Theophr. Hist. v. 7. qui illam sonitu se frangi prænuntiare quidem scribit, sed non facile pandari, quod ait Plinius. *Dalec.*

Firmissima ad tectum abies, &c.] Eo loco libri scribunt: *firmissima in rectum abies;* quæ verissima lectio; firmissimam ait esse abietem in operibus cum recta statuitur. *In rectum*, εἰς ὀρθόν. Et sciendum est 'intestinum opus' proprie dici, quod ex ligno fit, sed elegantiore fabrica, et ea arte quam minutiariam nunc appellamus. Veteres quoque λεπτουργίαν dixere. Vide Salmas. p. 1034. a. Sequentia sic lege: *Ad incitatos runcinarum actus. Eadem et fabris maxime sociabilis glutino.* Salmas. p. 1304. b.

Qua solidæ est] Quam qua adglutinatur. Nunquam enim dissociatur semel glutinata. Theophr. *Dalec.*

CAP. XLIII. *De glutinanda materia, et lignis sectilibus.*

Magna autem et glutini ratio, &c.] Sic legend. *Magna autem et glutini ratio propter ea quæ sectilibus lamnis, ac in alio genere operiuntur staminea. In hoc usu improbant venam, et vocant festuceam, quoniam lacunose crispa in omni genere et glutinum abdicat. Quædam et inter se, &c. Staminea* igitur vocat, quæ alio ligno intingebantur, quæque vicem staminis sive statuminis præbebant; nam lamnæ superinductæ subteminis instar obtinebant. *Festuca*, vel festucea vena in ligno, discursus est venosus et crispus, ad instar festucæ lacunosus; vel quod exempta illa festuca, lacunæ in ligno remanent. *Salmas.* p. 417. a, b.

Sectilibus laminis] Ἐπικολλήματα vocat Theophrast. IV. 4. *Dalec.*

Ac in alio genere, &c.] Ut testudinum secamentis. *Idem.*

Stamineam, &c.] Rectissimam. Stamineam venam materiarii vocant, *Maistresse veine.* Idem.

In omni genere et glutinum, &c.] 'Pino et abieti quercus æque non adglutinatur; altera enim (pinus) spissa, rara altera (abies), et altera (pinus) similior, altera (abies) minus similis. Simili vero natura esse oportet quæ coalescere et compingi debent, non contraria, ceu lignum et lapidem.' Theophrast. *Idem.*

Nisi similia natura] Theoph. Hist. v. 8. *Idem.*

Arida enim latius, &c.] 'Arida enim (παύονται) cedunt ignavius, nec appressum occursumque serræ sustinent; alia resistunt et obluctantur, serramque hebetant.' Theophr. Lego: *Arida enim lentius serris cedunt: viridia præter robur, et buxum pertinacius resistunt* (καὶ συμμύει Theoph.) *et committuntur.* Idem.

Æqualitate inerti] Opus impediente, ἀέργῳ. Theophrast. Inefficaci dentium occursu, cum eorum in æquales projecturas æquavit scobs im-

pacta. *Idem.*

Gallica vero etiam ad currus flexibilis. Vitem æmularetur ulmus, ni pondus esset in culpa] Legendum permutatis dictionibus puto: *Gallica vero ulmus etiam ad currus flexilis. Vitem æmulatur, ni pondus esset in culpa;* quanquam quinque verba novissima aliena suspicor esse, non Plinii. Porro meminisse oportet, Plinium supra c. 18. inter genera ulmorum, secundum genus fecisse Gallicas ulmos: capite vero 14. ubi de fraxino disseruit, nullam Gallicæ fraxini mentionem habitam. *Pintian.*

Facilis et fagus, quanquam, &c.] Legendum videtur *taxus*, non *fagus;* et mox paulo non *sectilibus*, sed *plectilibus*, seu *plexilibus;* sic enim magis explicatur intellectus verbi Græci παρακολλήματα, hoc est, *conglutinationes.* Theodorus ut in Plinio invenit, sic in Theophrasto transtulit, *sectilibus.* Lege Theophr. v. 8. *Idem.*

Secatur in laminas prætenues et ilex] 'Ilex commendatur ad axes et vehicula, quæ aguntur unica tantum rota (μονοστρόφους ἁμάξας), item juga lyrarum et psalteriorum.' Theophr. *Dalec.*

Ideoque proditum, &c.] 'Malleolus et terebra ex oleastro optima fiunt; quamvis et buxeis, ulmeis, fraxineisque utantur. Malleos magnos ex picea faciunt.' Theophr. Hist. v. 9. *Idem.*

Ex olea] Idem ibid. v. 10. *Idem.*

Cato vectes aquifolios, laureos] Desideratur verbum *iligneos*, ex ipso Catone, cap. 31. 'Vectes iligneos, aquifolios, laureos, aut ulmeos facito, uti sient parati.' *Pintian.*

Dat et alnus, ut dictum est, tuber sectile, sicut citrum acerque] Scribo permutatis verbis: *Dat et alnus tuber sectile sicut citrum acerque, ut dictum est;* etenim relatum hoc est libro tertio decimo, capite quintodecimo, et lib. præsenti capite trigesimo octavo. *Idem.*

Tuber sectile] In radice. *Dalec.*

Hæc prima origo luxuriæ, &c.] Legendum: *Hæc prima origo luxuriæ, arborum, alia integi, et vilioris ligni e pretiosiore corticem fieri, ut una arbor sæpius veniret: excogitatæ sunt et ligni bracteæ. Nec satis, &c.* Lectorum illæ lamnæ etiam ex testudine secta fieri solitæ, quam et pingebant ligni colore. *Salmas.* 416. b.

Ut una arbor sæpius veniret] Priusquam in laminas secetur, et cum secta fuerit. *Dalec.*

Excogitatæ sunt et ligni bracteæ, nec satis: cœpere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri] Ebur illud et cornu quo lignum operiebatur et distinguebatur, cestro etiam inuri solebat, et cestrotum fieri: inde 'cestrota forium ornamenta,' Vitruv. Vide Salmas. p. 231. b.

Nuperque portentosis, &c.] Legend. *Nuperque portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderetur, imitata lignum.* Subjicit: *sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci juvat, sic citrum pretiosius fieri, sic acer decipi.* Testudo picta terebinthini ligni colore terebinthum ipsam vincebat: eadem citri instar picta, factitium erat citrum, vero citro pretiosius: sic citrum pretiosius fiebat quam nascebatur: *acer* autem *decipi* intelligendum de testudine, quæ aceris colorem accipiebat per picturam, quæque verus acer sic videbatur. Sequentia sic legenda: *modo luxuria non fuerat contenta ligno: jam lignum et e testudine facit;* quod enim testudo in ligni figuram pingeretur, lignum e testudine faciebat luxuria. *Salmas.* 416. b. 417. a.

Sic terebinthum vinci jubent] In Syria nigrum testudinis colore superari. *Dalec.*

CAP. XLIV. *De arborum ætate, et quæ genera arborum minime durant. Similiter de visco et Druidis.*

De arborum ætate] Theophrast. Hist. IV. 14. et de Caus. II. 15. *Idem.*

Lucina nominetur] Lucina, sive Lucetia, Juno aliis dicitur, Tibullo Natalis, Græcis *Γενναΐs*, vel *Γεννετυλλὶs*, aliis Diana, quæ et *Εἰλείθυια*, *'Ωκυτόκοs*, *Μογοστόκοs*, *Προθυραία*, utraque sic nominata, vel a luco ut auctor putavit, vel a luce quam recens natis præbet, et quoniam partuum, qui adhuc utero gestantur, menses regit. Catullus: 'Tu Lucina dolentibus Juno dicta puerperis.' Ovid. 'Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus: Aut quia principium tu, Dea, lucis habes: Parce, precor, gravidis facilis Lucina puellis, Maturumque utero molliter aufer onus.' Idem: 'Præpositam timidis parientibus Ilithyan.' Theocritus in Daphnide: *χαλεπὸν βέλος Εἰλειθυίας*. Orpheus in hymnis: *"Αρτεμις Εἰλείθυια καὶ ἡ σεμνὴ Προθυραία*. Fabulosa multa de Eileithya vide apud Pausaniam in Arcadicis. Lilius Gyraldus. *Λυσίζωνον* etiam quidam vocaverunt *ὅτι λύει τὸ ἐσφιγμένον τῶν κόλπων*. Rhodig. XXVIII. 24. Dicitur et Marcellino *'Ορσολοχεία, παρὰ τὸ ὄρειν, τοῦτ' ἔστιν, ὀτρύνειν, τὴν λοχείαν*. Hadr. Jun. IV. c. 23. Plaut. in Trucul. 'Date mihi huc stactem, atque ignem in aram, ut Venerer Lucinam Deam:' et paulo post: 'fer huc verbenam mihi, thus, et bellaria: Date aquam manibus.' *Idem.*

Quoniam Vestalium, &c.] Apud Polyænum Theseus crines anteriores capitis radit, quos Diis sacros dicat; non quod ait Plutarchus, ne vetusto more *παρίσχοι ἐκ τῶν τριχῶν πολεμίοις*. Apud Suet. in Nerone c. 12. Nero gymnico, quod in septis edebat, inter buthysiæ apparatum, barbam primam posuit, conditam in auream pyxidem, et pretiosissimis margaritis adornatam, Capitolio consecravit. Apud Petronium in Satyra, Trimalcionis barba pyxide aurea non pusilla condita fuit, in armario porticus, intra ædiculam, cum Laribus, et Veneris marmoreo signo. Festus in voce 'capillata.' Tondebantur ergo et Vestales, cum in sanctum id collegium receptæ a Pontifice certo carmine sacrarentur, ac Diis voverentur. Nec absimilis fuit Græcorum consuetudo, primum juvenum comam demendi, quæ vel Deo, vel flumini cuipiam offerretur. Hom. Iliad. Ψ. de Achil. *Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς, ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην, Τὴν ῥα Σπερχειῷ ποταμῷ τρέφε τηλεθόωσαν.* Varro apud Nonium: 'Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demptum, item cirros ad Apollinem ponere solent.' Victorius VI. 23. Alia quidem causa est, cur apud Euripidem mors, non, quod Servius putat, Mercurius, eorum, quibus fatalis advenit dies, crinem, veluti Diis Manibus sacrum, hasta libat: *Θαν. Στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει· 'Ιερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν, "Οτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα.* Ad quod allusit Virg. Æneid. IV. 'Nam quia nec fato, merita nec morte peribat, Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.' Muret. in Var. c. 16. De Vestalium religione ac institutis, honore, dignatione, multa Alex. ab Alexan. V. 12. Vide et eundem V. 18. Ut Flamines Diales inaugurabantur, sic capiebantur Vestales, virginibus e populo viginti lectis, Pontificis arbitratu, ac sortitione ex eo numero in concione facta, ut cujus virginis ducta esset, Pontifex eam caperet, eaque Vestæ fieret. Gellius II. 12. Rævardus cap. 17. Variorum. *Idem.*

Per stationes] Stationes, loca in quibus certo tempore coëunt et consistunt homines. In foro Romano variæ fuerunt. Senaculum, statio in qua, auctore Valerio c. 12. senatores assiduam stationem peragebant, ut citati in curiam venirent; statio municipum; statio juvenum, qui cum patres in curiam deduxissent, quod

ait Valer. cap. citato, valvis affixi expectabant, donec officio reducendi fungerentur. Juvenal. Sat. XI. 'omnis Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum De Rutilo.' Ræv ard. Varior. IV. 7. *Idem.*

Vetustior autem urbe, &c.] Pausaniæ seculo, quod is scribit in Arcadicis, arbores vetustissimæ fuerunt: vitex Samia ad Junonis ædem; olea, in arce Athenis; Deli palma; quercus Dodonæa, et platanus Menelai, hic memorata, quam juxta fontem Caphyis vicinum Menelaus ad Trojanum bellum iturus sevit. *Idem.*

Amphiarai] Qui primus somniorum interpres fuit. Ad ejus oraculum qui pergebant, sacro illi, et aliis Diis, quorum nomina in ara sculpta fuerunt, peracto lustrati, arietis pelle substrata obdormiscentes, somnia captabant, quo modo ait Virgilius: 'Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.' Rhodig. c. 14. *Idem.*

Sunt hodie ex adverso, &c.] Legend. *Sunt hodie ex adverso Iliensium urbis juxta Hellespontum in Protesilai sepulcro arbores quæ ex omnibus ex eo ævis cum in tantum adcrevere ut Ilium aspiciant, inarescunt rursusque adolescunt.* Vide Salmas. p. 870. a.

Quæ omnibus] Lege cum Salmasio: *quæ omnibus ex eo ævis cum, &c. Omnibus ævis*, manifeste hic dicitur pro omni tempore, et pro toto illo spatio quod a Protesilao usque ad suum seculum effluxit. Neque totæ interibant arbores, sed saltem folia. Vide Vossium in Melam, pag. 128.

Ephebiis] 'Εφηβεῖον locus in quo ἔφηβοι exercebantur: epheborum palæstra. In iis Protesilai ædificiis multas ejuscemodi fuisse arboribus consitas probabile; quæ, ut inquit auctor, arescebant, et rursum adolescebant. *Dalec.*

Jovis Stratii] Jovem Stratium, hoc est, militarem, veteribus coli solitum, auctor est Julius Pollux. *Herm. Barb.*

Ibi platanus ostenditur ex qua pependit Marsia victus ab Apolline] Lego non *platanus*, sed *pinus*; nam e pinu suspensum ab Apolline Marsiam auctor est præter cæteros Archias poëta Græcus Epigrammaton sectione III. *Pintian.*

Olympiæ oleaster] Arist. περὶ θαυμ. ἀκουσμ. Interpres Aristoph. in Pluto, in voce καλλιστέφανος. Theophr. Hist. IV. 15. *Dalec.*

Minerva] 'Menere' in Saliari carmine, 'menervare,' 'monere:' unde 'minisci,' 'comminisci.' Hinc Minerva sapientiæ Dea, quæ bene monet. *Idem.*

Brevissima vita est Punicis, fico, malis. Ex his, præcocibus quam serotinis, dulcibus quam acutis, et dulciori in punicis] Theophr. IV. 13. 'Vivunt prædictæ aliæque complures longo tempore. Brevi profecto punica ficus, malus, præcipue verna, et dulcis minus quam acida, ut inter punicas quæ nucleo carent interiori.' Ex quibus Theophrasti verbis apparet legendum hic esse non *acutis*, sed *acidis*. Neque enim *acutum* opponitur *dulci*: immo fieri potest ut aliquid simul sit et dulce et acutum, ut de melle supra Plinius XI. 15. retulit, et Dioscor. lib. II. Neque *dilutior* lego cum Hermolao, ex cujus castigatione quis sensus elici possit non video, sed, licet dura nimis castigatione, *apyreris*, hoc est, sine nucleo. *Pintian.*

Et dulciori in Punicis] Sensus est: Quo dulciora poma, eo minus vivacem esse arborem. *Gelen.*

Sed e radicibus repullulant laurus et mali et punicæ] Lego *e lateribus*, non *e radicibus*, ex Theophr. IV. 13. 'Quædam senescunt quidem putrescuntque velocius, sed ex iisdem rursus latere suo germinant, ut laurus, mali punicæ.' *Pintian.*

Firmissimæ ergo ad vivendum oleæ] Theophrast. Hist. IV. 15. *Dalec.*

Agnoscitur non in novissimis, &c.] Vide supra c. 30. hujus libri. *Idem.*

Nanque cum suam, &c.] Theophr. de Causs. II. 23. *Idem.*

Circumvolvens sese] Lego: *Circumvolvens se: item circa Tempe Thessalica. Innascitur aliis et quæ polypodion vocatur, &c.* Parum distincte hæc Plinius. Polypodium quidem aliis plantis innascitur: dolychos vero et serpyllum non innascitur, sed scandendo iis invehuntur, quæ pro adminiculo sunt. *Idem.*

Oleastro quoque deputato] Lege: *Oleastro quoque deputato, quod gignatur, vocant phaulios*, id est, φαυλίους ἐλαίας. *Salmas.* 1292. a.

Hippophæston] Oscitanter Plinius Hippophæston recenset inter plantas, quæ aliis subnixæ vivunt; nam humilis herba est, humi strata, ut et serpyllum, non tamen in vicina scandens dolychi modo. Vide infra XXIV. 13. et XXVII. 10. *Dalec.*

Visci tria genera] Theophr. Hist. IV. 15. *Idem.*

Stelin] Stelis Eubœensium vox est, Hyphear Arcadum, viscum communis. Alii Stelin et Hyphear nasci volunt in pino et abiete, viscum in quercu, terebintho, et aliis multis. Theophrast. *Idem.*

Hyphear Arcadia] Vide quod adnotatum est ad c. 30. hujus lib. *Idem.*

Ad saginanda pecora utilius] Theophrast. πρὸς τὸ σιτεύειν. *Idem.*

Ac conditi in aqua putrescunt] Legendum reor *cocti in aqua*, non *conditi.* Dioscor. lib. III. 'Tunditur autem fructus is, cum lavatur: post hæc in aqua decoquitur.' *Pintian.*

Viscum] Scite Plautus in Bacchidibus: 'Viscus merus vestra est blanditia:' nempe ad me capiendum illecebra, laqueus, tendicula, insidiæ. Idem scriptor eadem comœdia: 'Tactus sum vehementer visco, cor stimulo foditur.' *Dalec.*

Druidæ] De Bardis, Druidis, et in universum Gallorum moribus, vide plurima apud Rhod. XVIII. 21. ex variis scriptoribus, præsertim ex Strabone. *Idem.*

LIBER XVII.

CAP. I. *Arborum pretia mirabilia.*

Atque Cn. Domitii Ænobarbi] Val. Max. IX. 1. de Lux. et Libid. *Dalec.*

In eodem Palatio] Monte Palatino. *Idem.*

Q. Catuli] Cum Marius pro Catulo rogantibus dixisset, ei moriendum esse, inclusus domi Catulus accensis se carbonibus suffocavit. *Idem.*

Quæ mihi hæreditate obvenit] Vide infra XXXVI. 15. *Idem.*

Ædilitatis gratia, &c.] Centum millibus nummum emptas. Val. Max. *Idem.*

Liciniæ genti] Varro I. 2. *Idem.*

Pampinatio] Exectio fruticantium arbuscularum. *Idem.*

Primo Stoloni nomen dedit] Verba hæc nullum hic usum præstant; sensus enim integer est sine illis. *Pintian.*

Futuras ne eas credidisse] *Venturas*, non *futuras*, in eodem legas. *Idem.*

CAP. II. *De natura cœli ad arbores, et quam partem cœli spectare debeant.*

Aquilone maxime gaudent] Theophrast. Causs. II. 3. et 4. *Dalec.*

Ut amygdalæ et pyri] Vide supra XVI. 26. *Idem.*

Vergilias] Orientes ad octavum, vel nonum Maii. *Idem.*

Quæ septentrionibus] Quæ gelu non afferunt. *Idem.*

Quoniam arbores, &c.] Theophr. Causs. II. 1. *Idem.*

Naturale est avide esurire] Veteres τὰ δένδρα καὶ λάχανα πεινῆν dixerunt, arbores, olera, et alias plantas esurire. Hinc apud Varronem de Re Rust. I. 23. 'In pingui rectius quæ cibi sunt majoris, ut olus, triticum, siligo, linum.' *Idem.*

Cibus autem earum imber] Theophrastus non quidem imbrem cibum esse ait, sed alimenti copiam imbrem frequentem præbere. *Idem.*

Ergo qui dixit hiemes serenas] Virgilium notat, qui ait: 'Humida solstitia, atque hiemes optate serenas, Agricolæ: hiberno lætissima pulvere farra.' Quem locum Macrobius interpretatur in Saturnalibus. *Idem.*

Non universus, &c.] Οὐκ ἀθρόως, *non confertim*, illisus et diffluens, sed paulatim colliquescens et terram subiens. Theophr. *Idem.*

Fermentescit] Fermentum putris maza est. Et quoniam putria omnia terram, ut ita dicam, stercorant, ac pro lætamine sunt, 'fermentescere' dictum puto pro lætificari, succi plenam fieri, pinguescere. Turneb. Advers. X. 3. interpretatur: 'diluitur, remollescit, putris et soluta redditur.' *Idem.*

Consuetudo] Teporis, molliorisque cœli. *Idem.*

Aliubi] In Ægypto. *Idem.*

In majore parte orbis] Theophrast. de Causs. II. 3. *Idem.*

Umbra sua] Ramorum et surculorum densitate solem non admittente. *Idem.*

Desiderant cibos] Imbres. *Idem.*

Quæ aquilonem austro utiliorem facit] Expende an sit verior lectio, *quam aquilo quam auster utiliorem facit;* quoniam, ut superius ostendit, fruges quoque pejus maturescunt austrinis diebus: et paulo supra: 'Hiemem aquiloniam esse, omnibus satis utilissimum.' *Pintian.*

Connexa et situs vinearum] Columella III. 12. *Dalec.*

Ad soli naturam] Virgilius: 'Ventos, ac varium cœli prædiscere morem Cura sit, ac patrios cultusque habitusque locorum, Et quid quæque ferat regio, et quid quæque recuset.' *Idem.*

Et si viti inutile, colono salubre est] Exemplar antiquum, *et viti inutile, colono insalubre est.* Scribendum reor præpostero ordine, *viti inutile et colono insalubre est;* favente huic lectioni Columella III. 12. et paulo post, 'Is namque æstatem ibi temperat.' *Pintian.*

Cum Virgilius Occasus improbet] Versus est Virgilii: 'Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem.' *Dalec.*

Sed tanta plerunque violentia, &c.] Circio ædificia quassanti tamen incolæ gratias agunt, tanquam salubritatem cœli sui debeant. Divus certe Augustus templum illi, cum in Gallia moraretur, et vovit et fecit. Seneca Quæst. Nat. lib. IV. *Idem.*

CAP. III. *De societate cœli et terræ ad arbores.*

Orientem ac septentriones spectent] Legendum puto *Occidentem*, non *Orientem:* nam cum sol exsiccandi facultate præditus sit, ut statim sequitur, si ea quæ in siccis seruntur locis et rore indigent, in orientem vergant, magis sitient, humorisque magis expertia erunt. *Pintian.*

In frigidis præcoces serendo, &c.] Colum. III. 1. et V. 10. *Dalec.*

CAP. IV. *De qualitate regionum.*

Similis et fluminum stagnorumque ratio. Nebulis adurunt, &c.] In Exemplari antiquo: *Similiter fluminum stagnorumque nebulis adurunt.* Pintian.

Et carbunculus terra quæ ita vocatur, emendari vite macra putatur] Quattuor illa verba, *terra quæ ita vocatur*, delenda; sunt enim manifeste adjecta a lectore exponente quid esset *car-*

bunculus. Pintian.

In Thessalia circa Larissam emisso lacu frigidior facta ea regio est. Oleæ desierunt] Aptior lectio: *In Thessalia circa Larissam emisso lacu, frigidiore facta ea regione, oleæ desierunt*. Idem.

Item vites aduri, quod non antea] Hæc verba ad præcedentia spectant, ex Theophr. de Causis Plant. v. 20. Proinde cum minore litera scribendum, *item vites aduri, quod non antea*. Theophrasti verba sunt: 'ut apud Larissam Thessaliæ. Prius enim, quod aqua stagnante pigraque campus repletus esset, aër crassior et calidior erat: postea vero aqua educta colligique prohibita, aër frigidior est redditus, et gelationes plures secutæ sunt. Cujus rei argumentum afferunt, quod tunc oleæ tum alibi, tum in Larissa oppido, magnæ et optimæ aderant, nunc autem nusquam habentur, et vites quoque tunc nunquam congelabantur, nunc persæpe.' Item lego commutatis verbis: *vites aduri, quod non ante sensit. Thracia admoto, &c.* Idem.

Thracia sensit admoto Ebro] Sic alii leg. Sed *Ænos sensit*, non *Thracia sensit*, vetus præfert lectio. Ænon autem, Thraciæ nobilem urbem, ad Ebrum fluvium sitam, omnes geographi et fere historici celebrant. Sciendum tamen est, locum hunc, e Theophrasto libro citato, misere ibi decurtatum esse, non minus in codice Græco quam Latino; unde contagione morbus Plinium invasit. Verba Theophrasti subtexam ex tralatione Theodori, ut collata cum Plinianis perspicuum fiat, quomodo utrobique legendum sit: 'Aqua autem non semper agrum reddi frigidiorem, sed etiam his quæ prius jam diximus, argumentum, quod circa evenerat; hæc enim tepidior nunc esse putatur, quia Ebrus amnis propior.' In his Theophrasti verbis desiderari puto civitatis nomen 'Ænos,' legendumque: 'Argumentum quod circa Ænon evenit. Hæc enim,' &c. In Plinio vero plura adjicienda ad sensus integritatem videntur. Quæ autem ea sint, liberum unicuique jus censendi esto: mihi satis sit locum indicasse. *Idem.*

At in Syracusano agro advena cultor elapidato luto sole perdidit fruges] In exemplari antiquo: *elapidato solo luto, perdidit fruges*. Putamus dictionem *luto* expositionis causa adjectam esse. Theophr. de Causis Plant. III. 25. 'Quod illi evenerat qui ex Corintho Syracusas profectus, culturam Corinthii agri in Syracusano servavit; cum enim lapides e segete frugali legisset, reddidit multo deteriorem; frumentum enim exarescebat, cum exemptis lapidibus nihil haberet quo se protegeret.' *Idem.*

In quibus perticas pridie relictas gramen operiret] Ex M. Varrone hoc de Re Rustica I. 7. ad cujus normam si locum hunc dirigas, sic leges: *in quibus perticas relictas postridie gramen operiret*. Idem.

CAP. V. *Genera terrarum.*

Terram amaram sive, &c.] Lege: *Terram amaram probaverim: demonstrantia raræ degeneresque herbæ: frigidam autem retorride nata: item uliginosam, tristitia rubricam oculis: argillam, quæ operi difficillima, quæque rastros aut vomeres ingentibus glebis oneret, quamquam non quod operi, hoc fructui adversum: item e contrario cinericiam et sabulum album.* Vide expositionem istorum verborum apud Salmas. p. 114. et 115.

Atræ degeneresque herbæ] Hederam fortassis nigram significat, de qua Virgil. 'at sceleratum exquirere frigus Difficile est: piceæ tantum, taxique nocentes Interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigræ.' *Dalec.*

Frigidam autem retorride nata] Id est quod ait Palladius I. 5. quæ a bona terra proferuntur, nec scabra esse, nec retorrida, nec succi naturalis egentia. *Idem.*

Item uliginosam] Virgil. Georg. II. Varro I. 7. Columel. II. 5. et 6. *Idem.*

Cato] Cap. 5. et 34. *Idem.*

Terram cariosam cave, neve plaustro, neve pecore impellas] Verba hic aliquot, ut sentio, desiderantur, ex Catone ipso, quem citat cap. 5. 'Terram,' inquit, 'cariosam caveto ne ares, neve plaustrum, neve pecus impellas in illam.' *Pintian. Terram cariosam cave, &c.*] Cariosam et variam terram Columella II. 4. exponit nimbis exiguis semimadidam, cum post longas siccitates levis pluvia glebarum superiorem partem madefecit, inferiorem non attigit. *Dalec.*

Ad radicem montium planitie in meridiem excurrente] *Ab radice* in scripto Cod. legitur, non *ad radicem: forte sub radice* legi esset commodius ex ipso Catone cap. 1. 'Si poteris, sub radice montis siet, in meridiemque spectet.' *Pintian.*

Erit igitur hæc optima et operi satior] In eodem sic leges: *erit igitur hæc optima, et operiet sata.* Scribendum videtur: *erit igitur hæc optima, et operi et satis.* Idem.

Teneram, &c.] Facilem et modice resolutam. Columel. II. 2. et I. 11. Pullæ Cato meminit lib. XXIV. Idem terram tenerrimam pullam vocat c. 151. Vid. inf. XVIII. 23. Virg. 'putre solum' vocat: 'putre solum, namque hoc imitamur arando.' De cujus verbi significatione Victor. XII. 28. Idem: 'Zephyro putris se gleba resolvit.' Turn. XVIII. 27. *Dalec.*

Addiditque, &c.] Iliados Σ. Ἐν δ' ἐτίθει νειὸν μαλακὴν, πίειραν ἄρουραν, Εὐρεῖαν, τρίπολον· πολλοὶ δ' ἀροτῆρες ἐν αὐτῇ Ζεύγεα δινεύοντες ἐλάστρεον ἔνθα καὶ ἔνθα. Οἱ δ' ὁπότε στρέψαντες ἱκοίατο τέλσον ἀρούρης, Τοῖσι δ' ἔπειτ' ἐν χερσὶ δέπας μελιηδέος οἴνου Δόσκεν ἀνὴρ ἐπιών· τοὶ δὲ στρέψασκον ἀν' ὄγμους, Ἱέμενοι νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι. Ἡ δὲ μελαίνετ' ὄπισθεν, ἀρηρομένῃ δὲ ἐῴκει, Χρυσείη περ ἐοῦσα· τὸ δὴ περὶ θαῦμ' ἐτέτυκτο. Noctem e terra genitam fabulis proditur, quod terræ soli objectæ densitati Mathematici tribuunt, qua de causa Poëtæ γῆν μέλαιναν vocant. Rhod. XXV. 16. *Idem.*

Nigrescentis] Nigram apud Theophrast. probat Leophanes. *Idem.*

Quod si admonendi sumus] Idem Causs. VI. 25. Arist. Probl. XII. 2. *Idem.*

Tunc emittit illum, &c.] Hujus rei caussam vid. explic. apud Rhod. XXII. 31. Vid. sup. XII. 24. apud Cic. de Orat. lib. III. Odorem eum significari quidam volunt cum sit: 'Licet hoc videre in reliquis sensibus, unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis: et magis laudari quod terram, quam quod crocum olere videantur.' Brod. tamen IV. 6. *ceram* non *terram* legit. Vid. Theophrast. de Caus. cap. 25. Arist. Problem. XII. 2. *Idem.*

Talis fere est in novalibus cæsa vetere silva] Legend. *incensa vetere silva*, non *cæsa*, ex Theophr. evidenter de Caus. VI. 25. his verbis: 'Siccitas enim est quæ odores vel omnium vel certe aliquorum facere possit, quod obiter in terra quoque perspicuum est, ubi tempore æstivo solo adusto imbres accesserint. Humor enim admissus, ferventique pulveri permistus, odorem generat, quod idem in cæteris etiam facit; nam et quod de arcu cœlesti referunt, arbores et loca reddere odorata ubicunque constiterit, tale est; reddit enim non in omnibus modis odorata, sed si qua materia combusta proxime sit. Nec id forsitan per se agit, sed quodammodo per eventum; impluit enim locis ubi constiterit. Quippe materiæ combustæ admistus humor vaporem quendam odoremque excitat, neque enim aquæ multum descendit, sed magna parte guttæ irrorant, ita ut caliditatis siccitatisque modus non desit.' Hæc Theophrastus. Patrocinatur etiam correctioni nostræ Arist. Probl. XII. 3.

'Provenit,' inquit, 'odoris ille affectus, non qualitercunque se materies habeat, neque enim in viridi, neque in arida, sed in usta, post aquam quæ arcui supervenerit, certam reddi suavitatem odoris pastores referunt.' Ex ante dictis utriusque auctoris verbis patet, verba illa quæ statim sequuntur, *quæ consensu laudatur*, depravata esse, legendumque ad hunc maxime modum, vel huic consimilem: *cum sensim impluat*. Pintian.

Centena quinquagena fruge fertilem campum] Meminisse oportet Plin. v. 4. *centena* tantum scripsisse, ut in loco alterutro sit error. *Idem.*

Ut aliqui præcipiunt] Theoph. de Causs. III. 25. quosdam præcipere ait, ut varii diversique generis terræ commisceantur, macra cum pingui, &c. Tacite id ridet et reprehendit Plinius. *Dalec.*

CAP. VI. *De terra, quam Britannia et Gallia amat.*

CAP. VII. *De Græcorum circa hæc doctrina.*

Circa hæc] Vet. *circa hanc.*

Aut pinguis] Est et liquida Georgio Agricolæ lib. I. de fossilibus. *Dalec.*

Capnumargos] Καπνούμαργον dictam volunt, quasi fumi ruffo et fusco colore infectam: alii *καύνομαργον* legunt, quasi laxam et raram. Alterum manusc. exemplar meum habet *caunumarga*. Idem.

Contunditur] Vel resolvitur gelu et tempestatibus. *Idem.*

In L. annos] In decem annos Galliæ. *Idem.*

CAP. VIII. *De terrarum generibus.*

Argentaria est] Argento poliendo utilis: vulgo *Tripela*. Hujus meminit Varro I. 7. *Idem.*

Eglecopalam appellat] Quidam legunt *aiglepeliam*, id est, splendidam et lividam: *αἰγλήεις, lucidus; πέλιος, lividus*. Cæterum ea vox Græca potius fuerit quam Gallica. In vetusto legitur, *suo nomine e Græco* (lego, *sed et Græco*) *Pelian appellat*. Dalec.

Ubios gentium solos novimus] Ubii Germanica gens erat, sed in Gallicam ripam e Romanis traducta, quo loco nunc est celeberrima Agrippinensis colonia. *Gelen.*

CAP. IX. *De cineris usu, et de fimo, et quæ sata uberiorem terram faciant, et quæ urant.*

De cineris usu] Columella II. 15. Theoph. Hist. II. 8. Causs. III. 13. *Dalec.*

Sunt qui pulvere, &c.] Theoph. ibid. et Causs. III. 22. *Idem.* *Sunt qui pulvere quoque uvas ali judicent pubescentesque pulverent*] *Pubentes uvæ*, pro florentibus. Sequentia sic legenda: *Quod certum est, in Narbonensi provincia et vindemia citius sic coquitur, quod plus pulvis ibi quam Sol confert.*

Suis manibus lætificans reperitur] Homer. Odyss. Ω. ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ λιστρεύοντα φυτόν. In pomario bene structo circumfodientem, radentem, lævigantem arborem: tot enim λιστρεύειν significat; unde λίστρον rusticum instrumentum quo id peragitur. Cicero in Catone et Plin. hoc loco, aut obliviose, aut negligenter, λιστρεύειν, κοπρίζειν, stercorare et lætificare, exposuerunt. De Ulysse id dicitur, qui patrem sic occupatum deprehendit. Ælian. Hist. VII. 5. recte significatum ejus verbi reddidit: Καὶ Λαέρτης αὐτουργῶν ὑπὸ τοῦ παιδὸς πεφώραται, καὶ φυτὸν ξύων, καί τοι γηράσκων βαθύτατα. *Laërtes, quamvis jam extrema senectute, in opere a filio deprehensus est, arborem radens.* A priscis tamen illis stercoratos fuisse agros cognoscimus ex Odyss. P. ὄφρ' ἂν ἄγοιεν Δμῶες 'Οδυσσῆος τέμενος μέγα κοπρήσοντες. Brod. cap. 13. Victor. XXVIII. 4. Observ. Adscribendos alios versus Homeri putavi, qui ad hanc rem pertinent: Δὴ τότε κεῖτ' ἀπόθεστος, ἀποιχομένοιο ἄνακτος, 'Εν πολλῇ κόπρῳ, ἥ οἱ προπάροιθε θυράων, 'Ημιόνων τε, βοῶν τε, ἅλις κέχυτ', ὄφρ' ἂν ἄγοιεν, κ. τ. λ. *Dalec.*

M. Varro] Lib. I. c. 38. *Idem.*

Proximum Columella columbariis, mox gallinariis facit] Scribo *primum*, non *proximum*: et addenda *ex* præpositio. Columella II. 15. 'Tria igitur stercoris genera sunt præcipua: quod ex avibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus confit. Avium primum habetur quod ex columbariis egeritur, deinde quod gallinæ cæteræque volucres edunt: exceptis tamen palustribus aut nantibus, ut anatis et anseris.' *Pintian.* *Proximum Columella columbariis, &c.*] Idem Cassius apud Varronem. *Dalec.*

Humanas dapes] Sic alvi proluviem et lotium circumloquitur. Eadem locutione usus est, qui dixit: 'Reliquias cibi, et humorem quem profundimus.' Theophrast. Hist. II. 9. *Id.*

Pilo madefacto] Quod fit calce addita. *Idem.*

Proximum deinde, &c.] Cato c. 36. *Idem.*

Varro præceptis adjicit, &c.] Varro I. 38. equinum, ex Cassio, minime esse bonum in segetes tradit, sed optimum in prata, ut cæterorum veterinorum, quæ hordeo pascuntur, quod multam facit herbam. Obliviosus hic Plinius. *Idem.*

Ovillumque caprino] *Suillum* non *ovillum* præfert nostrum exemplar. *Pintian.*

Omnibus vero asininum] Desiderari hic puto verbum hoc *Columella*, ut repetas verbum ante dictum, *præfert*; sequitur enim: *e contrario usus adversus utrumque pronunciat*. In quibus verbis illud *utrumque* non haberet quo referretur, nisi hic adderes *Columella*. Præfert autem Columella stercus asininum cæteris omnibus quæ ex pecudibus fiunt, II. 15. *Idem.*

Cato stercus unde fiat] Catonis verba sunt ex c. 37. 'Stercus unde facias stramenta, lupinum, paleas, fabalia, acus, frondem iligneam, querneam.' *Dalec.*

Fabalia] Fabules alas, ut Varro Rei Rust. I. 31. et Cato c. 7. locuti sunt, vel acera fabarum τὰ ἄχυρα κυάμινα. In Geoponicis: τὴν δ' ἁλμυρὰν γῆν ἐν ἀρχῇ χειμῶνος, ὑετοῦ περιγενομένου, κινήσας ἀρότροις μικροῖς, ἀχύροις διαπάσεις, κάλλιον μὲν κυαμίνοις. 'Fabulum' Lucilius vocat: 'Hi in stercore humi fabuloque fimo, atque sucerda.' *Idem.*

Frondemque putridam. Vinea si macruerit] Particula *que* redundat: item multa hic verba desiderantur quæ habentur in Catone: consultone a Plinio omissa an negligentia scriptorum, non statuerim. Sic enim in Catone c. 37. 'Frondem putridam et partem de nucleis succernito, et in lacum conjicito, eo aquam addito, permiscetoque rutro bene. Inde lutum circa oleas ablaqueatas addito, et nucleos item combustos addito. Vinea,' &c. *Pintian.*

Vinea si macruerit] Cato c. 37. 'Vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute, et ibidem inarato, (lego 'inurito') aut infodito.' *Dalec.*

Itemque ubi saturus eris, &c.] Detineto, illicito. Titinnius: 'Quod ea parasitus habeat, qui illum sciat Delicere, et noctem facere possit de die.' Item attrahere et allicere. Quadrigarius IV. Annal. 'Fabius de nocte cœpit hostibus castra simulare oppugnare, eum hostem delectare, dum collega id raperet quod captabat.' Cato c. 30. 'Ubi sementem facturus eris, ibi ovem delectato, et frondem usque ad pabula matura.' *Idem.*

Virgilius] Georg. II. *Idem.*

Palo e robore, &c.] Robusta aliqua materia in medio depacta. Varro et Columella. *Idem.*

Favonio flante ac luna sitiente] Scribendum *silente* non *sitiente* ex Catone ipso, c. 29. *Pintian.* *Favonio flante, &c.*] Paulo post siccam et decrescentem vocat, ut et Propertius: 'Nunc licet in triviis siccæ requiescere Lunæ.' *Dalec.*

Cap. x. *De satione arborum, et quod avulsione nascuntur arbores.*

De satione arborum] Theophr. Hist. II. 1. et de Caus. I. 1. et IV. 1. *Idem.*

Aut insito et consecto arboris trunco] Lego, *aut insito in consecto arboris trunco*, ex scripto codice. *Pintian.* *Aut insito et consecto arboris trunco*] Conciso frustulatim, et in terram demisso. Theoph. *Dalec.*

Cæduis] Quæ ex cæsorum truncorum radice pullulant. *Idem.*

Genera ejus diximus] Supra lib. XV. cap. ult. *Idem.*

Myrti genera omnia in Campania baccis seruntur, Romæ propagine Tarentina. Democritus et alio modo seri docet] Scribo diversa distinctione et lectione: *Myrti genera omnia in Campania baccis seruntur, Romæ propagine. Tarentinam Democritus, &c.* Nam genus esse myrti Tarentinam supra Plinius docuit XV. 29. *Pintian.*

Tomice] Tomices, restes leviter tortæ ex sparto, aut impolito canabi. *Dalec.*

Pilas autem laurus, &c.] Lego: *Pullos autem lauros et myrtos ænopas, a trimatu, &c.* Nam lauri et myrti terra emergentes, et novellæ, coloris sunt herbacei; grandiores vero obscurius virescunt, et adultæ subnigræ visuntur, quas οἰνωπὰς vocant. Quidam legunt: *Pullulos autem lauri et myrti, in inopia a trimatu, &c.* Alii, *pullulos autem, &c.* Theoph. Hist. III. 16. Phellodrys ξύλον ἔχει οἰνωποδέστερον τῆς δρυὸς, *magis gilvum.* Eidem Hist. III. 17. ἄνθος οἴνωπον cuidam generi τοῦ ἴσου. *Idem.*

Amygdala in, &c.] Colum. V. 10. *Idem.*

Aciem lateris in Aquilonem spectare] *In Favonium*, non *in Aquilonem*, Columella de arboribus cap. 22. *Pintian.*

Denis diebus] Decimo quoque die. *Dalec.*

Baccis] Granis leviter tusis. *Idem.*

Non statim moris est in sua locari] *In suo locari* vetus Exemplar, non *in sua*; ut II. 5. 'in suo quæque consistere.' *Pintian.*

In seminariis] Seminarii faciundi rationem docet Cato cap. 46. *Dalec.*

Dum radici avellitur planta] Certior lectio, ni fallor, *dum radicis avellitur planta*; appellat enim *radicis plantam*, viviradicem, ut in initio hujus capitis: 'aut enim semine proveniunt, aut radicis plantis.' *Pintian.*

Avulsique arboribus stolones, &c.] Ἀπὸ παρασπάδος Theophr. Hist. II. 1. In genere stolones hic tam adnati radici, quam revulsi a matris corpore. Theophrasto φυτευτήρια. *Dalec.*

Cum perna sua avelluntur] Arboris pede. ἀπόπρεμνα καὶ ὑποῤῥίζα παραιρεῖται Theophrast. Eadem loquendi forma 'avulsi surculi calcem' dixit cap. 21. hujus libri. *Idem.*

Sit ergo siccum, &c.] Cato cap. 46. 47. 48. *Idem.*

Altitudine hominis ad solem recipiendum] Scribendum videtur *rejiciendum*, vel *arcendum*, non *recipiendum*. Cato cap. 48. 'Furcas circum affigito, eo perticas intendito, eo sarmenta aut crates ficarias imponito, quæ frigus defendant et solem, uti subtus homo ambulare possit, facito.' *Pintian.*

Minimis id, &c.] Varro I. 40. *Dalec.*

Non omittendo, &c.] Seneca Nat. Quæst. II. 6. Cicero Natur. Deor. lib. II. *Idem.*

Ergo e cupresso fæmina] Theoph. Hist. II. 2. Vide Catonem c. 151. *Idem.*

Area æquata cylindris] Κυλινδρωθεῖσα Theophr. *Idem.*

Differuntur post annum dodrantali filo] Scribe *deferuntur*, non *differuntur*. ut circa initia capitis seq. 'Deferendæ ex arearum venis post annum in ulmaria.' Et *stilum* non *filum* legendum putaverim. Columella III. 22. 'Omnis nux unam radicem mittit, et simplici stilo prorepit.' De levioribus enim *filum* dicitur, ut illud in

ejusdem horto: 'tenuique corruda simillima filo.' *Pintian.* *Differuntur post, &c.*] Palmæ intervallo. *Dalec.*

Ut viridi cœlo] Sudo ac sereno, tam sicco et a nubibus puro, ut viride appareat. *Idem.*

In calabrice] Calabricam puto esse nostrum *groiselier*. Quidam esse malunt spinam cervinam Italorum, et rhamnum purgatorium officinarum. *Idem.*

CAP. XI. *De transferendis seminariis, et ulmis serendis, et scrobibus.*

Operose præcipi arbitror] Cato cap. 46. *Dalec.*

Ulmorum, priusquam, &c.] De ulmariis Columel. V. 6. *Idem.*

Serenda, densa in refracto, terra super minutatim cribrata] Vetus lectio: *serenda densa inarefacta, terra super minuta incribrata.* Pintian.

Arearum venis] Alii legunt, *vineas*. *Arearum autem vineas* vocat excavatas fossas. Ea significatione dicimus, a milite 'vineas agi.' *Dalec.*

Quia carent semine] Atineas si intelligit, eas semen ferre auctor est Columella. *Idem.*

Aridiores serendas in campestribus convenit] *Rariores* non *aridiores* exemplar antiquum præfert, veriore lectione; nam raritas spatium notat. Et dictum fuit statim ante: 'Intervalla ex loci natura sumuntur.' *Pintian.*

Ante omnia igitur in similem, &c.] Theophrast. Histor. II. 7. δεῖ τὰ φυτὰ λαμβάνειν, inquit,' ἐξ ὁμοίας γῆς εἰς ἣν μέλλεις φυτεύειν, ἢ οὐ χείρονος. *Dalec.*

Præfodere scrobes ante, &c.] Idem ibid. et Causs. III. 7. προορύττειν γύρους. Columel. II. 2. et V. 6. et 10. Cato cap. 43. *Idem.*

Altitudinem eorum in argilloso] Columel. V. 6. scrobes fieri jubet latos pedes duos; altos in levi terra tantundem, in gravi dupondium et dodrantem: longos pedes sex, aut minimum quinque. Cato vero serendis oleis altos pedes III. s. latos pedes IV. *Idem.*

Trium cubitorum] Quatuor pedum et semissis. *Idem.*

Duo cubita] Tres pedes et novem pollices. *Idem.*

Quino semipede] Quatuor pedibus et semisse. *Idem.*

Nusquam vero sesquipede minus alto] Addendam puto negationem *non;* ut legatur: *Nonnunquam vero sesquipede minus altos.* Pintian. *Nusquam vero sesqui pede, &c.*] Id est, quod Columella ait XIII. 18. 'Nisi tamen si scaturigo palustris obvia, sicut in agro Ravennate plusquam sesquipedem prohibeat infodere.' *Dalec.*

Cato, si locus aquosus sit, inquit, latos pedes ternos, &c.] Locus est depravatissimus, et corrosissimus. Verba Catonis sunt cap. 48. 'Sulcos, si locus aquosus erit, alveatos esse oportet, latos summos pedes tres, altos pedes quatuor. Infimum latum pedem unum et palmum. Eos lapide circumsternito. Si lapis non erit, perticis salignis viridibus quoquo versus collatis consternito: si pertica non erit, sarmentis colligatis, postea scrobes simili modo facito, latos pedes tres scilicet, altos pedes quatuor,' &c. Verba autem illa quæ statim sequuntur, *ita ut in altitudinem semipedem trahantur,* dubito an sint Pliniana. Certe Catoniana non sunt. *Pintian.* *Cato, si locus aquosus sit*] Cato cap. 43. de sulcis id colliciis vel elicibus scribit, non de scrobibus; qua in re Plinius non satis perspicax fuit. *Dalec.*

Ternos in faucibus, imosque pal. &c.] *In faucibus,* id est, summa sui parte. *Imosque,* id est, ima sui parte. *Gelen.*

Quæ summa tellure gaudent] Ἐπιπολαιόρριζα Theophr. vocat. *Idem.*

Excide, inquit, radicem istam, &c.] Contra Samnites feliciter is dimicavit, quamvis a pullario monitus pullos non addicere, cum votum fecisset, si superior discederet, vini pocillum Jovi se libaturum, supra XIV. cap. 13. Valer. Max. VII. 1. Alex. ab Alex-

and. I. 29. Livius lib. IX. 'Prænestinus Prætor,' inquit, 'per timorem segnius suos ex subsidiis duxerat in primam aciem: quem cum inambulans ante tabernaculum vocari jussisset, lictorem expedire securem jussit: ad quam vocem exanimi stante Prænestino, Agedum lictor, excide radicem hanc, inquit, incommodam ambulantibus.' Lipsius Epist. II. 3. quæ dimidiatis circulis includuntur ab eo putat esse aliena de quo hic agitur, et ideo amovenda. Idem legit: *Distringi securius, sed et innoxium abradi.* Quidam legunt: *In summa tellure vitis fuit, cum Papirius Cursor Imperator ad terrorem Prænestinorum Prætoris, inquit, Excide radicem istam. Distringi, &c.* Dalec. *Excide, inquit, radicem istam Papirius Cursor ad terrorem*] Verba hæc ab ordine et instituto rerum propositarum manifeste abhorrent; sunt autem T. Livii lib. IX. ab urbe condita, quod vidit et Hermolaus; sed is agnoscit ea ac legitima ducit, magno, ut ego puto, errore. *Pintian.*

Partes quæ se nudaverint terra. Aliqui lapides rotundos] *Testa* non *terra* in eodem habetur. Porro hæc lapidum mentio, et paulo post glareæ, ostendit aperte sermonem hic haberi de satione et cultura olearum: patet id ex Columella II. 17. 'Oportet autem scrobem oleæ quoque versus pedes quaternos patere; in imum scrobem lapidem glareamque abjicere: deinde super terram quatuor digitorum injicere.' Repetit hæc V. 7. *Pintian.* Vide Theophr. Causs. III. 8. et Colum. locis a nobis citatis. *Dalec.*

Cato crassiorem quinque digitis. Non omisisset, &c.] *Cato* referri debet ad præcedens verbum, *præcipiunt.* Et *non omisisset* eleganti eclipsi dictum est, ac si dicat, ideo a Catone omissum præceptum hoc, quia nullius sit momenti. *Gelen.* *Cato crassiorem quinque digitis*] Cap. 28. *Dalec.*

Non omisisset idem] Tacite Theophrastum reprehendit. *Idem.*

Assuetis] Ad eandem cœli regionem, et partem. Colum. De hac ratione loquendi mox. *Idem.*

Quod e diverso, &c.] Theophrast. Hist. II. 8. *Idem.*

Densiores enim folio ita fieri] Apud Theophrast. legendum: *ἔνιοι δὲ ῥοιὰν μείζω γίνεσθαι, καὶ σκιάζειν μᾶλλον τὸν καρπὸν, ἔτι δ' ἧττον ἀποβάλλειν τοὺς κυτίνους.* *Quidam punicam malum ampliorem fieri, fructum magis inumbrare, cytinosque suos minus amittere, &c.* quæ Plinius longe alio sensu reddidit. Lego et ex Theophr. *Quidam inversas figunt, in vite, atque etiam fico, permutantes, &c.* Palladius in Martio c. 10. id fieri vetat. *Idem.*

Id quidem in horam, &c.] Hoc est, in regionem cœli, quæ est inter Meridiem et Ortum brumalem, id est, inter Austrum et Vulturnum, atque adeo inter Austrum et Phœnica, sive Euronoton. Vel inter Meridiem et Occasum hibernum, id est, inter Africum et Austrum, vel Libonoton. Geographi, et Rei Rusticæ scriptores, cœli regiones terrarumque situs ac positionem per horas vulgares designant: primam horam ab Ortu Æquinoctiali numerantes, sic ut sexta cadat in Meridiem, duodecima in Occasum, decimaoctava in Septentrionem, vigesimaquarta in Ortum redeat. Vide VI. 3. et VI. 32. *Idem.*

Cato omnes ventos] Cap. 28. *Dalec.*

Procul dubio utilissime quidam summam terram contentus est subdi] Prima tria verba præcedentibus agglutinanda: dictio vero quæ sequitur, *quidam*, corrupta haud dubie est, scribendumque *Idem*, non *quidam*, et cum majore litera, ut sit initium alterius sensus; refert enim Catonem, cujus est quod sequitur documentum cap. 28. 'In scrobe,' inquit, 'cum pones, summam terram subdito: postea operito terra.' Tradit idem Columella V. 7. his verbis: 'Quæ antequam depo-

nantur oportebit solum scrobis imum fodere bidentibus: deinde terram aratro subactam, si tamen pinguior erit summa humus, mittere et substernere.' *Pintian.*

Quidam Punicis malis] Palladius in Martio cap. 10. Columella v. 10. *Dalec.*

Radices inflexas poni melius] Theophrast. Hist. II. 7. καὶ τὰ μὲν ἔχοντα ῥίζας, ὀρθὰ ἐμβάλλειν, ubi περὶ φυτευτηρίων agit. *Idem.*

Ficus, si scilla, &c.] Columel. v. 10. ne tinea molesta sit ficulneis seminibus, in imum scrobem lentisci taleam demitti jubet, inverso cacumine. Theophrast. Causs. v. 7. meliora fieri tradit quæ lentisco aut scillæ inserta terræ mandantur. Idem Hist. II. 7. scribit, quod hic Plinius, Ficum, si prope scillam seratur, ocyus crescere, et minus a vermibus infestari. *Idem.*

Radicum ejus magnam adhibendam curam] Verbum *ejus* puto adjectum esse ab aliquo, qui putavit Plinianum documentum non complecti omnes arbores, sed ficum tantum, quod falsum est. *Pintian.*

Sicuti terram circa radices festucato spissandam] Legendum reor *sicuti terram circa radices festuca aut vecte spissandam.* Aut sic, *Festuca conspissandam.* Verba sunt Catonis cap. 28. 'Postea operito terra, deinde calcato pedibus bene. Inde festucis vectibusque calcato quam optime poteris. Id erit ei rei primum.' *Idem.*

CAP. XII. *De intervallis plantandarum arborum, et umbris, et stillicidiis, et ubi plantari debeant.*

De intervallis plantandarum, &c.] Theophrast. Hist. II. 7. et Causs. III. 8. Columel. v. 10. Varro lib. I. *Dalec.*

Necat germina et pinus] Palladio in Novembri cap. 7. 'Pinus omnibus, quæ sub ea seruntur, prodesse creditur.' Theophrast. Causs. III. 15. 'Pinus omnibus benigna, laurum et myrtum sub se satas fovet, et crescere patitur.' *Idem.*

Nullum cupressi] Fœminæ, quæ in metam fastigiatur. *Idem.*

Constrictæ quidem ullius, &c.] Ejus, cui amputati rami sunt. *Idem.*

Jucunda et platani quanquam crassa] Scribendum videtur, *Jocunda et platani quoque;* nam postremum verbum *crassa* redundat ex antiquo exemplari. *Pintian.*

Gramini] Lætissime sub platano nascenti. *Dalec.*

Populo nulla] Nigræ. *Idem.*

Minora quærunt intervalla] Vel quia pinguiores, vel ut densiores arbores ventorum injuriæ, qui in edita magis sæviunt, fortius resistant. *Idem.*

De qua Catonis Italica sententia est] Legendum existimo, *de qua catholica sententia est;* nam *Catonis* ut legatur, nullo pacto procedit, cum apud Catonem hoc præceptum nusquam appareat. *Pintian.*

Adultas interlucare justo plus] Interlucari autem arbores dicuntur, quoties adempta ramorum parte, quantum opacitati earum detrahitur, tantum luci accedit, unde et *interlucare* dictum. *Gelen.*

CAP. XIII. *Quæ arbores tarde crescant, et quæ celeriter: et de Sabina.*

Quæ arbores tarde crescant] Theophrast. Hist. III. 7. *Dalec.*

Ocyssima omnium cypirus, &c.] Legend. *Ocissima omnium Cyprus et pseudocyprus frutex, protinus enim floret semenque profert.* Vide Salm. p. 10001. b. 10002. a.

Terræ causa geniti] Colendæ et purgandæ, quam alioqui ruborum silva occuparet et obrueret. *Dalec.*

Cato] Cap. 51. *Idem.*

Ficum, oleam, punicam, malorum genera omnia] Deest *cotoneum* ex Catone c. 51. 'Ficum, oleam, punicam, cotoneum, malorum genera omnia.' Sequitur continuo: *Laurum, prunos, myrtos, nuces et avellanas et Prænestinas.* In eodem Catone capite eodem :

'Laurum, myrtos, nuces, nuces Prænestinas;' reliqua superfluunt. *Pintian.*

Quas si longius ferre libeat] Cato c. 52. *Dalec.*

Trajectis per vasa fictilia vel qualos ramis terraque circumpactis] Scribe: *terraque circumfartis*, ex vetusto codice, ut infra c. 14. 'paleato luto libros farcire.' *Pintian.*

Inter poma ipsa et cacumina, in summa enim cacumina hoc modo petuntur] Minus male in eodem: *inter poma ipsa et cacuminum summa; etenim hoc modo cacumina petuntur*. Idem.

Neutri semen] Fallitur Plinius. Sabina baccifera est: semen autem Rosmarinus gerit. *Dalec.*

CAP. XIV. *De satione arborum, et insitione, et quomodo inventa sit tenera inserendi emplastratio.*

De satione arborum] Theophrast. Caus I. 6. et 7. Cato c. 40. 41. 42. Columella V. 11. Virgil. Georg. II. *Idem.*

Semine quoque, &c.] Insitionum hi fere sunt modi, inoculatio, et quæ generis nomine appellatur insitio. *Inoculatio*, ἐνοφθαλμισμὸς, eaque duplex; prisca altera, quæ fit surculo in gemmam subula apertam indito; nova altera, quæ et emplastratio dicitur, fitque in gemmæ locum indita. *Insitio*, ἐμφυτεία, ἐμφυλισμὸς, et hæc quoque duplex in truncum et in corticem; in truncum rursus duplex: altera terebræ circumactu, *terebratio*, sive ἐγκεντρισμὸς, vel stimulo perforata medulla, medullarum applicatio; altera trunco per medium fisso: in corticem vero nostra memoria inventa, corticis fistulosi circumjectus. *Idem.*

Cerasum in salice] Theophr. de Caus. II. 23. et V. 4. *Idem.*

Semenque] Calamum, surculum, ut fit cum truncato stipite surculus inseritur inter corticem et lignum. *Idem.*

Fistula sublatum ex alia] Subula, acuto scalpello, Columel. *Idem.*

Gemmamque ex alia, &c.] Emplastrationis modo. *Idem.*

Apparuitque truncum, &c.] Theophrast. de Caus. I. 6. et II. 19. *Idem.*

Inforare ausi medio] Hoc est ἐγκεντρίζειν Græcis. *Idem.*

Virgilius ex cacumine inseri vetat] Nihil tale apud Virgilium habetur: proinde non *Virgilius* hic, sed *Higinius* contenderim legendum. Scripsit hic de agricultura, secutusque est eum Virgilius; quapropter Columella I. 1. 'pædagogum Virgilii' Higinium appellat. Porro citari in præsenti lib. Higinium a Plinio, manifestum est ex Indice. *Pintian.* *Virgilius ex cacumine, &c.*] Non tantum divisa, ut admittat lucem, verum exempto cuneo latera sic lateribus applicans, ut videatur coaluisse. *Dalec.*

Spei favet medulla, &c.] Id est, quod ait Cato c. 41. 'Quos inseres, medullam cum medulla committito.' *Idem.*

Libro dempto finduntur] Qui crassior a tenuiore velut hiscens discedit. Vide infra cap. 24. hujus libri. *Idem.*

Cato argillæ, &c.] Theophrastus Caus. I. 6. laudat (si mendum non subest) πηλὸν τετριχωμένον, id est, *lutum cum pilis subactum*. Idem.

Inseri autem præcipit pira ac mala per ver, et post solstitium diebus L. post vindemiam] Cato cap. 41. 'Pyrorum et malorum insitio est per ver, et per solstitium diebus L. et per vindemiam.' *Pintian.*

Oleas autem et ficos per ver tantum luna sitiente, hoc est sicca] Scribe *luna silente* non *sitiente* ex Catone cap. 40. ut supra etiam admonuimus. *Idem.*

Lingua bubula] Miror valde Plinium *bubulam* herbam τὸ βούγλωσσον exposuisse, cum Cato *ligulam* e corio bubulo factam intelligat: et alioqui sit absurdum linguam bubulam herbam insuper librum alligari, nec ca-

dat, quod ait Cato. *Dalec.*

Punicam vero et ficum] Theophr. Causs. I. 5. *Idem.*

CAP. XV. *De vite inserenda.*

De vite inserenda] Theophr. Causs. I. 16. et III. 17. Cato cap. 42. et 43. Columell. IV. 29. et de arboribus cap. 8. *Idem.*

Cato] Cap. 41. *Idem.*

Medullas jungi] Surculi videlicet et matricis. *Idem.*

Junctis medullis colligari] Fortassis hoc Græcis fuerit ἐμφυλλίζειν, quasi adoptare, et arrogare in suam stirpem, in suum genus. *Idem.*

Terebrare] Ἐγκεντρίζειν Græcis. *Id.*

Intritaque illitum operire terra] Argilla subacta cum fimo et arena. *Id.*

Gallica uteretur terebra] Cycliscum Gal. vocat Meth. lib. VI. sub finem. Ea non scobem, sed ramenta facit, quibus exemptis plaga undique lævis relicta facilius omni parte sedentem surculum contingit: terebra vero priscorum, quæ manu adigitur, urit partem quam excavat, et scobis lanuginem excitat, quæ nunquam sic extrahitur, ut non inhærescat foramini, interventu suo prohibens ne surculi corpus corpori vitis applicetur. Col. IV. 29. Terebra antiquorum, *Tarione:* Gallica, *Vibrequin. Idem.*

CAP. XVI. *De emplastratione.*

De emplastratione] Columella V. 11. Cato cap. 42. *Idem.*

Ita ne descendat ultra ferrum, cortici imprimitur] Vetus lectio, *ita ne descendat ultra corticem ferrum imprimitur.* Pintian.

Et apud Catonem] Cato cap. 42. *Dalec.*

Quattuor digitorum longitudine et trium latitudine] Longitudinem præfinit Cato, non latitudinem, cap. 42. his verbis: 'Librum longum facito digitos tres, et ad eundem modum oblito, tegitoque.' *Pintian.*

Miscuere fissuram] Vites inserunt et ramo simul fisso, et emplastro. *Dalec.*

Emplastratio] Columell. c. 11. inoculationem ab agricolis vocari emplastrationem tradit: Plinius tamen videtur hanc ab illa distinguere. *Id.*

CAP. XVII. *Exemplum hujus rei.*

Multa sic seruntur] Theophr. Hist. II. 7. et I. 6. Columell. V. 10. *Idem.*

Præterquam talea] Legendum videtur, *præterque talea.* Pintian. Varro Re Rust. I. 14. *Idem.*

Neve tenuiores] Colum. de arboribus, cap. 20. et V. 9. Theophr. Hist. II. 7. et Caus. I. 6. *Idem.*

CAP. XVIII. *De cultura olearum, et quibus temporibus insitio fiat.*

Cato] Cap. 45. *Idem.*

Diligenterque tractato] Hæc apud Catonem jam non leguntur, et in ejus exemplari deesse videntur: quamvis cap. 28. de radicibus eximendis cum terra, operiendis, calcandis, nonnihil tradat. *Idem.*

Ne librum scindas. Cum adjicis, &c.] Scribe cum minore litera, *cum adigis,* et annecte superioribus, ex Catone cap. 45. *Pintian.*

Palo prius locum ne feceris] Catonis vulgata exemplaria negationem non habent: agnoscunt tamen eam codex scriptus et impressi omnes: vereorque ut in Catone sit error; nam si in loco subacto palo prius sit locus, quid attinet pede taleam opprimere, et si parum descendat, malleo aut mateola adigere? *Idem.*

Eas divaricato supra terram, ne plus quatuor digitos transversos emineant] Scriptum exemplar: *easque divaricato supra terram ne plus quattuor digitos transverso semine vel oculis serito.* Scribo: *easque divaricato. Supra terram ne plus quattuor digitos transversos emineant gemma vel oculo servato;* ex Catone loco citato. *Idem.*

Calcare bene ne quid noceat] Cato ibidem: 'Calcato bene, ne aqua noceat.' *Idem.*

Ex eo die dies XL. recte putabis] Cato cap. 44. non *XL.* dies habet, sed *XLV.* Pintian.

Qua locus recte ferax erit] *Qui,* non

Qua, in Catone, eodem capite. Et paulo post eodem modo legito. *Idem.*

Concidito] Diligentius fodito, subigito, aratro proscindito. *Dalec.*

Circum oleas, &c.] Quæ sequuntur, non leguntur apud Catonem. *Idem.*

In crasso aut humido aut subriguo] Vetus codex *subriguoso*, non *subriguo;* ut forte additione unius syllabæ legendum sit, *subriguo solo.* Pintian.

Post æquinoctium XL. diebus ad Vergiliarum occasum XIV. soli dies sunt quibus, &c.] Scribendum videtur *VIII.* non *XIV.* nam teste Plinio lib. XVIII. ab æquinoctio autumnali ad occasum Vergiliarum, dies sunt XLVIII. et sensus est, præteritis post æquinoctium XL. diebus superesse octo, in quibus seri noceat. *Idem.*

Quidam æternitate consenescunt proxima adoptione virga emissa] Lego cum minore litera: *quadam æternitate cum senescunt proxima adoptione virga emissa;* ut infra capite vigesimo, 'Et eæ autem senescentium propagine sarciunt locum.' *Idem.*

Atque ita alia arbore ex eadem juvenescente] Scribo *vivescente*, non *juvenescente*, ex vetere exemplari. Utitur hoc verbo alias Plinius persæpe, ut in præcedentibus ostensum est. *Idem.*

Interradi alternis annis] Laborant enim impetigine. Theophr. Hist. IV. 16. et Caus. V. 12. *Dalec.*

Circumfodi autem omnibus, &c.] Columell. V. 9. *Idem.*

Ab occasu Vergiliarum, &c.] Columellæ Vergiliæ oriuntur VI. Idus Novembris, id est, circa diem undecimum. Sagitta vero oritur octavo Calend. Martii, id est, circa vigesimum Februarii, qua ratione occidit circa vigesimum Augusti. Aquila oritur septimo Idus Decembris, id est, circa septimum diem ejus mensis: qua ratione occidit circa septimum Maii. *Idem.*

Sub Etesiarum flatu conserunt] Aquilonum, flagrante canicula, cœli fervorem lenientium. Narbonensibus, *Le garbin.* Idem.

Quædam tamen statutum tempus anni habent] Verior mihi videtur lectio *statum* quam *statutum;* etsi vetus exemplar refragetur. *Pintian.* Theophrast. Caus. I. 7. *Dalec.*

Communis quidem] Colum. V. 10. *Idem.*

CAP. XIX. *Quæ arbores societate gaudeant, et disciplina ablaqueandi et accumulandi.*

Accumulandi] Ms. *aculeandi.*

Columellæ excogitata] Columellæ locus est V. 11. *Dalec.*

Defigi in crure fici custoditum vinculis, ne, &c.] Scrib. videtur *constrictum*, non *custoditum*, ex Columella III. 27. ex cujus auctoritate credo verba illa, *in crure fici constrictum vinculis, ne curvatura fugiat*, errore librariorum e proprio loco avulsa esse, et in totum legendum sic: *eumque omni interim tempore edomari meditatione curvandi in crure fici constrictum vinculis, ne curvatura fugiat. Postea fico adepta vires, &c.* Columellæ verba apponam ut lectoribus quærendi labor adimatur: 'In scrobem deinde fici arbusculam deponito, diligentiamque adhibeto, ut robusta et nitida fiat. Post triennium aut quinquennium cum jam satis amplum incrementum ceperit, ramum olivæ qui videatur nitidissimus deflecte, et ad crus arboris ficulneæ religato, atque ita amputatis cæteris ramulis ea tantum cacumina, quæ inserere voles, relinque. Tum arborem fici detrunca, plagamque leva, et mediam cuneo finde. Cacumina deinde olivæ, sicut matri cohærent, utraque parte abrade, et ita fissuræ fici insere,' &c. *Pintian.*

Scrobes fodere monstravit] Theophr. Causs. III. 5. *Dalec.*

Aliubi ablaqueant] Idem ibid. III. 11. Columel. lib. ult. c. 5. *Idem.*

In circuitu pedes] Τὸ *in circuitu* puto

hic supervacuum esse, cum verbi *circumfodiendi* significatio id satis explicet. *Idem.*

CAP. XX. *De salicto, et harundineto, et cæteris cæduis ad perticas, palos.*

De salicto, &c.] Theophr. Hist. v. 8. Cato c. 9. Colum. IV. 30. et XI. 2. Varro I. 8. *Idem.*

Talea sesquipedali] Talea in viminali, pertica in arborescente. *Idem.*

Et eæ autem] Salices viminales potius, quam perticales. *Idem.*

Sarciunt locum] Nam quamvis adhibeatur cura, inquit Columella, plurimæ salices intereunt, quarum in loco ex propinquo mergis propagari debent, curvatis et defossis cacuminibus, quibus restituatur, quicquid intercidit. Anniculus deinde mergus decidatur a stirpe, ut suis radicibus, tanquam vitis, ali possit. *Idem.*

Pertica immersa] Pro mergo defossa. *Idem.*

Recisa] A parente, ubi radicem egerit. *Idem.*

Harundo etiamnum dilutiore] Cato c. 6. Columel. IV. 32. *Idem.*

Seritur bulbo radicis] Et talea pedum duorum ac semissis, et arundine tota prostrata, intervallo tripedaneo. Columell. *Idem.*

Quam castrare] Castratur harundinetum, quod ita densatum, ut gracilis harundo et cannæ similis prodeat, interciditur, et disraratur. Columell. *Idem.*

Seritur et transversa] Theophrast. Hist. II. 2. *Idem.*

Castanea pedamentis] Colum. lib. IV. c. 30. et ult. *Idem.*

Carbunculum] *Carbunculi* Columella non meminit. *Idem.*

Læsumque maxime fruticat] Quanto sæpius cæditur, tanto fruticosior planta in querceto resurgit. *Idem.*

CAP. XXI. *De culturis, et disciplina colendarum vinearum.*

De culturis, &c.] Theophrast. de Caus. lib. III. a c. 16. usque ad c. 22. Columel. III. 4. *Idem.*

Alternis laterum semper inguinibus] Foliorum et pampinorum exortu. Supra XVI. 36. eodem genere loquendi utitur. *Idem.*

Ita satas ficos] De illarum satu Columell. v. 10. *Idem.*

E duro surculus seri] Trunco, sive capite, aut flagello. *Idem.*

Sua calce] Lege, *suo calce.* Sic 'stolonum pernam' supra dixit c. 10. hujus libri. *Idem.*

Trigemmes] Columellæ III. 19. *trigemmes*, qui exceptis frequentibus in capite oculis, tres deinceps articulos, ac totidem gemmas habent. *Idem.*

Sagittas serere minus utile] Idem III. 10. ait, veteres etiam ex fœcundo malleolo decisam sagittam repudiasse. Ibidem: 'Nam si sagittam, id est, superiorem partem malleoli, vituperandam censebant, cum esset eadem pars surculi frugiferi, quanto magis vel ex optima vitis parte natum flagellum,' &c. *Idem.*

In seminario] Ex Columella III. 12. hunc locum sic restituo: *In seminario sive vinea, bidente et bipalio pastinari debet, in longitudinem ternos pedes, terraque rejici, ita ut in pedes binos fossa procedat,* (alii, *descendat,*) *quantum patitur latitudo ferramenti.* Bipalium instrumentum ad fodiendum, pala duplo latius, unde nomen. *Idem.*

Mensura] Longitudinis et altitudinis. *Idem.*

Scamna inæqualia] Quod inter scrobes jacet. *Idem.*

Articulum nisi ipsi parcatur] Nodum. Imum articulum cum integrum et illæsum servare volunt, quia sit ad germinationem cæteris fœcundior, ei proximum ferro non attingunt, ut is sui projectu injurias, quæ offendere possunt, arceat et depellat. *Idem.*

Inde materia emicat cum aqua XXXVI. mense] Vetus lectio *tum*

legit, non *cum*; et verbum *aqua* superfluit. *Pintian.*

Est et luxuriosa ratio vites serendi, ut quattuor malleoli vehementi vinculo colligentur in parte luxuriosa, &c.] Luxuriosam vocat eam serendi rationem, quia luxuria monstrante inventa fuerat, ut uva vineæ sic satæ omnium corporum e diverso genere acinos ferret. Et paulo post, lege: *postea fistula fracta radix libere capit vires, uvaque fert omnium corporum acinos.* Vel præcedentia sic scribe: *ut quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur arte*, aut *perarte*, ut *perscite*, et similia. Et pro *vel per cocta fictilia*, lege *per colla fictilium.* Plinio fictile dicitur absolute de vase fictili. Sic *colla fictilium* eundem usum præstant vinciendis inter se malleolis, quem ossa bubuli cruris, et eadem forma sunt. Vide Salmas. pagina 586. a, b. *Est et luxuriosa, &c.*] Simile quiddam tradit Theophr. Causs. v. 5. *Dalec.*

Uvamque fert et omnium corporum suorum acinos] Vetus lectio legit, *uvamque fert omnium corporum suorum acinos.* Pintian.

Columella promittit] Idem Theophr. loco citato. *Dalec.*

Id enim non fit, &c.] Quod adminiculo careat. *Idem.*

In hoc vero numerosior tantum. His vero tribus seritur modis] *In hoc vero numerosior, tantum vero seritur modis*, antiquus habet codex: lego: *in hoc vero numerosior; tribus vero seritur modis.* Pintian.

CAP. XXII. *De sulco, et vinearum putatione.*

De sulco, &c.] Theophr. Causs. III. 16. *Dalec.*

In quocunque genere tripedalis] Vel sulci ac fossionis, vel agri et terræ. *Idem.*

Extatura etiamnum, &c.] Columel. III. 16. *Idem.*

Pulvinatis a devexitate labris] Velut in tumulum editis ripis ab inferiore parte, ut justus fossioni regestus sit, cum a superiori parte ad inferiorem humus detrahitur. Columel. III. 13. de pastinatione, non scrobium defossione. *Idem.*

Decumano] Decumanus ab Oriente in Occidentem tendit; cardo vero a Septentrione in Meridiem. Vide Columel. v. 1. et IV. 12. *Idem.*

Non nisi repastinato] Theophrast. Causs. III. 17. *Idem.*

Aquoso cœlo, &c.] Columel. III. 14. *Idem.*

Quiescere ventos, &c.] Idem ibid. c. 19. *Idem.*

Inter binas vites, &c.] Macro solo quinos; mediocri senos; pingui septenos. Idem ibid. c. 15. *Idem.*

Porculeta] Porcæ, elati terræ tumuli inter duos sulcos. Varr. I. 21. *Idem.*

Rariores poni] Ut solem admittant. *Idem.*

Densiores congruit] Ut a sole defendantur. *Idem.*

Seminarium faciendi] Columella III. 13. et 16. *Idem.*

Inter vites et ordines seratur] Inter vites singuli malleoli: in singulis interordiniis quinque per spatium pedis. Idem ibid. *Idem.*

Circiter XVI. M. viviradicum] Apud Columellam in hac consitione Julius Atticus abunde esse putat non viviradicum, sed malleolorum sexdecim millia. *Idem.*

Quam in translato] Nam dum transfertur sæpius versata et subacta terra ad fruticandum vitem incitat. *Idem.*

Resecatur usque ad terram] Varrò I. 31. *Idem.*

Secundo anno reciditur] Theophr. Causs. III. 20. Columella IV. 10. 21. 22. 23. *Idem.*

Oneri] Et fœtus, et materiarum. *Idem.*

Festinatione pariendi, &c.] Sarmenta et flagella. *Idem.*

Emucida] Emucida, ut apud Varron. II. 10. Sic ait Columell. v. 5.

Opacis, frigidis, humidis locis nisi æstate vitis nudetur, et palmitibus folia detrahantur, ut maturitatem fructus capiat, situ putrescere: nempe emucidam fieri. Idem IV. 24. muscum, ait, compedis more crura vitium comprimere, situ et veterno emaciare, id est, mucidas reddere. *Idem.*

Aut si non sint] Columell. IV. 30. et 26. *Idem.*

Reciduntur] Non in multos annos durant, ut fagi, salices, alni, &c. vel, ut ait Columell. IV. 26. putri parte dedolantur. *Idem.*

Connexa fasciculis] Idem Colum. IV. 17. et 16. *Idem.*

Utilior enim consuetudo pariendi] Ut robustior et firmior vitis evadat. *Id.*

Sunt qui vetant, &c.] Columell. IV. 11. *Idem.*

Id utrumque fructum tardum, &c.] in V. C. *utrinque* habetur: lego *utrique*, hoc est, palmiti tam exoculato quam reciso. *Pintian.*

Nec tutum est quod cicatricosum] In veterana vinea restituenda. Columella IV. 22. inter tertium et quartum pedem a terra viridissimam partem corticis acuto mucrone ferramenti vulnerat, ut e plaga pampinus fundatur, cicatriceque germen procedat. Id est, scilicet, quod Plinius innuit: non esse eliciendum e cicatricosa plaga sarmentum, quamvis id fiat in vite seniore. *Dalec.*

Roboratur] Putatione, fossione, ablaqueatione, &c. *Idem.*

Cum permissum fuerit nasci] Nisi detrahantur oculi. *Idem.*

Nil natura, &c.] Sed perfecto et omnibus numeris absoluto enixu. *Idem.*

Sub ipso jugo hospitari, &c.] Colum. IV. 24. *Idem.*

Imperare] Permittere ut luxuriet. Hoc genere locutionis utitur Columella ibid. *Idem.*

Pro viribus matris] Idem ibid. cap. 16. *Idem.*

Si cogit infirmitas] Lego: *nisi cogit infirmitas. Nam cum materies infirma est, ad postremos usque articulos putatur, ut corroboretur sic coërcita.* Columella lib. IV. sub finem cap. 16. et cap. 10. *Idem.*

Egerit] Ultra justos et consuetos limites effundit. *Idem.*

Ut sustineatur jugo] Columel. IV. 26. *Idem.*

Coërcetur] Lego, *concitatur*; nam quod ait Columel. V. 6. pars palmitis præcipitata fructu induitur; at quæ vinculo supra tertiam vel quartam gemmam adnexa sursum tendit, anno sequente materias præbet. *Idem.*

Ipsa curvatura] Columel. IV. 20. et V. 6. *Idem.*

Sic duo genera palmitum] Scribo, *Sed duo genera palmitum*, ex Colum. V. 5. *Pintian.*

Quod e duro exit, materiamque in proximum annum promittit, pampinarium vocatur, at ubi supra cicatricem est, fructuarium. Alterum ex anniculo, &c.] Quinque illa verba, *at ubi supra cicatricem est*, videntur mihi non esse legitima auctoris: patetque id ex Colum. V. 5. his verbis: 'Sed ipsorum palmitum duo genera sunt: alterum quod ex duro provenit; quod quia primo anno plerunque frondem sine fructu affert, pampinarium vocant: alterum quod ex anniculo palmite procreatur; quod quia protinus creat, fructuarium vocant.' *Idem.*

Pampinarium] *Pampinarium vocatur, alterum ex anniculo palmite, ubi supra cicatricem est, fructuarium habendum semper in vinea. Relinquitur, &c.* e Columella ad verbum V. 5. *Dalec.*

Qui vocatur custos] Idem IV. 21. *Idem.*

Verrucæ magnitudine] Idem cap. 24. lib. eod. et cap. 22. *Idem.*

Et ad quartum usque, &c.] Hujus rei idem meminit cap. 22. et 24. lib. eodem. *Idem.*

Dracones] *Dracones*, palmites emeriti, annis pluribus indurati. Vide an pro *juniculos* legendum sit *funiculos*. Idem.

Traducere] *Traducere* vocat, merge in vicina pedamenta quæ vacua sunt attrahere: de quibus Columel. IV. 15. Ii vero fiunt nova consitione, cum annicula vitis est, ac sex mensium. *Idem.*

Unijuga erit vinea] Simplici jugo fulta, cantheriata. *Idem.*

Dum stare condiscat] Columella V. 5. *Idem.*

Cætera a primordio eadem] Quod pertinet ad scrobes, satum, malleoli delectum, et hoc genus alia. *Idem.*

Ne prægravet fructus, &c.] Id est, quod Columella ait IV. 24. 'Sed meminisse oportebit, ne in eadem linea, unoque latere brachii, esse duas materias pluresve patiamur; namque id maxime vitem infestat, ubi non omnis pars brachii pari vice laborat, atque æqua portione succum proli suæ dispensat, sed ab uno latere exugitur. Quo fit ut ea vena, cujus omnis humor absumitur, velut icta fulgure arescat.' *Idem.*

Ut semper pollices, &c.] 'Jacenti viti,' inquit Columella V. 5. 'breviores materiæ submitti debent: reseces quoque angustius in modum furunculorum relinqui.' *Idem.*

Fertili solo cum tribus gemmis, graciliore quinis] Ratio ipsa proclamat legendum hic esse *binis*, non *quinis*; nec res confirmatione indigebat: nihilominus assertorem habet hæc correctio eundem Columell. de arboribus cap. 10. 'In agro,' inquit, 'crasso, validaque vinea, plures gemmas et palmas relinquito, in exili pauciores.' *Pintian.*

Quæ de natura soli diximus] Columella III. 20. et IV. 1. *Dalec.*

Quo lætior ager] Idem IV. 19. *Id.*

Plerique æstate tota, &c.] Theophrastus Causs. III. 12. et 18. Columella lib. ult. cap. 12. et IV. 28. et cap. 5. et 20. *Idem.*

Ad Vergiliarum exortum] Oriuntur sexto Idus Octobris, id est, ad undecimum diem. *Idem.*

Fossione pulverem, &c.] Theophr. de Caus. III. 22. et Hist. II. 8. Columella IV. 28. et lib. ult. cap. 12. et supra cap. 9. hujus libri, ὑποκόνισιν Theophrastus vocat. *Idem.*

Utique antequam florere incipiat] Columella IV. 6. et 7. Varro I. 31. *Id.*

Ubi cœli tepor indulget] Columella IV. 10. et 24. Theophr. Causs. III. 20. *Idem.*

Ante Aquilæ exortum] Septimo Idus Decemb. sive ad septimum diem ejus mensis. *Idem.*

Anceps culpa sit, &c.] Dubitari possit, festinatione peccatum fuisse. *Id.*

Ruminatio] Irruptio, revocatio, reditus, recursus. an erosio, exustio? Sic certe Varro de Re Rust. III. 14. dixit cochleas interjecta laurea folia ruminantes ad propalam diu vitam producere. Lego *terminatio*, id est, mitescentis hiemis, et quam abiisse putes exasperatio, ac sub exitium novus rigor: vulgo, *la queue de l'hyuer.* Idem.

In latifundiis non legitima naturæ festinatio] Romana impressio, et quædam alia exemplaria: *in latifundiis vero legitima, &c.* quæ lectio magis mihi probatur ex Columella IV. 24. *Pintian.* *In latifundiis, &c.*] In quibus, ut ait Columella IV. 23. ruris vastitas electionem temporis negat. *Dalec.*

Putantur aptis diebus] Idem ibid. *Id.*

Prius convenit putare] Autumno aut vere. *Idem.*

Novissime] Frigoribus. *Idem.*

Acie falcis exacta plagaque convelata] Lego: *acie falcis exacuta, plagaque conlevata*; nam scriptores Rei Rusticæ frequenter admonent levandam esse plagam; quorum verborum intellectum Columella ostendit de Arboribus cap. 10. 'Vindemia,' inquit, 'facta statim putare incipito ferramentis quam optimis et acutissimis.

Ita plagæ leves fient, neque in vite aqua consistere poterit. Quæ simul atque immobilis est, corrumpit vitem, vermesque et alia creat animalia quæ materiam erodunt.' *Pintian.*

Et donec ad sincera veniatur] Columella IV. 24. *Dalec.*

Quoniam e vitiosa materia utilis non exeat] Vetus exemplar, *quoniam e vitioso utilis materia non exeat.* Pintian.

Ad terram recidi eam] Columella IV. 11. id damnat. *Dalec.*

Hos detrahere pampinos] In vite, quam Canthaream vocant. Theophrast. Causs. III. 20. summas uvas etiam detrahit. *Idem.*

Ut nisi ferro detrahi, &c.] Falce: non autem digiti tráctu decuti. *Id.*

Pedamentum, &c.] In restituenda veteri vinea. Colum. IV. 22. *Idem.*

Unijugæ vineæ] Ut supra, simplici cantherio ordinatæ. *Idem.*

Nec flatu infesta regio] Columella IV. 17. *Idem.*

In quadripartita, &c.] Vinea in quatuor brachia divisa, quæ in stellarum jugum disperguntur; de qua Columel. IV. 17. et 21. et V. 5. *Idem.*

Cato] Catonis locus est c. 33. quod hic fere integrum ad verbum describit. *Idem.*

Capita vitium putata circumfodito] Locus est mutilatus: scribo: *Capità vitium per sementim ablaqueato. Vineam circumfodito,* ex ipso Catone cap. 33. *Pintian.*

Vites teneras quamprimum propagato: veteres quam minimum] Æstimandum an legi debeat, non *quam minimum,* sed *quam plurimum;* quia adversatur *quam minimo,* quod statim sequitur. Item expende an diversa distinctione legenda sint verba paulo post, hoc ordine: *castrato potius si opus fuerit, dejicito.* Idem.

Tum erit tempus, ubi valebit] Codex antiquus: *tutum erit tempus, ubi valebit.* In Catone tamen ut in impressis. *Idem.*

Calvata erit] Apud Catonem *calva* legitur, hoc est, viduata, destituta, orbata. Sic 'vitis calvitium' Columella dixit IV. 29. *Dalec.*

Umbram a sulcis removeto] Verba sunt etiamnum Catonis. Vide et Columell. IV. 5. *Dalec.*

Aut aliquid horumce] In Catone c. 33. 'aut aliquid horum quo rectius valeat.' *Pintian.*

Pampinos teneros alligato leviter porrigitoque. Quæ ubi recte steterint, ubi uva varia fieri cœperit] Cato loco citatò: 'Pampinos teneros alligato leniter corrigitoque, uti recte stent: ubi uva varia,' &c. *Idem.*

Subligato] Hactenus Catonis verba c. 33. ubi hæc præterea etiam leguntur: 'Subligato, pampinato, uvasque expellito, circum capita sarrito.' *Dalec.*

Vitis insitio una est per ver] Vide Catonem c. 41. *Idem.*

Bene effodito] Cato: 'Effodito, usque radices persequitor, et caveto.' *Idem.*

CAP. XXIII. *Ratio arbustorum.*

Ratio arbustorum] Cato c. 7. Columella III. 3. et V. 6. et 7. et c. 16. lib. de Arboribus. *Idem.*

Sarsennæ patri filioque] Scribo *Sasernæ,* non *Sarsennæ.* Colum. I. 1. 'Jam nunc M. Catonem Censorinum illum memoremus, qui eam Latine loqui primus instituit. Post hunc duos Sasernas, patrem et filium, qui eam diligentius erudierunt.' Meminit Varro quoque utriusque Sasernæ, de Re Rust. I. 2. *Pintian.*

Venetia salice propter uliginem soli] Nihil decerno; solum noto posse etiam legi, *Quin etiam salice propter uliginem soli,* ex Columella V. 6. *Pintian.*

Nulla fere XX. pedum altiore arbore] Legendum *XV.* non *XX.* ex eodem auctore, eodem loco. *Idem.*

Palmæ debent] Sarmenta, quæ velut in furcas dividuntur, et ramos. *Dalec.*

Barba] Barbam vocat ramulós et

surculos tenues e sarmentis prodeuntes. *Idem.*

Serere tripedanea scrobe] Scribo *quadripedaneo*, ex eodem Columella, libro de Arboribus c. 16. *Pintian.*

Diximus] Supra c. 13. hujus libri. *Dalec.*

Qualorum in ipso tabulato, &c.] Cato cap. 52. *Idem.*

Seriora fere anno ad fructum arbusta, quam vitis jugata] Scribendum cum minore, *seriore anno fere ad fructum arbusta vite quam jugata;* ut annectas præcedentibus, ex antiquo codice. *Pintian.*

Duramento in singulis, &c.] Duriore sarmento. Duramenta, vitis brachia, dura jam et annosa. Columella IV. 21. et 22. *Dalec.*

Capreolis sparguntur, &c.] Ταῖς ἕλιξι, veluti vitium *cincinnis.* A capiendo dictos censet Varro, quod serpant ad capiendum locum, ut teneant vitem. Probabile tamen a mollitie et teneritate sic vocatos fuisse, quo modo Græci tenellum quidvis *μόσχον* dicunt. Homerus *μόσχον λύγον*, unde Latinis 'mostum' sive 'mustum,' vinum, pomum, ætas, caseus, mustea. Sic ab *ὄρχος* fit hortus, *ὄρνιχες*, *ὄρνιθες*, χ in θ mutato. *Scalig.*

Atinearum ambitu] Cum atiniæ multæ ambiant, quas tamen non maritant, umbrosam earum frondem fugientes. *Dalec.*

Siculi quam vocant, &c.] Viennæ Allobrogum milio silvestri in ipsa vite nato et collecto sarmenta curvata, et foliis nudata, paulo ante vindemiam ligant. Anguillara lib. XII. herbam eam adhuc in Sicilia vocari Dis scribit. *Idem.*

Gallica cultura] De arbusto Gallico Columella v. 7. *Idem.*

Si pes] Vitis, e qua tradux advocatur. *Idem.*

Quadrageno distet spatio] Quadragenum pedum distantia pingui solo interponitur, cujus beneficio duæ solæ vites sic luxuriant, ut arbori vestiendæ sufficiant. At macro tenuique solo vicenum pedum intervallum est, in quo minus ramosæ frondosæque vites ad arborem quatuor perducuntur. *Idem.*

Traducem bimum præcidere solebant] Sensus est: Traducem, id est, sarmentum traductioni destinatum in matre priusquam traducerent, bimum putabant, ut eo temporis spatio crassesceret satis, et in arborem transire posset; quod si bimus non adhuc satis validus aut crassus foret, longius dilatata putatione, ejus toros, id est, robur et firmitatem, pascebant, et augebant priusquam traducerent. *Idem.*

Etsi tantum frumenti ratio non exigit] Antiquum Exemplar, *tanta etsi frumenti rationem non exigit.* Scribo, *tametsi frumenti ratio non exigit.* Et in fine cap. *sit facilius abscondere*, in eodem cum negatione, *non est facilius abscondere.* Pintian.

Tonsuræ supiniore, &c.] Cum decisi rami cœlum spectant. *Dalec.*

CAP. XXIV. *De servandis uvis, et morbis arborum.*

Et morbis arborum] De morbis arborum Theophrast. Caus. cap. 10. 11. 12. 15. et Hist. IV. 16. *Idem.*

Quinquatribus putandas] Palladi sacris feriis, quæ ad quinque dies durabant. Incidebant eæ in XVIII. Martii. *Idem.*

Infestantur nanque et arbores morbis] Theophrast. Hist. IV. 16. et a Causs. v. 9. usque ad finem. *Idem.*

Quoniam præstrictus] Immo potius quoniam frigore necata, etiam si alimentum suggeratur, abolito nativo calore eo frui nequeunt. *Idem.*

Arborum quidam communes morbi] Theophrast. loco citato, et Causs. XI. 2. *Idem.*

Vermiculatio est] Σκωλήκωσις, ἀστροβολισμὸς, σφακελισμὸς, quam vocem Plinius interpretatur *dolorem membrorum cum partium debilitate*, infeliciter quidem, et nimis lascivo conatu. Ap-

tius ille reddidisset, *emortuarum nigredinem*. Sideratio quævis injuria a cœlo illata et profecta, de qua mox. *Idem*.

Sideratio et dolor membrorum] Scribendum puto *nervorum*, non *membrorum*; sequitur enim non multo post: 'Verum ut homini nervorum cruciatus, sic et arbori.' *Pintian*.

Trunca dicimus certe, &c.] Ab animalium et hominum comparatione. *Dalec*.

Oculos germinum exustos] Sic excæcari, obtundi, ἀμβλῦναι, Theophrast. Causs. III. 13. *Idem*.

Aliquæ vero et obesitate] Theophr. Causs. v. 15. *Idem*.

In tedam mutantur] Δᾳδοῦνται. *Id*.

Radices quoque] Ut in ficu. *Idem*.

Pinguescere capere] Λιπῶσι. Idem Causs. v. 12. *Idem*.

Aves cavi corticis] Præsertim Martii pici. *Idem*.

Prægrandesque roborum, &c.] Hieronymus contra Jovinianum scribit in Ponto et Phrygia luxuriam esse τὸ ξυλοφάγιον, nimirum cossos e ligno natos. A cossis rugosis vermibus dicti Cossinii et Cossutiani. *Idem*.

Eorum qui in ficis existunt] Theophrast. Hist. VI. 16. et Causs. v. 14. et 19. *Idem*.

Vermiculis ruffis pilosis] Idem Hist. III. 19. et 20. *Idem*.

Et quod pruinarum, &c.] Theophr. Causs. v. 13. *Idem*.

Hæc enim verno, &c.] Carbunculatio, καῦσις. *Idem*.

Lactescentes germinum oculos] Εὐώδη, Theophrasto vero Hist. IV. 16. ὀπώδη, *quæ lacteo succo turgent*. Idem.

Proprium tamen, &c.] Leg. *Proprium tamen siderationis est sub ortu canis siccitatum vapor, cum insitæ ac novellæ, &c.* Vide Salmas. p. 590. b.

Siccitatum vapor] Sic læsas arbores ἀστρόβλητα δένδρα, καὶ σφακελίζοντα Græci vocant: quoniam, ut inquit Aristot. de Juvent. et Senect. Τοῦ θέρους ἰσχυρὰ γίνεται χαύματα, καὶ μὴ δύναται τὸ σπώμενον ἐκ γῆς ὑγρὸν καταψύχειν, δι' ὃ φθείρεται μαραινόμενον τὸ θερμὸν, καὶ λέγεται σφακελίζειν καὶ ἀστρόβλητα γίνεσθαι τὰ δένδρα. Theophrast. id fieri tradit δι' ἀσθένειαν, ὅταν ἡ γῆ ξηρανθῇ, καὶ μὴ ἔχωσιν ἕλκειν ὑγρότητα. Brod. v. 20. *Dalec*.

Quam æque ac ficus sentit] Theophrast. Causs. IV. 16. *Idem*.

Clavum etiam patitur] Ἧλον. Alius est clavus materiæ fabrilis, de quo supra XVI. 39. *Idem*.

Scabies] Theophr. Caus. v. 12. *Idem*.

Impetigo] Ψώρα, *scabies*. Impetigo, quem Latine arborum limum præterea vocat XXIII. 7. Corticis extimi aspera et serpens scabrities, imbris et roris putrescentis contactu excitata. *Idem*.

Dolor] Inepte hoc Plinius. *Idem*.

Post Vergilias] Nempe post earum ortum Theophrast. Oriuntur autem Varroni I. 28. quadragesimoquarto die post æquinoctium vernum, id est, ad vigesimumquintum diem Aprilis. *Idem*.

Nam si rariores fuere, perfundunt arborem, non scalpunt scabie. Cæterum si cadunt, sive imbres nimii fuere] Locus est miseris modis vitiatus. Verum cum e Theophrasto desumptus sit, ipse nos docebit quomodo curandus sit. Sunt igitur verba Theophrasti de Causis Plant. v. 12. ad hunc modum: 'Sunt qui scabiem alia quoque ratione fieri posse arbitrantur, cum pluvia lenta Vergiliis exorientibus fuerit; tunc enim humor vitiatus ille refermentatur, et refervescens erumpit, ut pustulæ. At si copiose aqua incesserit, causa quæ scabiem creat eluetur: forsitan et interdum detrusa introrsus abolet ac desinit.' Eandem sententiam totidem ferme verbis invenies de Hist. Plant. IV. 1. Apparet ergo ex his Theophrasti verbis scribendum in Plinio esse hoc modo, aut certe huic simili: *Nam si rariores fuere, perfun-*

dunt arborem scabie. Cæterum si cadunt imbres nimii, eluunt rorem aut scalpunt. Pintian.

Perfundunt arborem] Eluunt caussam scabiei, non vitiant. *Dalec.*

Alio modo ficus laborat] Dispice an sit lectio sincerior : *alio malo ficus laborat :* ut præsenti cap. infra : 'Nascitur hoc malum tempore humido et lento.' *Pintian. Alio modo, &c.*] Morbum in radicibus fici intelligit, quem Theophr. Causs. v. 12. τὸ λιπᾷν vocat, id est, humore nimio turgere, nimirum cum eæ largiore humoris copia distentæ putrescunt, et arborem necant : vel extincto calore suffocantur. Fortassis etiam τὸ κλαδᾷν Græcorum auctor exprimit, quo usus Theophr. Hist. IV. 16. *Dalec.*

Articulatio] Quidam legunt *hirculatio : τὸ τραγᾷν* vites dicimus, cum fructu carentes fronde luxuriant, et foliorum copia fructus paupertem compensant. Clidemo fici ψωριᾶσι, olivæ λειχηνιῶσι, vites ῥέουσι. *Idem.*

Altera, ut notavit Theophrastus in supinum excisis] Non intelligas germinibus excisis, sed vitibus ipsis, ex eodem Theophrast. de Causs. Plant. v. 18. Nec *excisis* habet scripta lectio, sed *recisis.* Pintian.

Siderationis genus est, &c.] 'Ροάδα, vel ῥοιάδα Theophr. intelligit, quod alii ψίνεσθαι vocant, cum deflorescens vitis ἐκπλύνεται, id est, *eluitur* pluvia, quamobrem vel acini defluunt, vel, si remanent, strigosi ac exiles sunt, et, ut ait Plinius, callosi. Agricolæ id cœli vitium appellant, *La pluie chaude.* Dalec.

Ægrotant et cum alsere] Theophr. Caus. v. 13. et 14. *Idem.*

Pessimum est inter omnia] Idem ibid. c. 14. *Idem.*

Erucæ] Idem Hist. IV. 16. et loco citato, et III. 27. ejusdem operis. *Idem.*

Aliæ florem] Diversæ genere a superioribus. *Idem.*

Nascitur hoc malum tepore humido ac lento. Fit aliud ex eodem si sol acrior insecutus inussit ipsum vitium ideoque mutavit] Locus rursus fœde depravatus. Theophrastus de Causis Plant. v. 14. unde hæc mutuatus est Plinius : 'Quippe,' inquit, 'apud Miletum cum florent, si aër austrinus serenusque sit, erucæ varium genus creatur : quarum aliæ frondem erodunt, aliæ florem. Juvat contra hoc si æstus sit consequutus : omnes enim disrumpuntur et pereunt.' Ex his Theophr. verbis liquet aliter in Plinio, quam præferunt exemplaria, legendum esse. Emendavit ergo unusquisque pro captu ingenii sui : mihi ad præsens sic occurrit : *Nascitur hoc malum tempore humido ac lento : sed valet in id si sol acrior insecutus inussit eas atque enecavit ;* ut duo illa verba *ipsum vitium* superfluant, adjecta a lectore expositionis gratia. *Pintian.*

Fit aliud ex eodem, &c.] Hic significari puto κράμβον uvarum, id est, morbosam et vitiosam duritiem, de qua Theophrast. Caussar. v. 13. τὰ δὲ τῶν καρπῶν, οἷον τῶν μὲν βοτρύων ὁ καλούμενος κράμβος. τοῦτο δ' ὅμοιον τῇ ἐρυσίβῃ· γίνεται γὰρ ὅταν ὑπούσης ὑγρότητος μετὰ τὰς ψεκάδας ἐπικαύσῃ σφοδρότερον ὁ ἥλιος, κ. τ. λ. *Fructuum quoque morbi sunt, ut racemorum crambus, rubigini similis. Fit is, cum post imbris guttas acrior sol insecutus exurit, &c.* Dalec.

Mala] Idem Causs. v. 13. et Hist. IV. 17. *Idem.*

Quando subeunt nati, fructum adimunt] Legendum videtur, *quando sub cutem nati fructum adimunt.* Theophr. de Causis Plant. v. 13. 'Olivæ, si sub cute vermes nascuntur, pereunt, quoniam penitus adimuntur : sed si in ipso nucleo, augentur.' *Pintian.*

Post Arcturum] Orientem. Oritur Nonis Septembr. *Dalec.*

Sunt et culicum genera, &c.] Theophrast. Hist. IV. 17. *Idem.*

Quædam temporum causæ] Idem

ibid. et Causs. v. 16. *Idem.*

Tabes cum invasit arborem] Ἔκπληξις Theophrast. uredo vero, καυθμός. *Idem.*

Atabulus] Atabulum, quasi τὴν ἄτην βάλλοντα, *calamitosum* dixerunt. Horatius *Iapyga* nominavit. *Idem.*

Frigore aut gelu laborant] Ἔκπληξις fit, Theophr. *Idem.*

Pix, oleum] Idem de Caus. v. 22. *Idem.*

Cortice in orbem, &c.] Idem Hist. III. 16. et IV. 8. item de Causs. v. 24. id veteres Jurisconsulti 'cingere' pro 'discingere' dixerunt, ut 'stringere' pro 'distringere,' nempe in orbem decorticare: 'Actio,' inquiunt, 'legitima est in eos, qui alienas arbores cingunt, cædunt, secant,' &c. cædunt ascia securive, aut totas, aut aliquam partem secant serra. Cujacius Observ. IX. 12. *Idem.*

Refert et tempus anni] Idem Hist. IV. 18. *Idem.*

Sole Taurum vel Geminos, &c.] Θαργηλιῶνος ἢ σκιῤῥοφοριῶνος, Gaza exposuit Februario et Martio. *Idem.*

Robur et quercus] De robore nihil Theophrast. *Idem.*

Similem et decacuminatio rationem habet, cupressi, piceæ, cedri] Aliquot arbores hic omissas puto indiligentia librarii. Theophrast. de Causis Plant. v. 24. 'Quippe,' inquit, 'decacuminatione abies, pinus, larix, et palma duntaxat pereunt: quidam et cedrum et cupressum annumerant.' *Pintian.*

Similem, &c.] Ἐπικοπή. Theophrast. Hist. IV. 19. et Caus. v. 24. *Idem.*

Depastio animalium] Idem de Causs. v. 25. *Idem.*

Etiamsi lambat capra, &c.] Hac de caussa in arcem Athenis capræ non agebantur, præterquam semel ad necessarium sacrificium, ne oleam ibi primum editam violarent: tum etiam caprarum victimas Pallas aversabatur. *Idem.*

Varro] Lib. II. cap. 3. *Idem.*

Diximus] Supra VIII. 10. *Idem.*

Quænam hac injuria moriuntur, aliqua deteriora, &c.] Scribendum procul dubio *incuria*, non *injuria*; et pro nomen *hac* adventitium est. Theophrastus de Causis Plant. II. 20. 'Evidentissima,' inquit, 'et communissima mutationis plantarum causa est negligentia. Omnia namque fere neglecta immitescunt. Interdum etiam fit ut quasi manca læsaque fuerint, in deterius transeant, cum scilicet principio nascens quicquam diminuitur, ceu amygdala; hæc enim amara ex dulci, et dura ex molli, sic redditur. Non tamen desunt qui diminuta posse meliorescere dicunt, ut de pyro Phocide Chii referunt.' *Pintian.*

Amygdalæ] Theophr. de Caus. II. 22. *Dalec.*

Quam Phocida appellant] Idem loco citato. *Idem.*

Radicibus amputatis mori] Idem Hist. lib. IV. cap. ult. *Dalec.*

Necant invicem, &c.] Idem de Caus. v. 22. *Idem.*

Nec viscum prodest, &c.] Lege: *Et cytisus necat viro, et quod halimon Græci vocant.* Plinius reddidit *virus* succum falsum nimirum halimi, qui virus est ceteris plantis halimo adnatis. Vide Salmas. p. 174. b.

Quorundam natura, &c.] Theophrast. Hist. IV. 20. Pro *raphano* hic bis reddendum *brassica.* Vide infra XIX. 5. et XX. 9. et XXIV. 1. *Dalec.*

Et tangi odore mirum in modum] In scripto codice, *extingui odore mirum in modum.* Neutram lectionem probo; placet magis legas, *et angi odore mirum in modum.* Pintian.

Nitrum quidem et alumen] Ideo viti brassica tantopere odiosa est, quod nitroso succo alatur; laurus, quod amaro. *Dalec.*

CAP. XXV. *De variis prodigiis sive ostentis in arboribus: deque oliveto publicam viam olim transgresso.*

De variis prodigiis] Vide infra XVII. 32. et apud Theophrast. de Caus. v.

4. et Hist. II. 4. *Dalec.*

Invenimus enim sine foliis natas vitem et malum Punicam a stirpe fructum tulisse, &c.] Tria illa verba, *sine foliis natas*, supervacanea esse Theophrast. monstrat, II. 4. 'Et si,' inquit, 'aliquando ita fit, in fructibus potius discrimen quam in totis arboribus percipitur; nam talis quoque rei temeritas fructibus nonnunquam contingit, ut ficus poma adversa ramulis ferat, et Punica ac vitis in candice suo fructificent. Ad hæc vitis fructum absque foliis produxit: olea foliis amissis fructificavit.' *Pintian.*

Nam et oliva in totum, &c.] Pausaniæ in Corinthiacis clava Herculis ex oleastro actis radicibus regerminavit. *Dalec.*

In Bœotia derosæ a locustis ficus iterum germinavere] Vetus lectio, *et in Bœotia derosæ a locustis cytisi regerminavere.* Theophr. II. 4. neque ficum neque cytisum nominat, sed opera ait derosa a locustis regerminasse. Theodorus non *opera* sed *germina* vertit. *Pintian.*

Mutantur arbores et colore] Theophrast. Hist. II. 3. et Causs. V. 3. *Dalec.*

Quidam et sorbum, si in calidiora loca venerit, sterilescere putant] Hæc verba falso hic inserta sunt, nec ad præsens institutum pertinent, sed ad materiam capitis prioris de sterilitate arborum. *Pintian.*

Et cum in arboribus, &c.] Pausaniæ in Arcadicis ex una et eadem radice ilex et olea enatæ sunt. *Dalec.*

Ficus in lauro] Theophr. Causs. II. 23. et V. 4. Laurus in platano. *Idem.*

Ante obsidionem] Obsidionem intelligit Mithridatis, qui eam civitatem cum quadringentis navibus resistentem oppugnavit cum equitatu multo et peditum CI. millibus. Vide Strab. lib. XII. *Idem.*

In capite] Quidam *caput* hic exponunt summum tecti fastigium et supremum verticem. *Idem.*

Enata palma] Sic apud Livium lib. II. Decad. IV. 'A P. Sulpitio proconsule literæ ex Macedonia allatæ nuntiarunt in puppi longæ navis enatam laurum.' *Idem.*

CAP. XXVI. *De remediis morborum arborum.*

De remediis, &c.] Theophr. Hist. II. 9. et de Caus. III. 2. et V. 21. *Idem.*

Ablaqueatio] *Ablaqueatio*, σκαπάνη: *accumulatio*, ἐπίχωσις: *potus datus vel ablatus*, ὑδρεία· *fimi succo refectio*, κόπρωσις· *putatione levatum onus*, διακάθαρσις, ἀφαίρεσις τῶν αὔων. *Idem.*

Accumulatio] In ficis. Cato c. 94. *Idem.*

Riguis dato potu vel ablato, &c.] Lege: *Rigua dato vel ablato: fimum succo refectis, putatio, levatis oneré: item succo emisso quædam velut detractio sanguinis: circumrasio corticis, vitium extenuatio et domitura palmitum: gemmarum si frigus retorridas hirtasque fecerit repumicatio et quædam politura.* Vide Salmas. p. 519. a.

Item succo emisso quibusdam veluti detractio sanguinis] Emendatius, ut sentio, legeretur, *Item succi emissio*, &c. Pintian. *Succo emisso quædam, &c.*] Columella V. 6. sic ulmum vetustam propter ramos vulnerat, et usque in medullam cavat. *Dalec.*

Vitium extenuatio] Extenuationem vitium appellat, quam Theophr. de Caus. V. 12. τὴν τῆς τροφῆς ἀφαίρεσιν. Ea fit *pampinatione*, ἀποφυλλώσει; οἰνάρων ἀποκνίσει, *palmitum detractione*; περικαθάρσει τῶν ἀνωτάτω ῥιζῶν, *summarum radicum purgatione*; *summissis sarmentis*, κλήμασιν ἐπιβαλλομένοις; *propaginibus*, τοῖς ὑποκατωρύχοις; *fossione*, τῇ σκάψει; et *ablaqueatione*, τῇ τῶν ῥιζῶν γυμνώσει. *Idem.*

Repumicatio] Idem loco citato. *Id.*

Arborum iis aliæ magis] Idem Hist. I. 6. et 8. *Idem.*

Rigua æstivis vaporibus utilia] Idem ibid. c. 5. et de Caus. III. 13. *Idem.*

Erivari convenit] Rivis effundi: quia nec frugibus, nec arboribus, nec

vitibus eæ sunt utiles. *Idem.*

Inebrietatis radicibus nocent] Utitur hac metaphora Theophrast. Causs. v. 21. ἀλλὰ καὶ τοῦτο (sub. ὕδωρ) ἐνίοτε τῷ πλήθει διαφθείρει· σήπον τὰς ῥίζας, καὶ λίαν ἐκμεθύσκον. *Idem.*

Circumfundunt riguis, &c.] Legend. *Circumfundunt riguis, &c. memorabili natura in amne; solus idem æstate vix tolerandi rigoris, &c.* ibi *rigua* sunt rivi ex amne ducti, et vitibus circumfusi. Præcedentia sic legenda: *ubi et arva rigant: mirumque, &c. et riguum pro sarculo est;* nam *rigua* ubique vocat τὰς ἀρδείας quæ rivo ducuntur. Hinc *eriguare aquas* apud eundem rivo deducere. Et quod præcedit sic legend. *etiam pluvias autumni aquas eriguare convenit;* id est, rivis factis deducere: sic *rigare* proprie de aqua quæ rivo ducitur, Græci ἀρδεύειν. *Salmas.* 588. a, b.

Cap. xxvii. *De caprificatione et stercoratione.*

De caprificatione] Theophrast. Hist. II. 9. et de Caus. II. 12. 13. *Dalec.*

Interim est, &c.] Legend. *Interim est et scarifatio quædam in remediis, &c.* Vide Salmas. p. 590. a.

Magnaque ex parte similis hominum medicina et arborum est, quando earum quoque terebrantur ossa] Quinque ultima verba superfluunt ex vetere lectione: prima alio ordine in eadem scripta sunt: *magnaque ex parte similis est hominum medicina et arborum.* Pintian.

Amygdalæ ex amaris, &c.] Idem Hist. II. 8. Caus. I. 22. quo loco amygdalum, humoris abundantia sterilem, sic castigari tradit. *Dalec.*

Et ulmis detrahitur, &c.] Columel. v. 6. *Idem.*

Pomiferis, quæ germinant nec ferunt fructum, fissa radice inditur lapis, fertilesque fiunt. Hoc idem et amygdalis e robore cuneo adacto] Puto duas dictiones præpostere locatas esse, et *amygdalis* ponendum ubi *pomiferis* posuere, et e contrario. Item *fisso cortice* legendum, non *fissa radice:* utrunque ex Columella de Arboribus cap. 25. et v. 8. 'Amygdala,' inquit, 'et si parum ferax erit, forata arbore lapidem adjicito, et ita librum arboris inolescere sinito.' *Pintian.* *Pomiferis, &c.*] Theophrast. loco citato. *Dalec.*

Fici serotinæ fiunt] Columel. de Arboribus c. 20. *Idem.*

Subnascuntur enim quæ serius maturescunt] Et hic puto erratum esse in ordine verborum, legendumque: *subnascuntur enim, seriusque maturescunt.* Pintian.

Eædem cum frondere incipiunt] Theophrast. Hist. II. 9. de Caus. II. 13. Hæc est decacuminatio, ἡ τῶν ἄκρων ἀπόκλασις. *Dalec.*

In ea culices nasci, &c.] Theophr. Hist. lib. II. cap. ult. *Idem.*

Contra quas remedium] Idem de Caus. v. 11. minus vermiculationem sentiunt, quæ inserta lentisco terræ mandantur. *Idem.*

Defodere Italicam lentiscum] In veteri lectione non *Italicam lentiscum*, sed *Italiam lentisci*, habetur; scribo, *taleam lentisci*, ex Columella de Arboribus cap. 20. 'Sed ne tinea,' inquit, 'molesta sit seminibus ficulneis, in imum scrobem taleam lentisci, ita ut cacumen ejus deorsum spectet, obruito.' Præterea Plinius xv. 7. et 26. ubi de lentisco disserit, nullam facit mentionem Italicæ lentisci, nec ullum assignat discrimen inter Italicam lentiscum et cætera lentisci genera. *Pintian.*

Quoniam frumenta plurima habeant] Scrib. reor *farcta*, non *frumenta.* Columella de Arboribus c. 21. 'Semper proderit, simulac folia agere cœperit ficus, rubricam amurca diluere, et cum stercore humano ad radicem infundere: ea res efficit uberiorem fructum, et farctum fici speciosius et plenius.' Illis Columellæ verbis adductus persuasum habeo, hunc locum permutato verborum ordine sic le-

gendum: *Uberrimas autem ficus rubrica amurca diluta et cum fimo infusa radicibus frondere incipientium facit: quoniam farcta plurima habeat. Caprificorum laudantur maxime nigræ et in petrosis. Caprificatio ipsa post imbrem.* Idem.

Interlucatio arboribus, &c.] Λῦσιν ἀφαίρεσις. *Dalec.*

Vitis tantum, &c.] Theophrast. Hist. II. 5. *Idem.*

Ac ne raduntur quidem, &c.] Legend. *Ac ne eradicantur quidem nisi vere. Putatione, plaga ad vitalia omnia sunt quæcunque non supervacua.* Vide Salmas. p. 585. a.

Ablaqueatis radicibus, &c.] Colum. V. 10. *Dalec.*

Vulcanalibus tonuit] Vulcanalia Augusto celebrantur: quo tempore fiebat tertia satio. Columella XI. 3. *Idem.*

CAP. XXVIII. *De diversis medicamentis arborum contra venenata animalia, et contra formicas, et contra noxia animalia.*

Morsu excitantur] Ἀνάδησιν vocat Theophr. Caus. III. 23. eamque fieri tradit urina, stercore, et coriariorum purgamentis, ramentis, sordibus, τῇ σκυτοδεψικῇ. *Idem.*

Nec non ignis, &c.] Theophrast. Hist. IV. 12. *Idem.*

Cato] Cap. 93. *Idem.*

Hujus præcipue veterem terram adaggerari radicibus] Scribo *vere*, non *veterem*, ex Catone ipso, cujus verba sunt, c. 94. 'Fici ut grossos teneant, facito omnia quæ modo oleæ, et hoc amplius: cum ver apparet, terram adaggerato bene. Si ita feceris et grossi non cadent, et fici scabræ non fient, et multo feraciores erunt.' Scriptum item exempla *vere* palam præfert, non *veterem*. Pintian.

Ne convolvulus, &c.] Cato cap. 95. Græcis ἴψ. *Dalec.*

Rursus cum bituminis tertia parte et sulfuris quarta sub dio coqui, quoniam exardescat sub tecto] Scribo *tertiarium*, non *tertia parte:* et *quartarium;* non *quarta:* et *excandescat*, non *exardescat*. Cato c. 94. 'Postea sumito bituminis tertiarium et sulfuris quartarium. Conterito in mortario per se utrumque; postea infriato minutissime in amurcam caldam, et simul rudicula misceto, et denuo coquito sub dio; nam si in tecto coquas, cum bitumen et sulfur additum est, excandescet.' *Pintian.*

Plerique non minus auxilii] Theophrast. Caus. III. 23. *Dalec.*

Alii volvocem, &c.] Colum. de arboribus 15. 'volucrem' appellat. *Id.*

Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas] Legendum reor *areas*, non *arbores*, ex Columella lib. XI. 'Sed et Democritus,' inquit, 'in eo libro qui Græce inscribitur περὶ ἀντιπαθειῶν affirmat has ipsas bestiolas necari, si mulier, quæ in menstruis est, solutis crinibus et nudo pede unamquamque aream ter circumeat. Post hoc enim decidere omnes vermiculos, et ita emori.' Et in carmine de hortorum cultura idem Columella: 'At si nulla valet medicina repellere pestem, Dardaniæ veniunt artes, nudataque plantas Fœmina, quæ, justis tum demum operata juventæ Legibus, obscœno manat pudibunda cruore: Sed resoluta sinus, resoluto mœsta capillo, Ter circum areolas et sepem ducitur horti; Quæ cum lustravit gradiens, mirabile visu, Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus, Vel teretis mali, vel tectæ cortice glandis, Volvitur ad terram distorto corpore campe.' *Pintian.*

Cujus verba inserere non equidem ausim, quanquam a Catone prodita] In antiquo exemplari *proditis* legitur, non *prodita*, quæ locutio apud alios rara, apud hunc auctorem frequens est. *Idem.*

Catone prodita] Cap. 160. *Dalec.*

Idem arbores religiosas, &c.] Capite 139. *Idem.*

Sacrificio prius facto] Legendum

est: *sacrificio prius facto, cujus rationem precationemque eodem volumine tradidit.* Vide Salmas. p. 585. a.

Cujus rei rationem notionemque] Antiquum exemplar *recreationem* habet, non *notionem*. Forte scribendum *deprecationem*, ex Catone cap. 128. et paulo ante: *contra luxata membra jungendæ arundinum fissuræ*. In eodem, *contra luxata membra et jungenda*. Item *fissura* legere mallem, quam *fissuræ*. Pintian.

LIBER XVIII.

PROŒM. *Quod antiquis maximum studium agriculturæ fuit, et de hortorum singulari diligentia.*

CAP. I. *Inter initia operis defensæ*] Supra II. 65. *Dalec.*

Quoniam tamen ipsa, &c.] Sensus est: Quoniam tamen vel ipsa materia noxia nos intus accendit ad reputationem ipsius parientis, id est, naturæ, nostro vitio contemplationis materia abutentes, naturæ culpam nostri sceleris imputamus. *Const.* Ego vero: *Quoniam ipsa materia* (nempe illorum, quæ terra gignuntur.) *intus nos accendit* (animo conceptis odiis, et tacitis nos inflammat, et exagitat) *ad reputationem ejusdem parientis, et noxia,* (ad accusandam naturam, sive terram, quod venena genuerit,) *&c.* Fortassis et melius *imputationem*, quam *reputationem* legemus. *Dalec.*

Genuit venena, sed quis invenit illa præter hominem] Elegantius scripta lectio, *ecquis invenit illa præter hominem?* Pintian.

Apri dentium sicas] Dentes acutissimos, gladiis similes, exertos. Seneca I. 1. De Ira: 'Spumant apris ora, et dentes acuuntur attritu.' *Dalec.*

Sagittas ungimus] Is Scytharum mos est. *Dalec.* *Tinguimus*, non *ungimus*, præfert vetus scripta lectio. *Pintian.*

Tabesque animi] Livor, invidia, malitia, maledicentia, et obtrectatio. *Dalec.*

Dirarum alitum modo] Virg. 'Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.' Noctilnges apud Festum vocat Lucilius. *Idem.*

Sed quibus vita honosque] Quoniam frugibus tantum, non conquisitis epularum deliciis, alerentur. *Idem.*

CAP. II. *Quæ corona prima Romæ.*

Arvorum sacerdotes] Gellius cap. 7. 'Sed Sabinus,' inquit, 'Masurius in primo Memorabilium Accam Laurentiam Romuli nutricem fuisse dicit. Ea, inquit, mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit. In illius locum Romulus Accæ Laurentiæ sese filium dedit, seque et cæteros ejus filios fratres Arvales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum Arvalium numero duodecim, cujus sacerdotii insigne est spicea corona et albæ infulæ.' Vide et hujus rei historiam apud Lilium Gyraldum. 'Arvales sacerdotes,' inquit Cujacius Obss. X. 34. et XII. 5. 'οἱ περὶ ὅρων δικασταὶ, terminorum sacrorum et finium jurgiis terminandis præerant, et interveniebant.' *Idem.*

Quæ vitta alba colligaretur] Vide quod notatum est infra ad XXI. 3. et Alex. ab Alex. I. 26. *Idem.*

Numa instituit Deos fruge colere] Græci hordei primitiis, liboque, et placentis ex hordeo sale consperso, unde κριθολόγοι dicti. *Idem.*

Fornacalia] Ad duodecimum Kal. Martias. De his Ovidius: 'Curio legitimis tunc Fornacalia verbis Maximus indicit, nec stata sacra facit,' &c. Qui Fornacalibus non erant feriati, Quirinalibus expiabantur, quæ ideo stultorum festa vocaverunt. Alex. ab Alex. III. 12. Vide Festum in 'Populare.' *Idem.*

Terminis agrorum] Terminalia, mense Februario. Ara Deo Termino statuebatur a dominis utrimque; ligna concisa foco imponebantur; igni fruges canistro inspergebantur; puella favos porrigebat, alii et vinum. Numæ lege nullum animal immolabatur, ex Plutarcho et Halicar. Ovid. Fast. II. agnam et porcam sacrificari tradit. Horat. 'Vel agna festis cæsa Terminalibus.' Prudentius, Terminum cingi fasciis solitum, et rogari pulmone gallinæ, scribit. *Gyraldus.* Vetus lex: 'Qui Terminum exarassit, ipsius et boveis sacrei sunto.' De ejus sacro, et quibus ex rebus fieret, prolixe Alex. ab Alex. II. 22. *Dalec.*

Sejamque a serendo] Segetibus, quamdiu sub terra sunt, Seia præposita est; enatis, Segesta, quamdiu super terram sunt; collectis et conditis, Tutilina. In vetustis exemplaribus hic legitur *Seriam.* Macrobius vocat 'Saiam' et 'Segestam Segetiam;' Tertullianus 'Sessiam:' 'Si quis Salutem, Semoniam, Satam, Segetiam, Tutilinam nominasset,' inquit Macrobius, 'ei observandæ feriæ fuerunt.' Tertullianus: 'Delphinas Neptuno vomunt columnæ, Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutilinas a tutelis fructuum sustinent.' Infra XXXVI. 22. Fortunæ, quam Seiam appellant, meminit Plinius. *Idem.*

Tertiam ex iis, &c.] Quidam hic τὸν Διόνυσον intelligunt, quem, ut ait Plutarchus, ὑπὸ στέγην οὐκ ὀμνύουσιν. Pithœus *Tertium* legit, et ad Terminum refert, 'nominareque' ad sacra pertinere arbitrantur, ut apud Horat. 'male nominatis Parcite verbis,' id est, irreligiose, contra fas et morem sacrorum pronuntiatis. Quidam legendum censent, *Terminum ex XII. nominari sub tecto religio est.* Nam de Termino multa duodecim tabulis cauta fuisse cuivis notum, in quas etiam fortassis credibile fuerit translatam veterem Numæ sanctionem, ut Termino non nisi sub divo sacrificaretur, quod nefas putaret Terminum intra tectum consistere. Hæc ad me D. Reginaldus, vir singularis doctrinæ. Eadem et religio fuit jurandi Dium Fidium, ut ex Catone tradit Nonius; juraturi enim in compluvium prodibant. Apud eundem Varro de Lib. Educ. 'Itaque domi rituis nostri qui per Dium Fidium jurare vult, prodire solet in publicum.' Fortunam Calvam quoque sub tecto nominare religiosum fuisse tradidit Alex. ab Alex. I. 13. Hanc fortassis Plinius innuit. Tutilinam, cujus paulo ante ex Macrobio et Tertulliano meminimus, eam esse quam sub tecto nominare religio fuit, vult Turneb. Advers. XX. 36. *Idem.*

Ac ne degustabant, &c.] Fuit et Ambarvale sacrum, quo maturis frugibus cum lacte, vino, favo libatum fuisset, porca gravida, aut vitula immolabatur, velut et Cereri porca præcidanea, priusquam seges meteretur. Alex. ab Alex. III. 12. Vide Scalig. in Festum, voce 'Amtermini.' *Idem.*

CAP. III. *De jugere, et actu, et legibus circa pecora, et quoties, et quibus temporibus fuit summa vilitas annonæ, et qui agricultura illustres.*

Jugerum vocabatur] Agros, et in agris jugera, perticis olim metati sunt Itali. Propert. 'Abstulerat miseras pertica tristis opes.' Barbari vero apud Herod. funibus, quos Romani *Arvipendia* nominarunt, id est, ut Glossarion vetus exponit, γεωμετρικοὺς σχοίνους. et inde Gallis *Arpen*, jugerum, πλέθρον, quasi Arvipennium, n pro *d*, ut apud Plautum in Milite, 'dispennite' pro 'dispendite.' Cato in Diris: 'Pertica, quæ nostros metata est impia agellos.' Scalig. Varro I. 10. Columella V. 1. *Dalec.* Legendum hoc in loco, *Jugum*, recte monet ex Varr. de Re Rust. I. 10. vir restituendis bonis auctoribus singulari natus fato Fulv. Ursin.

Quartarii farris] Hæc vocabantur

'Adoreæ dona,' quorum paulo post meminit hoc ipso capite, et c. 8. ejusdem libri. *Dalec.*

Pilumni] Pilumnum Deum Varro nominat, ac Pitumnum. Vide Politian. Miscellan. c. 89. et Lilium Gyraldum. Vide et Sigonium de Nominibus Roman. Rhodig. XXIV. 6. Alex. ab Alex. I. 9. *Idem.*

Juniorum familiæ Bubulcum nominaverunt qui bubus optime utebatur] Scribendum arbitror: 'Juniorum familia a bubulco nomen invenit, qui bubus optime utebatur.' *Pintian.*

Novæque nuptæ farreum, &c.] Festo et Boëthio matrimonia contrahebantur farreo libo adhibito, Plin. prælato. Itaque farreum hic libum plures ejusmodi exponunt. Servatur mos ille præferendi libum ante prodeuntes sponsas etiamnum apud rusticos Lugdunenses. Fortasse *farreum* hic fictilis est sartago, in qua far torrebatur, τὸ φρύγετον. Julius Pollux: Σόλων δὲ τὰς νύμφας ἰούσας ἐπὶ τὸν γάμον ἐκέλευσε φρύγετον φέρειν σημεῖον. Tiberius multa de confarreatis parentibus et confarreandi modo disserit. Dionysius sacras illas nuptias tradit, quod illis tantum Flamines uterentur. Idem et Boëthius in Topicis, uxorem tribus modis haberi solitam scribens, farre sive confarreatione, quæ peculiaris erat Pontificibus: coëmptione, quo solo modo dicebatur materfamilias; et usu. 'Farre conveniebatur in manum certis verbis, præsentibus decem testibus, solemni sacrificio facto, et adhibito pane farreo,' inquit Ulpianus. Vide Rhodig. XXVIII. 27. Alex. ab Alex. II. 5. Rævardum Varior. IV. 12. et 16. et apertius c. 21. in lib. XII. Tabul. Sigonium I. 9. de Antiq. Jure Civ. Roman. *Dalec.*

Mulctatio quoque, &c.] Maxima mulcta non plus 30. bobus, et duabus ovibus fuit: minima, ove una. Bos centum assibus æstimabatur; ovis decem. Romani reges homicidii convictos ariete mulctabant, qui supplicando Diis immolaretur, unde dicta 'supplicia.' Alex. ab Alex. cap. 53. Vide quod notatum est infra in XXXIII. 1. Vide et Bud. de Asse, lib. V. *Idem.*

XII. tabulis capitale erat] Verba XII. Tabularum adscripta sunt infra XXVIII. 2. *Idem.*

Prætoris arbitratu verberari] Prætorem accipe Consulem. Decemvirorum seculo nomen id in Consulibus fuit, nondum creatis Prætoribus. Apud Nonium Varro 'Prætores' inquit dictos, quod populo præeant, ut 'Consules,' quod Senatum consulant. *Idem.*

Noxamve duplionemve decerni] Si verberum pœnam effugeret, commissam noxiam duplo sarciret, quam quanti a bonis viris æstimatum fuisset damnum. *Idem.*

Jam distinctio, &c.] Livius lib. I. in tribuum distinctione non nihil dissentit a Varrone, Festo, Asconio, Plutarcho. De earum cognomine et origine prolixe Alex. ab Alex. I. 17. Vide et Turn. XXX. 17. *Idem.*

Rusticæ tribus, &c.] Columella in Præfatione. *Idem.*

Nundinis urbem, &c.] Seculis prioribus nundinæ frequentiores, ac tertio quoque die mercatus frequens. Alex. ab Alexand. III. 11. *Idem.*

Ne plebs rustica avocaretur] Ne a legibus accipiendis, quæ trinundino dabantur, plebs avocaretur; ne interpellarentur nundinatores, ut rusticis in urbem euntibus componere transigereque lites commode liceret. De Comitiis Centuriatis, Curiatis, Calatis, Tributis longam narrationem vide apud Alex. ab Alex. IV. 3. *Idem.*

Quies somnusque in stramentis erat] Lucretius: 'Et frutices inter condebant squallida membra, Circum se foliis, et frondibus involventes.' *Id.*

Adoream appellabant] Ador, far; vel ab adurendo, vel ab edendo. In Glossario veteri: ἄδορ, νίκη· adoriosus, ἔν-

δοξοs. Sic laus vocata est, postquam victoria parta militi præmium frumentum fuit. Plaut. in Amphitr. 'Qui multa præda atque adorea affecit populares suos.' *Idem.*

Augurio canario] Augurium canarium, sacrum, quod e ruffa cane fiebat, placando caniculæ sideri, quod frugibus inimicissimum est. κυνοκτονία Græci et κυνοφόντιν vocant. Plut. Vide Lilium Gyraldum lib. XVII. 'Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ; Et, quare fiat, nil nisi nomen habet.' *Idem.*

Minutius Augurinus] In denarii vetusti altera parte columna sculpta est, cum duabus spicis ad basim, statua in fastigio, imagine hinc prope columnam Augurini lituum in manu tenentis, illinc Spur. Melii pedem imponentis orbi, cum his literis, T. MINVCI. C. F. AVGVRINI. In alius denarii aversa parte expressa est eadem columna, cum dimidiato corpore leonum duorum, et spicis duabus ad basim, statua in summo, imagine prope columnam hinc tenentis lituum, illinc panes utraque manu tegentis. Livius lib. IV. scribit, Minutium extra portam Trigemiam aurato bove donatum fuisse. *Idem.*

Quippe etiam lege Stolonis] Columella I. 3. Livius lib. VII. Decad. I. Varro I. 2. Valer. VIII. 6. *Idem.*

Manii quidem Curii] Valer. Max. IV. 3. *Idem.*

Ipsorum tunc manibus, &c.] Seneca Epist. 87. de Scipione Africano: 'In hoc agello ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum. Exercebat enim opere se, terramque, ut mos fuit priscis, subigebat.' *Idem.*

Serranum] C. Atilius is fuit ab aratro accersitus ad consulatum, qui collega Cn. Cornelio pugnavit cum Pœnis, et de iis triumphavit. Cicero pro Roscio, in Catone, Valer. Max. IV. 4. Apuleius in Apologia. Servius nulla historiæ fide Dictatorem fuisse tradit. Virgil. 'et te sulco, Serrane, serentem.' 'Sertor' dictus qui per sationem natus, auctore Probo. *Id.*

Traditur, nudo, &c.] *Traditur nodo manus pleno, quæ nuntia morum.* Turneb. XXX. 18. *nodo manus*, manus comprehensione, quoniam is manu stivam aratri tum tenebat. Arantem enim viator invenit. Persius: 'sulcoque terens dentalia, Quinti, Quem trepida ante boves dictaturam induit uxor, Et tua aratra domum lictor tulit.' Cicer. et Valer. locis citatis. *Idem.*

Viator, Vela corpus, inquit, ut proferam Senatus populique mandata] In optimo Chiflet. est *perferam*. Nec dubito, quin rectius. Neque enim perlata sunt, priusquam audita et pronuntiata: et pronuntiando traduntur, quod quid aliud quam perferuntur? Similiter apud Juvenal. Sat. VI. 390. 'dictataque verba Pertulit,' genere loquendi Satiram admodum decenti, in precibus præsertim parum probatis a sacerdote præeunte, 'ad Deos, scilicet, secundum consuetudinem,' ut habet Vetus Scholiastes. Non ergo *proferam*. Gronov.

Viatores erant] De illorum officio et ministerio Alex. ab Alex. I. 27. *Dalec.*

Vincti pedes] Vinctos olim compeditos, alligatos, deligatos vocaverunt. Apuleius Apolog. I. 'Quindecim liberi homines populum faciunt, totidem servi familiam, totidem vincti ergastulum.' Hoc genus servorum, qui ruri in compedibus agerent, Plautus in Mostellaria lepide 'genus ferratile' vocat. Servos autem ruris 'instrumenta vocalia' Jurisconsulti esse aiunt, ut plaustra 'muta,' boves 'semivocalia.' *Idem.*

Damnatæ manus] Sic eos servos appellat, quos Columella III. 3. de lapide noxios, fures percussores: qui virginem constuprassent, vitiosos, gravis criminis reos, noxæ deditos, venireque ad lapidem ideo jussos; nam

præcone in lapide stante, et precium faciente, venibant servi probi, malique. Plaut. in Bacchidibus: 'O stulte, stulte, nescis nunc vendi te atque in eo ipso adstas lapide, ubi præco prædicat.' Græci vocabant πρατῆρα λίθον. Pollux, Plutarchus in Solone. Τράπεζαν vero, in quam conscendebant, qui vendebantur, Aristoph. Brod. VI. 5. Alex. ab Alex. III. 16. Idem auctor III. 20. omnia pœnarum genera recenset, quibus nequam servos, maleficos, flagitiosos olim ulcisci solebant, et apud diversas gentes varia servorum nomina; et c. 25. ejusdem lib. servorum conditionem a Rhodigino descriptam explicat. *Dalec.*

Inscripti vultus exercent] Stigmatiæ, vel Stigmatici, mancipia ob insigne aliquod flagitium inustis signis notata, præcipue literis, quamobrem 'literata' etiam vocaverunt, quomodo et equos nunc καππαρίας, nunc 'samphoras,' a notis K et Ϡ. Rhodig. VII. 31. Atheniensibus captivis imaginem equi Syracusanos cauterio impressisse notum est; Athenienses vero Samiorum fronti candente ferro inscripsisse noctuam; quamobrem et Samium notatum servum dici idem Rhodig. censet, XI. 11. et XV. 27. Samios Atheniensium captivis noctuam inussisse, et Athenienses Samiis Samænam, quod navigii genus est, docet Brod. IV. 24. Alex. ab Alex. V. 18. Plutarchus auctor est Thracas in ultionem Orphei suas uxores notare solitos. Valer. Max. 'Servus ab eo vinculorum pœna coërcitus, inexpugnabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus.' Phocylides, στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα. Pithœus II. 9. Ejusmodi servos 'stigmaticos' Cic. Offic. lib. II. 'cicatrice stigmosos' Plinius Junior Epist. lib. V. 'literatos' Plautus appellat. 'Alexander Pherens cum infinito amore Thebes uxoris teneretur, ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum compunctum notis Threiciis stricto gladio jubebat anteire.' Valer. Max. IX. 15. *Idem.*

Ut non invita ea et indigne ferente credatur id fieri. Sed nos miramur ergastulorum non eadem emolumenta esse quæ fuerunt imperatorum] Legendum puto cum majore litera et cum interrogatione: *Et non invita ea et indigne ferente credatur id fieri. Et nos miramur, &c.* Pintian.

Ergastulorum non eadem, &c.] Sic μετωνυμικῶς servos, qui in villarum ergastulis, id est, cellis subterraneis obscuris custodiebantur, ut et posthac capite sexto. Vide Brisson. II. 9. *Dalec.*

Hiero Philometor, Attalus] Æstimandum sintne duo auctores *Philometor* et *Attalus*, an unus tantum; nam Plinius hic duos accipere videtur, ut apparet etiam ex Indice præsentis libri, ubi tam in exemplari scripto, quam in impressis sic habetur: 'Externis, Hesiodo, Theophrasto, Aristotele, Democrito, Hierone rege, Philometore rege, Attalo rege.' Videtur etiam Columella hujus esse opinionis, I. 1. 'Siculi quoque,' inquit, 'non mediocri cura negocium istud prosecuti sunt. Hieron, et Epicharmus discipulus, Philometor et Attalus.' At M. Varro I. 1. unum tantum intelligit Philometorem Attalum his verbis: 'Hi sunt quos habere in consilio poteris, cum quid consulere voles: Hiero Siculus, et Attalus Philometor.' A Varrone autem magis sto; nam Attalus rex Asiæ, studiosus rei rusticæ, amicus populi Romani, quem post mortem reliquit heredem, Philometor cognominatus est, ob pietatem, puto, erga matrem, ut colligitur ex Strabone lib. XIII. et Trogo Pompeio lib. XXXVI. *Pintian.*

Qui octogesimum primum vitæ annum agens, &c.] *Octogesimum* tantum, non *octogesimum primum*, Varro ipse de se prodit in ipso statim operis ingressu: 'Cogitans,' inquit, 'esse properan-

dum, quod, ut dicitur, si est homo bulla, eo magis senex. Annus enim octogesimus admonet me ut sarcinulas colligam antequam proficiscar e vita.' *Pintian.*

CAP. IV. *Ratio de agricultura.*

A certissimo die maximeque veridico, &c.] Scribendum *Deo*, non *die*; Deum enim appellat usum, quemadmodum et Menander καιρὸν, hoc est, *opportunitatem*, seu *occasionem*, Deum appellat, auctore Pallada primo Epigrammatum tomo. Notum et Posidippi epigramma in Occasionem et Pœnitentiam, quod Latine vertit Ausonius poëta, in quo Occasio Deam se appellat: 'Sum Dea quæ raro et paucis Occasio nota.' *Idem.*

CAP. V. *Laus agricolarum, et quæ observanda in agro parando.*

Ex agricolis gignuntur] Cato cap. 1. et 2. Vegetius lib. I. de Militum Delectu. Vide et Alex. ab Alex. I. 20. *Dalec.*

Cato] Cap. 1. *Idem.*

Attilius Regulus] Columel. I. 4. et Varro cap. et lib. eod. *Idem.*

Cato] Cap. 1. *Idem.*

Cato] Cap. eod. *Idem.*

Si bene pascas] Vide hunc locum expositum a Turnebo Advers. VI. 23. *Idem.*

Eodemque pertinet] Cato cap. 3. *Idem.*

Fundum in adolescentia, &c.] Idem ibid. *Idem.*

Tunc quoque cunctanter: optimumque est, ut vulgo dixere, aliena insania frui, sed ita ut villarum tutela non sit oneri] In ordine verborum peccatum est, ut reor, scribendumque, *Tunc quoque cunctanter, et ita ut villarum tutela non sit oneri. Optimumque est, ut vulgo dixere, aliena insania frui. Eum tamen qui bene habitet.* Pintian.

Frontemque domini plus prodesse, quam occipitium non mentiuntur] Eadem sententia diversis tamen verbis apud Catonem cap. 4. 'Frons occipitio prior est.' Quapropter hic forte melius legeretur, *Frontemque domini priorem esse quam occipitium non mentiuntur.* Idem.

CAP. VI. *De villarum positione, et præcepta antiquorum de agro colendo.*

Neque fundus villam quærat] Cato cap. 3. Varro I. 11. Columella I. 4. *Dalec.*

Censoria castigatio erat] Nam, quod Cicero de Legibus ait, Censorum officia hæc fuerunt: 'Populi ævitates, suboles, familiasque censento, cœlibes esse prohibento.' De hac re vide Lipsium I. 1. Varro: 'Censoria nota reprehensus senator, senatu amovebatur: equiti facinoroso equus adimebatur: plebeius in Ceritum tabulas referebatur, nempe ærarius fiebat, et comitiis suffragioque privabatur.' De Censorum creatione et munere prolixe disserit Alex. ab Alex. cap. 13. Vectigalia, et portoria nova statuere, vetera exigenda mandare, publicanis et conductoribus locare, quantum cuique conferendum æris esset, jubere, censorum munus etiam fuit, ut Athenis τῶν ἀποδεκτῶν. *Idem.*

Minus arare quam verrere] Scribe *vertere*, non *verrere*, ut in fine capitis: 'Juncosus ager verti pala debet.' *Pintian.*

Sylla Felix cæcos fuisse diceret] *Cæcos* ideo, quod cum Marius novissimus in Misenensi villam ædificaret, tamen commodissimo eam situ posuit, quem alii præoccupare neglexissent ob imperitiam eligendi. Id testimonium eo gravius fuit, quia ab inimico prolatum. *Gelen.*

Nec juxta paludes] Vitruvius VI. 8. *Dalec.*

Homerus] Frigidas quidem esse scribit Odyss. E. Αὔρη δ' ἐκ ποταμοῦ ψυχρὴ πνέει ἠῶθι πρό. Idem Plutarch. ἐν τῷ περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ. Thucyd. lib. II. Herod. in Euterpe, Arist. Probl. III. 23. *Idem.*

Agri ipsius bonitas] Columel. I. 3. Theophrast. Caus. II. 5. *Idem.*

Catonis maxime verbis] Aut ego fallor, aut fefellit Plinium memoria in citando auctore. Catonem enim citat, cum Columellam debuisset, cujus verba sunt II. 2. 'Sed citra hoc experimentum multa sunt quæ et dulcem terram et frumentis habilem significent, ut juncus, ut calamus, gramen et trifolium, ebulum, rubi, pruni silvestres, et alia complura.' *Pintian.*

Bulbus minutus] Bulbus silvestris, vel Bulbine hujus scriptoris. Pro Hyacintho pinxit Matthiolus. *Dalec.*

Herba pratensis] Lotus vel medica; nam hæ in pinguissimis agris proveniunt. Gramen Colum. numerat II. 2. itemque juncum et calamum; ut fortassis eas plantas herbam pratensem vocet Cato. *Idem.*

Virgilium] 'Laudato ingentia rura, Exiguum colito.' *Idem.*

Dehinc peritia villicorum] Cato cap. 5. Columella I. 7. 8. 9. *Idem.*

Ergastulis pessimum est] Servis compeditis, nervo, catena vinctis. Supra cap. 3. *Idem.*

Et fortassis incredibile penitus existimetur] Lego, *fortassis incredibile ut penitus existimetur*, ex vetere exemplari. *Idem.*

L. Tarius Rufus] Ejus in condemnando parricida filio mitiorem sententiam lege apud Senec. de Clementia, cap. 15. *Idem.*

Alioquin domino aliquas messes colligere non expedit] Deest verbum *colente* ex vetere exemplari: *Alioquin colente domino aliquas, &c.* Pintian.

Sicut in Sicilia tradunt] Supra XVII. 4. Theophrast. Hist. VIII. 6. et de Caus. III. 25. *Dalec.*

Quorum prædia colenda, &c.] Insigne hujus exemplum habes apud Valer. Max. IV. 4. de M. Attilio Regulo. *Idem.*

Quod feriatis deberet] Quæ feriis possent fieri. Vide Catonem cap. 2. *Idem.*

Ne familiæ malæ sint] Castigo, *ne familiæ male sit*, ex Catone cap. 5. 'Familiæ male ne sit provideat: ne algeat, ne esuriat.' *Pintian.*

De terra, &c.] Eam Lugdunenses agricolæ vocant *Terre pouilleuse*, quasi pedicularem; quoniam dum palis et ligonibus colitur, intimis venis velut quandam cariem putrium lignorum ostendit, pediculorum lendiumque sordibus, ac colluviei similem. *Dalec.*

Exsecratio Catonis] Catonis cap. 5. verba hæc sunt: 'Terram cariosam caveto ne ares, neve plostrum, neve pecus impellas. Si ita non caveris, quo impuleris, triennii fructum amittes.' *Idem.*

Filix biennio moritur] Colum. II. 2. *Idem.*

Succus enim ex ipsa defluens] Moritur et injecto stercore, et si greges incubent. Theophr. Hist. VIII. 8. *Idem.*

Harundine sectas] Vide infra XXIV. 11. *Idem.*

Juncosus ager verti pala debet] Colum. loco citato. *Idem.*

Fruteta igni optime tolluntur] Θόλλήματα. Idem ibid. *Idem.*

Fossas autem cretosis] Colum. II. 2. et Theophr. de Caus. v. 7. *Idem.*

Supinis lateribus] Extrorsum inclinatis, sub. utilissimum procumbere. Quid si legatur, *aut supinis lateribus* (imbricibus solum), *similes procumbere;* nempe ut declini situ, et ad solum coarctate, imbricates lateres figura imitentur. Turneb. XXX. 18. legit, *firmari: in repressibus aut supinis lateribus procumbere;* id est, asperis, confragosis, clivosis. *Idem.*

Ora, &c.] Principium ac exitum fossæ. Columella. *Idem.*

CAP. VII. *De frugum generibus, et natura.*

De frugum generibus] Theoph. Hist. VIII. 1. 4. et de Caus. IV. 8. Colum. II. 6. et 9. *Idem.*

Legumina] Quibusdam *Legaria*, a legendo, quod vellantur manu, non subsecentur falce: sic Græcis χέδρο-

τα, quasi χειρόδροπα. Nicander: Χειροδρόποι δ' ἵνα φῶτες ἄτερ δρεπάνοιο λέγονται Ὄσπρια χέδροπα. *Scalig.*

Circa Vergiliarum, &c.] Novembri. *Idem.*

Ante Vergiliarum, &c.] Maio. Aliter hæc sementis tempora Theoph. distinguit Hist. VIII. 1. *Idem.*

Milium] Virgil. Georg. I. 'Vere fabis satio est: tunc te quoque, Medica, putres Accipiunt sulci, et milio venit annua cura.' Vide Senecam Epist. LXXXVII. *Idem.*

Alicam] Frumentum, e quo fit alica; nempe siliginem. Quidam legunt *arincam*, quidam *alicastrum*, ex Colum. II. 8. *Idem.*

Sementiva autem triticum, &c] *Sementiva* dicuntur quæ Græci πρότεροπα vocant, quæ satione hiberna seminantur; ut τὰ ὀψίσπορα sunt, quæ verno tempore seruntur. *Salmas.* pag. 733. a. *Sementiva autem*] Sementiva interpretor, quæ primo et potissimo sementis tempore, nempe circa Vergiliarum occasum, quod ἄροτον, id est sementem, ut ait Theoph. Hist. cap. I. ἀντονομαστικῶς Græcia vocavit, terræ mandantur. *Dalec.*

Ut farrago] Columella II. 11. *Id.*

Legumina omnia singulas habent radices præter fabam, easque surculosas, quia non in multa dividuntur. Altissimas autem cicer] Locus ex Theoph. Hist. Plant. VIII. 2. tralatus, cujus hæc sunt verba: 'Legumina omnia singulas habent radices, easdemque lignosas, et ramulis prætenuibus modo capillamentorum fibratas. Omnium, ut ita dixerim, altissimam cicer agit.' Et mox paulo: 'Etenim legumina radice singulari subnixa, multos superne ramos ex caulibus gerunt, fabis tantum exceptis.' Ex quibus Theophrasti verbis manifeste apparet Pliniana verba tum depravata esse, tum ordine non legitimo locata. Legendum igitur ad hunc modum videtur: *Legumina omnia singulas habent radices, easque surculosas, quæ in ramulos dividuntur. Altissimas autem cicer præter fabam.* Cæterum verba hic aliquot desiderantur ad integritatem sententiæ; aut certe hæc, *multos ex caulibus ramos gerunt*, aut similia: tum sequatur, *præter fabam*. Ita Plinius ad suum Theophrastum quam proxime accedet. *Pintian.*

Præter fabam] Ea cum se aperit nascendi gratia, nauscire dicitur Festo, quod navi forma tum sit similis. *Dalec.*

Frumenta multis, &c.] 'Frumenta,' inquit Theophrastus, 'prætenuibus ac multis radicibus nituntur, ideoque surculos non mittunt: legumina vero et ὀροβοειδῆ, ramosa, quia lignosa eorum radix.' *Idem.*

Erumpit a primo satu] Theophrastus Hist. VIII. 1. *Idem.*

Legumina quarto, vel cum tardissime septimo] Scribo, *vel cum tardissime quinto*, ex Varrone I. 45. et Theophr. VIII. 1. *Pint.* Legit etiam *quinto* Fulv. Ursin. ad Varr. p. 52.

Cæteris seminibus eadem pars et radicem et florem] Scribendum reor, *Cæterum leguminibus eadem pars, &c.* Theophrast. VIII. 2. 'At faba cæteraque legumina non eodem modo mittere consueverunt, sed eadem ex parte radicem fundunt et caulem.' *Pintian.*

Florem] Caulem et spicam. Festus 'florifertum' dictum vult, quod flores, nimirum spicæ, ferrentur ad sacrarium. *Dalec.*

Verno tempore fastigiantur] Scribo *fastigantur*, non *fastigiantur*, ut sæpe admonui; sic enim semper in scriptis codicibus legitur, nec aliter a doctis enunciatur. *Pintian.*

In ferulaceum] Ut et erysimum. Theoph. *Dalec.*

Pro indiviso] Constant. legit, *tantum pro indiviso;* exponitque, 'sine divisione, in commune, communiter.' Quo genere loquendi usus est Cato c. 127. *Idem.*

Membranis] Membrana, ἐν ὑμένι. Theoph. Hist. I. 18. *Dalec.*

Panicum a paniculis dictum] Πηνίκη, τρίχος, κόμη, φόβη. Theoph. καλαμώδης ἀπόφυσις. Inde Panicula. *Scalig.*

Obba] Legendum hic et omnibus locis aliis, *Phoba*. Est autem φόβη, ut ait Theophr. Hist. VIII. 3. ἐν τοῖς κεγχρώδεσιν ἀπόφυσις καλαμώδης, *coma, sive jubatus culmus.* Ac quemadmodum χέδροπα omnia ferunt λόβον, id est, *siliquam*, sic omnia miliacei generis τὴν φόβην, id est, *jubam.* Dalec.

Sed nullum frumentum ponderosius] Nam Plinius milium quoque frumenti genus facit, ut ex quo tum panem rustica plebs conficeret, cum hodie in pulte sit ejus usus, in panificio raro. *Gelen.*

LX. enim pondo panis e medio reducunt] Scribendum reor non *reducunt*, sed *reddit*, ut infra hoc capite: 'Quod fere quaternis libris plus reddit panis quam aliud far.' *Pintian.*

Milium, &c.] *Prægrandibus culmis jubas vocat;* sic legend. Antea præcessit de panico, ubi lege, *cum longissima pedali offa.* Nihil aliud est 'panus' quam 'longa offa.' Hesych. τολύπαι. Vide Salmas. p. 127. a, b.

Terni sextarii] Id est, sex libræ. *Dalec.*

Qui ut spem sui fecit] Scribo *quæ*, non *qui*, ut referat spicam. Theophr. VIII. 2. 'Mox folliculo absoluta quarto aut quinto die florere tam tritici quam hordei incipit.' *Pintian.*

Hordea vero, &c.] De tritico et hordeo id Theophrast. *Dalec.*

Varro quater novenis diebus fruges absolvi tradit] Scribo, *quinquies novenis diebus*, hoc est 45. dieb. Varro I. 32. 'Quarto intervallo inter solstitium et caniculam plerique messem faciunt, quo frumentum dicitur XV. diebus esse in vaginis, XV. florere, XV. exarescere.' Vel lege, *Varro ter quindenis diebus, &c.* Pintian.

Absolvi tradit] Ex quo florere cœperunt. *Dalec.*

Fabæ in folia exeunt, ac deinde caulem emittunt nullis distinctum internodiis] Videtur supervacaneum esse verbum *nullis;* nam Theophr. VIII. 3. contradicit his verbis: 'Item caulis aliis geniculatus atque inanis, ut fabæ.' *Pintian.*

Nullis distinctum internodiis] Si exortum ramulorum spectes, ea tantum parte, qua prodeunt, geniculum revera conspicitur, id quod ait Theophrastus; si vero nodum vocamus articulum, qui omni ex parte caulem ambit, et internodia separat, in fabæ caule nullus est. Itaque quamvis geniculatus is sit, nullis tamen internodiis distinguitur. Quidam legunt, *multis distinctum.* Dalec.

Leguminum unicaulis faba sola, unus et lupinis, cæteris ramosus prætenui surculo] Cum sit non exigua differentia inter ramosum et surculosum; (ut monstrant verba, quæ statim ante præcesserunt; dixit enim, 'Reliqua legumina surculosa sunt. Ex his ramosa cicer, ervum, lens.') qua ratione consistet hæc sententia? *Cæteris ramosus prætenui surculo?* videntur enim verba inter se pugnare. Nimirum inverti debent, ut arbitror, dictiones, legendumque, *unus et lupinis prætenui surculo, cæteris ramosus.* Pintian. Theophrast. Hist. VIII. 2. *Idem.*

Frumentum et hordeum, &c.] Frumentum et hordeum enascitur, ternaque prodit, (ἀναφύεται,) unico folio: pisum, faba, cicer multis. Theoph. Mirum, auctorem de radice frumentaceorum et leguminum nihil prodere. Quod autem ait, *hordeum utrunque*, intellige distichon et polystichon; vel nudum, quod γυμνόκριθον vocant, et gluma sua vestitum. *Idem.*

Sesamæ et irioni sanguinea] Nusquam, quod sciam, Theophr. horum folia rubere, sed pinguia esse et amara scripsit. Irionis quidem est sanguineus caulis, sed non folium. *Id.*

Legumina diutius florent] Idem Hist. VIII. 2. *Idem.*

Frumenta, &c.] Pleraque omnia hæc quæ sequuntur, ex Theoph. Hist. VIII. 3. et 4. *Idem.*

Tunicæ frumento plures. Hordeum maximè nudum et alica, sed præcipue avena] Ex Theophrasto, unde hic locus acceptus est, manifestum fit, præpostero ordine legenda esse verba hæc: *Tunicæ frumento plures et alicæ, sed præcipue avenæ. Hordeum maxime nudum.* Theophrasti verba sunt VIII. 4. 'Ad hæc triticum tunicis contegitur multis, ordeum nudum consistit. Id enim omnium maxime caret tegumento. Tipha quoque et siligo et omnia hujusmodi multiplici folliculo includuntur, ac omnium, ut ita loquar, maxime avenam natura operuit.' Porro illud noscendum, in Græcis Theophrasti exemplaribus non *avenam* scriptum esse, ut Theodorus vertit, sed *crocum.* Pintian.

Hordeum maxime, &c.] Præsertim Gymnocrithon. Tipha, olyra (*arincam* pro utraque vertit Plinius), et omnia id genus multis folliculis leguntur, (πολύλοβα,) sed uno verbo inter reliqua plurimis querna. Theophrastus. *Dalec.*

Altior] Lævior, densior, lentior, frangi contumacior. Theophrastus. *Idem.*

Cum suis folliculis, &c.] Inde Persio Sat. v. 'scabiosum far' vocatur. *Idem.*

Far in, &c.] Cibus et triticea ptisana; molitum et deglubitum granum, ad pultes et hominum cibum idoneum, qualis ex farris grano decorticato in Italia vulgo paratur, vocaturque 'Farro.' *Idem.*

Tertium genus] Præter verum far et triticum. *Idem.*

Galliæ quoque suum, &c.] Ex olyra, sive siligine, ut et Ægyptus. Ea vero siligo Gallica, e qua brance, sive sandalum, crimni genus, fiebat, arinca fortassis est, memorata cap. 8. hujus libri. Arincam autem olyram esse auctor scribit infra XXII. 25. Brancem Galliæ rustici hodie *Blanche* vocant, Allobroges *Blanchen.* Sandalum quoque inter Italos, præsertim Hetruscos, veteris appellationis vestigia retinet, *Scandella.* Idem.

Verrius tradidit] *Varro,* non *Verrius,* vetus codex præfert. *Pintian.*

In quo principatum, &c.] Theophrasto ex iis, quæ in Græciam convehebantur, gravissimum Siculum fuit: eo tamen gravius Bœoticum, vel eo argumento, quod athletæ, cum vix in Bœotia tres semisextarios consumerent, Athenis plus quam quinque esitabant. Hist. VIII. 4. *Dalec.*

Mox Africa] Libycum vocat Theophr. et in spica brevi manere, calamumque tenuem emittere scribit. Idem auctor Thracium, Syrium, Alexandrinum memorat, nulla facta vel bonitatis mentione, vel ponderis. *Idem.*

Athletarum cum decreto] Ii cum Bœotici ternos semisextarios vix consumerent, Athenis facile quinos absumebant. *Idem.*

Græcia et Ponticum laudavit] Ponticum Theophrasto levissimum et durissimum est Hist. VIII. 4. et de Caus. IV. 10. *Idem.*

Siculi pondus] Vide Bud. de Asse lib. IV. *Idem.*

Ad grani pondus accedat] Aqua cum sale et fermento permista. *Idem.*

Occasione lucrandi vilissimum] Sic alii legunt. Ego vero legendum puto, non *vilissimum,* sed *inutilissimum;* nam et codex antiquus *utilissimum* habet: cui dictioni si adjungas præpositionem *in,* quæ paulo ante præcedit, parum ibi necessariam, locus erit recte castigatus. Confirmat hanc correctionem Plinius ipse XXIII. 1. his verbis: 'Inprimis igitur vinum marina aqua factum inutile est stomacho, nervis, vesicæ.' *Pintian.*

Galliæ et Hispaniæ] Zythum et Curmi intelligit. *Dalec.*

Trimestria invenit] Trimestria multa, et ubique, levia, parum fœcunda,

eum exoriantur unicalama, et prorsus infirma. Theoph. *Dalec.*

Unicalamum prœterea, nec usquam capax] Addendum puto verbum *ponderis*, indiligentia librarii, ni fallor, omissum, ut sit, *nec usquam capax ponderis*, ex Theophr. VIII. 4. his verbis: 'Tria vero permulta et ubique habentur. Levia hæc et parum fœcunda et unicalama sunt, atque in totum infirma.' *Pintian.*

Est et bimestre circa Thracium sinum] In scripto exemplari, non *Thracium sinum*, sed *Thracia fanum* habetur, ut scribendum putem, *Thraciæ Ænum*; Ænus enim celebris est urbs Thraciæ. Porro Theophrastus, unde Plinius hæc hausit, non in Æno, sed in Eubœa, nasci hoc genus tritici tradit, quod XL. die quam satum maturescat. Ejus verba sunt VIII. 4. 'Quibus et trimestrium genus annumerari par est, et bimestrium, et si quid intra pauciores dies valeat consummari: et in Eubœa genus quoddam intra quadraginta dies crassari perficique posse affirmant: idemque firmum esse ac ponderosum, nec modo trimestris leve; quam ob rem famulis id præberi inquiunt; etenim nec multum in hoc furfures esse volunt.' Quibus ex verbis liquet deesse in Plinio conjunctionem *et*: *est et bimestre et circa Thraciæ Ænon, quod quadragesimo die quam satum est maturescit.* Expendendum igitur an in Theophr. tam Græco quam Latino scribendum sit non *Eubœa*, sed *Æno*, ut Plinius et Theophrastus consentiant. *Idem.*

Columella] Lib. II. c. 9. *Dalec.*

Antiquissima] Theoph. Hist. VIII. 4. *Idem.*

Trimenon vocant] Hippocrates *σητάνειον*, quasi *τητάνειον*, *τῆτες* enim, *ἐν τῷδε τῷ ἔτει ἐσπαρμένον*, quod *hoc ipso anno*, id est, vere, *satum est*. Idem.

Ut singula spicas nostras æquent] Scribendum reor, *ut singula olivæ nucleos æquent*, ex Theophr. VIII. 4. 'Nam et Asiæ,' inquit, 'ultra Bactra quodam in loco adeo grande frumentum fieri tradunt, ut nucleos olivæ suæ æquiparent magnitudine grana singula.' *Pintian.*

Hordeum Indis sativum] Theoph. Causs. IV. 5. Strabo lib. XV. hordeum id silvestre Bosmoron vocat. *Dalec.*

Ex qua ptisanam, &c.] Ptissana oryzæ ea est, quæ in omnibus locis venalis prostat, et *riz* dicitur. *Dalec.*

Hordeum] Κρίθη ἀπὸ τοῦ διακριθῆναι vocatum, quod eo reperto, et in usum recepto, glandibus spretis, a brutis homines distincti sint. Hordeum siccatum, frixum, mola fractum, Græci *κάγχρυν* et *καγχρύδιον* vocant. Rhodig. II. 1. *Idem.*

Gladiatorum cognomine] Athletarum, histrionum, comœdorum nomine continentur gladiatores, arenarii, mirmillones, secutores, retiarii, pugiles, pancratiastæ, xystici, thymelici, pantomimi, palæstritæ. Alex. ab Alex. III. 9. Varro Samnites recenset inter gladiatores, qui cum scutis et pinnata galea pugnabant, sic nimirum dictos, ut censent Livius et Athenæus, quod a Samnitibus didicerint *τὴν τοῦ θυρεοῦ χρῆσιν*. Nusquam porro legitur Athenis, ubi Menander vixit, atque adeo nec in Peloponneso tota, nec in Hellade gladiatorum spectacula edita fuisse: quamobrem legendum hic quidam divinant, *et pistorum cognomine*. Galenus, libris *κατὰ γένη*, scripsit quidem Pergami, quæ fuit ejus patria, gladiatores a Pontificibus exhibitos, qui percussi vulneratique fuissent, traditos sibi, ut curaret; sed id longe a Mènandri sæculo. Chiffletius legendum putat *caligatorum*, id est, gregariorum militum, quod illis, si quid peccassent, ignominiæ caussa, pro tritico daretur hordeum. Festo 'hordearium æs,' quod equiti Romano dabatur, pro hordeo, subaudi 'emendo,' quo equum aleret. Fuerunt et gladiatores Equites, Galeno, tertio *κατὰ γένη*, *ἱππεῦς*, Lipsio in Saturnalibus Anda,

batæ. Illis etiam ex publico dabatur hordeum, quo nutrirent equum, unde fortassis dicti sunt *hordearii*, quamvis Plinius de hominum cibatu videatur magis loqui quam jumentorum. Ea tamen petulanti voce de dominis dictum est, quod equis conveniebat. Quid si legas, *et equitum cognomine, qui hordearii vocabantur*. Fuerunt enim Romæ Equites gladiatoribus antiquiores, et statim ab initiis conditæ Romæ Trossuli. *Dalec.*

Polentam] Τὰ ἄλφιτα, alii τὴν μάζαν. *Idem.*

Pluribus fit hæc modis] Curiosam illam hordei præparandi rationem ex Pherecrate recitat Eustathius his verbis: τὰς κριθὰς δεῖ πτίσσειν, *tundere, pinsere;* φρύγειν, *torrere;* ἀποβράττειν, *in cerniculo cribrare, aut corbe;* ἀνεῖν, *aqua rursum aspergere;* ἀλέσαι, *molere;* μάξαι, *manu subigere;* παραθεῖναι, *edendam apponere.* Vide infra XXII. 25. *Idem.*

Virentibus, &c.] Nam ita melior polenta fit, ultimo hoc capite. *Idem.*

Purgant] A pulvere, lapillis, et id genus reliquis sordibus. *Idem.*

Ptisanæ inde] Πτισσάνην Athenæus lib. X. dictam vult ἀπὸ τοῦ πτίσσειν καὶ ἀνεῖν, *a tundendo et madefaciendo.* De ptissana idem auctor hunc gryphum recitat: κριθῆς ἀφλοίου ὀργάσας χυλὸν πίε, *Hordei decorticati et tusi cremorem bibe.* Idem.

Cui sunt bini anguli] Ex hordeo distícho, cui sunt bini ordines, ut mox loquetur, et versus. *Idem.*

Glabrum] Γυμνόκριτον Græci. *Idem.*

Tragum] Tragos nunc fruges est, halicæ similis Dioscoridi; vulgo *Blé Turquet;* nunc olyræ ptissana Galeno de Alimentis; nunc zeæ ptissana, id est, halica Galeno comment. librorum de ratione victus in acutis: 'Ptissanam,' inquit, 'recte præferunt frumentaceis eduliis, pani, chondro, et zeæ, ex qua fit Tragos.' Hic Tragos ptissana est triticea. Cassianus in Geoponicis III. 13. Tragum conficit ex Alexandrino frumento et olyra. *Idem.*

Amylum] Diosc. II. 98. *Idem.*

Sed optimum, &c.] Alii putant id ad siliginem referendum, alii ad triticum. *Idem.*

Proximum e trimestri quodam minime ponderoso tritico] Scribo, *proximum trimestri quod e minime ponderoso tritico*, ex scripta lectione; ut sit sensus, primas tribui amylo, quod fit ex trimestri; dixit enim paulo ante, 'Amylum vero ex omni tritico ac siligine, sed optimum ex trimestri. Secundas vero a trimestri tribui amylo, quod fiat e tritico minime ponderoso.' Ita ut misceatur pariter emellitum priusquam acescat. *Pintian.*

Linteo aut sportis siccatum tegulæ infunditur illita fermento] Scribendum diversa distinctione et lectione, *ita ut misceatur pariter. Emollitum priusquam arescat, linteoque aut sportis siccatum, tegulæ infunditur.* Nec *siccatum* videtur legendum, sed *colatum*, ex Dioscoride lib. II. ex cujus verbis apparet locum hunc ambustum esse, complura in eo desiderari verba. *Idem.*

Et Catoni dictum. Apud nos, &c.] Significat autem Amylum, tametsi rem exoticam, tamen jam tum ætate Catonis Romæ fuisse notum. *Gelen.*

Binos ordines habent] Distichi hordei. Theophrast. Hist. VIII. 4. de hoc paulo ante. *Dalec.*

Quædam, &c.] Polystichi. Cantherium Columella vocat II. 9. *Idem.*

Ultimo ad polentam et contra tempestates candido maxima infirmitas] Lego, *ultimo ad polentam, et contra tempestates quam candido major firmitas.* Theophr. VIII. 4. 'Et hordeorum ipsorum aliud rotundius minusque, aliud oblongius majusque, atque in spica rarius. Item aliud candidum, aliud accedens ad purpuram, quod et farinam reddere copiosius creditur, et contra hiemem et flatus, et in totum

cóntra cœli mutationes, candido validius esse videtur.' *Pintian.*

Palea ex optimis] Palea ex tritico suavior, quam ex hordeo, quia mollior et magis succulenta. Theophrast. Hist. VIII. 4. *Dalec.*

Hordeum] *Hordeum sacculo* legit Turnebus Advers. I. 24. quod non cibariis, ut triticum, sed loculis seratur, et foris vendatur. Alii legunt *seculo*, quia φιλόζωος, id est, alendis pascendisque animalibus gratum. Columel. II. 9. hordeum altero sulco seminari tradit. Ex illo auctore videtur hæc linea transcripta. *Sarculo*, interpretor, terra levissime mota et tantum suspensa, ut fit sarriendo. *Id.*

CAP. VIII. *Non omnia frumenti genera ubique nasci, et de reliquis in Oriente generibus.*

In Hispaniæ Carthagine] Ea est Carthaginiensium colonia, ab aliquibus nova; ab aliis 'spartaria' cognominata. *Gelen.*

Far] Hæc peritiores sic distinguunt: triticum mutica spica est; adoreum sive far, aristata, apud Verrium in voce 'restibilis.' Tritici genera tria Columellæ: robus, ponderosioris ac nitidioris grani; siligo biberna, sive sementiva; et siligo trimestris. Farris autem quatuor genera: clusinum grano nitido et candido; venuculum rutilum; venuculum candidum; utrunque ponderosius clusino; et omnia hæc tria biberna; adoreum trimestre, sive alicastrum. *Dalec.*

Adoreum] Adde et hæc, si libet, hic quæ supra diximus ad c. 3. hujus libri, de adorea. Adoream veteres appellarunt omnes fructus, omnem proventum ex agris. Sulpitius apud Varronem: 'plebei rura largiuntur, adoream.' Plaut. in Amphit. 'Qui præda, atque agro, adoreaque affecit populares suos.' Ex eodem Varrone Nonius, adoreum dictum ab eo putat: quod cibi ora, id est, principium sit far; dixerat autem paulo ante far adoreum esse. *Idem.*

Arinca Galliarum] Olyra Homeri sequenti altero ab hoc capite. Olyra Gallica infra XXII. 25. *Idem.*

Similaginem] Sive similam, κρίμνον, vulgo *simoule*, ptissanæ genus, semidalium Græcorum. *Idem.*

Homerus] Iliad. B. τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα, alma tellus: alii, quod ait Plinius, exponunt βιοδώραν καὶ φερέσβιον. Nonnus in Dionysiacis τὸ ὕδωρ appellavit ζείδωρον, aquam vivificam. Sic Venerem et Empedocles vocavit. Plutarchus in Amatorio. Johannes Grammaticus terram sic dictam putavit παρὰ τὸ ζεῖσθαι καὶ θερμαίνεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. Rhod. XV. 18. *Idem.*

Priore crassius] Quod ex tritico fit et siligine, sed optimum ex trimestri. Supra c. 7. hujus libri. *Idem.*

In adoreæ donis] Quartariis aut heminis farris. Supra cap. 3. hujus libri. *Idem.*

Pulte autem, non pane] Vide Val. Max. lib. III. cap. de Instit. Antiq. Fiebat autem puls ex æquis partibus farinæ, frumenti, et fabarum aut hordei. Alex. ab Alex. III. 11. 'Pultiphagos' ideo Romanos Plaut. vocat in Mostell. 'Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.' Idem in Prologo Pœnuli: 'Carchedonius vocatur hæc Comœdia: Latine, Plauti pultiphagonidis Patruus.' Pultem Varro vel a Græco πολτὸς ducit, vel a sono quem edit cum aqua ferventi insipitur, id est, inspergitur, ut apud Pomponium in Atellana: 'Facite ut ignis fervat, ligna insipite, far concidite.' Cum ita sonat, bilbire amphoram Nævius dixit: παφλάζειν. Eupolis apud Athenæum: λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι. *Scalig.* Juvenal. Sat. XI. 'pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas.' Martialis: 'Imbue plebeias Clusinis pultibus ollas, Ut satur in vacuis dulcia vina bibas.' Juvenal. Sat. XIV. 'sed magnis fratribus horum, A scrobe vel sulco redeuntibus

altera cœna Amplior, et grandes fumabant pultibus ollæ.' Apud Plaut. locis supra citatis Scaliger, vir, ob acumen ingenii perspicacissimi, non sine honore laudandus, 'pultiphagum' et 'pultiphagonidem' Pœnum interpretatur. Pultis enim avidissimam eam gentem fuisse argumento est puls Pœnica, cujus conficiendæ rationem Cato docet c. 85. Quod vero pertinet ad Martial. distichon, mustum missum in ollas imbutas farris pulte veluti conditur, ad bonitatem proficit, et ideo commendatur. Theoph. certe de Odorib. scribit, demissis in dolia farris offis vinum domari, mollescere, et cum saporis gratia mitescere. Turneb. xxv. 28. *Dalec.*

Pulmentaria, &c.] Quæ panpercuilæ olim pulmentaria conficiebant, pulmentariæ, mictyrides vocabantur. Lucil. Sat. xx. 'Pulmentaria utentibus, aut aliquod genus herbas, et jus Mænarum, bene se habet, Mictyris, hoc est meri.' Etymon hujus vocis ἀπὸ τοῦ μιγνύναι fortassis ducitur. *Idem.*

Pulte fitilla] Erit, ὁ ἀθὴρ, nempe στάχυος τὸ ἀκρόν: Galeno τὸ τῆς κριθῆς ὀξὺ, acus. Inde ἀθάρα, vel ἀθήρα, puls fritilla. *Scalig.* Quidam a frigendo dictam volunt, ut sit fritilla puls, ea quæ paratur a farina fricta. Apud Fabium Pictorem 'olla fritilis,' in qua sal torreatur. Nonius in Sal. *Dalec.*

Meminorumque] Sequanorum: alii, Avernorum. In Sequanorum agro Siligo certe frequentissima est, quam ab incolis *Blé blanc* appellari diximus: apud Allobrogas *Blancheen* ob candorem, vel quasi Brancen: supra c. 7. hujus libri. *Idem.*

CAP. IX. *De pistoriis, et molitura, et farina.*

Siligine, &c.] Siligine, frumento; vel etiamnum, si libet, castrata farina. *Idem.*

Cretacea] Vel quæ in agro cretoso nata est, vel cui creta Campana admixta est candoris conciliandi gratia, sicut in alica fiebat. De qua confectura infra capite 11. hujus libri. *Idem.*

Gallicæ] E Gallica siligine, quam arincam et brancem vocant. *Idem.*

CAP. X. *De similagine, siligine, et aliis generibus, et de pistura.*

Similago ex, &c.] Σεμίδαλις Græce, vulgo *simoule*. Idem.

Appellant in tritico, &c.] Non meminit Plinius superiori capite, de siligine pollen se dixisse. Vide Bud. de Asse lib. v. *Idem.*

Hoc ærariæ officinæ, &c.] Quæ farina cum argilla mixta operum suorum formas effingunt. *Idem.*

Tritici] Similago, sub. nam ex aliis frugibus, farre et siligine, fieri ostendit, quod ait capitis principio, ex tritico fieri laudatissimam. *Idem.*

Homero] Iliad. E. παρὰ δέ σφιν ἑκάστῳ δίζυγες ἵπποι Ἑστᾶσι, κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι, καὶ ὀλύρας. Andromache tamen Iliad. Θ. equis Hectoris triticum offert, non olyram. *Idem.*

Far sine arista est] In Ægypto, non alibi. In Italia triticum muticum est, far aristas habet. *Idem.*

Exceptitia] *Exceptitiam* vocat a reliquo genere siliginis exceptam, id est, sejunctam, et separatam, ideo quod aristis careat. Aliæ namque siliginis species illa dempta aristis spicam horridam gerunt. *Idem.*

Oryza] Ptisana oryzæ similis. *Id.*

In Byzacio Africæ, &c.] Ob eam Africæ fertilitatem imperatores Romani, qui ei provinciæ præfuerant, aut in ea res gesserant, Africam signabant capite obvoluto pelle elephanti capiti detracta cum promuscide, adjecta spicà et subdito aratro, cum cultro. Ursinus 88. *Idem.*

Procurator ejus ex] Procurator Cæsaris, Dioni lib. XVII. 'Ὁ τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικῶν, ex equestri origine deligebatur, quod Tacitus in vita Agricolæ monstrat. Ejus offi-

cium fuit vectigalia colligere; fisci jura tueri, eaque persequi judicio, cum privatis æquo, in provinciis. Idem munus fuit in urbe Præfecti ærarii. Fuit et procurator rei privatæ, sive patrimonii imperatoris. De quo Capitolinus in Macrino, Brisson. III. 18. 19. 20. *Idem.*

Leontini Siciliæ campi] Ea soli fertilitas Siculos ad omne deliciarum genus sic effudit, ut omnibus voluptatum generibus præter modum addicti forent ac dissoluti. Hinc Platoni 'Siculæ mensæ,' ut et 'Italicæ' et 'Thessalæ,' lautissimæ et maxime opiparæ, quemadmodum et 'Asianæ.' Macrob. Saturnal. VII. Modum eum servat, qui sui potens est, et in mensa Sicula, vel Asiana. Brod. v. 33. *Idem.*

Ægyptus] Inde proverbium: 'Harenas Libyæ non curat Ægyptus.' Antiphilus: *Καρποῖς οὐ σταδίοισιν ἐρίζομεν, οὐδὲ γὰρ αὔλαξ Αἰγύπτου Λιβύης ψάμμου ἐπιστρέφεται.* Rhod. XXIX. 21. *Idem.*

Sesama] Theophrast. Hist. VIII. 5. *Idem.*

Irionem] Plinius hoc non satis distinguit. Irio Latinorum, Græcorum est Erysimum fruges, pingui grano, ut sesamæ, Theophrasto: Erysimum vero herba, planta, quam a Gallis Velarum dici scribit lib. XXII. cap. ult. Unde etiam hic *Irionem*, non *Trionum*, legendum esse, contra Turnebi opinionem, qui ex manuscripto id et Theoph. de Odoribus probare contendit, manifestum est. Idem enim cum sesamo esse, nusquam Theophrast. scripsit, sed sesamæ similem esse et pinguiusculum Hist. VIII. 7. *Idem.*

Ejusdem naturæ] Theoph. Hist. VIII. 1. et 7. *Idem.*

Nullum animal, &c.] Theophrastus id quidem vulgo narrari tradit, sed sibi non constare. *Idem.*

Fistula serrata] Cato c. 10. in instrumento rustico fistulam ferrariam memorat, et pilum ferrarium, quod adnotavit Turnebus Advers. VII. 22. *Id.*

Intus] In mortario, in pila. *Idem.*

Rudo] Ferrum non habente, aspero, impolito. 'Panis ruidus' Plauto, crustosus, non satis coctus. Vide apud Apuleium Asini lib. IX. elegantem descriptionem pistrini, et servorum, atque adeo jumentorum pistoriorum. *Idem.*

Postea evalli, deinde, &c.] Sic paulo post iterum eodem verbo utitur Plinius: 'Et ipsa autem,' inquit, 'quæ evalluntur, variam pisturarum rationem habent.' Acus vocatur, cum per se pinsitur spica. *Evalli* frumentum intelligo, dum repurgatur modo, non etiam frangitur. Id Basilienses molitores vernacula sua lingua *Reulen* dicunt: quomodo alii vocent, nescio. *Gelen.* *Postea evalli*] *Evalli*, vel, ut alii legunt, *evallari*, vallo suo ejici, ac excludi, deglubi, gluma corticeque suo spoliari. *Dalec.*

Et ipsa autem quæ evalluntur] Quædam exemplaria *evaluantur* agnoscunt, non *evalluntur*: scribendum videtur *evannantur*, hoc est, vannis purgantur. M. Varro I. 52. 'Ita fit ut quod levissimum est in eo, atque appellatur acus, evannetur foras extra aream, ac frumentum, quod est ponderosum, purum veniat ad corbem.' Suffragatur et Nonius Marcellus. Nihilominus diligentiore locus hic censura indiget; nam videri potest aliud esse 'evalli,' aliud 'evannari.' Evalluntur enim frumenta cum spirante vento purgantur in area; 'vallis' enim aut ventilabris, eodem Varrone teste, cum ventus spirat, frumentum subjectatur a terra, purgaturque; 'vannis' autem, cum aura omnis silet. Columella II. 21. 'Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur, vannisque expurgantur,' et mox paulum: 'At si compluribus diebus undique silebit aura, vannis expurgentur, ne post nimiam ventorum segnitiem vasta tempestas irritum faciat totius anni labo-

rem.' Discordare itaque videntur M. Varro et Columella. *Pintian.*

Acus] Inde 'far acerosum' Lucilio Sat. lib. xx. 'Vivere quæ Gallam, ac rugas conducere ventris, Farre aceroso, oleo decumano, pane coëgit Cumano.' Aurum non acere, sed palea citissime ardescere auctor scribit xxxiii. 3. *Dalec.*

Per se] A calamo, stipula, stramento decisa et separata. Acus continet glumam, aristam, et spicæ scapum. *Idem.*

Aurificum] Infra xxxiii. 3. 'Præterea,' inquit, de auro loquens, 'mirum, prunæ violentissimæ igni indomitum, palea citissime ardescere.' *Idem.*

Appludam vocant] Sic et tritici furfures Plautus vocavit in Astraba. Gellius xi. 7. *Idem.*

Equino lacte vel sanguine] Virgil. 'Et lac concretum cum sanguine potat equino.' Martialis: 'Venit et epoto Sarmata potus equo.' Sidonius: 'Aut ad Caucasigenas Alanos, aut ad equimulgos Gelonos.' Brod. v. 31. *Idem.*

Cap. xi. *De fermentis: et panis faciendi ratio, et genera, et quando primum pistores Romæ: et de cribris, et alica.*

Ad fermenta usus] Perlepide Plautus in Casina, de muliere quæ ira et indignatione exardescebat: 'Nunc in fermento tota est, ita turget mihi. Stal. Ædepol ego illam mediam diruptam velim.' Sufflatum militem eadem significatione ait in Bacchidibus: 'Par. Sufflatus ille huc veniet. Pist. diruptum velim.' *Idem.*

Minutis et optimis] Lego, *et opimis*, a farina nondum omnino secretis, et ea velut adhuc pinguibus. *Idem.*

E musto albo triduo maturato subactis ac sole siccatis] Vetus exemplar non *maturato* legit, sed *macerato;* ut legendum putem: *e musto albo triduo maceratis, subactis, ac sole siccatis.* Pintian.

Cum similagine seminis] Ejus frumenti, e quo panis conficitur, vel zeæ, quam semen peculiari nomine vocant. Supra cap. 8. proximo, et mox eod. hoc capite. *Dalec.*

Erviliæ aut cicerculæ farina ei præfermentabatur] Hoc est, erviliæ aut cicerculæ farina fermentum ei præparabatur. *Gelen.*

Panis ipsius varia genera] Athenæo Messapii πανίαν πλησμονὴν vocaverunt, πάνια πλήσματα, et πανὸν ἄρτον. Olim *panus*, glomus Festo, in sacris crustulum, Græcis τολύπη, qualia memorat Clemens Alexandrinus in Protreptico, σησαμὰς, πυραμίδας, πόπανα, πολυόμφαλα. *Scaliger.*

A coquendi ratione] Coquitur nunc in cribano, sive clibano, vulgo *tartiere*, unde cribanites, vel clibanites, Latinis sub testu: nunc in furno, τῷ ἰπνῷ, unde furnaceus, ἰπνίτης, qui et καμινίτης Diphilo apud Athen. Clibanus furnaculus est ferreus, æneusve, aut testaceus, in quo pruna subjecta, vel superne congesta, panificium coquitur. Artopta Varroni apud Nonium. Cocula, testa sub qua in foco calfacto panis coquitur, cinere et prunis superjectis. Cineritium, τεφρίτην, eum panem quidam vocant. Est et panis escharites, craticulæ similis, vulgo *escalete ou gaufre*, et obelias, veluti τοῖς ὀβέλοις, veruculis, virgatus, vulgo *oblies*, quorum Plinius non meminit. Sub cocula coctum panem auctor Moreti describit his duobus versibus: 'Infert inde foco (Scybale mundaverat aptum Ante locum) testisque tegens superaggerat igneis.' Alii 'testa,' vel 'testuque.' *Dalec.*

Butyro vero, &c.] Olei, et, ut ait Cato, unguinis loco. *Idem.*

Tractæ] Placentæ pars ima, et veluti fundamentum, *solum* dicitur, Græcis τὸ κατώριον. quæ vero solo imponuntur, vel e farina, vel ex alia quavis materia ficta, *tracta* vocant. τραχτάζειν, massam pinsendo et subigendo manibus agitare, et trahere, ut ea

tractatione melius fermentetur, ac concorporetur rerum miscellanea varietas. *Dalec.*

Pistores Romæ] Pistor a pinsendo. Pinsere ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, eliso *t*, ut in πτέρνη, *perna; πτενὸς* Æolice, *penna.* Idem.

Ipsi panem faciebant, &c.] Haud multis annis post imperium conditum. Alex. ab Alex. III. 11. *Idem.*

Mulierumque id opus erat] Pistrices ejusmodi fœminas vocabant. Lucilius apud Festum: 'Pistricem validam, si nummi suppeditabunt, Addas empleuron, mamphulas quæ sciat omnes.' Mamphula, panis Syriacus lautissimus. Varro ἐν ταφῇ Μενίππου: 'Nec pistorem ullum nossent, nisi eum qui in pistrino pinseret farinam.' Idem de Vita P. R. lib. I. 'Nec pistoris nomen erat, nisi ejus qui ruri far pinsebat, nominati ab eo quod pinseret.' Nonius. *Idem.*

Artoptam Plautus, &c.] Locus Plauti citatus a Plinio est in Aulularia: 'Ego hinc artoptam ex proximo utendam puto.' Quidam ineptissime panificam mulierem *Artoptam* exponunt. *Artopta* vas fuit, in quo panis tostus, sive Artopticus coquebatur. Hoc autem vas cum in Quiritium ædibus esset, argumentum est ipsos sibi panem coxisse. Panis certe a ratione diversa coquendi, tria genera fuerunt Athenæo, furnaceus, clibanites sive testaceus, artopticus. *Idem.*

Nec dilui aut madere, &c.] Nec opus aqua habet, qua diluatur, ut facilior culturæ sit, cum bibula, pulverea, fistulosa, colono pareat, et aratro. *Idem.*

Campus Campanus] Stellatem vocat Livius lib. IX. *Idem.*

Quæ Laboriæ vocantur] Quoniam Capuam Romani bis evertissent, ad vitandam ejus nominis invidiam, Campani Leborinos vocari se maluerunt. Falluntur qui putant 'Laborias' dictas, quod in eo agro colendo cum fructu labor impendatur. *Idem.*

Phlegræum] Phlegræum vocant ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quod toto illo tractu passim ignis emicet, scaturiant calidi fontes, sulphur conficiatur, tanquam accenso sub terris sulphure deflagret ea regio. Illic pugnasse cum gigantibus Herculem narrant, gente fera, et in peregrinos sævissima, ac inter præliandum tonuisse crebro, jactaque de cœlo fulmina, unde fabulæ occasio. Alii id gestum ad Pallenen Thraciæ, quæ et Phlegra vocata est, malunt. Rhod. XXX. 38. *Idem.*

Finiuntur Laboriæ via] Vetustissima Capuanorum monumenta agrum Laborinum a Capua usque Aversam protendi scribunt. Ejus pars est ager, quem incolæ vocant, *le Mazzonirosso.* Idem.

Alica fit e zea] Supra c. 8. hujus libri, et infra XXII. 25. *Idem.*

Nam lapidis duritia conteritur] *Vel lapidis duritia*, in Vet. exemplari, et verbum *Conteritur* cum majore litera scriptum, initium præstat sequentibus; et pro verbo quod sequitur, *nobilius, mobili* præfert antiquum exemplar. *Pintian.*

Minimum ac secundarium] Quod præstantissimum. *Dalec.*

Grandissimum vero, &c.] Cassius III. 7. *Idem.*

Adjecitque causam afferendi] Si verbum *afferendi* Plinianum est, quod dubito, magis est ut legatur *auferendi.* Pintian.

Fitque dimidia nudi mensura] Dimidio major, quam si prorsus nudatum esset. *Dalec.*

Farinario, &c.] Lepide Plautus in Pseud. in lentos et tardius ambulantes: 'Nam iste quidem gradus succretus est cribro pollinario, Nisi cum pedicis condidicistis sic oggrassari gradu.' *Idem.*

Fit granum] Graneæ triticeæ confectionem docet Cato c. 86. Sic au-

-tem vocat ptisanam triticeam, pultemve ex ea paratam. *Idem.*

CAP. XII. *De leguminibus.*

De leguminibus] Theoph. Hist. VIII. 6. et 7. Columel. II. 7. *Idem.*

Honos fabæ] Vide infra XXII. 25. et Theoph. Caus. II. 18. et Columel. II. 10. et Cassium II. 22. *Idem.*

Lomentum] Vide quæ adnotata sunt infra l. XXII. ad c. 25. medium, verbis illis: 'Lomento quoque,' &c. *Id.*

Frumento etiam miscetur] Etiam hodie Alpini Allobroges miscere solent. *Idem.*

Quin et prisco ritu, &c.] Carnæ Deæ, Jani uxori, quæ vitalibus humanis præesse credebatur, in Cœlio monte, fabaria pulte et larido, quoniam iis rebus vis corporis maxime conservatur, a P. Rom. Calendis Juniis (quas 'fabarias' vocabant) sacrificabatur. Sunt autem eo tempore fabæ adultæ, et ideo adhibebantur. Sacrum id primus instituit Junius Brutus Tarquinio pulso. Macrob. Saturn. I. 12. Nonius in dictione Macto. Rhod. IX. 8. Alex. ab Alex. II. 22. *Idem.*

In sacro est] Cato c. 134. in sacro porcæ præcidaneæ far, triticum, hordeum, fabam, semen rapicium adhibet. In Vinalibus pollucebantur suffimenta ex faba, millioque molito, et mulso consperso. *Idem.*

Pythagorica sententia] Fabæ nomine a Pythagora quidam intellectum ovum putant, quod in eo sit ἡ τῶν ζώων κύησις, *animalium fœtura*, ac inde dictum κύαμον. Par scelus Pythagoras esse dicebat ἐσθίειν κυάμους κεφαλάς τε τοκήων. Rhod. XXVII. 17. Gellius IV. 11. Cato 134. *Idem.*

Parentando utique] In Lemuribus, quæ Maio per trinoctium fiebant, fabam nigram lotis manibus pedibusque nudis, per ora versantes, ære tinniente, post terga rejiciebant. Lemures domo se ejicere clamantes, et ut abirent novies orantes, expiari sic Manes arbitrati. In parentalibus faba vescebantur; in pervigiliis cicere; pro ferali cœna nudo silici sepulchrorum offam ex lente imponebant cum inferias solverent. Alex. ab Alex. II. 12. Non licebat Flamini Diali fabam aut tangere, aut nominare, quia in ejus flore apparent lugubres literæ. Festus. *Idem.*

E frugibus referre, &c.] Cum severant segetes, quoniam inauspicatum erat domo exportasse ut non amplius redituras, sementi statim facta, auspicii caussa fabam statim domum referebant pro frugibus; quod perinde erat, ac si domum eas retulissent: sic ominantes domum reversuras, nec in agro semper mansuras. Inde fabam 'referinam' vocabant. Turn. Advers. XXI. 25. qui et hic *referiva* reponit. Quod si admittimus, legendum potius *referinam* quam *referivam* putat Constantius. Ælius quidem cum dubitat apud Festum, an a refringendo vocabulum hoc trahatur, *refrina* videtur legisse. Sed recte Festus *refriva* quasi 'referiva' et 'refertitia,' ut conditivus, condititius. Vide Scalig. in eum locum. *Idem.*

Virgilius] Georg. lib. I. 'Vere fabis satio.' Seneca Epist. 87. 'An eo tempore (vere) ista ponenda sint, et an utriusque (fabæ et medicæ) verna sit satio, hinc æstimes licet. Junius mensis est, quo tibi scribo, item proclivis in Julium. Eodem die vidi fabam metentes et fabam serentes.' *Idem.*

Nec genicula habet molli calamo] *Octona genicula habent, sed molli calamo*, in codice antiquo. *Pintian.*

Simile caput papaveri, &c.] Caput simile vesparum rotundo favo; flos duplo major quam papaveris, colore omnino roseo. Theophr. In medio cujusque fabæ amarum quidpiam et viride est, contortum, e quo faba sata caulis prodit, laudatum Dioscoridi,

Galeno, Celso ad oculorum et aurium dolores, non autem faba tota amara. *Dalec.*

Cruda et omnino decocta] In Codice antiquo, *cruda et omni modo cocta.* Pintian.

Æquanimitatem fieri vescentibus ea] Hinc Rhod. XXIII. 22. 'lentos' dictos vult patientes, 'lenes,' minime iracundos, quamvis et pigros, incuriosos, segnes, sic etiam vocent. *Dalec.*

Salsilagine] Nitrosam naturam vocant medici: τῇ ἅλμῃ Theophr. Hist. VIII. 6. *Idem.*

Differentiæ plures] Plinius hoc inconsiderate. Cicerum tria genera. Arietinum, nigrum, Hetruriæ frequentissimum; in quo genere nullum candidum est; orobiæon, columbinum Plinio: malim orobinum, aut ervinum, colore, non magnitudine, orobi, sicut urinarum ὀροβοειδῆ ὑπόστασιν dixit Hippocrates, in cujus specie nullum album est; tertium ἀνὰ μέσον, colore inter nigrum et orobiæon medio. Præter hæc omnia et album dulcissimum, inquit Theophr. ἐπὶ πᾶσι· quæ voces Plinium fefellerunt, putantem significari, in omnibus generibus album reperiri, cum significent potius, præter omnia genera memorata candida inveniri. Orobiæon Columella II. 10. 'Puniceum' vocat, non, ut vulgo legitur, 'Punicum.' *Idem.*

Est et cicercula] Inepte Plinius deceptus nominis Latini similitudine cicerculam, λαθύροις, ciceribus adnumeravit. *Idem.*

Quod ervo simillimum] 'Ορόβιον et ὀροβιαῖον Græci vocant. Hoc Ciceris genus Galen. lib. VI. Simpl. et reliqui medici, acre, calidum, et amarum esse tradunt; sed arietinum cæteris διουρητικώτερον εἶναι. *Idem.*

Siliquæ rotundæ ciceri, &c.] *Siliquæ rotundæ ciceri, cæteris leguminum longæ, et ad figuram seminis latæ: piso Cylindratæ: passiolorum cum ipsis manduntur granis. Passiolus*, λοβός. Vide Salmas. p. 1029. a, b.

De rapis] Rapa Varroni de Ling. Lat. lib. IV. quasi *ruapa*, quod e terra ruantur. Verisimilius etymon a Græco ῥάπυς, Athenæo lib. IX. *Dalec.*

CAP. XIII. *De rapis, et napis Amiterninis.*

Rapaciorum] Rapiciorum, sub. cauliculorum; de quibus Cato c. 35. ut a lana lanicium, sic a rapa rapicium. Alii raporum folia exponunt. Asparagos raporum mandi etiam scripsit Dioscorides. *Idem.*

Sinapis acrimonia domita] De conditura illorum vide Columellam XII. 54. Muria condiri tradit Dioscorides. *Idem.*

Neque aliud in cibis tingi decet] Legendum reor *pingi*, non *tingi*, quia præcessit paulo ante, 'etiam coloribus picta.' *Pintian.*

Genera eorum, &c.] Theoph. Hist. VIII. 4. *Dalec.*

In latitudinem] Tale rapi genus, cujus radix oblonga, radiculam nostram imitatur. Itali hodie colunt in hortis. *Idem.*

Tertiam speciem silvestrem appellavere, in longitudinem radice procurrente, raphani similitudine, et folio anguloso scabroque, succo acri, qui circa messem exceptus, oculos purget, medeaturque caligini admixto lacte mulierum] Lapsus hic est Plinii nostri haud dubius, sed memoriæ, ob idque venia dignus; nam quod Theophrastus VII. 6. et Dioscorides lib. II. tribuunt lactucæ silvestri, Plinius rapo silvestri tribuit. Erroris causa fuit, quod de utroque Theophrastus pariter disserit: a quo frequenter in hac plantarum commentatione mutuo accipit Plinius. Ejus verba sunt: 'Rapa vel radice longa et modo raphani brevique caule consistit. Lactuca folio brevior quam sativa est, idque consummatum aculeatur et caule modo breviore perficitur. Succum acrem ac medicatum habet: nascitur inter

arva: liquatur per messem tritici, et purgare aquam intercutem dicitur, et caliginem arcere ab oculis et argemam auferre cum lacte mulieris.' *Pintian.*

Grandiora] In radicem alimentum verti. Theoph. *Dalec.*

In folia exeunt] In caulem. Theoph. *Idem.*

Napi, &c.] Columella II. 10. *Idem.*

Satus utrique generi justus] In locis riguis Columella seri jubet a solstitio: siccis vero ultima parte mensis Augusti, vel prima Septembris. *Id.*

Inter duorum numinum dies festos] Scribendum reor *intra*, non *inter*; sequitur enim non multo post, 'intra prædictum temporis spatium.' *Pintian.*

Neptuni atque Vulcani] Februarius mensis Neptuno sacer, September Vulcano. Vulcanalia quidem sub Augusti finem celebrari solita volunt. *Dalec.*

Questa luna procedente hieme] Sic legunt alii; sed sincerior et veræ propior lectio *præcedente*, quam *procedente*; nam saturus plantam præterita observat potius quam futura, quæ sunt auctore Isocrate incerta. *Pintian.*

Totidem luminum die] *Numinum* lego, non *luminum*; nam statim ante dixit, 'intra duorum numinum dies festos.' *Idem.*

CAP. XIV. *De lupino.*

De lupino] Theoph. Hist. lib. VIII. cap. ult. Colum. II. 10. *Dalec.*

Lupino est usus proximus, &c.] Leg. *Lupinorum usus promiscuus cum sit et homini et quadrupedum generi ungulas habenti communis, remedium ejus ne metentes, &c.* Salmas. pag. 460. b.

Et homini] Præsertim Cynicis olim, de quibus Horatius, 'quid distent æra lupinis.' Legumen enim id in pera semper gestare solebant: unde Aristoteles: Οὐκ ἀηδῶς γὰρ Κράτης, οὐκ οἶδα, φησὶν, πήρα δύναμιν ἥλικην ἔχει, θέρμων τε χοῖνιξ. Turneb. XXV. 29. *Dalec.*

Ne metentes fugiat, &c.] Theoph. Hist. IX. 10. Servius: 'Nonnulli proprie calamos lupinorum alas dici putant, ut Ælius; alæ ex lupino, surculi sine foliis. Cato in Originibus, Ala ex lupino. Memini tamen Varronem, de Lingua Latina, alam culmum fabæ dicere.' Hæc Servius. *Idem.*

Nec ullius, quæ seruntur, natura assensu terræ mirabilior est] Duo illa verba, *assensu terræ*, opinor non esse legitima. *Pintian.*

Terram amat, &c.] Theophr. I. 10. et I. 12. *Dalec.*

Etiam harenosa] Infra cap. 17. ultimo hujus libri: 'In solo autem rubricoso, vel pullo, vel harenoso, si non sit aquosum, lupinum serendum.' *Idem.*

Protinus seritur ex arvo] Scribo *area*, non *arvo*. Theophrastus lib. VIII. cap. ultimo: 'Lupinum,' inquit, 'licet robustissimum sit, tamen nisi protinus ab area terræ mandaveris, male proveniet, quemadmodum dictum est.' Et Columella XI. 10. *sparguntur statim ex area.* Pintian.

CAP. XV. *De vicia et ervo.*

De vicia et ervo] Columella II. 11. et XI. 2. Palladius lib. II. *Dalec.*

Et ipsum medicaminis vim, &c.] Vide infra XXII. 25. Ervi medicinas, inde de ervo quædam, et deinceps. *Idem.*

Noxium esse bubus] Pabulo suo eos reddere cerebrosos Columella tradit, II. 11. id est, gravedinosos. *Idem.*

CAP. XVI. *De fœno Græco, et farragine, et de ocymo, et medica, et cytiso.*

Silicia] Siliqua Columellæ II. 11. *Idem.*

Scarificatione seritur] Terra leviter scalpta. *Idem.*

Farrago] Γράστις et κράστις Græcis. *Idem.*

Deterrimum et tantum ad arcendam famem utile] *Teterrimum*, non *deterrimum*, rectius credo, ut protinus se-

quentia indicant. *Pintian.*

Farrago] Columel. II. 11. et Varro I. 31. *Dalec.*

Quod Cato ocymum vocat, quo sistebant alvum bubus] Legendum reor *ciebant*, non *sistebant*, ut patebit ex M. Varronis verbis quæ paulo post inseram. *Pintian.* *Cato*] Cap. 54. *Dalec.*

Id erat e pabulis segete viridi desecta antequam gelaret] Antiquum exemplar: *Id erat e pabuli segete viridi desectum antequam gelaret:* verissima lectione; sunt enim desumpta verba ex M. Varrone I. 31. 'Hoc amplius,' inquit, 'dictum ocymum, quod citat alvum bubus, et ideo iis datur ut purgentur. Id est e pabuli segete viridi sectum antequam generat siliquas.' Ex quibus Varronis verbis liquet, verba quæ statim sequuntur, *antequam gelaret*, vitiata esse, legendumque *antequam siliquaret*. Pintian. *Id erat e pabulis, segete viridi, &c.*] *Id erat e fabali segete viridi desecta antequam gignat siliquas*, ex Varrone ad verbum, Rei Rust. I. 31. ocymum Græcis dictum, vel quod crescat et desecetur celeriter, vel quod alvum citet pecudibus. Latinis, farrago, quasi 'ferrago,' quod ferro præpropere demetatur, vel a farre, quod far in eum usum principio satum sit. Est autem pabulum quadrupedum, præsertim equorum, mulorum, boum, vere collectum e segete viridi præcisa: Monspessulanis *Farrage*. Fiebat olim a fabali segete sola. Quidam, ut Manlius scripsit, addiderunt viciam et erviliam, utriusque partem quintam; quidam avenam Græcam. Varro miscet hordeum, viciam, et alia legumina. Monspessuli tritici, avenæ, hordei, et siliginis, quam *Paumole* vocant, purgamenta mixta seruntur: cum seges in tantum adolevit, ut propemodum caulis tenellus articulis incipiat distingui, pecus alligata fune, et ad statutum palum vel arborem revincta, immittitur quod depascat, ea medicina toto anno, ut credunt, valitura, et a morbis tuta immunisque futura. *Dalec.*

Avena Græca] Non silvestri, quam sterilem Virgilius appellavit. Avena Græca, bromos: avena cui semen cadit, ægilops. *Idem.*

Vocitatum ocymum] Apud Nonium in 'cogere.' Varro, Virgula divina, pancarpinion vocat: 'Sed pancarpinio ocymo subacto, Libamenta legens caduca veris.' Sic autem vocatum fuit, quod ex quovis frugis ac leguminis genere seratur. *Idem.*

Medica externa etiam, &c.] Theoph. Hist. VIII. 8. Colum. II. 12. *Dalec.*

Cum uno satu amplius quam tricenis annis duret] Scribo *denis*, non *tricenis*. Columella II. 11. 'Sed ex his quæ placet eximia est herba Medica. Quod semel seritur, X. annis durat.' Confirmat id Palladius V. 1. Item commodius legitur, *ut quæ uno satu*, quam, *ut cum uno satu*. Pintian.

Folia contrahuntur] Id porro est, quod ait Dioscor. cum recens prodit, pratensi trifolio similem esse: cum assurgit, foliis angustioribus fieri. *Dalec.*

Unum de ea et cytiso volumen Amphilochus fecit confusim] Verbum *fecit* desideratur in vetusto exemplari; quare in locum sequentis dictionis, *confusim*, substituendum reor *composuit*. Pintian.

Subigitur autumno] Proscinditur circa Cal. Octobr. Columell. *Dalec.*

Mense Maio] Mense ultimo Aprili. Columella. *Idem.*

Alias pruinis obnoxia. Opus est densitate seminis omnia occupari, internascentesque herbas excludi. Id præstant in jugera modia vicena. Cavendum ne aduratur, terraque protinus integi debet. Si sit humidum solum herbosumve, vincitur et desciscit in pratum. Ideo protinus altitudine unciali herbis omnibus liberanda est] Confusa et permixta omnia, ac velut de industria ad evertendum Plinium sic posita. Scribo: *Acias pruinis obnoxia. Cavendumque*

ne aduratur, terraque protinus integi debet altitudine unciali, internascentesque herbas excludi. Opus est densitate seminis omnia occupari. Id præstant in jugera modia vicena. Si sit humidum solum herbosumve, evincitur et descissit in pratum. Ideo protinus herbis omnibus liberanda est. Ex Columella II. 31. *Pintian.*

Verno seri debet] Nullo modo videtur legi posse *seri*; nam dictum ante est seri mense Maio, qui æstatis mensis est, non veris: quapropter *sarriri* legendum esse arbitror, non *seri*. Idem.

Remedium unicum est aratio sæpius vertendo donec, &c.] Scribo: *Remedium unicum est aratro vertere, donec, &c.* ex antiquo exemplari. *Idem.*

CAP. XVII. *De vitiis frugum, et remediis, quid in quoque terræ genere debeat seri.*

Et remediis] Theoph. Hist. VIII. 10. Caus. III. 27. *Dalec.*

Frumenti, &c.] Præsertim Zeæ. *Idem.*

Avena] Αἰγίλωψ Theoph. Avena calamina est tibia. Martialis: 'Dum tua multorum vincat avena tubam.' Virg. 'Silvestrem tenui Musam meditaris avena.' Avena, culmus, stipula. Virg. 'Exspectata seges vanis elusit avenis.' Avena herba segetes necans. Virgil. 'Infœlix lolium, et steriles dominantur avenæ.' Symmachus: 'Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit: sacrilegio annus exaruit.' Turn. XVII. 8. et XIX. 29. et XXX. 19. *Idem.*

Et hordeum in eam, &c.] Nusquam id Theoph. sed Caus. IV. 1. triticum et hordeum sola in lolium degenerare scribit. *Idem.*

Pulte vivunt] Eam hodie pultem quotidiano usu frequentissimam Germani vocant *habermous*. Idem.

Maturescere incipientibus] Augescente fructu, συναδρυνομένου τοῦ καρποῦ· cum magna et diuturna flatuum vis fuerit. Theoph. *Idem.*

Exinaniunt] Ξηραίνουσι καὶ ἀφαναίνουσι, *siccant et arefaciunt*, Theoph. qui et solem ex nube vocat ἐκνέφελον. *Idem.*

Imbribus secutis] Theoph. Caus. III. 27. cum post sementem Auster crebro spiraverit. Rationem, quam hic Plinius reddit, Theophrastus affert, cur in ervilia, cicercula, et piso vermes nascantur, ὅταν, inquit, ὑγρανθῶσι, καὶ θερμημερίαι γίνωνται. *Idem.*

Frumenta erodens] Theoph. quidem Hist. VIII. 10. in ervo phalangium, in tritico nasci cantharidem scribit, sed nusquam a cantharide triticum rodi. *Idem.*

Imber in herba utilis tantum, florentibus autem frumento et hordeo nocet] In quibusdam antiquioris impressionis codicibus: *Imber in herba utilis quarto. florentibus, &c.* lego: *Imber in herba utilis: quando florent autem, frumento et hordeo nocet*, ex antiquo exemplari. *Pintian.*

Rubos] Spinas, sentes, quibus terra occupatur, horrescit, squallet, et stat. His pestibus addit Festus, Scandulacam, volvuli genus, frugibus inimicum, quod eas hederæ modo impliciando necat: quidam orobanchen interpretantur. Idem Festus senticeta ea vepsices appellari dixit, quoniam spicatæ sunt, id est, aculeis munitæ et armatæ. *Dalec.*

Cœleste frugum vinearumque] Theophrastus Hist. VIII. 10. et Caus. III. 27. *Idem.*

Luxuria] Φυλλομανία, Theoph. Hist. VIII. 7. insana foliorum luxuria. *Id.*

Urica] Σφακελισμὸς, Theophrasto. Quidam *eruca*. Cicer ὑπὸ τῶν καμπῶν κατεσθίεσθαι scribit ille Hist. VIII. 10. Idem tamen c. 6. nulla τῶν καμπῶν facta mentione, σφακελίζεσθαι ait. Locus ex c. 10. hic est: τῶν δὲ σπερμάτων νοσήματα τὰ μὲν κοινὰ πάντων ἐστὶν, οἷον ἐρυσίβη, τὰ δ' ἴδια τινῶν, οἷον σφακελισμὸς τοῦ ἐρεβίνθου, καὶ τὸ ἀπὸ καμπῶν ἐσθίεσθαι, καὶ ὑπὸ φυλλῶν θηρίων, κ. τ. λ. *Idem.*

Orobanche] Orobanches circumplexu necari cicer et ervum tradit Plin. auctoritate Theophrasti nixus, Caus. v. 22. Alia orobanche est Dioscor. ut ejus descriptio monstrat. Hic tamen ex Theophr. loco supra citato, contra quam multi putant, censendum est, lolium amplexu suo triticum minime necare, sed quod, ut idem diserte ait, simul cum eo proveniat. Vide Hist. VIII. 8. *Idem.*

Æra] Theophrastus Caus. v. 22. Lolium non complexu triticum necat, sed, ut ait idem auctor, quia simul provenit. *Idem.*

Securidaca] Theophr. Hist. VIII. 8. Securidaca aphacam necat, non lentem. Pro ἀφάκην, Plinius legit φακόν. In lente nascitur aracus, durus et scaber, ejus pestis, itemque aparine. *Idem.*

Ateramnon] Τεράμονα et ἀτεράμονα legumina dicuntur, præsertim faba et lens. Theophrast. Caus. IV. 12. et 14. coquibilia et coctu difficilia, qualis est faba circa Philippos. Unde Plinius, aut ejus libertus auctorum Græcorum exscriptor, ex iis duabus vocibus herbarum nomina tam pueriliter ac ridicule somniaverit, cogitare non possum. *Idem.*

Remedia eorum] Columella II. 9. *Idem.*

Virgilius nitro et amurca perfundi jubet fabam] Virgilii versus sunt primo Georgicon: 'Semina vidi equidem multos medicare serentes, Et nitro primum et nigra perfundere amurca, Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset.' Ubi videtur summus Poëta universaliter præcipere de seminibus omnium leguminum, non tantum fabæ: sicque intelligit Servius grammaticus. Sed falli Servium, Plinium vero recte ad fabam Virgilianum carmen astringere, ostendit Columella II. 10. his verbis: 'Priscis rusticis, nec minus Virgilio, prius amurca vel nitro macerari eam, et ita seri placuit. Nos quoque sic medicatam comperimus, cum ad maturitatem perducta sit, minus a curculione infestari.' *Pintian.*

Sic etiam grandescere promittit] Vetus exemplar *promittens*, non *promittit*. *Idem.*

Præcipue adolescere putant] *Præcipuius* forma comparativa, et quidem notanda, in eodem. *Idem.*

In tegulis nascens tabulisve] Domicilium tabulatum Romanis antiquissimum fuisse Verrius auctor est. *Dalec.* *In tegulis nascens tabulisve*] Non minus recte legeretur, *tubulisve*. Pintian.

Vulgo vero si dulcedo necat] Scribendum arbitror, *Vulgo vero si sedum non sit.* Idem.

Deinde sarrire: si in articulum seges ire cœperit, runcare ne herbæ vincant] Hæc verba videntur mihi non pertinere ad præsentem locum; nec enim aut præcedentibus aut sequentibus bene cohærent. *Idem.*

Herba] Ejus rursum meminit infra II. 3. *Dalec.*

Inane] Camatian id vocant. Theophrast. *Idem.*

Neque est cura difficilis] Culturæ modus, inquit Theophr. ut quam diutissime restagnet, et maneat aqua, ejusque mora multus limus fiat, &c. ὥστε πηλὸν (non ὅλην) ποιῆσαι πολύν. *Idem.*

Catonis, &c.] Cap. 34. et cap. 6. *Id.*

In agro crasso] Agrum sine arboribus, crassum et lætum, frumentarium esse. *Idem.*

Si vero nebulosus sit. Idem raphanum, milium, panicum] Adde verbum *rapa*, ex Catone cap. 6. 'Idem rapa, raphanos, milium, panicum.' *Pintian.*

In creta et rubrica] Vide supra cap. 14. *Dalec.*

Adoreum] Far, frumentum. Hæc quæ antea cap. 6. edixerat, cap. 34. Cato repetit. *Idem.*

Lentem in frutectoso et rubricoso] Scriptum exemplar et reliqui codices

impressi, non *frutectoso* legunt, sed *fruteto:* scribo *rudeto.* Cato cap. 35. 'Lentim in rudeto et rubricoso, qui herbosus non siet, serito.' *Pintian.*

Hordeum in, &c.] Plutarchus libro de Causis naturalibus proverbium rusticorum memorat: Σῖτον ἐν πηλῷ, κριθὴν δ' ἐν κόνει. *In luto triticum, hordeum in pulvere,* id est, levi ac solubili terra. *Dalec.*

Quod restibile] Continuo biennio seri possit farrea spica, id est aristata, quod ne fiat, excipiunt qui locant prædia. *Verrius.*

Levior terra densiorque tritico] Scribendum puto *latior,* non *levior,* ut paulo ante dixit ex Catone seri. Nam *levior* et *densior* videntur inter se repugnare. *Pintian.*

CAP. XVIII. *De prodigiis frugum, et arandi disciplina, et vomerum generibus.*

Frugibus ostentum, &c.] Hujus meminit et Livius. *Dalec.*

Nilus ibi, &c.] Hæc omnia ex Herodoto lib. II. *Idem.*

Evagari incipit, ut diximus, a solstitio, aut nova luna] Particula *aut* superfluere videtur ex Plinio ipso v. 9. 'Incipit,' inquit, 'crescere luna nova quæcunque post solstitium est.' *Pintian.*

Botanismon] Βοτανίζειν dixit etiam Theophrast. ὑποτίλλειν τὴν βοτάνην. Rustici Lugdunenses, *herbéer.* Victor. XXXVI. 8. *Dalec.*

Culter vocatur, prædensam, &c.] Addit antiquum exemplar dictionem *infelix: Culter vocatur infelix:* ut forte scribi possit: *Culter vocatur in filicem,* vel: *Culter vocatur difficilem, prædensam, &c.* quia subdit paulo post, 'Tertium in solo facili.' *Pintian.*

Sed exacutior mucronem fastigiata] Dele verbum *sed,* et scribe *fastigata,* ut millies jam dictum est. *Idem.*

Planarati] Gallicum vocabulum integrum et incorruptum est *pflugradt:* quod alii in *plumarat,* alii in *planarat* detorserunt. Glareanus in Comment. Cæsar. *Dalec.*

CAP. XIX. *De temporibus arandi, et junctione boum.*

A bruma prœcindi] Theophr. Caus. III. 25. Cato c. 34. Colum. III. 2. II. 4. Virgilius Georg. I. *Idem.*

Vervactum] 'Rudis terra' Varroni I. 44. quæ jam diu culta non est; 'Restibilis,' quæ quotannis obsita fuerit: *vervactum,* in exemplaribus Columellæ manuscriptis 'veteretum,' quæ requiescit interdum. *Idem.*

Hoc in novali atque requieto necessarium] Duo illa verba, *atque requieto,* desiderantur in scripto codice. *Pint.* *Hoc in novali atque requieto necessarium*] Leg. *Hoc in novali æque necessarium.* Hinc *vervactum* et *novale* pro eodem. Vide Salmas. p. 732. a.

Araturos boves, &c.] Colum. II. 2. Varro I. 19. et 20. *Dalec.*

Securiculam, &c.] Falculam rustariam Cato vocat, qua ruri secantur rubi per agrum serpentes. Turn. XIII. 26. *Insitivam* hic quidam exponunt, urvo aut clavo insertam, ut ex eo pendeat. Quidam legunt *incisitivam* ab incidendo, sive, ut ait, intercidendo. *Dalec.* Pintianus legit *in stiva.*

Bovesque luctari] Græci ἀμπρεύειν id dicunt, nempe maximo nisu trahere, ἀπὸ τοῦ ἄμπρου, fune quo boves trahunt, vel ligno jugali, cui collum inserunt. Vide Rhodig. XXVI. 18. *Dalec.*

Versum peragi] Versus peragitur, cum, sulco ad finem perducto, iterum eo reditur, unde arationis principium est susceptum, qua ratione metaphoricῶs Varro dixit solstitium esse, cum sol ad versum proxime stat: et Pausanias βουστροφηδὸν γράφειν dixit eo modo scribere, contra quam nobis mos sit. *Idem.*

Striare] Scalig. ἐν τῇ τῶν κιόνων ῥαβδώσει, nempe virgata et canaliculata cælatura, striaturaque, depressus canaliculus στρὶξ dicitur; 'stria' vero

quod eminulum ac protuberans, instar virgæ, a summo ad minimum dirigitur. Inde Apuleio 'striata frons,' rugosa, caperata, rugis exarata. *Striare*, sive strigare; Græcis est ῥυμοτομεῖν, nempe lineis rectis per longitudinem διακρίνειν, ῥυμοτομεῖν στρατόπεδον. Josepho, ῥυμοτομεῖν καὶ διαμετρεῖν φιλοτέχνως Ἀλεξάνδρειαν. Diodor. Vide Scalig. Append. Virgil. *Dalec.*

Sulco dodrantali] 'Sulcus' Varroni de Re Rust. qua aratrum vomere lacunam fecit in striam. Quod inter duos terræ elatæ est, 'Porca,' quod in ea seges frumentum porrigit, vel a porcendo, id est, prohibendo, apud Nonium, quià ultra se jaci semen prohibet. *Idem.*

Rulla] An *rallo*, id est, rallo præfixus? Rallum, ferramentum quo raditur vomer, et inhærente terra liberatur, atque purgatur, nomen habet a radendo. Legi potest et *ralla*, quam vetus Lexicon ξυστῆρα exponit. *Turneb.*

Male aratur, &c.] Veterum Romanorum id dictum fuisse, Columella scribit. *Dalec.*

CAP. XX. *De occando, et quodam arationis genere, et de iteratione et resectione.*

Occatio] Occare Verrio ab occædendo, quod grandeis glebas cædant et comminuant, quod etiam Varroni de Re Rust. lib. I. scriptum est. Ciceroni vero, in Catone Majore, et Sereno apud Nonium, ab occæcando, quod jactas satasque fruges occulat, abdat, tegat, et quasi occæcet. Prius etymon secutus Gaza in vertendo Ciceronis Catone βωλοκοπίαν appellavit. Plaut. in Captiveis: 'Sartor satorque scelerum, et messor maxime. B. Non occatorem prius audebas dicere; Nam semper occant priusquam sarriunt rustici.' Victorius II. 24. Scalig. in Festum 'occare' dictum putat ab occa, id est, rastro. *Idem.*

Et sato semine iteratio] Leg. *et sato semine tertiatio.* Vide Salmas. pag. 729. b.

Hæc quoque ubi consuetudo patitur] Scribendum puto, 'Occa quoque ubi,' &c. *Pintian.*

Crate dentata] Vetus lectio non *dentata*, sed *contenta* præfert; ut scribendum forte sit *contexta*. Verba autem quæ mox paulo sequuntur, *operientes semina*, adventitia arbitramur. *Idem.*

CAP. XXI. *De cultura terræ.*

Soli tristitiam laxat temporibus vernis] *Teporibus* verior lectio, quam *temporibus*; præcessit enim, *hiberno rigore.* Idem.

Leguminum cicer eadem quæ far desiderat] *Fabæ*, non *far*, vetus exemplar. *Idem.*

Silicia] Pro *silicia*, quod et cap. 24. habetur, scribe *silicula* vel *silicla*. Gr. βουκέρως. Salmas. p. 244. a.

Nocturno tactas rore nutriens] Non *tactas* in vet. exemp. sed *tectum* habetur, ut scribendum putem *tantum.* Pintian.

CAP. XXII. *De summa fertilitate, et bifera vite, et aquarum differentia.*

Tacape] Supra XVI. 27. vites etiam triferas esse docens: 'Hoc autem,' inquit, 'evenit perpetuo in Tacapensi Africæ agro, de quo plura alias: ea est soli fertilitas.' *Dalec.*

Aquarum quoque differentia magna riguis est. In Narbonensi provincia nobilis fons, Orge nomine est] Scribo: *Aquarum quoque differentia magna riguis. Est in Narbonensi provincia nobilis fons, Orge nomine;* nam verbum *est* in fine positum non legitur in antiquo exemplari. *Pintian. Aquarum quoque differentia magna riguis est*] Fundit is fluvium, quem Sulgam Strabo vocat: incolæ etiamnum *Sorgue.* Dalec.

Ut mersis capitibus] In Ligeri amne, qua per Vellannios fluit, passim hoc idem boves faciunt, et in Sebu-

sianorum piscinis. *Idem.*

CAP. XXIII. *De qualitate terræ et stercoratione.*

Eo condito raphanus] Leg. *Eo condito rapa: his sublatis hordeum rursus vel triticum sicut in Campania.* Vide Salmas. 782. b. Sequentia sic legenda: *et vernam fabam recipiat, ut ante hiemalem ne cesset.* Hiemalis faba, quæ hiberna satione terræ mandabatur circa Vergiliarum occasum, ut reliqua sementiva. *Salmas.* pag. 783. a.

Si hæc omissa sit stercoratio, sequens est prius quam serat ante pulverem] Scribendum conjicio: *Si hæc omissa sit stercoratio, sequens est prius quam sarriat jactus pulveris.* Ducunt me in hanc correctionem verba Columellæ II. 6. 'Si tamen,' inquit, 'aliqua causa tempestivam stercorationem facere prohibuerit, secunda ratio est, antequam sarrias, more seminantis ex aviariis pulverem stercoris per segetem spargere; si is non erit, caprinum manu jacere, atque ita terram sarculis permiscere. Ea res lætas segetes reddit.' Confirmat hoc ipsum Palladius X. 1. Sed omnino verba hic aliquot desiderari videntur, ut Plinio cum utroque auctore conveniat. *Pintian.*

Quod] *Quod* hoc loco, *sed.* Cœlius ad Ciceronem: 'Quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura.' *Aldus in Cæsarem.*

Justum est singulas vehes fimi denario ire in singulas pecudes minores, in majores denas] Lego non *denario*, sed *die triceno.* Columella II. 15. 'Parum autem diligentes existimo esse agricolas, apud quos minores singulæ pecudes tricenis diebus minus quam singulas, itemque majores denas vehes stercoris efficiunt.' *Pintian.*

CAP. XXIV. *De bonitate seminum, et disciplina seminandi, et quantum ex quoque genere frumenti in jugero serendum, et temporibus serendi.*

Semen optimum anniculum] Theoph. Hist. VIII. 11. *Dalec.*

Plus seminis recipere] Idem cap. 6, lib. eod. Columel. II. 18. *Idem.*

Religiosumque inde primum colonis augurium] Scribendum reor, *Religiosumque id et pessimum colonis augurium.* Theophr. VIII. 6. 'Quanquam dici soleat alias plus, alius minus eandem recipere segetem, infaustoque augurio capiant cum plus receperit. Terram enim esurire atque esitare protinus semen existimant.' Addit autem exemplar antiquum verbum *videtur*; *Religiosum id videtur, et pessimum, &c.* Pintian.

Æqualiter spargere] Ut in terram æquali copia cadant, et tempore, tam curiosa in hoc veterum diligentia, ut quæ in projectu vel cornua boum ferirent (κεράσβολα vocabant) existimarent ἄφορα, ἀτελῆ, dura, ἀτέραμνα, et minime bonæ frugis. Theoph. Plutarchus, Rhodig. XXX. 1. qua ratione et Plato κεράσβολον hominem appellavit horridum, agrestem, inconditum. Hac æqualitate cavent et ἐπισπορίαν, malum ingens, cum in exceptum jam terræ semen alterum injicitur. *Dalec.*

Serere in jugero temperati] Varro I. 44. Columel. ibid. *Idem.*

In denso aut cretoso aut uliginoso solo tritici aut siliginis medios sex] Scribo *modios quinque.* Columella II. 9. 'Siliginis autem vel tritici, si mediocriter cretosus aut uliginosus ager est, etiam plus, quam ut prius jam dixi, quinque modiis ad sationem opus est. At si siccus et resolutus locus est, idemque vel pinguis vel exilis est, quatuor.' Idem error corrigendus paulo post. *Pintian.*

In soluta terra et nuda et sicca et læta] Duo illa verba, *et nuda*, non sunt in vetere exemplari. *Pintian.*

Segetem ne defruges] Cato c. 5. Ubi et Fulv. Urs. varias affert lectiones, præsentique consimilem ex Columel. *Dalec.*

Exortus est occasus, &c.] Hieme sicca et suda, vere pluvio et humido fœcundam segetem esse monstrat hoc carmen veteris Poëtæ apud Festum: 'Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.' Expressit et Virgilius illam sententiam his versibus: 'hiberno lætissima pulvere farra, Lætus ager, nullo tantum se Mœsia cultu Jactat, et ipsa suas mirantur Gargara messes.' Cato: 'Agro sicco per sementim, læto per ver.' Plutarch. in Quæst. Nat. διὰ τί λέγεται, σῖτον ἐν πηλῷ φυτεύετε, τὴν δὲ κριθὴν ἐν κόνει; Ratio est, quod πυροφόρος χώρα πίων καὶ βαθεῖα, κριθοφόρος δὲ μᾶλλον λεπτόγεως. Camillus, παῖς ἀμφιθαλὴς, *puer patrimus matrimusque*. Dalec.

Custodiri enim semen corrumpente humore, et a proximo imbre uno die erumpere] Scribo: *custodiri enim semen incorruptum ut horreo, et a proximo imbre, &c.* Columella II. 8. 'Sed si quod evenit, nonnunquam seri sunt imbres, quamvis sitienti solo recte semen committitur: idque etiam in quibusdam provinciis, ubi status cœli talis est, usurpatur; nam quod sicco solo ingestum et inoccatum est, perinde ac si repositum in horreo non corrumpitur: atque ubi venit imber, multorum dierum sementis uno die surgit.' *Pintian.*

Inter omnes autem convenit circa brumam serendum non esse] Legendum videtur alterutro modo, aut, *citra brumam serendum esse*; aut, *ultra brumam serendum non esse.* M. Varro I. 34. 'Post brumam, nisi quæ necessaria causa coëgerit, non serere: quod tantum intersit ut ante brumam sata quadragesimo die vix exeant.' *Idem.*

Inter Favonium] Spirare is incipit circa 7. aut 8. Februarii. Lugdunenses vocant *le vent fueillet*, quod arborum folia eliciat. *Dalec.*

In Quinquatrus] Celebrantur in honorem Minervæ per quinque dies eæ feriæ, XV. Kalend. April. Postremus dies Tubilustrium vocabatur. *Idem.*

Misceri posse cœlestem divinitatem imperitiæ] Addendum verbum *rusticæ*, ex codice scripto, *imperitiæ rusticæ*. Pintian.

CAP. XXV. *Digestio siderum in noctes et dies.*

Digestio siderum in] Columel. XI. 2. *Dalec.*

Quod προχειμάζειν Græci vocant: nunc postveniente, quod ἐπιχειμάζειν: et plerunque alias citius, alias tardius cœli effectu ad terram deciduo, vulgo serenitate reddita confectum sidus audimus] Non aliter *confectum sidus* dici solebat, quam ubi tempestas, quæ sideris erat effectus, deciderat, ac desævierat, &c. ἐπιχειμάζειν vocat cum tempestatis significatio post sidus venit, *Salmasius* p. 425. b. *Quod prochimazin Græci vocant*] Προχειμάζειν Festus dicit *præsiderare*, cum maturius et ante sideris tempus hiberna tempestas præcurrit: ἐπιχειμάζειν, cum post venit. Itaque cum a sideribus oriri videantur tempestates, ubi hæ præteriere, et sua cœlo reddita est serenitas, confectum sidus dicitur. Turneb. Advers. III. 10. 'Confectum sidus' et auctor posthac dicit cap. 28. cum Solstitium peractum est, et supra II. 41. *Dalec.*

Interveniunt motu stellarum grandines] Lege, *Interveniunt motus stellarum, grandinum, imbrium, et ipsi non levi effectu.* Interveniunt motus stellarum, qui et ipsi non levem effectum habent grandinum et imbrium; nam licet siderum motus majore effectu sint, non levi tamen et ipsi sunt stellarum motus, in excitandis imbribus et grandinibus. *Salmas.* p. 426. a.

Proventum eorum ter repetito frigore extinctum] Elegantius et magis ex consuetudine Pliniana casu auferendi, *proventu eorum ter repetito frigore extincto*, et verba quæ paulo ante præcedunt, *ob infirmitatem animalis*, non esse Pliniana existimo, sed ex-

positionem super verbum *extincto*. Pintian.

Chaldæa, Ægyptia, Græca] Vitruv. IX. 7. Cicero de Divinat. lib. I. *Dalec.*

Non intercalaretur] De hac observatione vide Alex. ab Alex. III. 23. *Idem.*

Maximeque hæc erit Italiæ ratio, dicemus tamen et aliorum placita. Id quoniam non unius, &c.] Dele conjunctionem *que*, et pronomen *id*, e vet. lectione. *Pintian.*

Nota ex his terris quas nominavimus, sumpta convexitate circuli pertinentis ad quas quisque quæret terras, et ad earum siderum exortus] Scribo, *Ergo ex his terris, quas nominavimus, sumpta convexitate circuli pertinentis ad quas quisque quæret terras, iidem erunt siderum exortus*, ex eadem. *Idem.*

Ardores suos habere quadrinis annis] Legendum reor *cardines*, non *ardores*, ut paulo post: 'Cardo temporum quadripartita anni distinctione constat.' *Idem.*

Cardinibus] Solstitiis et æquinoctiis. *Dalec.*

Stellæ] Quæ illius exortum præcesserant. Occasus hic est Heliacus. *Idem.*

Emersum] Hic est ortus Heliacus. *Idem.*

Alio modo] Exortus et occasus dicuntur cosmici Astrologis. *Idem.*

Diebus XCIII. horis XII. usque ad æquinoctium autumni. Et tum æquata dies] Scribe, *diebus XCII. horis XII. Deinde diminuitur usque ad æquinoctium autumni diebus XCI. horis XII. Et tum æquata, &c.* tum ex Plinio ipso hoc præsenti libro infra, numerante ab æquinoctio verno ad solstitium dies 91. et a solstitio ad æquinoctium autumnale 92. tum ex ratione calculi id deposcente. *Pintian.*

Procedit ex eo ad brumam diebus LXXXIX. horis III.] Scribendum, *XCII.* non *LXXXIX.* alioqui non efficitur debita summa dierum anni 365. et horarum 7. astipulante etiam mox Plinio ipso. *Idem.*

Æquinoctiales] Duodecim, in quas diem prisci Romani diviserunt, quod ut Gal. scribit lib. de peccatorum cujusque cognitione, numerus ille sit commodissimus, quia dimidium contineat, duplum, quartum, sextum, duodecimum, quæ nullus alius, usque ad vigesimum quartum. Quamobrem in herciscunda hæreditate, ponderibus et mensuris, potius quam alius quivis usurpatus est Magius v. 15. *Dalec.*

Articulis temporum] Intervallis et sectionibus temporum. Varro lib. I. a cap. 27. ad 37. *Idem.*

Fidiculæ occasus autumnum inchoat die XLV.] Verior lectio quorumdam exemplarium, *XLVI.* nam a solstitio ad æquinoctium autumni dies sunt 92. et statim ante dixit: 'Rursus hi cardines singulis etiamnum articulis temporum dividuntur per media omnes dierum spatia.' *Pintian.*

Vergiliarum matutinus occasus hiemem die XLIII.] Lego *XLIV.* ex ipso Plinio II. 27. 'Post id æquinoctium diebus fere quatuor et quadraginta Vergiliarum occasus hiemem inchoat.' Repetit hoc ipsum libro præsenti, infra. *Idem.*

Ab æquinoctio, &c.] Legend. *Ab æquinoctio verno initium æstatis die quadragesimo octavo Vergiliarum exortu matutino.* Vide Salmas. p. 742. b. *Ab æquinoctio verno æstatis die XLVIII. Vergiliarum exortus matutinus*] Scribo, *die XLVI.* non *XLVIII.* nam æquinoctium vernum Plinio in sequentibus est, VIII. Calendas Aprilis, hoc est 25. die Martii, exortus autem Vergiliarum matutinus est VI. Idus Maias, hoc est 10. die Maii. Sunt ergo a 25. die Martii ad 10. diem Maii dies 46. Præterea ab æquinoctio verno ad solstitium dies sunt 92. quorum pars dimidia sunt 46. et ostendit paulo ante, cardines anni singulis etiamnum articulis temporum dividi per media omnes dierum spa-

tia. *Pintian.*

Sidus vehement Orionis] Musæo θρασὺς Ὠρίων, Homero σθένος Ὠρίωνος. Sic porro vocaverunt Poëtæ, quod Pleionem matrem Pleiadum eum persequi tradant, ut vim afferat. De Vergiliis vide II. 41. *Dalec.*

Longo decedat spatio] *Decidat*, non *decedat*, in antiquo exemplari, hoc est, occidat. *Pintian.*

Sementibus tempora] Leg. *Sementis tempora plerique præsumunt*, &c. *Xenophon antequam Deus signum dederit. Hoc Cicero noster imbre fieri interpretatus est*, &c. Salmas. 734. a.

Tempora plerique præsumunt] Varro I. 34. Columel. XI. 2. *Dalec.*

Adveniente Coronæ exortu] Brevius in antiquo exemplari, *a Coronæ exortu.* Pintian.

Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad tertium Idus Novembris, ut diximus, servant, quoniam id sidus etiam vestis institoris est] Scribo: *Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant aliqui, ad tertium Idus Novembris ut diximus. Servantque id sidus etiam vestis institores*, ex eodem codice. Legere tamen mallem *hoc ipsum*, quam *hoc ipso*, et *observant* potius quam *servant.* Idem.

Aliqui ad III. Idus Novembris] Leg. *Aliqui ante diem tertium Idus*, &c. Sed quinam illi 'aliqui?' Vide Sal. 736. a. Sequentia lege: *Quoniam id sidus vestis institor est:* quare hoc sidus *vestis institorem* appellet, in sequentibus explicat. Et in præcedentibus lege: *At ab æquinoctio ad brumam Vergiliarum matutinus occasus die quadragesimo quarto.* Vide Salmas. ibid. p. 736. a.

Quibus est cura insidiandi negociatoris avaritia] Scribendum reor *negotiatoribus*, non *negotiatoris;* et verbum *avaritia* falso adjectum puto. *Pintian.*

Jam vero semper viridis] Constant. in Geoponicis libro XI. Ἡ δὲ σχῖνος τρεῖς καρποὺς φέρει, καὶ εἰ μὲν ὁ πρῶτος καρπὸς καλὸς γένηται, τὸν πρῶτον σπορὸν καλῶς καρποφορεῖν σημαίνει, ὁμοίως δὲ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Aratus: οὐδὲ μέλαιναι Σχῖνοι ἀπείρητοι... Τριπλόα δὲ σχῖνος κυέει, τρισσαὶ δέ γε αὖξαι Γίνονται καρποῖο· φέρει δέ τε σῆμαθ' ἑκάστη Ἑξείης ἀρότῳ, καὶ γὰρ ἀροτήσιον ὥρην Τριπλόα μείρονται, μέσσην, καὶ ἐπ' ἀμφότερ' ἄκρας. Idem et de scilla, quam etiam ut Lentiscum σχῖνον vocant, prodidit Theophr. Hist. VII. 12. quod et rursum confirmat Aratus his verbis: Ὅσσα δ' ἐπὶ σχίνου ἀροτὴρ ἐπιδράσσατο καρπῷ, Τόσσα καὶ ἐν σκίλλης τεκμαίρεται ἄνθεϊ λευκῷ. *Lentisci in fructu quod servat rusticus, albo In flore et scillæ servandum existimat idem.* Dalec.

CAP. XXVI. *Replicatio totius culturæ, et quid quoque mense in agro fieri oporteat.*

Bubus glandem tunc] Cato cap. 54. Columel. XI. 2. in Octobri. *Idem.*

Faces incidere] Et, ut ait Virgilius, inspicare, id est, in spicæ modum fingere. *Idem.*

Stella regia] Claram stellam Columella vocat, et occidere VI. Calend. Februarias tradit. *Idem.*

In æquinoctium] Varro I. 29. *Idem.*

Hirundinis visu] Ab hirundinis visu et Chelidoniam et Ornithiam olim Favonium vocaverunt. Supra II. 47. *Idem.*

Arcturi exortu] Columel. oritur IX. Calend. Mart. *Idem.*

Cancri exortu id fieri] Variam tempestatem, nunc Africo flante, nunc Austro, nunc ventis Septentrionalibus, nunc Favonio. Columel. *Idem.*

Orionis] Sidus id Plautus in Amphitruone 'Jugulam' vocat, quod, ut ait Festus, cæteris sit amplior nucis juglandis magnitudine. Locus Plauti citatur II. 8. *Idem.*

Vegetissimum agricolis] Opportunissimum, tempestivissimum ad obeunda ruris opera, ὡραιότατον. *Idem.*

Non utique sexto Idus Februarii] Legendum videtur *VII. Idus*, non *VI.* ex M. Varrone I. 28. et Columella XI. 2. quorum traditionem videtur re-

fellere. *Pintian.*

Sed sive ante quando prævernat, sive post quando hiemat] *Quando prævernat*, id est, quando præmature ver incipit. *Quando hiemat*, hoc est, quando hiems nondum deseviit. In priore verbo elegans est compositio: posterius ex Græco χειμάζειν translatum est. *Gelen.*

Serantur vero ulmi, populi, platani, uti dictum est] Lego *fraxini*, non *platani*, tum quia superius XVII. 11. de populo, ulmo, fraxino disseruit; quem locum videtur hic demonstrare, cum dicit, 'uti dictum est;' tum quia patet evidenter desumptum ex Columella hunc locum XI. 2. 'Populos,' inquit, 'et salices et fraxinos prius quam frondescant, plantasque ulmorum tunc ponere utile.' Porro verbum *vero* superfluit ex codice antiquo. *Pintian.*

Faba vero non antequam trium foliorum] Scribo, *faba vero non antequam quattuor digitorum*, ex Columella XI. 2. his verbis: 'Sed et faba eandem curam exigit, si jam coliculus ejus in quattuor digitos altitudinis creverit.' *Idem.*

Scrobes fieri, seminaria propagari] Vitiatissimus locus, et omissis non paucis verbis mutilatus. Monstrat hoc Cato ipse cap. 40. 'Per ver,' inquit, 'hæc fieri oportet: sulcos et scrobes fieri: seminariis vitiariisque locum verti, vites propagari: in locis crassis et humectis ulmos, ficos, poma, oleas seri oportet.' Ex quibus verbis liquet paulo infra post verbum *oleas* addendam esse vocem *seri.* Id.

Prata stercorari luna sitiente] *Silente*, non *sitiente*, Cato ipse cap. 50. *Idem.*

Ficus interpurgari] Scribe *interputari.* Cato cap. 50. 'ficos interputato.' Eodem verbo usus est Varro I. 30. 'Oleam seri interputarique oportet.' *Idem.*

Hæc antequam vinea florere incipiat] Lege, *Hoc antequam vineam fodere incipias.* Cato c. 50. 'Seminaria facito et vetera resarcito. Hoc facito antequam vineam fodere incipias.' *Idem.*

Postea utique gravissima et aquosissima, ita postremo arato] Scribo, *uti quæque*, non *utique*; et *crassissima*, non *gravissima.* Cato eodem c. 50. 'Vere arare incipito, et loca primum arato quæ siccissima erunt: et quæ crassissima et aquosissima erunt, ea postremum arato, dum ne prius obdurescant.' *Idem.*

Hæc ter florent] Lentiscum et Narcissum ter florere, nec verum est, nec aliquis scribit. Lentiscum autem constat, trino veluti conatu, quem concepit, fructum maturare et perficere. Id quod ostendit arandi tria tempora. *Dalec.*

Suculæ occidunt] Columellæ occidere incipiunt prid. Id. Aprilis: absconduntur vero prorsus XIV. Calend. Maias. *Idem.*

Palilicium] A Paliliciis feriis, quibus pastores Pali pabuli Deæ sacrificabant, ut pecudes a morbis ea tueretur. *Idem.*

Hyadas] Hesiodo νύμφαι, ἃς Ὑάδας καλέουσι φῦλ' ἀνθρώπων, sunt quinque, Phæsole, Coronis, Cleia, Phæa, Eudora, Atlantis filiæ. Proclo vero Diadocho septem, et diversis nominibus: Stelæno, Sterope, Merope, Electra, Alcyone, Næa, Taygeta. Vide Rhodig. XVI. 16. et supra II. 39. *Hyadas* dictas putat Rhodig. XXIX. 6. a forma Y, cujus imagine tauri frontem delineant. Vide II, 8. *Idem.*

Quod nostri a similitudine cognominis] Verbum *quod* puto delendum esse. *Pintian.*

Vergiliarum exortus] Nonis exoriuntur, sed hoc die totæ apparent. Columel. *Dalec.*

Dedecus enim habetur] Hoc sumptum est e dicacibus prætereuntium viatorum convitiis, quibus vinitores tanquam serius vitem colentes lacessunt in probrum ignaviæ et desidiæ

otii. Ausonius in Mosella: 'inde viator, Riparum subjecta terens, hinc navita labens Probra canunt seris cultoribus.' Turneb. II. 7. Adv. Erasmus proverbio, 'Cuculus.' Vide X. 9. *Idem.*

Primo vere ludantur] Id est, ineunte, 'novo' Virgil. πρώτου καὶ νέου ἔαρος: ut *medio*, vel *adulto*, ἀκμάζοντος, μεσοῦντος: provecto, senescente, extremo, prono, præcipiti, παυομένου, λήγοντος, ἀπιόντος, φθίνοντος. Summam hiemem, mediam brumam Cicero dixit pro lege Manlilia. Hadrian. Junius I. 19. *Idem.*

Auspicio tamen detestabiles videntur] Puto hæc verba adulterina esse. *Pintian.*

Estque signum illius maturitatis et horum sationis commune] In eodem, *Signum illius maturitati et horum sationi commune*, cætera desiderantur. *Idem.*

Cum germinare videris, &c.] Theophrast. de Caus. I. 21. *Dalec.*

CAP. XXVII. *Ne agricolæ aspiciant stellas, sed magis tempora serendæ frugis: et ortus occasusque sideris, in quibusdam herbis, et de stellarum ortu et occasu.*

Ergo opera] Varro I. 30. et 31. Cato c. 40. Columel. XI. 2. *Idem.*

Orionis gladius occidere] Paulo antea id fieri dixit XI. Calend. Junii. *Idem.*

Faba metitur, deinde concutitur] Legendum ex scripto codice, *cuditur*, non *concutitur*, astipulante etiam Comici proverbio: 'In me hæc cudetur faba.' *Pintian.*

CAP. XXVIII. *De pratis et reparatione prati, et cotibus, et falcibus, et descriptio frugum et siderum.*

Prata circa, &c.] Cato c. 50. et 53. Varro I. 49. Colum. XI. 17. 18. 19. Palladius c. 10. Septembris. *Dalec.*

Relinqui debent] Relinqui dicuntur prata, cum solum nec aratur, nec conseritur, sed ad herbæ fœnique proventum summittitur. *Idem.*

Minnuli] Quidam *mimmulum* esse volunt, herbam latis, longis, magnis, duris foliis, proceram, nascentem in paludosis pratis, quam vix boves comedunt, nedum equi. Rustici vocant *des leches.* Genus ferme id caricis est. Alii legunt *nummulum*, et herbam esse putant, quam a rotunditate foliorum nummis pari etiamnum officinæ *nummulariam* vocant, tam noxiam pecori, ut ea degustata oves ulceratis pulmonibus tabidæ intereant. Herbam et morbum rura vocant *la clavelée.* Idem.

Siliqua, &c.] Vide XXVI. 13. Joannes Baptista Persii interpres legit ex vetusto codice, *duram, hærendo*; ac vulgatis sæculo suo exemplaribus adnotavit scriptum fuisse, *dira ferendis.* Siliquam autem ononin vocat, quoniam semen latum fert in exiguis siliquis. Est autem molestissima fœnisecibus, quoniam et firmis durisque stipitibus aciem falcis retundit, et rigidis spinis suis crura vulnerat. Scio tamen a Columella II. 11. Siliquam vocari 'fœnum Græcum.' Siliquam nonnulli siliquata omnia vocant, ut viciam, aphacam, quæ paulo laboriosius demetuntur. Colum. II. 18. inter ea, quæ pratis nocent, refert stirpes, spinas, herbas validioris incrementi, rubos, virgulta, juncos, intyba, solstitiales spinas, quas quidam esse volunt *les chaussetrapes*; alii vero spinæ genus, quod provinciales vocant *aureoles.* Idem.

Equiselis est] Vide XXVI. 13. *Idem.*

Transmarinisque cotibus] Ad barbaros eas ferre, tanquam illicitas merces, prohibet l. Cotem § illicitarum. ff. public. Brissonius IV. 4. *Idem.*

Italus fœnisex dextera una manu secat] Expendendum an *ima* potius quam *una* legi expediat; nam quia paulo ante dixerat, in Galliæ latifundiis herbas medias secari, quod fieri nequit nisi sublata et celsa manu, ideo subdit: *in Italia fœnisecas ima manu secant herbas.* Pintian.

Suum cuique consilium dabit optimum, maxime quadrigarum quæstus] Scribo: *suum cuique consilium dabit, optime maxime quadrigarum quæstu;* nam et antiquum exemplar *optime* habet, non *optimum*. Idem.

In hoc usque a bruma dies creverunt sex mensibus. Sol ipse ad Aquilonem scandens ac per ardua enixus] Aliter in eodem: *In hoc usque tempus a bruma crescunt dies, crevit et sol ipse; ac per ardua emensus, &c.* quæ postrema verba vitiosissime scripta sic pro tempore corrigo, *crevit et sol ipse ac peractis sex mensibus*. Cui correctioni videntur favere verba mox paulum sequentia: 'aucturus noctes aliis sex mensibus.' *Idem.*

Vertit oleæ ante pedes] Eleganter hæc Plinius e Theoph. Hist. I. 16. et Caus. II. 26. *Dalec.*

Sexto Calendas Junii, &c.] Leg. *Sexto Calendas Julii Cæsari Orion exoritur, Zona autem ejus quarto Nonas, Assyriæ; Ægypto vero procyon, &c. hoc est minorem canem, ut in astris pingitur, ad æstum magnopere pertinens.* Προκύων Græcis μικρὸς κύων dicitur: *minusculum canem* vocat Vitruvius. Ergo canicula Plinio qui Græcis προκύων, sic dictus quod ante canem oriatur, vel quod indicet canis ortum. Vide Salmas. pag. 429. b. 430. a.

Sole partem primam, &c.] Lege: *Sole partem primam Leonis ingresso, post solstitium XXIII. die.* Salmas. p. 430. a.

Suis locis diximus] Lib. II. cap. 40. et vina in apothecis XIV. 18. *Dalec.*

Et veneratio] De sidere Caniculæ et augurio canario vide multa apud Rhodig. XVII. 27. Ejus augurii meminit Festus. Ceos quotannis ortum Caniculæ diligenter servare, conjecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne, an pestilens annus futurus sit, tradit Cicero de Divinat. lib. I. Cujus moris initia vide apud Victorium XIX. 21. explicata ex interprete Apollonii Argonaut. II: Κέω δ' ἔτι νῦν ἱερῆες Ἀπόλλων προπάροιθε κυνὸς ῥέζουσι θυηλάς. *Idem.*

Ferunt Democritum, qui primus intellexit, &c.] Thaleti hoc, non Democrito tribuitur, ut Hermolaus probat ex Aristotele et Cicerone: potuissetque etiam citare Diogenem lib. I. *Pintian.*

Prævisa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu] Puto luxatum esse verborum ordinem, legendumque, *prævisa olei caritate futura ex Vergiliarum ortu;* quanquam verbum *futura* adjectitium puto. *Idem.*

Ostendemusque jam plenius] Vetus lectio *planius*, non *plenius;* quod et rectius; quia sequitur paulo infra: 'Quas equidem miscebo agrestibus negociis, quam potero, dilucide atque perspicue.' *Idem.*

Restituisse mercedem anxiæ et avidæ dominorum pœnitentiæ] Lego *mercem*, non *mercedem*, ex veteri lectione, et paulo post *assectatoribus*, non *sectatoribus*, in eadem: et ita sane loqui magis Plinius consuevit. *Idem.*

Vis major appellatur] Vis major in frugibus et terræ fructibus 'divina' Ulpiano dicitur ff. de damno infecto. l. fluminum § vitium autem. Eidem calamitosa tempestas ff. de loc. et cond. l. ex conducto, eodem tit. Caius exponit τὴν θεόφιν. De hominibus id loquendi genus usurpat Cicero pro Plancio, et Seneca de Benefic. lib. IV. 'Vadimonium promittimus, tamen deseritur: non in omnes datur actio: deferentem vis major excusat, id est, inevitabilis necessitas.' Vide Lexicon Stephani. Porro calamitosam grandinem a dæmonibus immitti, scribit Theophrast. Caus. V. 9. *Dalec.*

Aliis carbunculum] *Caniculam* legit Turneb. Adversar. XXIV. 23. eamque interpretatur siderationem et carbunculationem, qua sata afflantur et ad sterilitatem castrantur, cum Canicula insana messes coquat, æstuosoque impetu suo omnia torreat. *Id.*

CAP. XXIX. *De tempestatibus utriusque temporis, et remediis sterilitatum.*

Contra congruunt] Orbis, quo sol vehitur, centrum habet aliud quam terra et suæ conversionis spatio inæqualiter a terra discedit. Solis vero centrum cum terræ centro congruit, quo momento fiunt æquinoctia. Æquinoctiorum enim principia, et, ut aiunt vulgo, puncta, centrum terræ Mathematici vocant, quoniam in his mediam terram æqualiter Sol dividit. *Idem.*

Ribigalia] Varro Agricult. I. 1. *Idem.*

Quod post dies undeviginti ab æquinoctio verno] Scribo *undetriginta*, non *undeviginti*. Nam æquinoctium vernum, ut supra ostensum est c. 36. conficitur VIII. Calendas Apriles, hoc est 25. die Martii, a quo transactis 29. diebus occurret tibi 24. dies Aprilis: post quem ad quartum diem Calendas Maias, hoc est, ad 28. diem Aprilis, reliqui sunt dies quatuor, quod est Plinii quatriduum. Opinor autem hæc verba alio ordine scribenda esse, hoc pacto: *Quod post dies duodeviginti ab æquinoctio verno in IV. Calendas Maias, id quatriduum varia gentium observatione Canis occidit.* Pintian.

Floralia quarto, &c.] Floralia primus fecit Caius Servilius, Caii filius, anno DXLV: anno eo magister equitum, dictatore T. Manlio Torquato, deinde ædilis curulis. Livius lib. XXVII. *Dalec.*

Vinalia] Vinalia, dies quo Jovi calpar, id est, vinum novum demptum ex dolio sacrificii causa, offerebant his verbis apud Catonem, 'Macte hocce vino inferio esto,' ne reliquum, unde calpar promptum fuerat, sacrum esset, eripereturque humanis usibus, sed libato calpari religione solveretur. Vocabatur et id Sacrima, præsertim cum polluxissent, et adolevissent suffimenta ex faba, et milio molito, sparsa mulso. *Vinalia*, Græcis *πιθοίγια*, festus dies, inquit Proclus, quo doliis reseratis cum servis et mercenariis vini porum communicabant, precantes *ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τὴν τοῦ φαρμάκου χρῆσιν*, quemadmodum et Romani musto primum gustato dicebant boni ominis gratia: 'Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor.' Joannes Grammaticus *πιθοίγια* in mensem *ληναιῶν*, vel *ληναιῶνα* incidere putavit, id est, Januarium. Fiebant vero Athenis undecima die Prostaterii. De his sequentes Hesiodi versus exponunt: *Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι, Μεσσόθι φείδεσθαι· δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.* Rhodig. XXVIII. 25. Plutarchus Symp. III. *Τοῦ νέου οἴνου Ἀθήνησι μὲν ἑνδεκάτῃ μηνὸς κατάρχονται, Πιθοιγίαν τὴν ἡμέραν καλοῦντες· καὶ πάλαι γε, ὡς ἔοικεν, εὔχοντο, τοῦ οἴνου πρὶν ἢ πιεῖν ἀποσπένδοντες, ἀβλαβῆ καὶ σωτήριον αὐτοῖς τοῦ φαρμάκου τὴν χρῆσιν γενέσθαι.* Idem lib. VIII. ejusdem: *γλεύκους δὲ ζέοντος ἀεὶ ἀφαιρεῖσθαι καὶ τοὺς ἐργάτας δεδιότας ὁρῶμεν. Idem.*

Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint: exhorrent enim frigidum sidus Arcturi, &c.] Vetus codex: *Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sorbi develim, exhaurit enim frigidum sidus Arcturi.* Scribendum forte: *Aliud hoc quatriduum est quo neque rura herbida velim. Exurit enim, &c.* Pintian.

Item XIII. Calendas Augusti cum Aquila occidit] Codices Parmensis impressionis *IV.* legunt, non *XIII.* verius; subscribit iis vetus Arati Latinus interpres. Sed magis est ut *III.* scribatur ex Columella XI. 2. Quod autem sequitur, *Usque in X. Calendas ejusdem*, scriptus codex aliter habet, *usque in Calendas easdem*, ut supra etiam notavimus. *Idem.*

Autumni esse] Autumnus ab augendo; unde et Græcis *τελεσφόρος ὥρα*,

et Latinis *autumnitas*, fructuum proventus. Varro in Quinquatribus: 'Cape ad hanc caducam Liberi mollem dapem De frende Bromiæ autumnitatis nobilem.' Nonius. *Scalig.* Autumnus, quasi Auctumnus, ut fartor, farctor, autor, auctor, sartor, sarctor. *Dalec.*

Neque negaverim posse eam permutari arbitrio legentium, locorum æstimantium naturas] Depravatissimus locus: imprimis verbum illud *arbitrio* expungendum reor, tanquam falso insertum. Reliqua sic scribo: *Neque negaverim posse ea permutare algentium locorum æstuantiumque naturam;* nam et antiquum apographon *æstuantium* habet, non *æstimantium*. Pintian.

Et in hoc mirabilem admirari benignitatem naturæ succurrit] Brevior et magis Pliniana ejusdem lectio: *Et in hoc mirari benignitatem naturæ succurrit:* cætera superfluunt. *Idem.*

Earum quoque lege divisum] Scribendum reor *horarum*, non *earum;* vocat enim 'horas' quatuor illa anni tempora vulgo nota, ut alias dictum est. Correctionem hanc comprobant statim sequentia: 'Æstate interlunia, hieme plenilunia.' *Idem.*

E diverso vireonem prodire ipso die solstitii] Scribo *chlorionem*, non *vireonem*, tum ex eodem exemplari, tum ex ipso Plinio x. 29. Aristoteles quoque ix. 22. de Nat. Anim. *chlorionem* vocat. Theodorus *vireonem* vertit, unde nata est occasio depravandi Plinii. *Idem.*

Sarmenta] Columel. de Arboribus c. 13. *Dalec.*

Leviter uri a vento ut per totam vineam fumus dispergatur] Scribendum arbitror alio ordine: *leviter uri, ut a vento per totam vineam fumus dispergatur.* Pintian.

Si fictili novo obruatur rubeta rana] Ultimum verbum non esse auctoris existimo, sed expositionem præcedentis a lectore insertam. *Idem.*

Opera rustica, &c.] Varro i. 33. Columel. xi. 2. *Dalec.*

Aream ad messem creta præparare Catonis sententia amurca temperata] Scribo *terra*, non *creta*, ex Catone ipso cap. 128. 'Aream ubi frumentum teratur sic facito: confodiatur minute terra, amurca bene conspergatur et combibat quam plurimum: comminuito terram, et cylindro aut pavicula coæquato: ubi coæquata erit, nec formicæ molestæ erunt, et cum pluet lutum non erit.' Ex his Catonis verbis conjicio verba Plinii hoc ordine concipienda esse: *Aream ad messem præparare terra amurca temperata, Catonis sententia.* Pintian.

Creta] Quæ formicarum et herbarum inimica est, talparum venenum. Varro. *Dalec.*

Catonis, &c.] Cap. 91. Columel. ii. 20. Varro i. 51. Palladius vii. 1. *Idem.*

Cap. xxx. *De messe, et tritico, et palea, et frumento servando.*

Duabus rotis per, &c.] Huic metendi industriæ plurimum lucis affert oratio Palladii magis dilucida et perspicua. *Idem.*

Stipulæ alibi media falce] Aliter Varro: 'Falce,' inquit, 'secundum terram succidunt stramentum, et manipulum quemque, ut subsecuerunt, ponunt in terra. Ubi eos fecerunt multos, iterum eos percensent, ac de singulis secant inter spicas et stramentum. Spicas conjiciunt in corbem atque in aream mittunt. Stramenta relinquunt in segete, unde tollantur in acervum.' *Idem.*

Atque inter duas mergites spica distringitur] Legendum reor, *Alibi inter duas mergas spica distringitur.* Columella ii. 21. 'Sunt autem metendi genera complura. Multi falcibus vericulatis, atque his vel rostratis vel denticulatis, medium culmum secant: multi mergis: alii pectinibus.' De

mergis autem Sextus Pompeius: 'Mergæ furculæ sunt, quibus acervi frugum fiunt, dictæ a volucribus mergis; quia ut illi se in aqua mergunt dum pisces persequuntur, sic messores eas in fruges demergunt, ut elevare possint manipulos.' *Pintian.*

Pectine manuali sigillatim legunt Galliæ] *Manali* in antiq. Cod. non *manuali*, et alio ordine: *Panicum et milium sigillatim pectine manali legunt Galliæ.* Pintian. *Pectine manuali legunt, &c.*] Mergis et pectine quosdam spicas legere, idque facillimum esse in rara segete, difficillimum in densa, Columella scribit. 'Pectinem manualem' auctor vocat manubrio affixum. Legendi illa ratio est, ut pectine subdito extans spica præscindatur, quemadmodum fit in tondendo capillo. *Dalec.*

Tribulis] Tribulum Varroni, tabula ferro, vel lapide asperata, quam insidente auriga, vel addito grandi pondere gravatam juncta jumenta trahunt. Traha vero, sive plostellum Pœnicum asserum compagem, et tabulatum dentatum cum orbiculis. In ea sedet auriga, qui agitat trahentia jumenta. *Idem.*

Alibi contra, &c.] Vid. Fulv. Ursin. ad Varr. p. 59.

Virgilii præconio] 'Sæpe etiam steriles incendere profuit agros, Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.' *Dalec.*

Horrea operosa, &c.] Columel. I. 6. Varro I. 57. Vitruvius VI. 9. *Idem.*

Sunt qui rubeta rana] Rursus hic, et ubicunque post octavum librum adjecta fuerit vox *rana*, persuasum habeo superfluere. Neque enim est brevitatis Plinianæ, cum abunde in octavo descripserit rubetam, ranam, toties in sequentibus inculcare; *rubeta rana, rubeta rana*, quasi de industria vellet tundere. *Pintian.*

Inimica innasci necesse] *Vitia innasci*, non *inimica*, archetypum nostrum legit; cui subscribit Plinius ipse in calce hujus capitis: 'Sed brevissima observatio quod vitiis carere velis.' *Idem.*

Absinthio] Coriandrum et conyzam laudat Pallad. *Dalec.*

Siros] Colum. et Varro locis citatis, nimirum speluncas, vel puteos subterraneos. Cryptas Vitruvius appellat VI. 8. *Idem.*

Fabam et legumina] Theophrast. Hist. VIII. 10. ad Apolloniam maris Ionii fabam nullo pacto rodi scribit, et ideo quam diutissime servari. *Idem.*

Oblita cinere] Illitus e cinere fiebat, cinere in modum gypsi temperato, id est, aqua spissius diluto et commixto. Columel. XII. 43. *Idem.*

Alii qui in salsamentariis cadis gypso illinunt: alii qui lentem aceto laserpitiato respergunt] Permuta locum verbi illius *lentem*, ut legas sic: *Alii qui lentem in salsamentariis cadis gypso illinunt: alii qui aceto laserpitiato respergunt.* Columella II. 10. de lente disserens: 'Tum in sole siccata et radice silphii trita cum aceto aspergatur, defricetur æque. Ita rursus in sole siccata et mox refrigerata condatur; si major est modus, in horreo; si minor, in vasis oleariis salsamentariisque. Quæ repleta cum confestim gypsata sunt, quandocumque in usus prompserimus, integra reperiemus.' *Pintian.*

CAP. XXXI. *De vindemia, et autumni temporibus.*

Initiumque hiemis in, &c.] Leg. *Initiumque hiemis. In his intervallis significant pridie Idus Augusti Atticæ equus exoriens, vesperi Ægypto, &c.* Vide Salmas. p. 734. b.

Stella quæ Vindemiator appellatur] *Vindemitor*, non *Vindemiator* in V. C. Idem vitium mox paulo corrigendum. *Pintian.*

Ejus argumentum erunt acini colore mutati] Scribo, *Ejus argumentum e-*

runt vinacea colore mutata. Columella XI. 2. 'Naturalis autem maturitas est, si cum expresseris vinacea, quæ acinis celantur, jam infuscata et nonnulla propemodum nigra fuerint; nam colorem nulla res vinaceis potest afferre nisi maturitas, præsertim cum ita in media parte acinorum sint, ut et a sole æstuante et a ventis protegantur; humorque ipse non patitur ea præcoqui atque infuscari nisi suapte natura.' *Idem.*

Democritus, Eudoxus, Ion] Postremum auctoris nomen redundat, ex codice antiquo: recte; nam cum cæteri hic citati in Indice et elencho libri memorentur, *Ionem* nequaquam invenies. *Idem.*

Asiæ et Cæsari V. Calendas Heniochus occidit] Ex ratione ipsa calculi, etiam si refragentur cuncta exemplaria, legendum est utrobique *Nonas*, non *Calendas*. Sed confirmat id etiam Columella XI. 2. *Idem.*

Postridie occidunt Hædi vesperi] Scribo *oriuntur*, non *occidunt*. Columella XI. 2. 'Pridie Nonas Octobris Hædi oriuntur vesperi. Octavo Idus Octobres Coronæ clara stella oritur.' Quæ verba si cum Plinianis conferas, nihil desiderabis. *Idem.*

Napos, raphanos serere quibus diximus diebus] Vetus codex non *napos, raphanos* legit, sed *panaphos*; ut forte scribi possit, *rapa, napos*; nam subdit: 'vulgus agreste et rapa post discessum ciconiæ male seri putat.' *Idem.*

Præcocia] Matura frumenta. Columella. Ut far, adoreum, et opacis locis triticum. *Dalec.*

Vindemiam antiqui, &c.] Varro I. 54. Columella XII. 18. Cato cap. 23. Palladius cap. 11. Septemb. *Idem.*

Cum ad palmitem, &c.] Cum vinacea, sive grana acinorum, fusca vel nigra fuerint. Pallad. *Idem.*

Acino plurimum refert, si contigat crescente luna vindemiare] *Acinos pluris refert, &c.* in vet. cod. *Pintian.*

Pressura] Pressuram vocat, quantum uvarum in superposita cavea pedibus pressarum lacus vinarius accipit. *Dalec.*

Culeos] Culeus 20. amphoras continet, et urnas 40. Fannius: 'Est et bis decies quem conficit amphora nostris Culleus: hoc nulla est major mensura liquoris.' De mensuris liquidorum vide annotat. Philandri in Vitruv. VI. 9. *Idem.*

Pes justus] 'Pedem justum' dici arbitror justam exactamque mensuram liquidorum, quæ omnes alias continet (est enim culleus omnium vini mensurarum maxima) ad pedis similitudinem, qui justo modo inferiores alias mensuras colligit, nempe uncias, ut alii volunt, duodecim, ut alii, sedecim: non autem brisam, et vinaceorum scapos sive scipiones cum folliculis, quos pedem Columella vocat lib. XII. vulgo, *le marc, la grappe, la gene.* Idem.

Unum sufficit torculum] Vitruvius VI. 9. Cato cap. 12. 13. 18. Columella I. 6. Varro I. 54. *Dalec.*

Premunt aliqui singulis] Torculum id Pœnicum esse volunt, cujus meminit Varro in Gerontodidascalo: 'Vineis ubi ambla cella, torculare Pœnicum.' Apud Nonium. *Idem.*

Congeriem] Vel tignorum vel lapidum, quorum gravitas ponderi addat. *Idem.*

Oraculum] Flexum, tortuosum, ambiguum, perplexum dictum: quo præcipitur, post diem vindemiæ præstitutum serum esse vasa picare, et quæ vindemiæ usui sint comparare, cum antea prompta esse oporteat, ne moram ferat maturus fructus. Turneb. XXX. cap. 34. *Idem.*

Frigidum, &c.] Frigido picare pro nihilo duci: eo sensu, inutile esse, intempestivum, et nihili, vasa, dolia fricare, radere, pice linire, ad excipiendum vinum præparare, cum jam

cœlum frigidum esse incipit, ut Septembri mense, cum autumnus iniit; opus enim id rusticum faciendum est adhuc æstuoso cœlo, longe antequam vindemiæ tempus advenerit. *Dalec.*

Vina effundi priora] Cum apotheca plena est vini veteris, nec condendo musto vasa parata et vacua sunt. Turn. XXX. 34. *Idem.*

Sævitia insidiantium caritati civili. Sed æqui patrisfamilias modus est annonæ cujusque anni uti] Vetus codex: *sævitia insidiantium caritati civilis æqui. Patria familias modus est annona cujusque anni uti*: scribo: *sævitia insidiantium caritati. Civilis et æqui patrisfamilias modus est annona cujusque anni uti.* Posset etiam legi: *Civilis et æqui patrisfamilias modus est annonæ cujusque anni utilitate;* ut vilitas respondeat caritati, cui dixit quosdam insidiari. *Pintian.*

CAP. XXXII. *De Lunari ratione.*

De Lunari ratione] Varro I. 37. *Dal.*

Virgilius etiam in numeros, &c.] Georg. I. 'Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna, Fœlices operum quintam fuge,' &c. *Idem.*

Democriti sequutus ostentationem] Mirum est omissam hac in parte a Plinio Hesiodi mentionem, quem sequutum esse Virgilium in digestione quorundam operum in numeros Lunæ, ex primo Georgicon volumine notum est, et confirmat Servius grammaticus. Quare æstimandum hic est, legine debeat non *ostentationem*, sed *et Hesiodi rationem.* Pintian.

Omnia quæ cæduntur] Theophrast. Hist. v. 1. *Dalec.*

Stercus, nisi decrescente] Hoc nimirum est, quod Germanicus Cæsar suis commentariis scribit in Aratum, augmenta detrimentaque Lunæ non solum terram sentire, sed et lapides, et cerebra, et lætamina, quæ Lunæ crementis ejecta vermiculos pariunt. Denique Lunæ crementis abscissa ligna furfuraceis tinearum terebramentis fistulascere. Hadrian. Jun. VI. 20. *Idem.*

Intermenstrua] De Luna intermenstrua Fulv. Ursin. ad Varr. de Re Rust. I. 37.

Quoties ab ortu solis orietur] Scribo *occasu*, non *ortu*, hoc est, post occasum solis. *Pintian.*

Dextante sicilico] Lib. II. c. 14. licet dodrantes semuncias horarum. Dextantem sicilicum unius horæ. Budæus de Asse lib. I. decem uncias cum quarta unciæ parte interpretatur. *Dalec.*

CAP. XXXIII. *De ventorum ratione.*

De ventorum] Arist. de Mundo c. 3. Vitruvius. *Idem.*

Cardo, &c.] 'Ultratus' veteribus, auctore Frontino, et 'citratus,' quod ultro Septentrionem habeat, et citra Meridiem. *Idem.*

Hoc est in decimo pede] Melior lectio: *hæc est in decimo pede:* ut sit schema parenthesis. *Pintian.*

Quæque alia præcipimus] Scribendum haud dubie *præcipiemus*, non *præcipimus;* reservat enim præceptum in caput proximum, ut ex eo constabit. *Idem.*

Æstate contrahente se umbra, pecudem a sole in opaca ducito] Aliter vetus codex: *Æstate contrahente se umbra solis, pecudes in opaca ducito.* Idem.

Sicut hieme et vere si in rorulentum duceres. Nec contra septentrionem paveris supradictum. Claudunt ita, lippiuntve ab afflatu et alvo cita pereunt] Morbum hunc lippitudinis seu gravedinis et alvi citæ, non flatui septentrionis, sed rori hiemis verisque Columella tribuit VII. 3. Quapropter suspicor verba hæc vitioso ordine ab allucinante librario scripta esse, disponendaque et legenda hoc modo: *sicut hieme et vere si in rorulentum duceres, lippiunt enim et alvo cita pereunt. Ne contra septentrionem paveris supradictum: claudunt ita ab afflatu.* Columellæ verba subtexui: 'Hieme et vere matutinis temporibus intra septa contineantur, dum dies arvis geli-

cidia detrahat; nam pruinosa his diebus herba pecudi gravedinem creat, ventremque proluit.' *Idem.*

Cludunt] Oculos aperire nequeunt. *Dalec.*

Qui fœminas concipi voles, in hunc ventum spectantes iniri cogito] Scribendum, *Qui mares concipi voles, &c.* alioquin committes Plinium cum Columella, et, quod gravius est, cum Aristotele, ex quibus Columella VII. 3. 'At si res,' inquit, 'exigit ut plures mares progenerandi sint, Aristoteles, vir callidissimus rerum naturæ, præcepit admissuræ tempore observare siccis diebus halitus septentrionales, ut contra ventum gregem pascamus, et eum spectans admittatur pecus. At si fœminæ generandæ sunt, austrinos flatus captare, ut eadem ratione matrices ineantur.' Hæc Columella. Aristoteles autem de Gener. Animal. IV. 2. sic disserit: 'Flatibus item aquiloniis magis quam austrinis mares gignuntur;' et mox paulo: 'Nec non pastores aiunt interesse ad maris ac fœminæ pecoris fœturam, non solum si ita accidit, ut initus aquiloniis austrinisve flatibus fiat, sed etiam si cum pecus coit, spectat ad aquilonem aut austrum.' Probat id quoque auctoritate Didymi Heron Græcus auctor Geopon. XVIII. Nec tantum a prædictis scriptoribus Plinius dissentiret, sed, quod esset intolerabile, a se ipso, qui capite sequente mares aquiloniis flatibus, fœminas austrinis procreari tradit. Sed persuasum habeo verba hæc Pliniana non esse; cur enim anticipasset hic Plinius quod statim cap. proximo dicturus erat? *Pintian.*

CAP. XXXIV. *De limitatione agrorum.*

De limitatione agrorum] Vide Julium Frontinum, et M. Junium Nypsium, Columellam V. 1. et 2. Varronem I. 10. *Dalec.*

Umbilicus] Vide γνώμων in Lexico Const. Hæc machina respondere videtur æneo gnomoni (Sextus Pompeius 'gnomam' vocat) in amussis medio collocato, quem Vitruvius describit I. 6. *Indagatorem umbrarum*, σκιαθήραν, id instrumentum Græci vocant. *Idem.*

Decumanus] Jurisconsultis limites, qui populo iter præbent, alii sunt decumani, lati pedes 40. alii cardines, lati pedes 20. alii Actuarii, lati pedes 12. alii subruncivi, lati pedes 8. Cujacius Observat. c. 2. Vide Politianum Miscell. c. 86. Antiquis *decumanus* dicebatur 'dextratus' et 'sinistratus,' quod Orientem ad dextram habeat, Occidentem ad sinistram. *Idem.*

Prædoctus esto] *Prædictus*, non *prædoctus*, nec *præmonitus*, in veteri codice: cui lectioni videtur Plinius ipse favere, scribens paulo post: 'Ac quæcunque aquilo prædicitur,' &c. *Pintian.*

Rationem convexitatis mundi reddit, quia contrarius Aquilo Africo flat] Legendum arbitror: *qua contrarius hic, non Aquilo Africo flat;* nam Aristoteles secundo Meteoron illos duntaxat ventos contrarios esse ait, qui ex diametro distent, non eos qui e regione positi se mutuo spectent. Itaque secundum eum non contrarius Cæcias Argestæ, neque Eurus Lybi, sed Cæcias Lybi, et Eurus Argestæ. *Id.*

Mollit sidera æstate media] Ardorem Caniculæ lenit. Vide II. 47. *Dal.*

Aquilonem prænunciat terra, &c.] Legit Robertus Stephanus in Dictionario: *Aquilonem pronuntiat terra siccescens, sed rorescens repente Austrum immiscet humescens in rore occulto.* Unde hanc lectionem eruo: *Aquilonem prænuntiat terra siccescens: humore occulto rorescenti, repente Auster imminet.* Idem.

CAP. XXXV. *Prognostica tempestatum.*

Prognostica tempestatum] Virgilius Georg. I. et Aratus. *Idem.*

Etenim prædicta ratione ventorum] Scribendum reor, *Et jam prædicta*

ventorum ratione; hoc enim ordine verba posita sunt in vetusto codice. *Pintian.*

Quod si in exortu fiet ita ut rubescant nubes] *Quod si in exortu aut occasu fiat, ita ut, &c.* ex vetust. cod. *Idem.*

Si rubicunda] Aratus: λεπτὴ δὲ καὶ εὖ μάλ' ἐρευθὴς Πνευματίη. Virgil. 'Ac si virgineum suffuderit ore ruborem, Ventus erit,' &c. *Dalec.*

Si quartam orbis rutilus] Virgilius: 'Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor.' Aratus tertium æque ac quartum spectat usque ad διχόμηνον. Theophr. τετράδας, ὀγδοάδας, καὶ πανσελήνους. Biod. III. 13. *Idem.*

Discurrere eæ videntur] Arist. in Probl. 25. *Idem.*

Aquam in triduum præsagient] In vet. cod. non *in triduum*, sed *in pertriduo;* ut forte scribendum sit, *in posterum diem.* Pintian.

Si cacumina pura fient, disserenabit] *Dies serenabitur,* non *disserenabit,* in eodem, et mox paulum *flatum,* non *ventum.* Idem.

Vel in vallibus sedentes] Verior lectio *sidentes,* ut illud Ovidianum, 'subsidere valles.' favet et vetus exemplar. *Idem.*

Fungi] Fungus is fuligo et favilla est, cum fumo egressa, quæ aëris crassitie cohibita, in lucerna residet ac madet, atrique fungi imaginem reddit. Virgilius: 'Nec nocturna quidem carpentes fila puellæ Nescivere hiemem, testa cum ardente viderent Scintillare oleum, et putres concrescere fungos.' Aristoph. ἐν Σφηξί: Οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐχ ἡμερῶν τεττάρων τὸ πλεῖστον Ὕδωρ ἀναγκαίως ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι· Ἔπεισι γοῦν τοῖσιν λύχνοις οὑτοιὶ μύκητες· Φιλεῖ δ', ὅταν ᾖ τουτί, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα. Victorius XVIII. 14. et XXXIII. 21. Aratus: Ἢ λύχνοιο μύκητες ἀγείρονται περὶ μύξαν. Callimach. Εὖτ' ἂν λύχνου δ' αἰρομένου ἄδδην ἐγένοντο μύκητες. Theophr. de Signis Ventorum, pluviæ, &c. καὶ οἱ μύκητες, ἐὰν νότια ᾖ, ὕδωρ σημαίνουσι. *Dalec.*

Item cum in eo pendentes coacervantur scintillæ] In vet. cod. *Item cum in eone pendentes.* Scribendum forte non *eone*, sed *fune.* Pintian.

Carbo adhærescit] Apud Aratum et Theoph. ollæ impositæ suo tripodi complures scintillæ. *Dalec.*

Mare si tranquillum in portu a cursu stabit et murmuraverit intra se] Vetus Codex præfert: *Mare si tranquillo in portu cursu stabit: murmuraverit, ut intra se.* Scribendum arbitror: *Mare si tranquillo in portu cursitabit, murmuraverit ut intra se.* Hoc verbo *cursito* non multo ante usus est Plinius. Item exemplaria quædam composita forma *commurmuraverit* habent, non *murmuraverit.* Pintian.

Litora ripæque si, &c.] Theophr. ἀκτὴν βοῶσαν, αἰγιαλὸν ἠχοῦντα, dixit. *Dalec.*

Lanugo, &c.] In Arato: Ἤδη καὶ πάπποι λευκῆς γήρειον ἀκάνθης. Spinam albam interpretes exponunt Cinaram. Plinius substantivum esse putavit, non adjectivum, qui populum intellexerit. Avienus sic vertit: *Jamque super latices florum volitare senectam.* Idem.

Delphini tranquillo] De hac re vide multa prodita a Rhodigino VIII. 6. *Idem.*

Loligo volitans] Hujus rei causam reddit ex Plutarcho idem XXIV. 28. *Idem.*

Ranæ] Cicero Epist. II. ad Atticum: 'Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt.' *Ranæ* enim ῥητορεύουσι. Aratus: Ἢ μᾶλλον δειλαὶ γενεαί, ὕδροισιν ὄνειαρ, Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων. Mur. Variar. I. 20. *Idem.*

Et fulicæ] Ἢ τρύζει ὀρθρινὸν ἐρημαίη ὀλολυγών, Aratus. Theoph. vero: Καὶ ἐρώδιος ὄρθριον φθεγγόμενος ὕδωρ ἢ πνεῦμα σημαίνει. Turneb. XXV. 13. ἐρώδιον Cicero *fulicam*, κέπφον. *Mergum* Virgilius reddit τὴν αἴθυιαν. Idem tamen Theophr. scribit: Καὶ ὀλολυγὼν ᾄδουσα μόνη ἐν ἀκρωρείαις, χειμέριον. *Idem.*

Mergi maria aut stagna fugientes] In veteri codice: *Mergi, caviæ, maria aut stagna fugientes.* Lego *raviæ*, non *caviæ*: avis genus, Græce λάρος Aristoteli. *Pintian.* *Mergi maria*] Vide Turn. Adversar. XIX. 22. *Dalec.*

Corvique, &c.] De corvi præsagio Theophrasti editum exemplar mutilum est. Turn. XXV. 13. sic legisse visus est: Κόραξ, πολλὰς μεταβάλλειν εἰωθὼς φωνὰς, ταύτην ἣν δὶς φθέγξηται, καὶ ἐπιῤῥοιζήσῃ, καὶ αὐτὸν τινάξῃ, ἂν διατελῇ, ἀνέμους σημαίνει· ἐὰν δὲ μιμῆται τῇ φωνῇ τοὺς σταλαγμοὺς, καὶ ἐὰν μὴ τὴν εἰωθυῖαν φωνὴν ἵῃ, καὶ ἐπιῤῥοίβδην, ὕδωρ. ἐπιῤῥοιζεῖν de pennarum susurro et stridore exponit. Avienus de voce his verbis: 'et tenui cum strident gutture corvi.' Ego vero per onomatopœiam interpretor, vocem intra fauces refluentem, revocatam, et quasi strangulatam edere, ut corvi solent interiori gutture murmurantes. *Idem.*

Cornix] De cornice Aratus. In terra prope littus emineus, cum tempestas incipit, demisso capite cornix stat: παρ' ἠϊόνι προυχούσῃ Χείματος ἐρχομένου χέρσῳ ὑπέκυψε κορώνη. Virgilius: 'Et sola in sicca secum spatiatur arena.' Theophr. κορώνη ἐπὶ πέτρας καθεζομένη, (alii κορυασσομένη, *crocitans*,) ἣν κῦμα κατακλύζῃ, ὕδωρ σημαίνει. *In scopulo, vel saxo, quod undæ circumverberant, cornix sedens, pluviam nuntiat.* Idem.

Quæque in arboribus] De Querquedula id Varro in Sarrano: 'Aut frigidos nimbos aquæ caduciter ruentis Præinnuere aquatiles querquedulæ natantes.' Scalig. apud Nonium. *Idem.*

Ardea in mediis] Ut Milvus. Varro in Sesquiulysse: 'Lugere volitans milvos visus, aquam e nubibus tortam indicat fore, ut tegillum sibi sumat pastor.' Nonius. Virg. de Ardea: 'notasque paludes Deserit, atque altam supra volat Ardea nubem.' *Id.*

Et boves cælum, &c.] Arist. Hist. Animal. VI. 21. *Idem.*

Seque lambentes] Theophrastus: Καὶ τὴν προσθίαν ὁπλὴν λείξας, *et anteriorem ungulam pedis lingens*: sententia valde diversa. *Idem.*

Aut ova progerentes] Plutarch. De Animal. Prud. τὰς δὲ τῶν σπερμάτων ἐκθέσεις καὶ διαψύξεις ἐκτὸς, ὑετοῦ ποιεῖται σημεῖον Ἄρατος· Καὶ κοίλης μύρμηκες ὀχῆς ἐξ ὤεα πάντα Θᾶσσον ἀνηνέγκαντο, κ. τ. λ. καί τινες οὐκ ὤεα γράφουσι, ἀλλ' ἤϊα, τοὺς ἀποκειμένους καρποὺς, ὅταν εὐρῶτα συνάγοντας αἴσθωνται, καὶ φοβηθῶσι φθορὰν καὶ σῆψιν ἀναφέρειν. Idem et Theon Arati interpres. Leopardus VII. 26. Virgilius: 'Sæpius et tectis penetralibus extulit ova Angustum formica terens iter.' Politianus: 'Progerit ova cavis patiens formica laborum.' *Idem.*

Vermes terreni] Aratus, σκώληκες Κεῖνοι τοὺς καλέουσι μελαίνης ἔντερα γαίης. *Idem.*

LIBER XIX.

PROŒM. *Non minus conferunt rura deprehendendo cœlo, quam sideralis scientia agro colendo. Proximam multi hortorum curam fecere*] Error est in suppunctione verborum. Scribo: *non minus conferunt rura deprehendendo cœlo, quam sideralis scientia. Agro colendo proximam multi, &c.* Pintian.

Miramurque quosdam scientiæ gratia eruditionis suæ gloriam ex his petentes] Scribendum: *Miramurque quosdam scientiæ gratiam, eruditionisve gloriam, &c.* Idem.

Audax vita: scelerum plena, &c.] Legend. *Audax id, at scelerum plenum aliquid seri ut ventos, procellas ut capiat, nec parum esse et fluctibus solis vehi. jam vero nec vela satis esse majora navigiis, sed, &c. præter quæ in proris alia, et alia in puppibus pandi, &c. tam non alte ab tellure tolli: neque id viribus suis niti, sed fractum tusumque et in mollitiam lanæ coactum injuria ac summa audacia eo pervenire. Nulla execratio sufficit contra invictorem dictum suo loco nobis, cui satis non fuit, &c.* Linum, inquit, non suis viribus nititur ut orbem terrarum ultro citroque portet, sed eo pervenit injuria sui, et hominum audacia summa: injuria sui, quod frangitur, tunditur, et in mollitiam lanæ cogitur; semper enim injuria fit melius: audacia summa hominum, qui ad tales usus id converterunt. 'Illi robur et æs triplex.' Nulla execratio sufficit contra invictorem dictum suo loco nobis. *Salmas.* 260. 261.

'*Audax vita, &c.*] Salmasius ad Solin. p. 260. tradit in optimis libris scriptum esse *plenum*, item *procellas ut capiat;* omnino igitur emendandum: *Audax id, at scelerum plenum aliquid seri ut ventos, procellas ut capiat, nec parum esse et fluctibus solis vehi.* Infelicissime, mea quidem sententia. Sane Gud. Vossiani duo, Acad. prorsus ut vulgati. Sed fuerit melior, in quo *plenum*, an mirum est id fieri ex *plena*, quum vetustissimus minutæ scripturæ character vocales *A* et *V* tam similes reddat? An propterea demendum Plinio *Audax vita*, qui centies *vitam* pro seculo, pro hominibus, usurpet, nihil ut sit ei familiarius? *Audax vita, &c.* id est, homines improbi ac temerarii, 'audax Iapeti genus,' quid non estis moliti? quæ non scelera edidistis? *Audax vita* est, quod dicit l. XXI. 10. 'Quid non tentavere homines?' Jam *aliquid seri* dicitur abrupte, intellectu τῶν *quæ commenta es*, vel *itane commenta es*, vel *annon monstrum est?* ut multa talia per infinitivos, de qualibus Observ. II. 14. Pro tam acribus et vehementibus subjiciantur nobis illa scilicet jacentia soporisque et inertiæ plena: *Audax id, at scelerum plenum aliquid seri.* Jam si meliores, *ut capiat*, fuit utique, *ut ventos procellasve capiat*, quemadmodum Pintianus. Sed, ut dixi, quatuor, quas ante oculos habemus, membranæ, *ut ventos procellasque recipiat.* Quid est autem, *nec parum esse et fluctibus solis vehi?* Nam, ut hoc minime, ita alterum (quod quia per causam scripti convelli non potuit, sola libidine mutatur) planissime assequor: et parum mali aut periculi putavi, quod incerta fluctuum naves jactent: et quasi parum discriminis sit aditum, cum cœpit fluctibus committi navis, ultro comparari, per

quod magis sit in potestate ventorum ac procellarum. Si τὸ *nec* admittimus, dicendum erit, *nec satis esse.* Sequitur ibidem: *Super eas tamen addi velorum alia vela, præterque in proris et alia in puppibus pandi.* Sic Mss. Vulgo: *præterque alia in proris.* Salmasius corrigit: *præter quæ in prioris;* oblitus hoc *præterque* Plinio in deliciis esse: quum ipse id notaverit ad Tertullianum de Pallio pag. 140. in verbis, quæ extant IX. 39. 'In conchyliata veste cetera eadem fine buccino: præterque jus temperatur aqua.' *Præterque in proris et alia in puppibus,* est, et præterquam in proris etiam alia in puppibus vela pandi. Vide ad lib. XXXIII. cap. ult. *Gronov.*

Tam gracili avena, tam non alte a terra tolli] In codice vetusto, *tam gracili avena tam alte a tellure tolli;* et mox paulo *fractum,* non *passum.* Pintian.

CAP. I. *De lini satione, et generibus ejus, et quomodo perficiatur, et de mappis, et lino non ardente, et quando primum in theatris vela.*

Seritur sabulosis maxime] Pingui et læto solo, humidiore, non sitiente. Colum. II. 10. pinguissimo loco, et modice humido, Pallad. XI. 1. *Dalec.*

Terræ injuriam facit] Quod tam cito et propere succum terræ eripiat. *Idem.*

Non est satis] Nisi et mari navigando linum serat Gallia. *Idem.*

Inane] Inane et de mari et de aëre dici, vide apud Turneb. Adversar. XI. 9. *Idem.*

A Setabi] Setabis oppidum Hispaniæ in edito monte situm, laudatissimi lini proventu nobile, quamvis Strabo et alii quidam fluvium esse dicant. Gratius in Cynegeticis: 'Hispaniquo alio spectantur Setabes usu.' Silius lib. II. 'Setabes et telas Arabum sprevisse superbas, Et Pelusiaco filum componere lino.' Catullus ob sudaria Setaba per illiberalem jocum surrepta Asinio hendecasyllabos minatur. Had. Jun. IV. 28. *Idem.*

Allianis semper crudis Faventina præferuntur] Allia lina 'semper cruda' appellat, quæ semper flava manent, utpote quæ nulla maceratione aut politione candorem trahere possint. Vide Salmas. p. 765. b. 766. a.

Cum dente] Vel *oris,* quod magis probo, vel *pectinis,* ut quidam exponunt. *Dalec.*

Et Hispania citerior habet, &c.] Lege: *Et id Hispania citerior habet splendore præcipuo torrentis, in quo politur natura.* Salmas. p. 261. a. et 765. b.

Carbasis repertis] Carbasus lini genus tenuissimi in Hispania repertum, quo texebatur vestis magni pretii, antiquis in deliciis habita, ut sericea nobis. Virg. Æneid. XI. 'tum croceam chlamydemque, sinusque crepantes Carbaseos, fulvo in nodum collegerat auro.' Q. Curtio lib. VIII. 'Carbaso Indi corpora usque ad pedes velant: eorumque rex aurea lectica, margaritis circumpendentibus recubat, distinctis auro et purpura carbasis, quæ indutus est.' Guilland. Quidam id genus linei panni esse putant, quod telam Baptistæ, et telam Hollandicam, et telam Cameracensem vocant. Hæc postrema advehitur ex Hispania. Apud Ciceronem Verres æstate summa tabernacula carbaseis intenta velis in littore collocari jubet, ubi totos dies cum impudicis mulieribus perpotaret. *Dalec.*

Quam nobismet ipsis] Cum lineis velis fisi, maris periculis nos objicimus. *Idem.*

Epidromis] Imis summisque funibus, quibus tenduntur retia. Turneb. Adversar. V. 9. vulgo, *les courants.* Idem.

Thorace] Thoraces militum liveos olim fuisse probat hic Alcæi versus apud Athenæum p. 310. linea 49. *θώρακές τε νεόλινοι, ex novoque lino thoraces.* Idem.

In Rhodiorum insula ostendi in templo Minervæ] *Tendi*, non *ostendi*, præfert vetustum exemplar, ut forte non *tendi* scribendum sit, sed *Lindi*, quæ est una ex celebratis Rhodi tribus urbibus, Camino, Jalyso, Lindo. *Pintian.*

Fullonum tantum in usu] Vel quod fullones qui fere nudi, et subucula linea tantum tecti, pannos terunt et calcant pedibus, eo lino soli ad indusia conficienda uterentur, vel quod ex eo lino vestes textæ in fulloniis officinis solæ purgarentur et polirentur. *Dalec.*

Sicut in culcitris præcipuam, &c.] Lege: *Sicut in culcitis præcipuam gloriam Cadurci obtinent, &c. Italiæ quidem vox etiam nunc durat in appellatione stramenti.* Vide Salmas. p. 938. b.

Stramenti] Stramentum, quod homini et animalibus quieturis et dormituris substernitur, nempe fœnum, vel palea; nam quod ait XVIII. 3. priscis Romanis quies somnusque in stramentis erat. *Dalec.*

Ægyptio lino minimum] Gratius in Cyneget. 'Vix operata suo sacra ad Bubastia lino Velatur sonipes æstivi turba Canopl.' Sic autem Isiacos sacerdotes vocat Saliorum modo per Bubaston urbem saltantes, et sistris personantes: de quibus Plutarch. *οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι, καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσιν, οὔτ' Ἰσιακοὺς αἱ λινοστολίαι καὶ ξύρησις.* Ion poëta in Phœnice Ægyptum *λινουλκὸν* vocat. Had. Jun. IV. 29. *Idem.*

Parvus est, similemque barbatæ nucis defert fructum] Pliniana exemplaria tantum habent: *Parvus est, cujus ex interiore bombyce lana netur: nec ulla sunt cum candore molliora et spissiora;* non solum mollitie et candore præcipua lana xylina, sed etiam spissa est. *Salmas.* p. 296. a.

Vestes inde sacerdotibus, &c.] Apuleius Apologia prima de lineo texto: 'Purissimum est rebus divinis velamentum; quippe lana, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, jam inde Orphei et Pythagoræ scitis prophanus vestitus est: sed enim mundissima lini seges, inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui et amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris usurpatur.' *Dalec.*

Quartum genus, &c.] Lego, *Stramenti genus Orchomenium, &c.* Arundinis quidem panicula, ut gluma, et acere, sarciri culcitra potest, perinde ac stramento sive palea; vestes autem texi non possunt. Ex arundinum concisis foliis tomentum factum Circense, quod in Circo pauperibus sternebatur, indicant hi versus Martialis: 'Tomentum concisa palus Circense vocatur: Hæc pro Leuconio stramina pauper habet.'

E malis] Arboribus lanigeris, in quarum foliis convolutis lanugo nascitur. Theophr. Hist. IV. 9. *Idem.*

Diximus] Lib. XII. cap. 10. *Idem.*

Et ipsa tamen pectitur ferreis aënis, donec, &c.] Idem certe aut simile instrumentum, quo pectitur linum, et quo vestes pectuntur apud fullonem; sed illud e ferro, hoc e spinis, quæ inde fulloniæ sunt dictæ. Latini *inas* dixere, quos Græci *ἶνας*. *Salmas.* p. 392. a. Forte legendum, *crenis.* Pintian.

Iterum deinde in filo politur] Legend. *Iterum deinde in filo politur illisum crebro silici ex aqua, &c.* Salmas. p. 765. b.

Clavis] Capitatis fustibus, clavæ similibus. *Dalec.*

Quod ignibus non absumeretur] Rhod. XVIII. 31. quo Indorum leges ac mores fuse narrat, scribit illos vestibus ex eo lino textis indui: quod parum credibile est, cum in tantam longitudinem trahi nequeat, ut vestes ex eo conficiantur. *Idem.*

Asbestinum] Tale fuit in aurea lucerna, quam Athenis Callimachus fecit, oleo non nisi post exactum an-

num dissipato, licet semper arderet. Pausanias in Atticis. Plutarchus de Oracul. Defectu, in Carystia rupe linum id gigni tradit, molli et lapideo filo, e quo mantilia, retia, et reticula capitis tegumenta conficerentur. *Dal.*

Byssino] Byssus Suidæ et Theocriti interpreti coloris genus, unde byssina vestis, bysso infecta. Byssus quibusdam pretiosissima lana, colore nitoreque auri. Byssus Philostrato, linum, quod Indi ex arbore legunt, trunco populis simili, foliis salici, etiam Arriano auctore, Apollonioque oculato teste. Rhodig. XXIII. 8. Est et amorgis lini species, unde amorgina vestis memorata Æschini contra Timarchum, Aristophani in Lysistrate, Eupolidi. Cannabis, lini, byssi, Eleorum agrum feracem esse tradit Pausanias in Elíacis. *Idem.*

Linteorum lanugo] Ὀθονίων ξύσμα: unde fiunt ξυστοὶ μοτοὶ Galeno κατὰ τόπους, lib. III. in remediis Heraclidæ, quæ sanguinem fluentem e naribus sistunt. *Idem.*

Inter papavera genus quoddam] Heracleum, sive ἀφρῶδες esse putant, quod et radiculæ sive struthio simile est, et semen valde catharticum habet. Ejus facultatis nomen meminit Dioscorides. *Idem.*

Velo purpureo] Alia sunt vela Regia purpurea, gemmis et auro intertexta, quibus reges et summi principes in suis palatiis utuntur suspensis, ut et Attalicis aulæis. Ravardus Variorum v. 11. *Idem.*

Vela primus in, &c.] Inde velaria theatra Juvenali. De theatralibus velis Lucretius lib. IV. *Idem.*

Viamque sacram ab] Sacra quidem ea dicta est, quod fœdus in ea inter Romulum et Tatium ictum fuisset; vel quod per eam sacra in arcem quot mensibus deferrentur; vel quod augurium in ea captabatur. Per eam in Capitolium frequens iter fuit, triumphorum pompa, subactis gentibus, domitisque nationibus, cum præda captiva, et spoliis hostium solemni apparatu procedebat. Vicorum Romanæ urbis nomina, et nominum caussas, declarat Alex. ab Alex. II. 18. *Idem.*

Quod munere ipso] Ejus mentio fit supra lib. XV. c. 18. ultimo, et apud Suetonium in Julio c. 10. *Idem.*

Forum muricibus censuerat] Nam Plutarchus, de Fœnore, forum esse scribit ἀσεβῶν χώραν: Anacharsis, locum destinatum explendæ avaritiæ, et ad fallendum: Rhod. XXVIII. 9. Forum triplex Romæ fuit. Martialis: 'Atque erit in triplici par mihi nemo foro.' Idem: 'Et fora tot numeras, Jane, quot ora geris.' Seneca: 'Adjice nunc publica perjuria gentium, circumscriptiones, fraudes, inficiationes, quibus trina fora non sufficiunt.' Quartum Trajanus addidit. Fuit et forum Domitiani transitorium, quod a Suetonio 'Methodium' dictum volunt. Idem XXVIII. 10. Vide Vitruv. v. 1. et in id Comment. Philandri. Vide et annotata in XXXVI. 15. *Idem.*

Per rudentes, terra etiam in, &c.] Lego: *per rudentes tracta in amphitheatris principis Neronis terra etiam rubente.* Nempe rubricæ aspectu picturata, quemadmodum auctor scribit XXXIII. 5. in spectaculis ejusdem principis harenam Circi chrysocolla stratam fuisse, cum ipse concolori panno aurigaturus esset. *Idem.* *Per rudentes terra etiam in amphitheatris principis Neronis rubente: in cavis ædium*] Vetustum exemplar sic profert: *per rudentes iere etiam in amphitheatris Neronis principis. Rubent in cavis ædium.* Pintian.

Cavis ædium] Cavædium, seu Cavum ædium, seu Cava ædium, (tot enim modis proferunt,) quasi ædium Cavea, Varroni de Lingua Lat. lib. IV. locus tectus et patulus intra parietes ad omnium communem usum. Ut in theatro Cavea locus fuit, e quo sedens populus ludos et publica mu-

nera spectabat, sic Cavædium ambulatio et porticus, monachorum peristyliis similis, e qua, qui spatiantur, proditurum dominum expectantes, impluvium, id est, aream in quam impluit, aspiciunt. Græci μέσαυλον vocant: et recte quidem, quoniam in medio est totius ædificii, nempe cœnaculorum, cellarum, et cubiculorum, ut aperte Varro indicat. Quidam pro *musco* hic legunt *museacum*, id est, amusseatum, sive, ut in Pescennio Spartianus dixit, 'musivum opus,' nempe lithostroton et tessellatum pavimentum. Verum an id sub dio fieret, et solis vapore offenderetur, aut corrumperetur, legisse non memini. Ego quendam Græce doctum in margine codicis scripsisse arbitror Cavædium μέσοικον etiam ut et μέσαυλον dici, ex eaque dictione factum vocabulum *muscum* irrepsisse in Plinii scripturam, eoque ut otioso et supervacuo deleto, sensum apertissimum fore. *Dalec.*

Thoracibus lineis paucos tamen, &c.] Iliad. B. Λοκρῶν δ' ἡγεμόνευεν 'Οϊλῆος ταχὺς Αἴας, Μείων, οὔτι τόσος γε ὅσος Τελαμώνιος Αἴας, 'Αλλὰ πολὺ μείων· ὀλίγος μὲν ἔην, λινοθώρηξ. Rursum eod. lib. Τῶν ἦρχ' 'Αδρηστός τε καὶ 'Αμφιος λινοθώρηξ. Herodot. in Polyhym. Theocr. Idyll. XIV. Athen. lib. XIV. Strabo lib. III. Suetonius in Galba c. 19. Virgil. Æneid. III. 'Loricam consertam hamis auroque trilicem.' τρίμιτον. Et lib. XII. 'rumpitque infixa bilicem.' δίμιτον. *Mitalerius.*

Quoniam cum sparta] Ab eadem verbi notione Pacuvius in Niptris apud Festum 'serilia spartea' funes e sparto dixit: 'Nec ulla subscus,' inquit, 'cohibet compagem alvei: Sed suta lino et sparteis serilibus.' *Dalec.*

CAP. II. *De sparti natura, et quando primum usus ejus, et quomodo perficiatur, et quæ sine radice nascantur, et vivant.*

Herba et] Spartum duplex est: alterum juncus Ibericus, sive Hispanicus, ἀκάνθης, ἄκαρπος, ἄφυλλος, ad nexus tantum utilis: alterum genista, quam Græci τὴν σπάρτην, καὶ τὸ σπάρτον, et τὸ σπάρτιον, dixerunt. Et hæc duplex: altera silvestris, sine foliis, in agro Monspessulano frequens, qua olim Asiatici δεσμεύοντες τὰς ἀμπέλους, *vites religabant*, unde et ἀμπελοπλοκικῆς nomenclatura, et mulis, bobus, camelis, in attrita pedum subluvie, et aliis id genus morbis, calceos et soleas nectebant, quas Crabatinas Aristoteles videtur appellare Hist. Animal. II. 1. Altera foliosa: et hæc rursum duplex: prior in hortis sata, ejusdem prorsus generis et usus cum supra scripta, sed cultus mangonio vestita foliis paucis et exiguis, quæ desunt alteri, in aridis et squalentibus locis natæ, floris odore jucundissimo, gratissimoque apibus: quamobrem et prope alvearia plantatur, melle nonnunquam ejus odorem referente XI. 8. Genistam Florentinam vocat Gallia; alii Hispanam. Posterior silvestris, in macris et arenosis ubivis luxurians, foliis multis et densius congestis operta, ramulis vietis, prætenuibus, graviter olentibus, quibus etiam ad vinciendum uti liceat. Guillandinus non satis diligenter has species distinxit. Ibericos funes sparteos Flaccus vocat: 'Ibericis peruste funibus latus:' quamvis ineptum et ridiculum oratorem fuisse scribat, qui pro sparto 'herbas Ibericas' dixisset. Turnebus XIV. 9. *Idem.*

Uni terræ] Hispaniæ. Præcedenti tamen capite auctor scripsit e genista, id est, sparto, Asiam præcipua lina facere, &c. Auctor XXIV. 9. an genista spartum sit dubitat. Vide locum. *Idem.*

Carthaginiensis Hispaniæ citerioris portio] Campum amplum et ἄνυδρον Strabo lib. VI. vocat nunc Ἰουγκάριον, juncarium Latino vocabulo, nunc πεδίον σχοινοῦν, nunc ἁλισχοινοῦν, Mara-

thronio a fœniculi copia dicto proximum. *Idem.*

Ad reliquos usus laboriose, &c.] Legend. *Ad reliquos usus laboriose vellitur ocreatis cruribus, manuque textis manicis convoluta, osseis ligneisque nucamentis: nunquam in hieme, in æstu: facillime tamen ab Idibus Maiis in Junias: hoc maturitatis tempus.* Nucamenta proprie sunt quæ callo squamatim compactili dependent e ramis juglandum, et picearum: ad hanc formam osseis et ligneis nucamentis manicæ texebantur, quibus manum convolvebant, quibus vellendum erat spartum. *Salmas.* p. 266. a. Sequitur: *Vulsum fascibus in acervo manuatum;* hoc est, in manuas sive manuales fasciculos colligatum; 'manua' enim est manipulus. Vide Salmas. p. 266. a, b.

Facillime tamen ab Idibus Maiis] *Tantum*, non *tamen*, aptior lectio. *Pintian.*

Vulsum fascibus in] Lego, *Vulsum, et examinatum, fascibus in acervo biduo, tertio, &c.* Examinabant, ut integrum et minime vitiatum ad textilia, putre, arrosum, corruptum ad ignes seponerent. Manuscriptum utrumque habet *ummatum. Animatum* quidam exponunt, οὐκ ἐξεντερισμένον, non emedullatum: quasi vero tam exilis juncus emedullari possit. Vide Turn. Adversar. XI. 20. Alii legunt, *Vulsum et fascib. manualibus acervatum biduo, &c.* ut superiori proximo capite, illis verbis: 'Tum evulsum, et in fasciculos manuales colligatum,' &c. quod valde probo. *Dalec.*

Ut fiat utile] Quod ob eum usum σχοινοπλοκικὸν dicunt. *Idem.*

Ad hos omnes usus, &c.] Sic legit Apuleius in Herbario suo: 'Ad quos omnes usus minus triginta passuum in latitudinem a littore Carthaginis novæ in Spaniam usque, centum in longitudinem nascitur.' Legendum itaque in Plinio constat, *minusque in longitudinem centum reperientur.* Vide Salmas. p. 261. b.

Minus XXX. M. pass. in latitudinem a littore Carthaginis novæ, nimisque in longitudinem esse reperientur] Scribo: *minus XXX. M. pass. in latitudinem a littore Carthaginis novem, minusque in longitudinem*, ex vetusto exemplari. *Pintian.*

Junco Græcos ad funes usos, &c.] Σχοῖνος et *funem* significat et *juncum*: quomodo et spartum nunc restem, nunc plantam e qua restes fiunt. *Dalec.*

Ex qua mapalia vestesque quædam conficiantur] Theophrastus ποδεῖα confici ait VII. 13. Plinius, si fidelis est codex, *mapalia;* at Theodorus *togas* vertit. *Pintian.*

Mentionem habet sparti] Theophrastus Hist. I. 8. linosparti meminit inter ea quibus cortex multis tunicis constat. Id autem aliud esse non potest quam spartum pro lino usurpatum ad varios usus vitæ. Quidam eo loco divisim legunt *linum, spartum.* In hac ergo re memoria lapsus Plinius est. *Dalec.*

Quod certum est, &c.] Hæc verba ita legantur: *quod certum est, ex iis erunt quæ nascuntur et seri non possunt.* Salm. 514. a.

CAP. III. *De misy, et tuberibus: de fungis pezicis, laserpitio et magydari, et rubia, et radicula.*

Simile est et quod, &c.] Legend. *Simile est quod in Cyrenaica provincia vocant misi, præcipuum suavitate odoris ac saporis, et quod in Thracia iton, et quod in Græcia geranion.* Vide Salmas. p. 708. a. *Simile est et quod, &c.*] Totum hunc locum de tuberibus, miso, ceraunio, lege apud Athenæum lib. II. et cum hac Plinii oratione confer. *Dalec.*

Misy] Athenæo, μῖσον ἡ τῶν ἐγγεοτόκων τούτων γέννησις, inquit, ἅμα καὶ φύσις, οἷον τοῦ τε ὕδνου, καὶ τοῦ φυομένου περὶ Κυρήνην ὃ καλοῦσι μῖσον. Theophrastum Athenæus citat. Joan. Leo Afric. Hist. lib. IX. c. de Tarfez, mi-

son in Numidiæ desertis reperiri ait, indigenisque vocari Terfez, medicis Camha. Idem l. v. c. de Capes, Thrasos describit frequentes in regno Tunicensi, ab Arabibusque vocari Habbazis. Vide ejus descriptiones. *Idem.*

Præcipuum] Athenæus e Theoph. hæc citat: *ἐν φυτικοῖς λειόφλοια καθάπερ ὕδνον, μύκις, πέζις, κράνειον* ubi legendum, *πεζίτης, κεραύνιον*. Hæc autem omnia et pleraque alia in nostris exemplaribus Theophrasti non leguntur: unde colligere licet, quam ea mutila sint. *Idem.*

Ceraunium] Theophrastus Hist. I. 9. *κράνιον*. Athenæo *ἰστὸν* pro *οἶτον* *Δοκεῖ δὲ*, inquit, *ἡδὺ σφόδρα τοῦτο εἶναι, καὶ τὴν ὀσμὴν ἔχειν χρεώδη, καὶ τὸ ἐν τῇ Θρᾴκῃ γινόμενον ἰστόν*. Turneb. Advers. XI. 14. Apud Athenæum bis pro *κεραύνιον*, legitur corrupte *γεράνιον*. *Idem.*

Ac tonitrua crebra] Juvenal. Sat. V. 'post hunc raduntur tubera, si ver Tunc erit, et faciunt optata tonitrua cœnas Majores.' Vide Plutarch. Sympos. Quæst. IV. 2. Martialis: 'Rumpimus altricem summo de vertice terram, Tubera boletis poma secunda sumus.' *Idem.*

Tenerrima autem, &c.] *Τὴν δὲ χρείαν, καὶ τὴν ἀκμὴν ἔχει τοῦ ἦρος*. Verno autem maxime vigent, atque tempestiva sunt. Ex Athenæo. *Idem.*

Exundatione fluminum] *Γενομένης ἐπομβρίας*, post copiosum imbrem. Theophr. *Idem.*

Pezicæ] *Πεζῖται*, inquit Athenæus, *ἄῤῥιζοι, καὶ ἄκαυλοι ὄντες τυγχάνουσι*, (non, ut legitur, *καὶ αὐτοὶ τυγχάνουσι*,) *nec caulem habent nec radicem:* fungus vero ortus sui principium habet in longum porrectum caulem, et in summo ejus veluti crure distenditur. Pezitas Itali vocant *prugnoti*, Galli *mousserons*, terræ semper incumbente ac instrato globoso capitulo, nec in caulem aliorum modo se attollente: statim primis veris imbribus erumpentes, et toto genere salubres ac innoxios. Quidam *pezitas* esse volunt ruffos fungos, castaneis potissimum adnascentes, quos *auriculas* Galli vocant. *Idem.*

Cujus succum vocant laser] Theophr. Hist. VI. 3. et de Caus. III. 2. VI. 18. *Idem.*

Ad pondus argenti denarii pensum] Apud Macrob. Saturnal. lib. II. 4. Augustus per jocum Mœcenatem vocat 'mel gentium, melculum suum, ebur ex Hetruria, laser (non 'lacer,' ut legitur) Aretinum,' quod Hetruriæ populis charissimus, in eo pretio esset, quo laser apud omnes. *Idem.*

C. Valerio] C. Valerio Flacco, de quo Val. Max. VI. 9. *Idem.*

Inter aurum argentumque protulisse ex ærario lacerpicii pondo CXI.] In optimo libro Thuani scriptum: *laserpici pondo*, ∞ *D*. hoc est, mille quingenta. Vide Salmas. pag. 352. b.

Piceo] Crasso et nigro picis modo. *Dalec.*

In deserta fugientem] *Ἐξαναχωροῦσαν*, *evanescentem*, exarescentem, deserta, derelictaque sua sede. Theophr. *Idem.*

Caule ferulaceo haud simili crassitudine] Scribo, *haud dissimili crassitudine*. Theophrastus VI. 4. 'Caulis quantus ferulæ, et crassitudine fere proximus.' *Pintian.*

Caule ipso et homines, &c.] Legend. *Caule ipso homines vescebantur, decocto assoque:* illud *elixo* e glossa est explicantis *τὸ* decocto. Vel lege: *asso elixoque, eorum quoque corpora XL. diebus primis purgante: cum his omnibus succus duobus modis capiebatur e radice atque caule.* Nihil verius: folia Laserpicii purgando et saginando pecori optima, caulis ipse hominibus edulis omni modo decoctus et assus: cum his omnibus utilitatibus, etiam succus e radice atque caule capiebatur, pluribus rebus usui futurus. *Salmas.* 354. b. 355.

Et hæc duo erant nomina] Scribendum reor, *æque duo erant nomina.* Pintian.

Radici cortex niger, &c.] Legend. *Radici cortex niger, ad merces ad ultera succum ipsum in vasa conjectum admixto furfure subinde concutiendo ad maturitatem perducebant, &c. Merces ad ultera* sunt merces quæ in ulteras regiones exportantur, εἰς τὰ περαῖα. *Salmas.* pag. 1024. b. *Radici cortex niger, &c.*] Eum detrahi solitum scribit Theophrast. quapropter eo relicto mercem ab impostoribus adulteratam interdum fuisse. *Dalec.*

Ad maturitatem perducebant] Sic et suum colorem accipere, et *maturatum*, ἐργασθέντα, putredini resistere scribit Theophrastus. *Idem.*

Sudore finito] Cum halituosus vapor omnino discussus manare cessasset. *Idem.*

Tuberque in ea super] Lege, *Tuber edique in ea supra terram:* paulo post lege, *super enato caule, &c.* Vide Salmas. hac de re late disserentem p. 857. b. et sequentibus. Et paulo post scribe, *Hi et circumfodi solitum prodidere. Tuberque in ea super*] Aliter Theophr. cubitali: ejusque medium extans, altissime ac propemodum extra terram, in caput extuberare, e quo lacteus succus fluit, deinde et caulis nascitur, quem magydarim vocant. *Idem.*

Supernato caule quem magydarin vocarunt] Dissentit a Theophrasto vi. 3. cujus verba sunt: 'Alii radicem laserpitii cubitalem fieri tradunt, aut paulo majorem. Hanc in medio extuberare in caput, quod sublime penitus extat, ut fere super terram esse appareat, unde primum quod lac appellatur erumpit: deinde caulis assurgit; ex qua magydaris.' Dioscorides lib. iii. esse nonnullos ait, qui laserpitii radicem *magydarim* vocent. *Pintian.*

Cadentia a Canis ortu] In silphii planta φύλλον significat nunc *foliorum comam*, quæ aureo colore est; nunc *foliaceum semen*, τὸ σπέρμα, quod Austro post Caniculam flante decussum novellas silphii plantas gignit. Ea significationis varietas Plinium decepit. *Dalec.*

Prior] Lege *posterior*. Nam priorem narrationem convenire Libyco, sive Cyrenaico, apertissime Theophr. indicat. Persicum vocat, quod in Armenia et Media Persarum imperio subditis nascitur. *Idem.*

Mox translucente] Myrrhæ similis: non porracei: odore valenti, gustu suavi, et cum gustatur, facile diluti in album colorem. Dioscor. *Idem.*

Similitudine] Caulibus humi stratis, et jacentibus, erviliæ modo. Dioscor. *Idem.*

Erviliæ] Theophrasto folio est cissi, id est, hederæ, humi strata graminis modo, radice rubra. *Idem.*

Verum spinosus] Licenter Plinius asperum caulem *spinosum* vocat. Spinis erythrodanon carere, Theophrastus aperte scribit Hist. vi. 1. *Idem.*

Semen ejus rubrum est] Fructus ejus principio viret, deinde rubet, et cum maturus est nigrescit. Dioscor. *Idem.*

Suo dicemus loco] Lib. xxiv. c. 11. *Idem.*

Et tingenti quicquid sit cum quo decoquatur] *Unguenti* in vetere codice, non *tingenti*. Credo melius, ut illud, 'ungue, ungue puer caules.' *Pintian.*

Semen ei nullum] Plinio repugnat hic Columellæ versus: 'a Syrioque venit quæ semine radix.' *Dalec.*

CAP. IV. *De hortorum cura, et digestio terræ nascentium, præter fruges et frutices.*

Ac regum Adonis et Alcinoi] In vetere codice *Alcini*, non *Alcinoi:* rectius; nam poëtæ pro commodo suo et integro et contracto utuntur, oratores contracto solum. *Pintian.*

Nuntium illum sævum] Valer. Max.

VII. 4. Livius lib. I. Infra XX. 8. ultim. *Dalec.*

In horti vero hæredium, &c.] Scribend. *In horti vero hæredium: quam rem comitata est et religio quædam, hortoque et foro tantum contra invidentium effascinationes dicari videmus in remediis satyrica signa, quamquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto.* Quanquam inquit alia ratio videtur esse quare hortis dicentur satyrica signa in remedio adversus fascinum; nam Plautus hortos Veneris tutelæ assignavit: cui Veneri scil. satyrica signa optime conveniunt. *Satyrica signa* non sunt Satyrorum personæ pictæ fictæve, ut perperam quidam exponunt, sed virilia insignia subrecta, ut ea semper habent satyri. *Salmas.* p. 310. a.

Et fores tantum, &c.] Vide Turn. Advers. IX. 28. *Dalec.*

Satyrica signa] Quidam legunt *Saturnia*, præsertim Scaliger. Varr. de Ling. Lat. lib. v. id quod nonnulli exposuerunt, Priapi, quoniam is Deus Saturni modo pingeretur cum falce. Turnebus suis adnot. in Varronem legit *Satyrica;* eaque similia fuisse putat Phallis, et Ithypallis, quos in pompa Bacchi ferebant: universaque hæc omnia 'oscilla' Virgilio vocata fuisse hoc versu: 'Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.' Sic inauspicatas aves foribus affixas fascinum depellere vetustas credidit, et alia quædam turpia, ut asinæ cranium. Vide quæ adnotata sunt in XXV, 9. et Lilium Gyraldum in Priapo. *Id.*

Tutelæ Veneris] Rustica Vinalia mense Augusto Veneri dicata sunt, illi eadem die consecrata fuit ædes: jumenta, olitores, omnes horti in ejus tutela sunt. Itaque jumenta coronata ab opere cessabant Consualibus; quæ sequenti ac proximo die celebrabantur. Scalig. in Festum p. 161. Vide et eundem in voce Vinalia. *Id.*

In oppidis habitari rura] Romani veteres etiam in hortis habitarunt. Apud Tacit. Annal. XVI. Thraseas in hortis agebat, cum advesperascente jam die Consulis quæstor ad eum missus. Apud Sueton. Claudius, abjecta spe dignitatis, ad otium concessit modo in hortis et suburbano, in Campaniæ secessu delitescens. Hortorum ædificia voluptaria, et amœnitatis gratia extructa, in quæ sui colligendi causa secedebant, Romani 'diætas' vocarunt, Græci 'zetas,' ut constat ex Lampridio in Heliogabalo, ἀπὸ τοῦ ζῆν, nisi fallor. Brissonius III. 13. *Id.*

Ex horto plebei macellum, &c.] Ex hortis et oleribus fercula venustissime apud Plautum in Pseud. coquus memorat: 'Non item cœnam condio, ut alii coqui, Qui mihi condita prata in patinis proferunt: Boves qui convivas faciunt, herbasque aggerunt: Eas herbas herbis aliis porro condiunt. Indunt coriandrum, fœniculum, allium, atrum olus: Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum,' &c. *Idem.*

Aves ultra Phasidem amnem peti, et fabulose quidem terrore tutas] *Phasin*, non *Phasidem*, in vet. cod. emendatiore lectione. Item scribendum puto, *et ne fabuloso quidem terrore tutas.* Pintian.

Pretiosiores] Juvenal. IV. 'Interea gustus elementa per omnia quærunt, Nunquam animo pretiis obstantibus: interius si Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.' Seneca sub finem lib. IV. 'Nobis dolet quod spiritum, quod Solem emere non possumus: adeo nihil potest luxuriæ placere.' *Dalec.*

Saccisque castrari] Vina olim tum sacco per colaturam, tum nive frangebantur et castigabantur, ut mitiora lenioraque, defecata et liquida forent, atque ideo plus biberetur. σακκίζειν et σακκελίζειν Græci vocant. Martial. 'ut liquidum potet Alauda merum, Turbida sollicito transfundere Cæcuba sacco.' Idem: 'Setinos, moneo, nostra nive frange trientes: Paupe-

riore mero tingere lina potes.' Lucilius apud Cic. de Finib. lib. II. 'Cui nil dempsit nix, et sacculus abstulerit nil.' 'Dempsit' pro dempserit, ἀρχαϊσμός. *Idem.*

Et cælaturis virere] Scalpturis; nam in lautis illis panificiis, ut a multis etiam hodie fit, pistores varias omnium rerum imagines cælabant. *Idem.*

Mirum esset non licere pecori carduis vesci, non licet plebei] Geminantur in antiquo exemplari verba illa *carduis vesci*, ad majorem divitibus conflandam invidiam: *Mirum esset non licere pecori carduis vesci, carduis vesci non licet plebei.* Pintian.

Etiamne herba aliqua divitiis tantum pascitur] Existimo hæc verba non esse hujus loci, sed continuanda cum paulo ante præcedentibus: *Etiam ne in herbis.* ut scribendum putem: *Etiam ne in herbis discrimen inventum est? Etiam ne herba aliqua divitiis tantum pascitur?* Idem.

Mors enim certe æquabit, quos pecunia superaverit] Vera quidem sententia, vulgaris tamen ac indigna Pliniano ingenti acumine. Codex antiquus *Mox* habet, non *Mors;* ut scribendum putem *Mos*, sicuti quædam etiam præferunt exemplaria impressa: et *separaverit* legitur in eodem codice, non, ut alii, *superaverit*. Idem.

Is in solo sponsor est] Nam *prædia* quasi prædes sunt et sponsores dominorum. Vide Turn. Adversar. IV. 12. *Dalec.*

Cato] Cap. 156. et 157. *Idem.*

Unde et acetaria appellantur] *Acedaria*, quod exiguam vel nullam curam poscerent. Sic mel quod sponte fluxit, nec curatoris diligentia expressum est, 'acedon' dicitur supra XI. 15. *Idem.* *Unde et acetaria appellantur*] Lege: *Unde et acetaria appellantur, facilia concoqui, &c.* Inepte quidam *acedaria* legunt et intelligunt, quæ sine cura provenirent: *acetaria* dicta λάχανα quæ cruda in aceto edebantur: Græci τρώξιμα appellarunt. *Salmas.* pag. 375. a.

Et quæ minime accenderent desiderium panis] Scribendum reor *Veneris*, non *panis*. Causam erroris puto fuisse dictionem *Veneris* compendiose scriptam, pro qua ineptus castigator suffecit *panis*. Pintian.

Domi versuram fieri solitam] Ut in versura mutatur creditor, pecunia vero semper debetur, sic cum oleribus utimur aromatum loco, quod delectat diversum est, voluptas eadem. Obligat se qui aromata magno comparat: versuram facit qui eorum loco in cibis adhibet olera vilia. *Dalec.*

Sæva latrocinatio] Nam directarii malis artibus in aliena cœnacula se dirigentes, et scandentes furandi animo, fenestras uncinis et hamis aperiebant, ideo apertularii vocati, Græcis θυρεπανοῖκται, ἐπεισπηδηταί, κατάρακτοι. Iis similes sunt forium parietumque effractores, τοιχεπανοῖκται. Cujacius Observ. x. 27. nocturni fures quasi omnes Plauto in Trinummo, Dormitatores, ἡμεροκοῖται, non interdiarii, ἡμεροκλέπται· de quibus in XII. Tabulis: 'Si nox furtum faxit, si im aliquis occisit, jure cæsus esto.' Idem Cujacius XI. 27. *Idem.*

Hortos villæ, &c. si contingat præfluo amne, si minus e puteo rota organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu rigatos] Sic legend. Monet enim hortos aut riguos habendos esse rivis ductis ex præfluo amne, aut si id non contingat, rigatos e puteo rota organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu. *Salmas.* pag. 589. a. *Hortos villæ jungendos, &c.*] Cassianus Geopon. XII. 2. 3. *Dalec.*

Organisve neumaticis, &c.] Τὰ πνευματικὰ, τὰ ἀντλητήρια, *haustra*, quales nostræ fistulæ aquariæ, aquis exhauriendis aptæ et inventæ: vulgo, *pompes*. Tollenones, sive tollones τὰ κηλώνεια. Aristophan. apud Polluc. ὥστε κηλώνειον ἀνακύπτων, καὶ κατακύπτων. Plautus in Pœnulo: 'Sunt Græ-

ca telonea: sustolli solent.' Sunt et hujus generis antlia et ciconiæ. *Dal.*

In autumnum præparandum est] Legendum reor, *præpalandum est:* nam statim sequitur, 'octo jugerum operis palari justum est.' *Pintian.*

Alia cortice, alia cute, &c.] Cortice et cartilagine raphanus, quod idem ait alibi Theoph. de Caus. II. 20. III. 24. et Hist. VII. 1. et 2. carne pepo, tunicis carnosis cepa. *Dalec.*

Malvas septimo mense, arborescere] Scribendum: *Malvas septimo mense arborescere, baculorumque usum præbere. Exemplo sit arbor e malva in æstuario. Mauritania Lixi oppido æstuario.* Arboris e malva factæ in Mauritania exemplum adfert, quæ altitudinis erat XX. pedum, crassitudinis quam circumplecti nemo possit. *Salmas.* pag. 292. a. *Malva septimo*] Theoph. Hist. I. 5. cultura id fieri auctor est, nulla privatim facta Arabiæ mentione. *Dalec.*

Ut spongias] Confervam descriptam XXVII. 8. *Idem.*

CAP. V. *Natura, et genera, et historia nascentium in hortis rerum.*

Cartilaginei generis] Nam radices quædam cartilaginosæ sunt, ut raphani, betæ. Vide XX. 1. et 2. *Id.*

Cucumis] Varroni a curvore, quasi curvimer. Probabilius est a Græca dictione vocabulum id tractum, qui et σίκυον et κίκυον vocarunt. Scalig. in Priapeis, 'cucumeres humi fusos.' Plinius cucumeris nomine nostros melopepones, vulgo *melons*, cucumeres *concombres*, angurias *bathecas*, complectitur, et de iis diversa tradit, cuique suo generi tribuenda, ut adnotatur. Citrinos adhuc vocant *sucrades blanches;* nigros, *sucrades rouges.* Id.

Rursusque hibernis] Eadem fere Theoph. Causs. V. 6. memorat, quo loco docet hieme cucumeris semen in canistris serere, ut celerius fructus proveniat. *Idem.*

Quin et lacte mulso semine eorum biduo macerato] Scribendum reor, *Quin et lacte aut aqua mulsa semine eorum, &c.* Columella XI. 3. 'Cucumis tener et jucundissimus fit, si ante quam seras, semen ejus lacte maceres. Nonnulli etiam, quo dulcior existat, aqua mulsa idem faciunt.' Sed quia Plinius antiquorum Græciæ auctorum testimonio utitur, præterire nolui, Theophrastum non esse ex eorum numero, qui Plinium juvant, cujus verba sunt VII. 1. 'Quamobrem nonnulli semen cucumeris lacte aut aqua præmaceratum serunt, quo celerius exeat.' *Pintian.* *Quin et lacte mulso semine, &c.*] Theophr. Causs. III. 12. Cassianus XII. 20. Palladius cap. 9. Martii. *Idem.*

Apud antiquos] Hoc fit et hodie in satu nostrorum peponum. *Idem.*

In Italia virides, &c.] Legend. *In Italia virides et quam minimi, in provinciis quam maximi, et cerini aut nigri placent, copiosissimi in Africa, grandissimi in Asia, ubi cum magnitudine excessere, pepones vocantur.* Vide Salmas. 1107. a. *In Italia virides, &c.*] De Peponibus id. Melones minimos, et malo cydonio non ampliores adhuc habet Hispania. *Dalec.*

Citrini aut nigri] Lego *cerini.* Hac voce auctor quoque usus est XCV. 13. Apud Marcellum ex Plauti Aulularia, in voce 'Flammeus,' Hadrianus Junius pro 'carinarii,' legit 'cerinarii.' Alibi Plautus cerinum et melinum colores memorat. *Idem.*

Vivunt hausti] De cucumere id Dioscorides. *Idem.*

Non insalubres tamen plurimum. Natura oleum odere mire] *Naturæ* in apographo sæpe citato, non *natura.* Scribendum puto *maturi*, ut jungas cum superioribus. *Pintian.* *Non insalubres, &c.*] De Melone. *Dalec.*

Natura oleum odere mire] De cucumere et anguria. *Idem.*

Descendentibus, &c.] De cucumere. *Idem.*

Nova forma eorum, &c.] De melonibus. *Idem.*

Quanquam non pendentes] De melonibus. *Idem.*

Columella tradit suum commentum] Scribo, *Columella tradit Mendesium commentum.* Columellæ verba sunt XI. 3. 'Nos autem leviore opera istud fieri apud Ægyptiæ gentis populum Mendesium legimus, qui præcipit aprico et stercoroso solo alternis ordinibus ferulas, alternis rubos in hortis consitos habere. Deinde eas confecto æquinoctio paululum infra terram secare, et ligneo stilo luxatis vel rubi vel ferulæ medullis stercus immittere, atque ita semina cucumeris inserere, quæ scilicet incremento suo coëant rubis et ferulis. Nam non sua sed quasi macerata radice aluntur. sic insitam stirpem frigoribus quoque cucumeris præbere fructum.' *Pintian.*

Scytalicum] Σκυτάλη, habena flagellumque scuticæ. Vocatum inde cucumeris hoc genus, aut quod ex ejus sarmentis fierent habenæ, loraque scuticarum, vel quod iis sarmenta similia essent. Galli fortassis inde *courgées* nominarunt. Est et inde sumptum nomen scytales serpentis, cujus infra mentio fit, XXXII. 5. et τῆς σκυταλίας Theoph. Hist. IV. 5. quæ scuticæ baculum significat. *Dal.*

Maceratum seri jubeant] Aut oleo sesamino perunctum. Cass. Geopon. XI. 19. *Idem.*

Similis et cucurbitis natura] Theoph. Hist. VII. 4. et de Caus. V. 6. Columel. XI. 3. *Idem.*

Parilibus tamen aptissime] Ad XI. Calend. Maii, seu 21. Aprilis. *Idem.*

Et per Quinquatrus serere] Ad XII. Calend. Junii, quinto die post Idus Maii. *Idem.*

Pergulas] Pergulas eas umbellas et umbracula prisci vocaverunt: Theocritus in Syracusiis, σκιάδας. Columella, et auctor Copæ, trichila, quasi τρίχωα, spissa umbracula, et δασύφυλλα. Colum. 'Atqui sub trichila manantem repit ad undam.' Auctor Copæ: 'Et trichila umbriferis frigida arundinibus.' Cæsar Belli Civ. lib. III. 'Trichilæ mensis instratæ.' Inde fortassis vox Gallica, *treille.* Scalig.

Cucurbita] Auctor Moreti: 'Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.' In Priapeis Epigr. LI. 'Nec seminosas ad cucurbitas quemquam.' In iisdem: 'Pallentesque cucurbitæ, et suave olentia mala.' Cucurbitæ caput Apuleio Asini l. I. παροιμιωδῶς de re vili et despecta: 'Nos,' inquit, 'cucurbitæ caput non habemus, ut pro te moriamur.' Vide proverbium, 'Cucurbita salubrius.' *Dalec.*

Fastigatur] De cucumere Theoph. Hist. VII. 3. *Idem.*

Cucumis floret] Σικυὸς, pepo. Idem ibid. *Idem.*

Ejus in cibis gratiam] Seminis; nam duro semine jam edulis cucurbita non est. *Idem.*

Condendis hortensiorum seminibus] Lego *hortensium*, non *hortensiorum*, ut mox paulo: 'et omnibus fere hortensibus.' *Pintian.*

Sunt et silvestres] Cucumer silvestris, colocynthis. *Dalec.*

De rapis abunde] Varroni sic dicuntur, quod eruantur e terra, quasi ruapa. At Græcum ῥάπυς, unde potius nomen id sumptum videtur. Glaucus in obsertyco ῥάφην appellat. *Scalig.*

Nisi medici masculini sexus facerent in his rotunda] Leg. reor non *medici*, sed *Græci.* Innuit enim Theophrastum, cujus est ea traditio VII. 4. Sic paulo post: 'Genera raphani Græci tria fecere;' et non multo ante: 'Cucumerum genera Græci tria fecere.' *Pintian.*

Ad condiendum faciliora quæ sæpius sata] *Condendum*, non *condiendum*, in codice antiquo: et illud *quæ* superfluit, ex eodem: et lego *spissius*, non *sæpius*, ex Theophrasto manifeste VII. 4. 'Rapæ,' inquit, 'alii esse, alii non esse diversitatem generis putant, sed

mare tantum fœminaque differre, nascique ambas ex eodem semine; sed ut effœminentur raras deponere oportere; nam si dense positæ sunt, omnes masculescere.' *Idem.*

Iidem naporum quinque genera fecerunt, Corinthium, Cleonæum, Liothasium, &c.] Lego *IIII. genera*, non *V.* et *Liothalassium*, non *Liothasium*, et verba quæ statim sequuntur, *et quod per se viride dixerunt*, falso adjecta putamus. Est enim locus desumptus ex Theophrasto ad verbum, VII. 4. his verbis: 'Ut radicis genera, Corinthium, Cleonæum, Liothalassium, Bœotium. Amplissime Corinthia adolescit; quæ vel stirpe constat detecta. Hæc enim sursum versus protruditur, non ut cæteræ in terram ampliari solita est. Liothalassia, quam Thraciam vocant, validissima adversus frigidiora traditur. Bœotia dulcissima est et figura rotunda, nec ut Cleonæa prælonga. Quibus folia lævia, dulciores suavioresque sunt; quibus autem scabra, acriores. Genus præterea redditur quod foliis erucæ simile constet.' Hactenus Theophrastus. Ex cujus verbis posset quis non absurde conjicere, verba illa, *et quod per se viride dixerunt*, non esse detrahenda, sed corrigenda potius, ut ad exemplar Theophrasti legatur, *et quod persimile erucæ dixerunt;* ut subintelligamus verbum *foliis*, aut potius omissa sit ea vox incuria librarii. *Idem.*

Quinque genera fecere] Quatuor, Theophr. ex quo hæc Hist. VII. 3. et 4. sumpta sunt: ubi tamen agit περὶ ῥαφανίδων, id est, *de radiculis*. Oscitanter admodum Plinius hæc vertit. *Dalec.*

Et quod per se viride dixerunt] Hujus generis apud Theophrast. nulla fit omnino mentio. Lego *Bœoticum*, quod et per se (ἁπλῶς, *simpliciter*) viride dixerunt. *Dalec.*

Quorum tenuiora folia, ipsi quoque dulciores] Non *tenuiora* in codice vetere, sed *tenuia:* scribo *lævia* ex Theophrasto VII. 4. 'Quibus,' inquit, 'folia lævia, dulciores suavioresque sunt; quibus autem scabra, acriores.' *Pintian.*

Genus silvestre] Genus quidem hoc Theophrast. memorat; sed agreste vel esse, vel appellari minime scribit. *Dalec.*

Genera raphani] Brassicæ Theophr. Hist. VII. 4. Negligenter hoc Plinius. Vide infra c. 8. hujus l. et XX. 9. *Id.*

Ad eliciendas alvos] *Ciendas* scribendum reor, usitatiore dicendi modo apud Plinium et omnes medicos. *Pintian.*

Hæc vitia non cadunt nisi in crispa folia] Particulam *nisi* superfluere arbitror, ex Theophrasto: 'In totum,' inquit, 'crispa succi bonitate et folii amplitudine lævi præstantior est.' *Idem.*

Nostri alia fecere genera] Hæc jam de raphano, non de brassica. *Dalec.*

Algidense a loco] Ab Algido oppido, a quo probatum est et rapum supra. Algidus mons Romæ vicinus est, et in ejus cacumine arx, quam vocant *Rocca del Papa*. Idem.

Alterum rapi figura] Theophrast. ῥαφανίδα perpetuo vocat nostram radiculam; ῥάφανον vero *brassicam*, suo Atticismo, quod Plinium multis locis fefellit. Idem auctor Hist. VII. 4. Bœotiam raphanida esse dulcissimam, figura rotundam, nec Cleonææ modo oblongam scribit, quæ conveniunt cum Syriaco raphano Plinii. *Id.*

Agrion vocant] *Cheram*, Manuser. Turnebus *Armotaciam* Advers. XXIV. 7. Isidorus hanc lapsanam esse interpretatur. Convenit quod Cæsar scribit Bell. Civ. lib. III. Est autem genus radicis inventum ab iis, qui fuerunt cum Valerio, quod appellatur chara, quod admixtum lacte, multum inopiam levat. Id similitudinem panis efficiebat. Ejus erat magna copia. *Idem.*

Circa Vulcanalia] Aliis ortu Cani-

culæ, aliis Calendis Augusti. *Idem.*

Aristomachus detrahi] Theophrast. de Caus. v. 5. *Idem.*

Salsis aluntur] De brassica hoc Theophrast. de Caus. II. 7. *Idem.*

Dandos cum sale jejunis esse] Dioscorides vomituris dat ante cibum; a cibo vero ut roboret ventriculum, et cibi distributionem adjuvet. Auctor obliviose vomituris imperat sumto cibo, xx. 4. *Idem.*

Quem Samnitium legatis] In exercitu duos tantum calones pro servis, famulis, ministris, ei fuisse scribit Alexand. ab Alexand. III. 11. *Idem.*

Scripsit et Moschion Græcus] Non *Morchion.* Fuit ejus nominis medicus, cujus libellum Latine versum vidimus nondum publicatum. *Gelen.*

Odium his cum vite maximum] Hoc de brassica audiendum est. quam ῥάφανον Theophr. et Aristotel. vocaverunt. Vide supra lib. XVII. cap. 24. ult. *Dalec.*

Ex iis pastinacæ unum] Plinius pastinacæ nomine Latinis significari ait plantas quatuor: primam quidem pastinacam sativam, Lugdunenses vocant *panetz:* alteram agrestem, in pratis nascentem, quam hibiscum hic vocat, malachen agriam xx. 4. pratensem XXI. 15. Lugdunenses *panetz sauvages:* tertiam daucum staphylinum, altilem et hortensem, memoratum Galeno Simpl. lib. VI. vulgo *Carotes:* quartam daucum staphylinum silvestrem, officinis notissimum. Et quoniam hæc Romano more tractaverat, subjungit statim Græcos quatuor etiam genera dauci statuere, nempe tria descripta a Dioscoride, et quartum daucum staphylinum, quem post Ligusticum Dioscorides explicat, silvestrem scilicet, nulla usquam facta mentione sativi, aut pastinacæ, vel sativæ, vel agrestis, quasi ignotæ Græcis illæ plantæ fuerint, quamvis staphylinum apud Dioscor. interpretes vertant pastinacam. Vide infra xxv. 9. Staphylinum tamen suum Dioscorides epitheto peculiari ἄγριον vocat, id est, *erraticum,* tanquam si et ἥμερον, *sativum,* cognovisset. Pastinacam Romani Gallicam vocabant, quod, ut etiam nunc fit, in Gallia tum passim diligentissime coleretur. *Idem.*

Staphylinos Græce dicitur] Officinis Staphylinus agrestis. Pingitur et describitur a Dodonæo II. 87. et v. 38. *Idem.*

Gelduba appellatur] Hodie *Gelb,* pagus juxta arcem, limen Archiepiscopi Coloniensis. *Dalec.*

Nullave minus quam ternorum pedum] Scribo, *Inulane minus quam ternorum pedum,* tum ex citato exemplari, tum ex Colum. XI. 3. 'Pastinaca, siser, atque inula convalescunt alte pastinato, et loco stercorato, sed quam rarissime ponenda sunt, ut majora capiant incrementa. Inulam vero intervallo trium pedum seri convenit, quoniam vastos facit frutices.' Astipulatur etiam Palladius III. 25. *Pintian.*

Proxima his est bulborum natura] Vide infra XX. 9. paulo ante finem. *Dalec.*

Celebrans Megaricos] Colum. 'quæque viros acuunt, armantque puellas, Jam Megaris veniant genitalia semina bulbi.' Martialis: 'Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris, An Megaris veniat, noxius omnis erit.' *Dalec.*

Epimenidium vocatur] Theophrastus Hist. VII. 11. *Idem.*

Folia quæ sunt his ampla] De aro tantum id idem ibidem. *Idem.*

Unum de iis volumen, &c.] Ejus mentio fit apud Laërtium in Pythagora, quo loco perperam legitur περὶ τῆς κήλης eum scripsisse, non περὶ τῆς σκίλλης. Muretus Variar. IX. 20. *Id.*

Proximo reddemus libro] Lib. XX. cap. 9. *Idem.*

In Africa nati] Adeo dulces nascuntur. Theophrast. Hist. VII. 13. *Id.*

Genera Græci hæc fecere] Theophr. Hist. VII. 13. hæc sic recitat: 'Leucoion, bulbinen, opilionem, cyicem,

et sisyrinchium.' Pro leucoio scribitur hic *setanion*, pro opilione *pythion*, pro cyice *acrocerion*. Ægilops vel irrepsit, vel ejus loco legendum, *hemerocalles*, aut quidpiam aliud ejusmodi. *Idem*.

Effodiuntur bulbi ante ver] Bulbis salaciores fieri ostendunt Martialis versus: 'Cum sit avus conjux, cum sint tibi mortua membra, Nil aliud bulbis quam satur esse potes.' Ex iis cum nucleis pineis, eruca, pipere in nuptiali cœna sponso ferculum parari solitum scribit Alex. ab Alex. II. 5. ut apud quosdam e papaveris semine cum lacte et melle, et apud Athenienses, sponsæ, priusquam mariti thalamum adiret, cydonium malum gustare morem fuisse, ut halitu animaque suaviori virum oscularetur. *Dalec.*

CAP. VI. *De hortensium herbarum radicibus, foliis, floribus, coloribus.*

Silvestri minores, tumidæ] *Silvestri minor et humida*, in vetusto exemplari: recte. Theophr. VII. 2. 'Omnium maxime unistirpem rumicem esse putaveris. Laterales enim crassas nullas penitus agit, sed tantum prætenues. Nititur altissima omnium radice majore; namque semipedibus ternis. Silvestris breviorem agit: multicaulis atque ramosus consistit, et tota forma cum perfecta est, betæ proxima sane cernitur. Diuturnitate quoque silvestrem et in totum, ut dicta loquar, omnia olera vincit. Perdurat quantumvis temporis, ut aiunt, carne plena atque humecta consistit. Qua de causa effossa diu vivere potest.' Hæc Theophrastus. Porro distincte Pliniana verba legenda censeo, ut duo illa verba, *silvestri minor*, parentheseos nota claudantur, et omnino legatur sic: *Ut quæ descendat ad tria cubita (silvestri minor) et humida effossa quoque diu vivere potest.* Pint.

Sponte nascentium, &c.] Theophr. Hist. I. 11. τῶν ποωδῶν, earum quæ herbæ vulgari simile folium, id est, longum et angustum habent, quales sunt crocus, perdicium, aspalax. Tamen de perdicio tantum hoc idem scribit, non de croco, aut aspalace. Sed et sunt, qui ejusdem perdicion esse volunt ornithogalon Dioscoridis, et pro aspalace *asphodelum* legunt. Utrumque certe ποῶδες est. *Dalec.*

In jurejurando habet Ægyptus] Zeno Stoicus per capparim jurabat, Teleclides per brassicam. Plutarchus de Isid. et Osir. Cæpam quidem Ægyptii sacerdotes aversabantur, quod lacrymas eliciendo, festos dies celebrantibus molesta sit, et excitata siti incommoda sit iis, qui religionis causa potu ciboque abstinent. Plutarchus ibid. Præterea quia Luna decrescente viget et augescit. *Idem.*

Odor lacrymosus] Inde Græcis κρόμμυον, ὅτι κόρας συμμύειν ποιεῖ. Aristophan. τί δῆτα κλαίεις; Α. κρομμύων ὀσφραίνομαι. Bias a rege Alyatte accersitus, regia fortuna spreta, illum jussit κρόμμυα ἐσθίειν, τουτέστιν οἰμώζειν. Rhodig. XII. 4. Lucilius Sat. lib. V. 'Flebile cæpe simul, lachrymosæque ordine tallæ.' Sic enim Festus vocat interiores cæparum tunicas. Varro in Bimargo: 'Avi et atavi nostri cum allium et cæpe verba earum olerent, tamen optime animati erant.' Tunicatum cæpe Persius eleganter vocat Sat. IV. 'tunicatum cum sale mordens Cæpe.' Lucilius lib. VI. 'lippus edendis Acribus assidue fuit cæpis lacrumosis.' In Priapeis: 'Acreisque cæpas, alliumque fibratum.' Apud Homerum Iliad. Λ. Ἐκαμήδη εὐπλόκαμος Nestori et Machaoni pro obsonio apponit cæpam et mel flavum, χλωρόν. *Dalec.*

Samo enim et Sardibus candidissima] *Amisso* in veteri lectione, non *Samo*. Substituo pro *amisso*, *apud Issum*, ex Theophr. VII. 4. 'Differunt,' inquit, 'et colore nonnullæ. Etenim apud Issum cætera quidem candidis similes constant, sed colore candidæ admodum proveniunt, Sardianisque si-

militer fere affirmant.' Est autem Issus urbs nemini ignota, in Cilicia, clara victoria Alexandri adversus Darium. *Pintian.*

Et de porro] Pallad. cap. 24. Februar. *Dalec.*

Vocis gratia] Cui splendorem affert infra xx. 6. *Idem.*

In eadem area secatur, &c.] Sic distinguenda sunt: *In eadem area secatur, donec deficiat, stercoraturque semper. Si nutritur, in capita, antequam secetur, cum increvit, in aliam aream transfertur, summis foliis leviter recisis ante medullam, et capitibus retractis tunicisque extremis.* Quem sectivum, inquit, facere volueris, in eadem area, qua satus a primo fuerit, secandus est donec deficiat: at si nutritur in capita, id est, si capitatum voles facere, ubi increvit antequam secetur, in aliam aream transferri debet, summis foliis leviter recisis. De capitato postrema illa verba capienda esse palam est, et ex iis quæ sequuntur: 'Antiqui silice, vel testa subjecta capita dilatabant, hoc item in bulbis.' Mox emendandum: *Laudatissimus in Ægypto, mox Ostiæ atque Ariciæ;* et paulo post: *alterum genus pallidioris folii, rotundiorisque, lenioribus incisuris.* Duo genera sectivi porro facit, quorum alterum *folio herbaceum*, id est, viriditatis miræ: alterum folii pallidioris, dilutioris nempe viriditatis. Vide Salmas. pag. 1001. a.

Subjecta capita dilatabant] Inde κεφαλωτὸν πράσον. Auctor Moreti: 'Hic siser, et capiti nomen debentia porra.' In Priapeis: 'Crescensve semper in suum caput porrum.' *Dalec.*

Nucleis] Ὄνυχας vocat Aëtius xi. 11. σκελλίδας Paulus Ægineta iv. 33. γέλγεις Theophrast. ἀγλῖθας Galenus. *Idem.*

Ulpicum] Quidam esse volunt allium Ægyptium Dioscoridis, quod, ut porrum, singulari capite constat, idemque molyzam Hippocratis de mulieribus. *Idem.*

Antiscorodon] Aphroscorodon, ut indicant, quæ proxime sequuntur. Sic et Columella vocavit, idemque allium Punicum. Quidam a spuma, alii ab Africa Aphroscorodon dici volunt. Columellæ verba sunt xi. 3. 'Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci Aphroscorodon appellant, longe majoris est incrementi.' *Dalec.*

Pulmentaria ruris] Ea pulmentaria μυττωτοὺς Theophrast. vocat Hist. vii. 4. Pollucí autem μυττωτὸς est τρίμμα ἐκ σκορόδων δριμύς: Dioscoridi intritum ex allio et nigra oliva. Hoc loco Plinius parare id videtur ex oleo, allio, et aceto. Parant alii ex allio, ovo, caseo: Lugdunenses ex allio et nuce juglande recenti, aut alioqui tamdiu in aqua macerata, ut recenti similis videatur. Excitat hoc appetentiam, et contra venenum fungorum pro antidoto est. Vide Cœlium et Scholiastem Aristoph. *Idem.*

Tritum in oleo et aceto mirum quantum increscat spuma] Verba illa, *in oleo et aceto*, falso inserta videntur, ex Theophr. vii. 4. his verbis: 'Cyprium vocatum maxime tale est, quod non decoquunt, sed in myttotis utuntur; et cum tunditur mirum quantum spuma increscat.' *Pintian.*

Ut odore careant] Columella lib. xii. *Dalec.*

Allium ex semine provenit, &c.] Lege: *Allium ex semine provenit, sed tarde; primo enim anno porri crassitudinem capite efficit: sequenti dividitur: tertio consummatur.* Sequentia sic lege: *in semen exire non debet, sed intorqueri caules satius, ex gratia, ut caput validius fiat.* Melius dixisset Plinius: *sed interqueri nucleos satius.* Salmas.

Pulchriusque] Κάλλιον Theophr. præstantius. *Dalec.*

Quod si diutius allium, &c.] Lege: *Quod si diutius allium cæpamque inveterare libeat, aqua salsa tepida unguenda sunt; ita diuturniora fient, meliora-*

que usui, sed in satu sterilia. Salmas. pag. 227.

Alum hoc vocant] Ophioscorodon. Alioquin alus Græcorum est symphyton petræum. In Vet. legitur, *allium.* Vide num legendum : *silvestre hoc allium, &c.* vel, *anguinum hoc vocant.* Dalec.

CAP. VII. *Quoto die quæque herbæ nascuntur, seminum natura: quomodo quæque serantur, et quorum singula genera sunt, et quorum plura.*

Blitum, napus, eruca] Legendum videtur *radix*, non *napus*. Theophr. VII. 1. 'Omnia pari tempore nequaquam proveniunt, sed alia celerius, alia serius: quæ scilicet proventu contumaciora consistunt. Celerrime ocimum, blitum, eruca, et de hibernis radix; die namque, ut ita loquar, tertio erumpit.' Ex his Theophrasti verbis liquet, alio ordine Pliniana esse disponenda: *Celerrime ocimum, blitum, eruca, radix.* Pintian.

Majore ex parte emergit] Idque omnibus sementibus. In omnibus enim quidam densius serunt. Theophrast. *Dalec.*

Item duritie] Apud Theophr. est: Καὶ τοῖς χρώμασιν ὅμοιαι, τὰ μὲν μέλανα, τὰ δὲ ξυλώδη, τὰ δὲ λευκότερα. Ξυλώδες, *lignosum*, Theophr. refert ad colorem, Plinius ad duritiem. Apud Theophrast. rectius legetur pro ξυλώδη, ἐρυθρώδη, qualis color est seminis nasturtii, et raphani. Exemplar manuscriptum habet: *item duritia surculacea, in folliculo sunt, &c.* Pro siliqua folliculum Plinius usurpat. ἔλλοβα Theophrast. vocat. *Idem.*

Nudum semen apii] Γυμνόσπερμα Theophrast. Hist. I. 18. *Idem.*

Cortice obducta bliti, betæ] Scribe *obductum*, non *obducta*, ex vetusto exemplari. *Pintian.*

Nihil ocimo fœcundius: cum maledictis ac probris serendum præcipiunt] Legendum proculdubio, non *ocimo*, sed *cumino*. Theophr. VII. 3. 'Omnia seminis germinisque large fœcunda: sed fœcundissimum omnium cuminum est. Peculiare etiam quod de hoc dicunt; imprecari namque et maledicere serendo oportere affirmant, quo latius copiosiusque proveniat.' Repetit idem lib. IX. *Pintian.*

Cum maledictis ac probris, &c.] De ruta idem scribit Palladius cap. 9. Martii. *Dalec.*

Et cuminum qui serunt, precantur ne exeat] Sicuti statim ante *ocimo* legebatur, ubi *cumino* scribendum erat, hic contraria ratione *ocimum* scribendum fuit, ubi *cuminum* positum est. Sciendum autem verba, quæ statim præcedunt, post ea quæ posui locanda esse, non ante, hoc modo: *et ocimum qui serunt, precantur ne exeat: sato pavitur terra.* Columella XI. 3. 'Fere etiam his diebus ocima seruntur, quorum cum semen obrutum est diligenter, inculcatur pavicula vel cylindro; nam si terram suspensam relinquas, plerumque corrumpitur.' Et in carmine de Hortorum cultura: 'Tum quoque proscisso riguoque inspersa novali Ocima comprimite, et gravibus densate cylindris, Exurat sata ne resoluti pulveris æstus.' *Pintian.*

Et cuminum qui serunt] Contra qui rapum, raphanum, napum religiosi agricolæ serunt, antiqua consuetudine precantur, ut sibi nascantur, et vicinis. *Dalec.*

Apium etiam paxillo, &c.] Ad incrementum locus confert. Ideo cum apium transfertur, adigi paxillum tam alte præcipiunt, quam apium fieri magnum placet. Quin etiam et apii semen, exceptum panniculo stercore terraque pleno, in cavernam paxillo jam antea reclusam demitti. Theophrast. Hist. VII. 3. *Idem.*

Et si quorum radicem, &c.] Annifera vocat, τὰ ἐπετειόκαυλα, quorum annuus caulis est: apposite quidem, sed significatu minus proprio, cum *annifera* etiam intelligere possimus, quæ fructum aut florem quotannis ferunt. Nascuntur etiam radice, inquit Theo-

phrastus, quorum radices vivunt diutius, quamvis annuus caulis sit. Talis est beta et oxalis. Legend. *et si quæ radicem annifera*. Idem.

Fruticant alia et non capite] Melior lectio, *Fruticant alia et non capitata*. Theophr. VII. 2. 'Quædam etiam non capitata; verum diuturniora germinare posse cernuntur, ut apium, beta.' *Pintian*. *Fruticant alia et non capite*] Coma secta, novam pariunt. *Dalec.*

Exceptis quæ non scabrum caulem habent] Legendum reor *crebrum*, non *scabrum*, ex Theophr. VII. 2. Theodorus *secaulia* vertit, quæ Theophrastus ἀπόκαυλα appellat. *Pintian*. *Exceptis quæ non scabrum*] Apud Theophr. est πλὴν τῶν ἀποκαύλων. Legendum puto, μονοκαύλων. Exceptis iis, quæ unico caule surgunt, ut cuminum. *Dalec.*

Hoc et in rapis] Non quidem de rapis id scribit Theophrastus, sed, quod sequitur, *ea pariter, ac radiculis direptis, foliis, &c.* Idem.

Rutam furtivam] Palladius cap. 9. Mart. *Idem*.

CAP. VIII. *Natura, et genera, et historiæ ad condimenta in horto satarum rerum, XXXVI.*

Heleoselinum vocatur] Hoc est, apium palustre, seu paludapium. Alii *helioselinum* legunt, sed perperam, ut patet ex Dioscoride lib. III. et Theophrasto VII. et omnibus. *Pintian*.

Uno folio, nec hirsutum] Theophr. VII. 7. μανόφυλλον, *raris foliis*, pro quo legit Plinius μονόφυλλον, *uno folio*. Dalec.

Rursus in siccis hipposelinum pluribus foliis simile heleoselino] Verbum *pluribus* adjectitium puto. Theophrastus libro antedicto: 'Hipposelinum foliis vicinum heleoselino est.' *Pintian*.

Purpureas, crispas, Cappadocas] Scribendum *Cappadocias*, non *Cappadocas*, tum ex codice antiquo, tum ex Columella XI. 3. 'At Cappadocia, quæ pallido et pexo densoque folio, viret mense Februario,' &c. Corrigenda non multo post eadem menda. *Pintian*.

Picrida] Est et picris cichorii genus infra XXI. 17. et XXII. 22. nec non Theophrast. Hist. VII. 11. *Dalec.*

Quæ meconis vocatur] Vide posthac XX. 7. *Idem*.

Apud antiquos Italiæ hoc solum genus earum fuit, et ideo Lactucis nomen adjectum] Sic leg. Sequentia sic lege: *et ideo æstate gratia*. Sequentia sic leg. *Divus certe hac lactuca conservatus in ægritudine fertur prudentia Musæ medici, cum prioris Cameli religio nimia ei abnegaret*. Omnia plana jam sunt. Oportet Camelium fuisse nomen prioris medici, quo Divus Augustus usus est ante Musam. Is Camelius lactucarum esum ægrotanti Augusto negabat. Musæ vero opera ex valetudine ancipiti convaluit ope lactucæ. *Cameli* pro *Camelii*. Sequentia sic lege: *In tantum recepta commendatione, ut servari etiam in alienos menses eas ex oxymeli tum repertum sit*. Post servatum ex morbo Augustum lactucæ usu, tanta earum commendatio esse cœpit, ut tum repertum sit eas oxymeli condire ac recondere in alienos menses. *Salmas*. 1270. b. et 1271. b. 1272. a.

Et ideo lactucæ nomen adeptæ] In vetusto exemplari, *et ideo nomen lactucis adjectæ*. Scribendum forte, *et inde cognomen a lacte eis inditum*. Pintian. *Lactucæ nomen adeptæ, &c.*] Quid quod in ipso Plinio supra c. 4. hujus libri, legere est, 'Lactucinos in Valeria familiia non puduisse appellari,' nempe a lactucarum cultu; ut a 'cœpis,' 'Cœpiones.' *Bouch*. 604. Vicissim inter lactucarum species idem Plinius 'Cæcilianæ' meminit: 'Purpuream,' inquit, 'maximæ radicis Cæcilianam vocant;' nempe a Cæcilio Metello. *Bouchart*. ibid.

Astylida: quidamque eunuchion] 'Ἀστυλίζειν, *ejulare*. Apud Athenæum

lib. II. legitur *astylida*, quasi urbanam et civilem dicas. *Dalec.* *Astylida: quidamque eunuchion*] *Eunuchion* scribit et *astylida*; quorum posterius palam corruptum. Nam ἀστυτὶς cur dicatur neminem doctorum latet; at ἀστυλὶς, Hesychio aliud est. *Bouchart.* 603.

Natura omnibus refrigeratrix] Ea de causa veteribus postrema mensa sumebatur, ut ebrietatem et capitis gravitatem arceret frigiditate. Martialis: 'Claudere quæ cœnas lactuca solebat avorum, Dic mihi, Cur nostras inchoat illa dapes?' Rhodig. XXVII. 20. et 26. Apud Athenæum Aristoxenus cum vesperi lactucas œnomelite perfudisset, virides placentas a terra summissas se habere, mane jactabat. In lactuca occultatum Adonin a Venere Callimachus, Phaona Cratinus scribit. Pythagoræi lactucam vocant, εὐνοῦχον, Eubulus mortuorum cibum, mulieres ἀστυλίδα, quia τὸν στύλον, id est, *penem*, arrigere prohibeat. Rhodig. lib. XXVII. cap. ult. Auctor Moreti: 'Grataque nobilium requies lactuca ciborum.' *Dalec.*

Divus certe Augustus, &c.] Sueton. in Augusto cap. 81. Vide Salmas. p. 1272. *Idem.*

Dicemus inter medicas] Lib. XX. c. 7. *Idem.*

Latiusque esset] Theophr. Hist. VII. 7. et 11. et de Caus. II. 7. *Dalec.*

Hiemi impatientiores] Imo scribendum, *hiemis patientiores*. Columella in prosa hortorum: 'Eadem ratio intubi, nisi quod hiemem magis sustinet, ideoque frigidis regionibus primo autumno seri potest.' *Pintian.*

Candoris sane discrimine præferentes et lactucæ] Legendum videtur, *ut lactucæ*; quod patet ex paulo ante dictis, et recentiora etiam exemplaria sic præferunt. *Idem.*

Vernum et autumnale a temporibus sativis] Scribo, *vernum et autumnale a temporibus satuque*, ex vetere codice, et mox paulo pro *pandunt*, *expandunt*, in eodem leges. *Idem.*

Acrimonia sinapis] Condiebant olim vino et pipere. Unde Martialis: 'Ut sapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ, O quam sæpe petet vina piperque cocus!' Fabris betas parari solitas ostendit et hic Columellæ versus: 'Ulpica, quæque habilis beta est fabrilibus escis.' *Dalec.*

Religio est] Religiosum est: vel ut quadam religione observatum, ut appositam quivis degustet, quamvis ea satientur validiores tantum. *Idem.*

Et capite ipso exilientis] Lego: *et capite ipso exiliente, bulbi*; nam cum foliis humi primum sparsis, ex illorum medio caulis prodire incipit, ejus caput et callosa quadam soliditate bulbo simile est, et gustu. *Idem.*

In latitudine] In Priapeiis Epigram. LI. 'Nec hortus educat latas meus betas.' *Idem.*

Brassicæ miras canit laudes] Cap. 157. 158. Gravidis apud Athenienses brassicam dari solitam, quod parturientibus commodissima sit, scribit Alex. ab Alex. II. 25. *Idem.*

Genera ejus facit tria] De raphano id supra, hujus libri cap. 5. 'Genera raphani Græci fecere tria,' &c. Infra vero XX. 9. 'In tria genera divisere eam (brassicam) Græci antiquissimi.' *Idem.*

Apianam vocat] A similitudine apii, σελινοειδῆ Cato: Eudemus apud Athenæum lib. IX. vocat σελινουσίην. *Idem.*

Cymas] *Cymas* vocat fœminino genere, quas Græci neutro κύματα, quasi κυήματα, ut inquit Galenus lib. II. aliment. et Columella hoc versu: 'Frigoribus caules, et veri cymata, mittit.' Cymas primæ sectionis inter remedia nephritica Galen. lib. X. κατὰ τόπους ex Anthioro vocat πρωτοτόμους καυλοὺς, ut et Martialis: 'Et faba fabrorum prototomique rudes.' Et 'Prototomis, pudet heu, servio cauliculis.' Marcei. c. 20. Haplosiles cau-

les vocat, nimirum ἀπαλοὺς. Vide xx. 9. *Idem.*

Fruticat] Cauliculos edules profert. Id genus esse volunt, quod in Geoponicis Constantinus vocat ἀσπαραγώδη κράμβην. *Dalec.*

Lacuturres] Vulgo, capitata sive sessilis brassica. *Chaus cabus.* Idem.

Nunquam plantæ, &c.] Intelligendum est enim de plantis brassicæ: huc facit diminutiva vox ἁλμυρίδιον. *Gelen.*

Halmyridia vocat] Eorum meminit Eudemus apud Athenæum, gignique tradit Eretriæ, Cumis, Rhodi, Cnidi, Ephesi. *Dalec.*

Statim desecti ne humum attingant, in cados olei quam proxime siccatos obturatosque conduntur] Desideratur particula *si*, et *desecta* non *desecti*, in scripto codice legitur: et *opitulatos*, non *obturatos*. Lego igitur sic: *si statim desecta ita ne humum attingant, in cados olei quam proxime siccatos operculatosque conduntur.* Pintian.

Semen trifolii] Deceptus est Plinius, sive potius ejus libertus scriba, voce τρίφυλλον, quod patet ex hoc loco Constantini xii. 17. Εἰδέναι χρὴ ὅτι τὴν κράμβην ἐν ἁλμυρῷ τόπῳ σπείρειν προσήκει· διὸ χρὴ τριφύλλῳ ταύτῃ γενομένῃ νίτρον λεῖον ἢ ἁλμυρίδα γῆν διὰ κοσκίνου κατασεισθεῖσαν πάσσειν, ὡς δοκεῖν αὐτὴν πεπαχνῶσθαι· τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ καὶ ἐψανωτέρα γίνεται. Pro τριφύλλῳ κράμβῃ Plinius triphylli semen immiscuit. Idem error Pallad. cap. 24. Febr. Martial. 'Nec tibi pallentes moveant fastidia caules, Nitrata viridis brassica fiat aqua.' *Dalec.*

Genus inserendi] Id Græci vocant ἐπισπείρειν, ut in arboribus ἐμφυτεύειν, et ἐνοφθαλμίζειν, 'inseminare' Gellio. Vide Lexic. Constantin. *Idem.*

Apud Dyrrachium] Sueton. in Julio c. 68. *Idem.*

Cyma silvestris] Brassica. Lapsanam xx. 9. silvestris brassicæ genus esse scribit. At supra c. 5. charan, sive choran, Cæsari lapsanam dici adnotavi. *Idem.*

Omnium hortensiorum lautissima] Legendum *hortensium*, non *hortensiorum*, ut præmonuimus. In scripto tamen codice, *Omnium in hortis rerum* legitur, et paulo post, *hortense*, non *hortensium*, scriberem. *Pintian.*

Abunde dictum] Lib. xvi. cap. 36. *Dalec.*

Cato] Cap. 48. *Idem.*

Corruda] Asparago hoc spinoso ut sponsæ coronarentur, apud Bœotios in more fuisse, sicut apud cæteros Græcos sisymbrio, tradit Alex. ab Alex. ii. 5. *Idem.*

Viret thyrso primum, &c.] Κορύνην Theoph. vocat Hist. vi. 3. nempe thyrsum in acutum fastigium desinentem. *Dalec.* *Viret thyrso primum emicante, &c. striatur*] *Striatur* lego, non *stringitur;* nam inter toros interveniunt striæ, sicut in arvo inter porcas sulci. Eadem ratione striatæ columnæ apud Vitruvium leguntur. Sic et melopepones striato cortice conspiciuntur. *Gelen.*

Ovillo fimo nominatim uti quoniam aliud herbasceret] Scribo, *quoniam aliud herbas creet;* ex ipso Catone c. 140. *Pintian.*

Arietis cornibus, &c.] Fabulosum vanumque id sibi videri scribit Dioscorides. *Dalec.*

Certum est quippe, &c.] Legend. *Certum est quippe carduos apud Carthaginem magnam Cordubamque præcipue, sestertium sena millia e parvis reddere areis.* Singulas areas, easque parvas, carduorum apud Carthaginem magnam et Cordubam reddere quotannis sestertium sena millia dicit, hoc est, centenos quinquagenos præter propter nostri nomismatis aureos; qui ingens quæstus erat: areæ hortorum sunt πρασιαί. *Salmas.* p. 228.

Eruca] In Priapeis; 'Nam quamvis videar satis paratus, Erucarum opus est decem maniplis, Fossas inguinis ut teram.' Quin et eruca sacra Priapo est, atque ideo propter

eum seritur. Columella in horto: 'Et quæ frugifero seritur vicina Priapo, Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.' In Priapeis: 'Et ipse longa nocte dormiat solus, Libidinosis incitatus erucis.' Auctor Moreti: 'Intybaque et Venerem revocans eruca morantem.' Ovid. in Amor. 'Ex horto quæ venit herba salax.' Idem: 'Nec minus erucas aptum est vitare salaces.' Martialis: 'Concitat ad Venerem tardos eruca maritos.' Vide supra x. 48. sub finem. *Dalec.*

Narium tormento] Κάρδαμον, καρδάμον, quia caput acri calore suo tentat. Unde in pigros, ignavos, et desides Græcis est proverbium, *κάρδαμον ἔσθιε, nasturtium comede.* Idem.

Veluti torporem excitantis] Varro in Pappo: 'Nasturtium nonne vides ab eo dici quod nasum torqueat: vestispicam, quod vestem spiciat.' Nonius. Auctor Moreti: 'Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu.' Vide quæ adnotata sunt xx. 13. *Idem.*

Ruta quoque, &c.] Iolaus in rebus Peloponnesiacis *πήγανον* in Peloponneso *ῥυτὴν* vocari scribit, unde fortassis Latinum rutæ nomen. Rhod. XXVIII. 23. Scal. in Varron. In Priapeis: 'Menthamque olentem cum salubribus rutis.' *Idem.*

Terra quam maxime lateraria] Lateritios parietes dicimus, ex lateribus constructos. *Laterariam terram*, quæ apta sit fingendis lateribus. *Gelen.*

Amicitia est ei et cum fico] In fico rutam inseri Theophr. refert de Caus. v. 7. itemque Plut. Sympos. v. 9. *Dalec.*

Eadem et ocimo natura, nisi quod difficilius crescit] Hæc verba haud dubie ad alium locum pertinent; hic enim falso inserta disturbant interrumpuntque rutæ tractatum. Sed considerandum, cur dicat difficilius ocimum crescere, quod est contra Theophrast. Hist. Plant. VII. 1. his verbis: 'Omnia pari tempore nequaquam proveniunt, sed alia celerius, alia serius, celerrime ocimum, blitum, eruca.' Nisi quis dicat, aliud esse crescere, aliud nasci et erumpere e terra. Nunquid legendum hic, non *crescit*, sed *arescit*? ut vetus codex, et alia nonnulla habent exemplaria, ex eodem Theophrasto, eodem VII. 3. sic scribente: 'Difficile, ut ita loquar, omnia exsiccantur, cumino excepto. Nec modo frumenti consistunt: quod cum primum in plenum creverit, mox exsiccatur et decidit. Sed quæ cortice continentur, difficilius exsiccantur, et inter ea maxime ocimum.' *Pintian.*

Non sine difficultate provenientibus] Scribo, *non sine difficultate pruritus, seu pruriginis*, tum ex vetere codice, tum ex Columella lib. XI. in prosa hortorum: 'Sed velata manu debebit runcari, quam nisi contexeris, perniciosa nascuntur ulcera. Si tamen per ignorantiam nuda manu runcaveris, et prurigo atque tumor incesserit, oleo subinde perungito.' *Idem.*

Crispius sic putant fieri] Theoph. Hist. II. 5. et de Caus. v. 6. *Dalec.*

Nemea] Illic viridi vivoque apio coronantur, in Isthmiis vero arido, rejecta pinu, Herculis instituto. Callimachus apud Plut. in Sympos. Καί μιν Ἀλητίδαι πουλὺ γεγειότερον Τοῦδε παρ' Αἰγαίωνι θεῷ τελέοντες ἀγῶνα Θήσουσι, νίκης σύμβολον Ἰσθμιάδος, Ζήλῳ τῶν Νεμέηθε· πίτυν δ' ἀποτιμήσουσιν, Ἣ πρὶν ἀγωνιστὰς ἔστεφε τοὺς Ἐφύρης. Had. Jun. IV. 21. Vide quod adnotatum est XX. 11. Olympicos ludos Hercules in honorem Pelopis instituit. Corona in his fuit ex oleastro, vel olea callistephano. Pythios Delphis Diomedes in honorem Apollinis, qui Pythonem serpentem interemisset. Corona, Laurus. Isthmios in Isthmo, et Megarensium sinu, juxta Corinthum, ad Neptuni delubrum, inter Ægæum et Ionium mare, Theo-

seus, æmulatione Herculis. Corona principio ex apio, deinde ex pinu, ac tandem victori præmium centum drachmæ, ut Olympionicis quingentæ. Nemæos in honorem Archemori Lycurgi filii, a serpente necati, cum super apium reptaret, celebrarunt. Corona apium. Alex. ab Alex. v. 8. *Dalec.*

Minus hæc humido gaudet] Æstimandum, an legendum hic sit, non *minus*, sed *nimis*, ex Dioscoride prodente, mentam dulcem desiderare uliginem. Et paulo ante, *Durata runcatur non sine difficultate.* Scribo *delata*, non *durata*. Columella xi. 3. 'Rutam autumno semine satam, mense Martio deferre oportet in apricum, et cinere aggerare, runcarique, donec convalescat, ne herbis enecetur; sed velata manu debebit runcari; quam nisi contexeris, perniçiosa nascuntur ulcera.' *Pintian.*

Mentæ nomen, &c.] Κωκυτίδα νύμφην Oppianus ἁλιευτικῶν lib. iii. vocat, quod Mintham Cocyti filiam, Plutonis amicam adventanti Proserpinæ infensam et minitantem, Ceres in κακὴν βοτάνην mutavit. Eadem fere leguntur apud Strab. lib. viii. de monte Minthe. Improbam herbam vocat Oppiani interpres, quod ante coitum apposita mulierum genitalibus conceptum impedit, vulnera, si inferatur, curari prohibet, lacti mixta ante coagulum densari non patitur, quæ Florentinus Geoponicῶn lib. xii. tradit. Rhodig. x. 22. *Dalec.*

Sed præcipue Olusatrum miræ naturæ est. Hipposelinon Græci vocant, alii Smyrneum: e lacruma caulis sui nascitur] Hipposelinum porro illud quod lacrimam fundit, et ex cujus radice succus colligitur sapore murrhæ, non est Olusatrum, sed Smyrnium. Utrumque ab eo confundi magis etiam apparet in sequentibus. *Salmas.* 1268. b.

Hipposelinum Græci, &c.] Theophrast. Hist. vii. 6. Smyrnium Diosc. maceronium officinarum, a maceriis dictum, idemque Hipposelinum Theophrast. Hipposelinon Dioscor. vulgare libysticum. *Dalec.*

Cratevas apud, &c.] Lege: *Cratevas apud Græcos cunilam bubulam eo nomine appellat. Ceteri vero Conyzam, id est, cunilaginem: Thymbram, &c.*] Salm. 1275. a. *Cratevas apud, &c.*] Cratevas putavit falso ligusticum appellari nomine cunilæ bubulæ, cum hæc sit origanum silvestre. Vide xxvi. 15. sub finem. *Idem.*

Non sine lacte] Columella in horti poëmate. Dioscoridi in muria servatum cum lacte estur. Lepidio injecto oxygala fieri scribit Columella xii. 8. *Idem.*

Papaveris sativi tria genera] Apud Theocritum interpres τηλέφυλλον vel πλαταγώνιον interpretatur papaveris aut anemones folium, ἀπὸ τοῦ πλατάσσειν, ἤγουν ἠχεῖν, quoniam eo indici pollicique imposito, ac colliso, si crepuisset, aut rubesceret, amari se putabant, ruborem τὰ ῥόδια vocantes, sin minus despici se arbitrabantur. Versus Theocriti sunt hac de re: Ἔγνων πρὰν, ὅκα, μευ μεμναμένω εἰ φιλέεις με, Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτιμαξάμενον πλατάγησεν, Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχεϊ ἐξεμαράνθη. Quidam legunt δηλέφιλον, ab amoris indicio et augurio. Rhod. xix. 4. Ejus lusus meminit Pollux lib. ix. περὶ τῶν ἐν συμποσίοις παιδιῶν. Sic quoque vocavit Josephus in hyoscyami descriptione. *Idem.*

In secunda mensa] Cocetum id bellarium vocat Festus. Tertull. contra Valentin. 'Pandoram Hesiodi, Accipatinam, Nestoris cocetum, Miscellaneam Ptolomæi.' Petronius in Satyra ridens affectatum studium eloquentiæ in declamatorum exercitationibus, eos mellitos verborum globulos fundere ait, et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. *Idem.*

Inferiorem crustam] Polluci ἐψιθίας, inferior panis crusta, quæ furnum at-

tingit et ψώθιον: crusta vero superior, magna ex parte vesicis bullata, et pustulata, ἀττάραχος, sive ἀττάραγος. Legendum vero puto, *crustam ammi githque*, ut legitur XX. 14. vel *crustam anisum githque*, ut cap. 17. ejusdem libri. Apium crustæ panis inferiori subdi, nusquam legitur. *Idem.*

Tertium genus, &c.] Legend. *Tertium genus rhœada vocant Græci, id nostri erraticum:* et XX. 19. leg. *Rhœadem vocavimus et erraticum.* Salmas. pag. 829. a. *Tertium genus, &c.*] Sativi tertium genus non quidem est rhœas, perpetuo silvestre, et erraticum, sed nigrum secundum, albo, quod thyliacitin vocant, et priore nigro, quod pithitin, magis silvestre, magis medicatum, minus capite oblongo, coli tamen solitum in hortis cum supra dictis. Plin. hæc non satis distinxit. *Idem.*

Nomen a Græcis accepit] Placet id ἔτυμον Plinii. Dioscoridi sic vocatur, quod ex eo fluat lacteus succus. Cæterum omnibus generibus papaveris id commune est. *Idem.*

In honore apud, &c.] 'Cereale papaver' Virgilius appellat, vel quod Cereris effigies in templis id manu gestaret, vel quod in segetibus agricolæ sererent, ut Deæ offerretur. Brodæus II. 29. *Idem.*

Qui legatis a filio, &c.] Tale fuit consilium Thrasybulo datum a Periandro, nimirum, ἡ τῶν ὑπερεχόντων σταχύων κόλουσις: quod ut exequeretur, ostracismum instituit, qui, ut ait Aristot. in Politicis, τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν τρόπον τινὰ τῷ κολούειν τοὺς ὑπερέχοντας, καὶ φυγαδεύειν. Victorius IV. 5. *Idem.*

Et acerrimum sapore] Plaut. in Pseudolo sceleratam vocat: 'Teritur sinapis scelerata, cum illis qui terunt: Nam priusquam triverint, oculi ut extillent facit.' Usu seminis tristes fieri olim crediderunt. Plautus in Trucul. 'Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam Tam esse tristem posse.' *Idem.*

Sicut in Thracia ubi aquæ deferunt ex iis avulsos ramos] Verbum *aquæ* superfluit, ut opinor, locus enim est e Theophrasto tralatus lib. VII. capite ultimo, sed pessime a librariis depravatus. Lego igitur sic: *Serpyllo montes locique scatent sicut in Thracia. Alibi deferunt ex his avulsos ramos seruntque, ut in Sicyone ex suis montibus, et Athenis ex Hymetto.* Theophrasti verba sunt: 'Serpylli etenim silvestre genus est, quod deferentes ex montibus serunt, ut apud Sicyonem fieri solet, atque etiam Athenis ex monte Hymetto, apud alios vero, ut in Thracia, montes et plana omnia serpyllo scatent.' *Pintian.*

Simili modo, &c.] E ramo, non e semine, Theophr. de Caus. lib. II. 22. *Dalec.*

CAP. IX. *De fœniculo et cannabe.*

Fœniculum] Rhodig. VI. 12. notavit fœniculum potius inter σύμφυλλα, id est, olera quotidiani usus, numerari, quam inter pharmaca. *Idem.*

Semen ejus, &c.] Prima germinatione etiamnum pastores in Hetruriæ maritimis cerebrum eximunt, qui luteo durato simile, idque linteo vel charta involutum, et sub cineribus assatum, ex pipere et sale comedunt. Non solum gustui cibus is gratissimus est, sed, ut aiunt, ad excitandam Venerem efficax. *Idem.*

Racemi] Umbellæ adhuc compressæ, et nondum explicatæ, *corymbos* paulo post vocat. *Idem.*

Corymbiam, &c.] Corymbiam ferulam, quam in caulem surgere permittebant, ut corymbos sive umbellas nascentes ad condituram colligerent; nam alioqui caulem gliscentem, tenellum, et adhuc convolutum demetebant, ut vel recentem comederent, vel in condimento servarent. *Idem.*

CAP. X. *De morbis hortorum, et remedia circa formicas, erucas, et culices.*

In calaminthan] Theophrasto Hist. II. 5. et Caus. II. 22. V. 8. sisymbrium

in mintham degenerat, non calamintham. *Idem.*

Unicaule] Hæmodero, Theoph. Hist. VIII. 8. et Caus. V. 22. Hæmoderon quasi αἱμόδειρον, quod cutem tanquam cruentam habeat. Est autem Dioscoridis orobranche. *Idem.*

Naporum medicina est] Ne pallices radiculis noceant, inserendum ervum. Theophr. *Idem.*

Siliquas una seri] Ὄροβον, Theophr. *ervum.* Plinius legit λάβους. *Idem.*

In totum vero nec erucas] Scribe, *in totum vero necat urucas*, ex antiquo exemplari. Æstimanda nomenclatura; semper enim in illo *uruca*, non *eruca*. Pintian.

Sunt qui, &c.] Ejus fruticis mentio fit XXIV. 10. et XVI. 18. et 37. *Dalec.* *Sunt qui sanguineis virgis tangant*] Considera an sit commodius legi *saligneis*, quam *sanguineis*. Pintian.

CAP. XI. *Quæ magis sint fortia vel minus, et quibus salsæ aquæ prosint.*

Nam quod ad permutationem seminum attinet] Scribendum puto, *perdurationem*, non *permutationem*; de duratione enim seminum hic agitur, non permutatione. *Idem.* *Nam quod ad permutationem seminum attinet, &c.*] Sequentia sic lege: *Sed ex his quæ sunt fortissima, nullum ultra quadrimatum utile est. Culinis et ultra tempestiva sunt.* Semina non durant et permanent utilia ad serendum ultra quadrimatum. At culinis ultra spatium sunt tempestiva: πρὸς τὴν μαγειρικὴν χρείαν. Vide Salmas. pag. 1282, a. b.

Permutationem] Ita vocat τὴν ἀλλοίωσιν, ætatis cursum, quo durant, et integram naturam, nec permutatam, servant. *Dalec.*

Et æstiva omnia hibernis magis durant] Aut tollendum est verbum *durant*, tanquam adulterinum; aut legendum, *minus durant;* unde statim subjungit, *minime autem gethyum.* Theophrastus VII. 6. 'Infirmiora vero gethyum; id enim durare nequit; atriplex, ocimum, cucurbita, cucumis, in plenum æstiva magis quam hiberna.' Aut igitur locus mendosus est, et, ut diximus, castigandus, aut Plinius aliter Theophrasti verba accepit atque ego intelligenda puto. *Pintian.*

Cunilis et ultra tempestiva sunt.] Scribo *culinis*, non *cunilis*, ex Theophrasto VII. 6. 'Nullum,' inquit, 'ultra quadrimatum durare potest, ita scilicet ut ad sementem utile sit; sed bima sane meliora, trima nihil fere deteriora, quadrima jam deteriora, verum ad usum cibarium diutius permanent.' *Idem.*

Raphano] Brassicæ, Theophrast. Caus. II. 7. *Dalec.*

Minus utiles e stagno] Pessimæ salsæ, et quæ difficile rarescunt, καὶ δυσμαρῆ. Theophr. Plin. legit καὶ τῆς λίμνης. Legitur et apud Theoph. utiles esse, εὐχρηστα, quæ canalibus ducuntur, quoniam herbarum semina invehunt. Plinius legit ἄχρηστα, aut fortassis id vocabulum mutandum putavit, quod alienas herbas videret hortis esse noxias, ut id quidem in pratis sit optandum, fugiendum in horto. At Theophrasti mens fuit, aquas illas terram etiam nudam herbis vestire invecto earum semine; quod si præstant, multo magis sperandum in horto culto et consito genitales fore: et alioquin quævis aqua, dum cruda non sit, etiam pluvia, tantopere laudata Theophrasto, herbas ubivis gignit. *Idem.*

CAP. XII. *Ratio rigandorum hortorum, et quæ translata meliora fiant, et de succis hortensium et saporibus.*

Ratio rigandorum] Theophr. Hist. VII. 5. Colum. sub finem lib. X. *Dalec.*

Rumex vocatur] Infra XX. 21. sola oxalis silvestris 'rumex' dicitur. *Id.*

Cum ptisana, &c.] Quoniam Hippocrates lapathum cum ptisana dari vetuit, hæc tria vocabula, *cum ptisana tantum*, Cornarius delet. Malim le-

gere, *Usus nisi cum ptisana tantum in cibis.* Idem.

Acuti tantum cunilæ] Scribe, *acuti, thumi, cunilæ.* Loquitur de saporibus, et acutos esse sapores ait thumi et cunilæ, id est, τοῦ θύμου καὶ τῆς θύμβρας. *Salmas.* pag. 225.

Salsus tantum, &c.] Lege: *Salsus autem e saporibus non nascitur. Aliquando extra insidit pulveris modo, ut ciceraulis. Atque ut intelligatur vana cum plerumque vitæ persuasio, panax piperis saporem reddit et magis etiam siliquastrum, ob id piperitidis nomine accepto. Libanotis odorem turis, myrrha myrrhæ.* Salmas. 1284. a.

Insidit pulveris modo] Hanc comparationem velut incidentis pulveris Plinius suo sensu excogitavit. Ea nusquam Theophrastus utitur; quamvis multis locis scribat, in ciceris superficie quandam salsuginem colligi, qua pluviis abluta dum floret, et fructum gerit, planta statim emoritur. *Dalec.*

Et circulis tantum aquæ] Locus est vitiatissimus. Sed, ni fallor, minus vitiose legetur, *ut ciceris tantum cuti.* Theophr. de Causis Plant. VI. 'Sunt quorum summam partem duntaxat salsugo quædam obducit, ut cicer.' *Pintian.* *Et circulis tantum aquæ*] Quod ait *aquarum circulis*, primum est ex opinione inter philosophos recepta, saporem fieri ex aquæ humidæque substantiæ permixtione cum crassa et terrea, vi caloris ingeniti. Alterum e Democriti sententia, qui putabat figurarum varietate existere saporum differentiam. Itaque circulari figura, quæ ob rotunditatem volubilem nec altius subire potest, nec firmiter consistere, fieri salsum, qui fluxus et caducus summam tantum partem obsidet. Scalenis vero et aliis figuris angulosis, quæ angulorum suorum acumine profundius immerguntur ac penitius descendunt, alios sapores perenniores, ac constantiores, qui totam materiam succo suo imbuunt ac perfundunt. Vide Theophrast. de Caus. VI. 9. et 14. *Dalec.*

Panax] Heraclei semen Dioscor. πυρωτικόν ἐστι, *igneum et fervens;* aliorum, δριμὺ, *acre.* Idem.

Libanotis] Libanotis Dioscoridi quadruplex; prima folio fœniculi, semine, quod cachrin vocant, et radice candidis; secunda folio simili, semine et radice nigris; tertia folio similis, sed absque caule, flore, semine, ἄκαρπος; quarta Theophrast. folio lactucæ. Præter has libanotis est coronaria sive rosmarinus, quam Plinius confundit cum superioribus. Theophr. tantum duo genera statuit, fructiferam, folio heleioselini, semine et radice candidis; et sterilem, folio lactucæ. *Idem.*

Murrha Myrrhæ] Scribo, *Smirnium myrrhæ:* liquet ex sequentibus; item Dioscoride, et Plinio alibi, et omnibus. *Pintian.*

LIBER XX.

PROŒM. *Quod Græci sympathiam appellavere*] Omissæ sunt hic evidenter a librariis duæ dictiones, legendumque, *quod Græci sympathiam et antipathiam appellavere;* nam præterquam quod sequitur statim, quibus cuncta constant, Plinius ipse satis ostendit ita esse XXXVII. 4. 'De discordia,' inquit, 'rerum concordiaque, quam antipathiam ac sympa-

thiam appellavere Græci, non aliter clarius intelligi potest,' &c. *Pintian.*

Quibus cuncta constant] Id est, quod apud Plutarchum libro de Homero, et de placitis Philosophorum, Empedocles principia duo rerum esse tradit, litem et concordiam. *Dalec.*

Ignes aquis restinguentibus] Æschylus apud Plutarchum, de Primo Frigido, aquam vocat ignis supplicium. *Idem.*

Aquam sole devorante] Melius in exemplari antiquo *aquas*, numero multorum; præcessit enim 'aquis restinguentibus.' Porro duo, quæ sequuntur, verba, *luna pariente*, non duco Pliniana. *Pintian.*

Et alio rursus abigente] Theamede, infra XXXVI. 16. ultimo. *Dalec. Et alio rursus abigente a sese*] Puto legendum sine conjunctione: *alio rursus a sese abigente;* ut pronomina et participia, pari loco posita, mutuo sibi respondeant, serveturque ratio schematis homœoteleuton. *Pintian.*

Adamantem opum gaudium, infragilem omni cætera vi et invictum] Scribendum reor, *Adamantem omni cætera vi invictum;* reliqua falso inserta puto. Codex autem antiquus *adamanta* agnoscit, non *adamantem*. Pintian.

Paria vel majora mira] *Miratum*, non *mira*, in eodem habetur. *Idem.*

Tantum venia sit a minimis, sed a salutaribus ordienti] Commodius legetur, *Tantum venia si a minimis, &c.* Idem.

CAP. I. *De cucumere silvestri et elaterio.*

E semine] E fructu. καρπὸν hic Plinius *semen* intempestive reddit. *Dalec.*

Oculorum etiam periculo] Nam cum exilit a pediculo, acrem succum emittit, qui oculos contactu lædit. *Idem.*

Semen quoque, &c.] Ad hauriendam protinus succi abundantiam, quidam, ait Dioscorides, cribratos cineres humi inspergunt, et medium cavantes triplicatum linteum obtendunt, per quod elaterium cum humore suo diffunditur. Id autem siccatum in pila conterunt. Longe aliter hæc Plinius. *Idem.*

Aqua cœlesti] Dioscorides segmina cribro jam illisa aqua dulci perfundit, et rursum exprimit, totiesque postea lavat, quoad innatans aqua pura maneat. *Idem.*

Panos sanat] Τὰ φύματα, τὰ πολυποειδῆ, tumores pani similes, sub faucibus et auribus ac inguinibus. Nonius in Optione: 'Qui me miserum miseriorem reddidit, quam panus puerum.' *Dalec.*

Autumno] Nam planta Augusto floret, fructus autem Septembri perficitur. *Idem.*

Nec ullum ex, &c.] Theoph. Hist. IX. 14. *Idem.*

A trimatu] Dioscorides, in prologo, præter veratrum nigrum et album, alia medicamenta scribit inutilia esse a trimatu; elaterium vero a bimatu ad decennium utile esse dejectionibus. *Idem.*

Lucernarum lumina extinguit] Dioscoridi lucernarum luminibus objectum facile flagrat, et ardescit. *Idem.*

Pallidum ac, &c.] Cum candore nonnihil humidum. *Idem.*

Ita ut protinus ab exitu rapiatur extra domum] Scribo *enixu*, non *exitu*, ex apographo scripto. *Pint. Ab exitu rapiatur extra domum*] De semine accipiendum, quod raptim ab exitu fœtus efferri domo vult, quod omnis mora periculosa sit, tanta vis educendi inest. *Gelen.*

Similem heliotropio] Herbarii omnes comparant cum sativo. Suspicor in auctore Græco, unde Plinius hæc sumpsit, scriptum fuisse ἄγριον σίκυον εἶναι ἄλλον τρόπον, alteri cucumeri similem esse, Pliniumque legisse ἡλιοτροπίῳ. Quidam Heliotropio similem esse colore foliorum interpretantur. *Dalec.*

Anginas] Morbum faucium gravis-

simum. Plaut. in Mostel. 'In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficæ illi Fauces prehendam, atque enecem scelestam stimulatricem.' Lucilius apud Nonium: 'Insperato abiit, quem una angina abstulit hora.' *Dalec.*

CAP. II. *De anguino cucumere sive erratico, et de sativo, et de pepone.*

Caro eorum, &c.] Dioscoridi τὸ βρέγμα, *infusum;* Ruellius legit, τὸ ξέσμα, *ramentum:* contra infantium syriasin imponitur sincipiti, et admotum fronti, pro anacollemate, oculorum fluxiones cohibet. *Idem.*

CAP. III. *De cucurbita silvestri, et rapo.*

Somphos] Vulgo momordica. *Idem.*

Utilior pallida, quando ejus sunt medicinæ] Deme postrema quattuor verba ex apographo scripto. *Pintian.*

Ejecto semine, &c.] Aëtius sapam, aut vinum dulce vetus seminibus exemptis infundit, et colatum per pannum vinum, calfactumque bibendum dat: Paulus passum, Dioscorides mulsum aut passum incoquit, et sub dio refrigeratum bibi præcipit. *Dalec.*

Prodest et stomacho] Lego ex Diosc. *Obest stomacho. Farinæ aridæ pilulæ cum decocto melle sumuntur.* Medulla fructus, inquit Dioscorides, purgatoriam vim habet quatuor obolis sumptis cum mulsa. Quinetiam si et cum nitro, myrrha, melle cocto in catapotium coacta. *Idem.*

Ardores capitis, &c.] Τῶν παιδίων σειρίασιν. Paulus I. 13. Ardores capitis, adustionem infantium vocat XXX. 15. infantium destillationes XXII. 21. *Idem.*

Febrium ardores refrigerat] Adustionem cutis in ardenti febre Ruell. apud Dioscoridem. Ego vero ambustam igni summam cutem, πρὸς καυσουμένην ἐπιφάνειαν. Strigmenta vocat τὰ ξύσματα, *ramenta.* Idem.

Perniones fervens] Excavatæ radici si ceratum rosaceum immittatur, et cinere ferventi coquatur, sic ut ceratum eliquescat, ulceratis pernionibus proficit. Dioscor. Perniones Moreti auctor eleganter describit hoc versu: 'Continuis rimis calcanea scissa rigebant.' *Idem.*

Item frigus pellit e pedibus aqua decoctum. Et jus fervens podagris etiam frigidis medetur] Quinque prima verba superioribus agglutina; reliqua sic legito: *Aqua decocti ejus fervens, podagris, &c.* ex apographo scripto. *Pint.*

Cuicunque vitio pedum] Clavis, pernionibus, tumoribus frigore excitatis, et aliis hoc genus. *Dalec.*

CAP. IV. *De naporum differentiis, et raphano silvestri, et de raphano sativo, et pastinaca.*

Naporum duas differentias] Bunii et buniadis, quæ negligentius confundit Plinius. *Idem.*

Pituitam extenuant, urinam concitant. Est et sativi usus in Italia, et armoraciam vocant sativam] Antiqua lectio: *pituitam extenuant, urinam concitant. Cætero æstivosus in Italia armoraciam vocant.* Scribo: *Cætero æstirosus ipse. Italia armoraciam vocat.* Dioscorides l. II. 'Agrestis vero raphanus, quam Romani armoraciam vocant, folia sativæ similia habet, multoque magis lapsanæ: radicem habet gracilem, mollem, sapore acri. Coquuntur oleorum modo folia et radix in cibo, estque illi calefaciendi et urinam ciendi vis: veruntamen ipsa æstuosa est.' *Pintian.*

Lagonoponon] Ilium cruciatus e flatu, et calculo. *Dalec.*

Veternosis, &c.] Veternum sive animi, sive corporis stupiditatem et ignaviam vocant: 'stolidum' Catullus, 'grave ac funestum' Horat. appellat. Catullus: 'Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum, Si pote stolidum repente excitare veternum.' Victorius XIII. 11. *Idem.*

Cætero et scorpionibus adversatur] Antiqua lectio, *Cæteras eis scorpioni-*

bus adversatur. Scribo, *Cerastis et scorpionibus adversatur*, ex Dioscoride lib. II. 'Et contra cerastæ,' inquit, 'morsus cum vino utiliter bibitur.' *Pintian.*

Cœliacis] Stomacho tamen adversari Dioscorides testatur. Verum cœliacis prodest, quoniam urinas ciet. *Dalec.*

Intestinorum hulcera sanant] Illa detergendo: alioquin irritant. *Idem.*

Inutilem] In vesica concretum et intestinis; ex mariscis, et utero. *Idem.*

Summo cibo esse eos] Jejunis XIX. 5. *Idem.*

Hibiscum] Elaphoboscum Officinarum. Pastinaca pratensis, XXI. 15. Hibiscum XIX. 5. *Idem.*

Quem sativum vocant] Is aut niger est, aut fuscus, φαιός. *Idem.*

CAP. V. *De staphyline sive pastinaca, et gingidio, et sisere, et seseli, et inula, et de cæpa.*

Venerem stimulari, &c.] Quæ id præstant medicamenta, Græci ἐντατικὰ vocant, utilia, quod, inquit Ægineta, ἐπὶ τῶν ἀμβλυτέρων μορίων. Africanus in Astrosophistis, citante Fulgentio Placide, vocat στυσίδας, ἀπὸ τοῦ στύειν, id est, ἐντείνειν; ad quod verbum allusit, qui apud Comicum ἀστύανακτα se vocavit, ὅτι στύειν οὐκ ἐδύνατο, et qui apud Athenæum dixit, Dianam μισεῖν τὰ στύμματα, nimirum pudendi distensionem, ac Venerem. Had. Jun. IV. 13. *Idem.*

Gingidion vocant] Vulgo *Bisnaga.* Idem.

Stomachum excitat] Radix ori suavis est, utilis stomacho, urinam ciet, appetentiam invitat. Dioscorid. Sed de vulgari ac sativo hæc omnia. *Id.*

Creticum odoratissimum omnium] Tordylium Dioscor. qui et quod mox sequitur, 'Radix inc.' &c. de Massiliensi scribit. *Idem.*

Sunt et folia utilia, ut quæ partus adjuvent etiam quadrupedum: hoc maxime pasci dicuntur cervæ parituræ] Depravate etiam ibi scribitur: *contexemus et de sili; sed hoc est vulgaris notitiæ.* Emenda: *contexemus et de seseli, hoc est vulgatæ notitiæ: optimum Massiliense.* Salmas. p. 224.

Quæ partus adjuvent] De semine id Dioscorides. *Dalec.*

Illinitur et igni sacro] Cum in scirrhum transit. *Idem.*

Et delacrymatione caligini, &c.] Significat delacrymationem acrimoniæ exparum excitam oculorum caligini prodesse. *Gelen.*

Coctas dysentericis, &c.] Galenus II. 1. Method. Themison apud Celsum IV. 15. Mercurialis Var. I. 3. *Dalec.*

Spiritus agitatione] Concitato ructu; nam ructus ventris exercitatio est. *Idem.*

Varro quæ sale] In Varronis Geoponicis, quæ ad nos pervenerunt, hoc non legitur. *Idem.*

CAP. VII. *De porro sectivo, et capitato, et de allio.*

Porrum sectivum] De capitato solum Dioscorides tractavit. Plinius ex auctoribus variis hæc omnia confuse miscet ac consarcinat. *Idem.*

Sitim sedat] Hoc parum credibile, quoniam calidum et siccum est. *Id.*

Pulmonis et arteriæ sanat vitia] Rectius in antiquo codice, *pulmonis et arteriarum sanat vitia;* nam canalem illum, qui gulæ conjunctus est, quoque meat spiritus, et Cicero in libris ad Herennium, et præter Ciceronem alii, 'arterias' numero multorum libentius quam numero unitatis appellant. *Pintian.*

Vel si purulenta excreentur] *Pura*; non *purulenta*, in eodem. *Idem.*

Somnoque multum confert] Dioscoridi δυσόνειρον, *tumultuosum somnum* parit. *Dalec.*

Restibus suis] Radiculis bulbo subadnexis. Alii, *vestibus*, id est, membranosis corticibus. *Idem.*

In fico duplici] Inter duas ficos ex-

ceptum; vel, fico portione dupla àddito. *Dalec.*

Tenasmo in pulte medetur] Sic legunt alii. Scribo *tenesmo*, non *tenasmo*, tum ex archetypo nostro, tum etiam ex Galeno in Diffinitionibus si legitima est fœtura, et Isagoge; item ex Paulo tertio, et Dioscoride sæpe, omnibusque gregatim medicis, ne citando tundam. Dici vero potest et *tenesmos* et *tinesmos*, a verbo Græco *τείνεσθαι*, hoc est, *intendi*. Paulus libro citato eleganter, ut omnia, hunc morbum diffinit his verbis: 'Tenesmus est continua et implacabilis desidendi cupiditas, qua nihil præter modica cruenta vel mucosa egeritur.' *Pintian.*

Aut si sanguis etiam excreetur vel purulenta] Non *purulenta*, sed *pura*, in eodem, ut supra etiam notatum est. *Idem.*

Harundines cum pice] Harundinum infixas assulas; nam ex harundine sagittæ fiebant. *Dalec.* *Etiam harundines cum pice*] Scribo *hirudines*, hoc est, sanguisugas, non *harundines*, ex antiquo exemplari. *Pintian.*

Tussim et alio modo] Sensus est: Tussim et hoc modo sanari, et illo altero remedio, jam contra quartanas dicto. *Gelen.*

Sitim gignit] Galeno, lib. XII. cap. ult. methodi, allium sitim prorsus nullam facit. *Dalec.*

Quam caprinam vocant] Marinam, ex Corn. Celso II. 12. Eam autem tithymallum esse idem Celsus exponit v. 7. Sed cum ex tithymalli generibus platyphyllos verbasco simile folium habeat, quod a lactucæ figura non admodum diversum est, platyphyllon lactucam marinam dictum privatim fuisse docti putant. Dioscorides, succo lactucæ silvestris poto ex posca ad duos obolos, aquam per alvum elici tradit. Lactucas in universum herbas omnes, quæ lacteum succum amarum fundunt, Plin. hic appellasse videtur imprudenter. *Id.*

Incisi sanantur] At potius puncti. Lac enim tithymalli cum fermento mixtum nervorum puncturis confert. Eo se usum fuisse in quodam rustico Galenus refert *κατὰ γένη*, lib. III. *Idem.*

CAP. VII. *De lactuca silvatica, sive caprina, et esopo, et isati, et lactuca sativa.*

Quod Græci esopon vocant] *Quod Græci æsopon, οἴσοπον, vocant.* Nimirum succo turgentem, *ἀπὸ τοῦ οἴσειν τὸν ὀπόν*. Alii, *ἀπὸ τῆς ἄσης*, id est, *τῆς λυπῆς, καὶ ὀποῦ, ἄσοπον* dictam volunt, quod succo sit ob amarorem ingrato: id quod mihi placet. Alii a verbo *ἆσαι*, *implere*, asopon, quasi succo lacteo plenam, dictam malunt. *Lactuca, ἔσοπος*, id est, *ὀπώδης*, sive *ὀποῦ μεστή*, Endivia silvestris officinarum, quæ folia habet profundissime laciniata et incisa. Pro lactuca silvestri pingit Dodonæus. *Idem.*

Tertium genus, &c.] Quoniam Dioscorides glasti silvestris folia lactucæ similia esse prodidit, ignoranter Plinius cum lactucis eam plantam confundit; erroremque illum altero cumulat, cum post glastum silvestre sativum etiam lactucis adjungit. *Id.*

Hujus folia, &c.] De sativo id Dioscorides, nulla facta mentione polentæ. *Idem.*

Vel ad lienes pota] De silvestri id Dioscorides. *Idem.*

Sponte nascentibus] Silvestri lactucæ. Diosc. *Idem.*

Qui hieraciam vocent] Lege *hieracium*. Plinius hieracium cum lactuca oscitanter confundit, nec alibi usquam hieracii naturam explicat. Dioscoridis de hieracio hæc verba sunt: *Φύλλα ἔχει ἐκ διαστημάτων ἐπεσχισμένα ἀραιῶς, σόγχῳ ἐμφερῆ τὴν περιφέρειαν.* Plin. deceptus significatione vocis *περιφερὲς*, pro ambitu *rotunditatem* vertit. *Idem.*

Sanat omnia oculorum vitia cum lacte mulierum. Arcet nubeculas, cicatrices, &c.] In vetusto exemplari, non *Arcet*

nubeculas habetur, sed *Arcema nubeculas*. Scribo: *Sanat omnia oculorum vitia cum lacte mulierum, argema, nubeculas, cicatrices, &c.* Pintian.

Adustionesque omnes] Ἐπικαύσεις Dioscoridi, ἐπικαύματα Æginetæ, nempe ulcera sordida, crusta tecta, qua exempta oculi humor sæpe effluit. *Dalec.*

Purgandi] Imo, *roborandi*. Stomachicis sativam lactucam crudam prodesse tradidit Dioscorides. *Idem.*

Non paucæ restant] *Pauci* in vet. codice, non *paucæ*, ut referat effectus. *Pintian.*

Præcordiorum] Hypochondriorum, lienis, et hepatis. *Dalec.*

Quam meconidem, &c.] Μηκωνὶς vera silvestris est et depicta et descripta a me in Botanico. Amaro gustu, et papaveri viribus esse prorsus similem Dioscorides ait, ideoque nonnullos succum ejus lacteum meconio permiscere. Inde meconis cognominata est. Vide supra XIX. 8. *Idem.*

Cap. VIII. *De generibus betæ, et intubis, et cichorio, et seri, genera duo.*

Porrigenum, &c.] Furfures et lendes, πίτυρα καὶ κονίδας. Dioscorid. *Idem.*

Albæ succus, &c.] De utraque id Dioscor. *Idem.*

Alopeciis cruda] Scalpello prius vellicatis. *Idem.*

Coquitur, &c.] Cibum eum veteres τευτλοφάκην dixerunt. *Idem.*

Ut ventrem molliat] Ut ventrem sistat. Dioscór. Hic Plinius in medicinæ præceptis parum exercitatus. *Idem.*

Guttantia adstringunt] Scribo, *gustantium os astringunt*, ex vet. cod. *Pintian.*

Ambugiam appellavere] *Ambubulam* vetus exemplar agnoscit, non *ambugiam*; Cornelius Celsus 'ambubeiam' vocat. Quidam et in eo et in Plinio *ambuleiam* legendum censent; quod ea vox congruat cum erratico intubo. *Idem.*

Sativum autem seris] Hoc loco Ægyptiorum consuetudine seris tantum sativa est: paulo post vero et sativa et silvestris, quam etiam et cichorium et picrida vocari Dioscorides scribit. *Dalec.*

Et silvestre genus alii hedypnoida appellant] Scribo: *Est et silvestre genus alterum: hedypnoida vocant*, ex V. C. Nam indicatum est alterum genus betæ silvestris quam limonion dicunt: et sequitur paulo infra: 'Rupta et convulsa utroque genere juvantur.' *Pintian.*

Hedypnoida] Quod in cibo sumpta jucundiorem animam et suaviorem faciat. *Dalec.*

Utraque tamen stomacho utilissima] Lego: *Utraque tamen amara. Stomacho utilissimæ*, ex V. C. confirmante etiam antiquam lectionem Dioscoride lib. II. *Pintian.* *Utraque tamen, &c.*] Imbecillo et ardore æstuanti: καυσουμένῳ Dioscorides. *Dalec.*

Petronius Diodotus qui Antilegomena scripsit] Rectior antiqua lectio, *antholegomena*, hoc est, florilegia. Posset etiam non minus bene legi *anthologoumena*. Pintian.

Cap. IX. *De brassica, et lapsana et de brassica marina, et scilla, et de bulbis, et bulbine.*

Et Dieuches] Antiqua lectio, *et Diocles*. Potest autem utroque modo legi, ut patet ex elencho. *Idem.*

In tres, &c.] De raphano id scripsit supra XIX. 5. *Dalec.*

Crambe] Vulgatum est Græcis adagium, δὶς κράμβη θάνατος· quod expressit Poëta: 'Occidit miseros crambe repetita magistros.' Vide Polit. Miscellan. c. 33. *Idem.*

Cato] Catoni lenis acerrima, et vehementissima; post apiana; et ultimo loco lævis. *Idem.*

Prodesse tradit capitis doloribus] Athenis puerperis in cibum dabant, veluti τῶν ὀδίνων antipharmacum. Nicander brassicam, veluti sacram, μάντιν vocavit. Apud Ananium, Tele-

clidem, Epicharmum, Eupolin in Baptis, jusjurandum per brassicam concipitur, quo modo Zeno per capparin jurabat. Rhodigin. XXVII. cap. ult. Athenæus lib. IX. *Idem.*

Inter reliqua, &c.] In torminibus, citra febrem, post sumptam brassicam vinum atrum statim Cato dat, et ægrum ita cito sanum fieri asserit. Negligenter hæc Plinius. *Idem.*

Calefactamque, &c.] Locus hic monstrat legendum apud Catonem: *Et hoc si quando usu venerit, qui nervis debilis erat, hæc res sanum facere potest, &c.* Idem.

Et impetigines, &c.] Depetiginem vocat Lucilius l. XXX. 'Illuvies, scabies, oculos huic deque petigo Conscendere.' Cato: 'Depetigini pauca brassicam apponito, sanam faciet.' *Idem.*

Antecedente in, &c.] Ab eo effectu Græci ἀκραίπαλον vocant, ut amygdalas amaras. Aristot. Problem. sect. 3. Plutarch. in sympos. In Georgicis Cassiani traditur Lycurgi lacrymis, quem Liber pater vitibus alligaverat, natam brassicam, eamque propterea vino adversari. Galen. κατὰ τόπους, lib. I. ex Apollonio succum brassicæ laudat cum rosaceo, et folium ejusdem aqua calida maceratum, et capiti circumpositum, in capitis dolore ex temulentia. Vide supra XVII. 24. infra XXIV. 1. *Idem.*

Purgationem feminis] Decoctum potu menses et alvum ciet. Succus cum lolii farina inditus menses trahit. *Diosc.*

Partus quoque emortuos, &c.] Flos in pesso subditus abortum facit. *Dalec.*

Cyma] Dioscoridi II. 146. τὸ κράμβης κύημα εὐστομαχώτερον μὲν, δριμύτερον δὲ, καὶ οὐρητικώτερον. *cyma utilior stomacho, sed acrior, et ad urinam ciendam efficacior:* κῦμα Græci dicunt, quasi κύημα. In fœminino tamen genere Plinius utitur. Cymas etiam πρωτοτόμους καυλοὺς vocant. Vide IX. 8. Decoctum prototomi caulis ἀντιπαθῶς nephriticos sanare ex Antiocho Galenus testatur κατὰ τόπους, lib. X. *Idem.*

Petræam vocant] Quia in maritimis præruptis nascitur. Dioscor. *Idem.*

Folia habet bina] Plinius hic marinæ et silvestris historiam confundit. Folia rotunda, parva, lævia marinæ sunt. Nemo bina esse tradit. Res ipsa falsum esse hoc monstrat. Similitudo cum brassica hortensi, folia candidiora et hirsutiora quam in sativa, et, quod ait Dioscorides, amara silvestris brassicæ sunt. *Idem.*

Chrysippus auctor est. Et alii vero] Dictio *vero* expungenda, et conjunctionem *et* cum minore litera scriptam, adjunge præcedentibus, ex codice antiquo. *Pintian.*

Nomas vocant] Aliis multis locis sic reddidit ἕρπητας Dioscoridis. *Dalec.*

Virium brassicæ unum et magnum argumentum addemus et mirabile. Crustæ si occupent intus vasa omnia] Locus est corruptissimus, quem si non emendavero, suggeram tamen aliis emendandi materiam. In antiquo exemplari ad hunc modum legitur: *Virium brassicæ unum et magnum argumentum addemus, a mirabile, crustæ occupant intus vasa omnia.* Legendum fortasse, non *a mirabile*, sed *ab atra bile.* Pintian.

Inter silvestres, &c.] Silvestria olera, Diosc. Lampsanam sive ceram, brassicam quoque silvestrem ab Arcadibus vocatam fuisse scribit Theophr. Hist. IX. 15. Vide supra XIX. 8. *Dalec.*

Utilissima erit] Ad parandum acetum scillinum. *Idem.*

Quod reliquum e vivo est] Legendum reor, *quod reliquum e medio est;* ut non multo post: 'Tosta quoque purgatur, et medium ejus iterum in aqua coquitur.' Videtur quoque suffragari Dioscorides lib. II. de scylla agens: 'Sumitur ex ea abjectis exti-

mis cunctis partibus, quod maxime intimum est.' *Pintian.*

Suspenditur] Et siccatur in umbra. *Dioscor.*

Modicis intervallis] XL. diebus. *Id.*

Arida frusta] Mina in sextariis duodecim. *Idem.*

Adipe aut luto illita] Apud Dioscorid. est, τῷ σταιτὶ, quod eo loco significat, non τὴν πιμελὴν, nempe, aut *sevum*, aut *adipem*, sed farinæ aqua subactæ massam paratam ad panificium. Vulgus *pastam* vocat. Hesychius ζύμην, quasi fermentum dicas. Eadem incuria Plinius lapsus est XXXIII. 6. *Dalec.*

Si non sentiant hulcus] Cavendus scillæ usus iis, quibus ulcerata sunt interanea. Dioscor. *Idem.*

Interiora purgat] Crassa, γλοιώδη, per alvum educit. *Idem.*

Pythagoras scillam in limine quoque januæ suspensam malorum medicamentorum introitum pellere tradit] Aliter in antiquo codice, etsi eodem sensu: *Pythagoras scillam quoque in limine januæ suspensam contra malorum, &c.* Hæc lectio si recipitur, scribendum erit in fine clausulæ non *pellere*, sed *pollere*. Nihilominus existimo locum esse corrosum truncatumque, omissis aliquot verbis, atque adeo aliis inversis. Apponam verba Theophrasti, unde hausit Plinius, deinde aperiam sententiam meam. Is igitur auctor, VII. 12. ita scribit: 'Omnia igitur capitata radice vivacia majorem in modum sentiuntur, sed præcipue scilla, utpote quæ suspensa vivere possit, et quidem plurimum temporis. Potest etiam fructus recondendos servare, ut poma punica detracto pediculo: et satorum nonnulla celerius apud eam germinant. Traditur et ante portas satam remedio esse contra veneficiorum noxam.' Ex his Theophrasti verbis apparet aliquot in Plinio verba deesse. Lacunosum igitur locum ad hunc modum fortasse restituemus: *Pythagoras scillam suspensam diu vivere: in limine quoque januæ satam, contra malorum medicamentorum introitum pollere tradit.* Nec me movet citari a Plinio Pythagoram, non Theophrastum: potuit enim idem ab utroque prodi. *Pintian.*

Pythagoras scillam, &c.] Veneficia solitos arcere, expiareque noxios, priscos homines scilla, ostendunt hi versus Hipponactis: Βάλλοντες ἐν χειμῶνι, καὶ ῥαπίζοντες Κράδῃσι, καὶ σκίλλαισιν, ὥστε φαρμάκοις. Projectas etiam statuas, et simulacra, per contemptum insultantes scilla impetebant. Theocritus in Thalysiis: Κἢν μὲν ταῦθ' ἔρδῃς, ὦ Πὰν φίλε, μή τί τυ παῖδες Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμους Τανίκα μαστίσδοιεν, ὅκα κρέα τυτθὰ παρείη. Scillas prope sepulchra etiam olim serebant. Unde proverbium, 'Scillas sepulchro evellere,' de amente et furioso. Theocritus: Σκίλλας ἰὼν γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλοις. *Dalec.*

Cæterum bulbi ex aceto et sulphure vulneribus in facie medentur] Scribo, *Cæteri bulbi ex aceto et sulfure ulceribus in facie medentur*, ex vetusto exemplari. *Pintian.*

Rubentes maxime] Silvestres, quibus radicis cortex rubet. Infra XXV. 10. hoc genus 'pericarpum' vocat. *Dalec.*

Et testium pituitas] Œdematoses et flatuosos, serososve tumores. *Id.*

CAP. X. *De asparagis, et corrudu, et Libyco, et orminio.*

Et orminio] Hormenio ὁρμηνίου, ἀπὸ τοῦ ὁρμᾷν, quia Venerem excitat, ἀφροδισιαστικός ἐστι. Vide supra XIX. 8. et Athenæum lib. II. apud quem scribitur perpetuo cum ε, ὅρμενος et ὁρμένιον. Porro apud Juvenal. Sat. VII. 'Afrorum hormenia' legendum est, ubi vulgo 'epimenia,' vel 'epimendia' legitur. Hormenium Avenionenses hodie vocant *romioconin*, vocabulo ad Græcum nomen alludente. *Idem.*

Et orminio] Al. *et hormenia.*

Vesicam exulcerant] Præsertim corrudæ. *Dalec.*

Et candidiori major] Candidiores nascuntur locis aridioribus. *Idem.*

Occidi eos] Dioscorides id tantum fama hominumque sermonibus vulgatum ait. *Idem.*

CAP. XI. *De apio, et apiastro, et heliosselino, et oreoselino.*

Oculis] Inflammatis. Dioscor. *Idem.*

In majore, &c.] Noxium sit, an innoxium. *Idem.*

Immo omnino nefas] Arnobius Advers. Gentes lib. v. 'Oblivioni etiam sacra Corybantia donentur, in quibus sanctum mysterium illud traditur. Frater trucidatur a fratribus, interempti ex sanguine apium nascitur: prohibitum mensis olus illud apponi, ne a manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio.' *Idem.*

Nam id defunctorum, &c.] Apud Plutarchum Timoleontis milites, ad pugnam castris educti, mulis apium ferentibus obviis infaustum augurium putavere, quoniam apii coronæ sepulchris imponerentur, unde proverbii specie 'apio egere' dicitur, qui periculosius ægrotat. Magius II. 17. Vide quod notatum in XIX. 8. et Alexand. ab Alex. II. 7. explicantem Ciceronis dictum, 'prætextam sibi texi apio,' ubi quidam legunt 'Appio;' et v. 26. *Idem.*

Comitiales fieri, &c.] Galenus in consilio pro epileptico apium in comitialibus et laudat et imperat. *Id.*

Mammarum] Lacte concreto turgidarum, χονδριάντων Dioscor. *Idem.*

Cum ori albo illitum] Antiquum exemplar, *cum vino albo illitum.* Quam lectionem confirmant verba quæ paulo infra sequuntur: 'Semen datur et arquatis ex vino albo.' *Pintian.*

Apiastrum Hyginus, &c.] Apiastrum Hyginus melissophyllon appellat, non quod quicquam cognationis habeat cum apii generibus, sed ab apibus, quia gratissimum illis sit. Apiastrum vero tanquam apium silvestre, hic ranunculum secundum, sive sardinium vocatum fuisse Plinius, quod equidem sciam, solus tradit, negligenter sane et perturbate diversa hæc confundens. *Dalec.*

Poto semine torminibus interaneis medetur] *Potatum*, non *Poto*, in vet. cod. ut cum minore litera scriptum adjungatur superioribus. *Pintian.*

Difficultatibus] *Stillicidiis*, στραγγουρίαις. Dioscor. *Dalec.*

Radix ejus in vino decocta] *Radix in vino cocta* in eodem: cætera superfluunt: et paulo post particula *ejus* redundat, legendumque: *succus algentes calefacit potus.* Pintian.

Cumino simile] Anetho, Theophrastus Hist. VII. 6. foliis et ramulis cicutæ, Dioscor. apud quem pro καὶ κεφάλια, legendum καὶ φύλλα. *Dalec.*

CAP. XII. *De petroselino, et ocimo.*

Oculorum quoque claritati] Copiosiore cibo: ἀμβλυωπές ἐστι Dioscoridi. *Idem.*

Commanducatum et in sole positum vermes afferre. Afri vero si eo die, &c.] Scribo: *commanducatum et in sole positum vermes. Affirmant vero si eo die, &c.* ex vetusto exemplari. *Pintian.*

Afri vero] Contra Dioscorides ait, Afros credere, si feriatur scorpione, qui ocimum ederit, nullo dolore conflictari. *Dalec.*

Epiphoris] Doloribus, ex vino Chio. Dioscor. *Idem.*

Extinguitque lactis, &c.] Sumptum, lac evocat. Dioscor. *Idem.*

Distillationes, &c.] De succo id Dioscorides tradit. *Idem.*

Admissuræ tempore ingeritur] Præter hæc Plinii, Plutarcho ocymum ab electro non trahitur, ut nec quæ oleo sunt illita. In Symposiac. *Idem.*

CAP. XIII. *De silvestri ocimo, et eruca, et nasturtio, et ruta.*

Silvestri ocimo] Sic Plinius appellare videtur ocymoides Dioscoridis: quanquam facultates a Plinio memoratas Dioscorides multas taceat. *Dalec.*

Ad vitia] Ventriculi imbecillitatem. *Idem.*

Nasturtium Venerem inhibet] Dioscoridi Nasturtii semen συνουσίαν παρορμᾷ. Cassianus in Geoponicis XII. 27. κάρδαμόν φησι ἀφροδισίων ἐρφεκτικώτερον εἶναι, sicut et Plinius. Κάρδαμον Græci vocant ἀπὸ τῆς καρδίας, quod cordatos et prudentes faciat. Aiunt enim τοὺς ἐσθίοντας κάρδαμον ὀξυτέρους τὴν διάνοιαν γίνεσθαι. Sputum et urinam inhibere iidem tradunt, ob validam siccandi vim; ideoque Persis in usu frequenti esse, qui meiere, spuere, mungi coram aliis turpissimum putant. Rhodiginus XXVI. 24. Vide supra XIX. 8. Itaque Ammianus Marcellinus scribit, Persarum cadavera ob victus parsimoniam durescere stipitum more, nec in saniem liquari, nostra vero mox cæsa tabescere, ac putrescere, ut mortui nullius facies post quatriduum agnoscatur. *Idem.*

Duo ejus genera] Nempe silvestre et hortense, quod indicant quæ mox sequuntur, 'Silvestri vero,' &c. Silvestris nullam Dioscorides mentionem facit, nec albi et nigri seminis. *Idem.*

Capitis vitia purgat] Sternutatione provocata. *Dalec.*

Capitis dolores contrito et alopecias emendari] In vetusto exemplari: *capitis dolori contraire, alopecias emendare.* Pintian.

Hulcera] Dioscoridi favos purgat, τὰ κήρια. *Dalec.*

Cum fermento] Illitum cum muria. Dioscor. *Idem.*

Pyxide Cypria] Æris Cyprii. *Idem.*

Veneni noxiam obtinet] De herba id Dioscor. non de succo. *Idem.*

Prodest manibus, &c.] Nam quod ait Columella lib. XI. cap. ult. nisi velata et tecta manu ruta tractetur, prurigo et tumor incessit, perniciosaque ulcera nascuntur. Dioscoridi vero, dum colligitur ad murias, præsertim montana, cutem inflat cum rubore, pruritu, et inflammatione vehementi. *Idem.*

Galatica] Silvestrem tantum rutam e Galatia Diosc. laudat. *Idem.*

Foliis tritis] De rutæ semine id Dioscorides, non de herba. *Idem.*

Succo vero perunctos, aut eam habentes, negant feriri ab his maleficiis] Melius in eodem: *Succo perunctos, aut etiam habentes, negant feriri ab his maleficis:* et paulo post *potatam* legitur, non *potam*, et sæpius alias sic. *Pintian.*

Idem oculis, &c.] Graves oculorum dolores, περιωδυνίας. *Dalec.*

Lenit autem capitis dolores] Scribo, *Epiphoras cum polenta imposita lenit. Item capitis dolores.* Pintian.

Horrores frigidos] Febrium, circuitu repetentes. Diosc. *Dalec.*

Sic et sanguinem sistit interiorem et narium indita] Desideratur verbum *tussim: et narium indita tussim.* Minus vero male legetur commutatis verbis, deinde etiam correctis: *Sic et sanguinem sistit narium, et intra os indita tussim.* Pintian.

Seminis tres uncias] Ut fundatur ac liquetur sanguis, qui concretus est. *Dalec.*

Frigus adusserit] Adurere frigus dicitur, quoniam quæ ejus vehementia moriuntur, extincto suo calore, nigrescant perinde ac igne exusta. Virgil. Georg. I. 'aut Boreæ penetrabile frigus adurat.' Lucanus: 'Urebant montana nives.' Tacitus Annal. III. 'Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt.' Quod 'penetrabile frigus' dixit Virgilius, id Lucretius nunc 'penetrale' vocat, nunc 'manale.' Magius I. 17. *Idem.*

Eruptionibus, &c.] Τοῖς ἐξανθήμασιν, *eruptionibus papularum*, cum myrto et cerato. Dioscor. *Idem.*

Testium vero epiphoris cum ramis laureæ teneris] Verbum *vero* delendum; et *lauri* lege, non *laureæ*, ex archetypo nostro. *Pintian.*

Ramices, &c.] Sic herniam carno-

sam testium τὴν σαρκοκήλην vocat. Ramices autem pulmonis venas Plautus vocat in Mercatore: 'Tua causa rupi ramices: jamdudum sputo sanguinem. CHAR. Resinam ex melle Ægyptiam vorato: salvum feceris.' In Pœnulo: 'Tua causa nemo nostrum est rupturus ramices.' Herniam ἀπὸ τοῦ ἔρνους, et ramicem a ramo, per lasciviam appellarunt, quod intestinum, cum in scrotum descendit, ramum facere videatur. *Scaliger.*

Generationes impediri] Inde πήγανον ea dicitur, ὅτι πηγνύει τὴν γονὴν, *quoniam geniturum denset et spissat.* Dalec.

CAP. XIV. *De mentastro, et menta, et pulegio, et nepeta, et de cumino.*

Differens specie foliorum quasi figura ocimi] Scribo, *differens specie foliorum quæ sunt figura ocimi,* ex antiquo codice. *Pintian.*

Pulegii colore] *Dictamni,* Rond. nam dictamno, ut menthastro folia lomentosa, cana, alba; pulegio vero minime talia. At cum Dioscorides hæc de secundo calaminthes genere ad verbum scripserit, et de trium calaminthes specierum facultate in universum tradiderit, quæ Plinius de menthastri viribus prodit, rerum ignoratione menthastrum cum primo calaminthes genere, quod foliis est ocymi, et cum secundo, quod foliis est pulegii, confudisse arbitror Plinium, vocibus μίνθης et καλαμίνθης deceptum. *Dalec.*

Iis commanducatis, &c.] Dioscoridi calamintha esitata prodest elephanticis, si lactis serum postea bibatur. *Idem.*

Ideo embammatum misturæ, &c.] Embammata Græce vocantur intinctus, ad excitandam orexim inventi. *Gelen.*

Aut coiere, &c.] Cassianus XII. 24. Geoponicon, injecta mentha lacti spissari prohibet, etiamsi coagulum immittatur. Idem rebus Venereis incommodam esse tradit, quemadmodum et Hippocrates lib. II. τῆς διαίτης et Aristot. Problem. II. 20. contra quam Dioscorides scripsit τὰ ἀφροδίσια ἐρεθίζειν. *Dalec.*

Resistere et generationi creditur] Vulvæ ante coitum admota conceptum impedit. Diosc. Idipsum scripsit et Hippocrates de Diæta lib. II. *Idem.*

Voci succus, &c.] Musicorum et φωνάσκων. Juvat autem, quia fluxionem sistit in fauces euntem, et raucedines efficientem. *Idem.*

Cum succo granati] Ternis ramulis potis cum succo granati acidi. Diosc. *Idem.*

Fœmina efficacior] De hac maris et fœminæ distinctione nihil Dioscorides. *Idem.*

Si aquæ, &c.] Præsertim si pigræ et stagnantes. *Idem.*

Salsitudines corporis] Pruritus a salsa pituita concitatos. Suspicor in exemplari Græco fuisse ἀλύκας, id est, *anxietates,* quas Hippocrates Aphor. VII. 56. discuti ait vino, pari aquæ portione diluto, eamque vocem inepte a Plinio *salsitudinem* versam fuisse. *Idem.*

Ad tussim efficax habetur] *Habentis,* non *habetur,* in V. C. Scribo *habenti,* hoc est, si duntaxat habeatur, ut sæpe alias Plinius. *Pintian.*

Unde quidam Græci literas mutantes, blechon vocaverunt] Scribo, *Unde quidam Græci litera mutata blechonem vocaverunt,* ex vetusto codice: rectius; una enim tantum litera est, quæ mutatur, *g* in *b*; *glechon* enim vulgo dicta, ab aliis *blechon* vocata. Est autem locus ex Dioscoride sumptus; cujus interpretes Hermolaus et Marcellus verba Plinii depravata verbis Dioscoridis immiscentes, cum in Græcis exemplaribus non habeantur, haud sane recte fecerunt. Neque enim fidus interpres hujusmodi licentiam sibi assumere debet, perniciosam literis, et mali exempli: quo nomine a Marcello Hermolaus, et Marcellus ab aliis, nec injuria, reprehensi sunt. Illud vero notandum, in codicibus

Dioscoridis impressis primæ et secundæ editionis; item in Aëtio lib. I. et Galeno VI. de simplicium facultate, mendose *glichon* cum *i* in prima syllaba scriptum esse, cum scribi debeat cum *e*, *glechon*, sicque habeat Paulus Ægineta pergamena charta scriptus et vetus lib. VII. et Oribasius lib. II. etiam scriptus, quo utroque utor domesticis. Theophrastus quoque *glechon* nominat cum *e*, lib. VII. quam dictionem cur Theodorus intactam reliquerit nescio, cum in aliis vertendis sit plus nimio audax. Denique et Marcellus et Hermolaus tam in Dioscoride, quam in Corollario, et docti omnes non aliter proferunt. *Pintian.*

In tussi ex perfrictione fricari ante balnea convenit] Scribe, *Tuso in perfrictiones fricari, &c.* ex eodem. *Idem.*

Hepaticis cum melle et sale bibendum datur] In eodem non *epaticis* legitur, sed *pasticis*. lego *spasticis*, hoc est, convulsis. Dioscorides lib. III. cap. de pulegio: 'Cum melle,' inquit, 'et aloë pulmonum vitia excreabilia facit: convulsis succurrit.' Ex quibus Dioscoridis verbis adducor, ut putem legendum hic potius *aloë* quam *sale*. Idem.

Et sale, &c.] Inepte apud Dioscoridem, μετ' ἁλόης καὶ μέλιτος ποθεῖσα ἀνάγει τὰ ἐκ πνεύμονος: legendum enim μεθ' ἅλος. *Cornarius.*

Increscentia hulcera] In quibus caro supra modum excrescit. *Dalec.*

Item pulegio est nepetæque societas] Scribo, *iterum pulegio est, &c.* ex apographo nostro: recte; refertur enim illud *iterum* ad verba quæ ante in hoc capite dicta sunt: 'Magna societas ad recreandos defectus animi pulegio.' *Pintian.*

Frigora] Quæ accessionum febrilium principiis invadunt. *Dalec.*

Pituitas] Vaporosos et crassos spiritus e pituita genitos. *Idem.*

Pallorem bibentibus gignit] Horat. I. Epist. 8. 'quod si Pallerem casu, biberent exangue cuminum.' 'Pallens cuminum' vocat et Persius Sat. V. *Idem.*

Adsertorem illum] Is cum Gallias pro prætore regeret, a Nerone primus omnium, qui exercitibus præerant, defecit. Sueton. in Ner. *Idem.*

Captatione testamenti] In captatione testamenti, cum ejus testamentum ac hæreditatem Nero captaret, sic lenocinatum fuisse, Neronis cupiditati et voluptati obsecutum, ut ejus amicitia et benevolentia summos honorum gradus consequeretur, dum pallido colore simularet adversa valetudine se premi, qua brevi periret. *Idem.*

Tumentibus] Hernia præsertim aquosa, vel flatuosa. *Idem.*

CAP. XV. *De cumino Æthiopico, quod urinam stringit, et de cappari, et de ligustico sive panace, et cunila bubula.*

Æthiopicum maxime in posca illinitur] Aliter in nostro exemplari: *His Æthiopicum maxime in posca et in ligmate;* scribo, *et in eclegmate.* Pintian.

Æthiopicum maxime, &c.] Hodie etiamnum e Melita cumini genera duo afferunt: alterum acrimoniæ vehementioris, subnigrum, quod vocant *commin fort:* alterum candicans, gustus lenioris, subdulce, quod appellant *commin doux:* ab Hippocrate regium hoc vocari ait Dioscorides: ea diversitate quæ in fœniculo dulci sativo et acri silvestri spectatur. *Dalec.*

Incontinentiam] Ἀκράτειαν. Nec de hac facultate Dioscorides quicquam prodidit, nec de cumino Africano. *Idem.*

In dulci tritum vino] Τῷ γλυκεῖ, vino passo. Idem.

In vino] Ore sumptum. *Idem.*

Testium tumoribus] Dioscoridi cuminum sativum prodest collectionibus testiculorum, admotum cum uva passa, aut lolii farina, et cerato. Silvestre vero eidem morbo cum melle et uva passa. *Idem.*

Sistit et vomitionem, &c.] Singultui et stomacho fluctuantis humoris copia exsoluto confert. Diosc.

Regium appellat] Quæ regum imperio paret. Probabilius est sic dictum per ἀντονομασίαν, quod regia mensa dignum esset. *Dalec.*

Videlicet quia efficacius in Ægypto judicavit] Præpositio *in* non habetur in V. C. quare sic lego, *videlicet quia efficacius Ægyptio judicavit.* Pintian.

Dempta balinearum usu] Ne splenetici medicamenti vim ab interioribus visceribus ad externas partes evocent, et sic impediant. *Dalec.*

XXXV. diebus] Quadraginta diebus lienem absumi, cruentasque urinas reddi, et alvi purgamenta. Diosc.

Sic et strumas] Et duritias, σκληρίας. Idem.

Jocineris quoque malis medetur] Nonnulla hic verba addenda sunt, a librariis prætermissa: *Jocineris doloribus tusa cum farina hordeacea imponitur. Vesicæ quoque malis medetur.* Pintian.

Panacem vocant] Nec abs re, quia panaci Heracleotico, radice, caule, viribus, simile est. Dioscor. *Dalec.*

Sunt et qui, &c.] Cratevas ligusticum nomine cunilæ bubulæ vocandum censuit, et falso, quoniam cunila bubula origanum silvestre est. *Id.*

CAP. XVI. *Item de cunila bubula, gallinacea sive origano heracleotico, cunilagine molli, libanotide, cunila sativa et montana.*

Cunilæ præter, &c.] Cunila sativa, satureia hortensis; cunila montana, satureia silvestris; cunila Gallicana, origanum Heracleoticum; cunila bubula, origanum silvestre; cunilago, conyza. Cratevas ligusticum, quod et panaces dicunt, falso cunilam bubulam vocavit supra XIX. 8. circa finem. Hæc sic distinguendæ sunt appellationes. Cum historia cunilæ bubulæ Polycnemi descriptionem auctor confundit, quam fusius deinde repetit XXVI. 14. Cunila capitata XXXII. 10. Polycnemum, Sereno cephalote. *Idem.*

Contra serpentes in vino bibitur, ac tritum plagæ imponitur, &c. Item testudines cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt] Puto erratum esse in ordine verborum, scribendumque ad hunc modum: *Contra serpentes quoque in vino bibitur, ac tritum plagæ imponitur. Item testudines cum serpentibus pugnaturæ hac se muniunt, vulneraque ab his facta hac perfricant;* nam et antiquus codex *perfricant* legit, non *perfricantur.* Pintian.

Vulnera ab iis, &c.] Lege: *Vulnera ab his facta ibes fricant. Cutem testudines cum serpentibus pugnaturæ.* Salm. 1277. a, b.

Testudines cum serpentibus] Plutarchus de Solertia Animal. Arist. Histor. Animal. l. IX. *Dalec.*

Blattas] Culices abigit, pulices necat. Dioscor. *Idem.*

Quam libanotidem appellamus] Nihil horum Dioscorides in historia tertiæ Conyzæ. Plinius inscienter miscet hæc omnia. *Idem.*

Fit ex ea montana] De Heracleotico id Dioscorides. *Idem.*

Suis dicentur locis] De Libanotide jam tractavit lib. XIX. cap. 12. et ult. *Idem.*

CAP. XVII. *De piperiti et origano, et oniti prasio, et tragorigano, et heraclio, et lepidio, et de gith, sive melanthio, et aniso.*

Quam et siliquastrum appellavimus] Vulgo piper Indicum, aut capsicon, trium generum. *Idem.*

Castor et aliter demonstrabat] Ut intelligamus alterum piperitidis genus. *Gelen.*

Densis geniculis] Hæc est lepidium. *Dalec.*

Origanum] *Origanum, ut diximus, plura genera in medicina habet: onitin, quod sapore cunilam æmulatur, non dissimile hyssopo, et quod prasion appellant. Privatim, &c.* Ex Diosc. Plinius prasion, quod est secundum tragori-

gani genus, confundit cum origani speciebus. *Idem.*

Contra araneas scorpionesque in vino albo] Dele dictionem *contra* ex apographo nostro, ne repetatur inutiliter. *Pintian.*

Præcordiis] Æstuantibus a marina jactatione. Diosc. *Dalec.*

Heraclium quoque, &c.] Lege: *Origanum quidem tria genera habet: Heracleoticum nigrius, &c.* Hæc quæ ex diversis auctoribus Græcis Plinius vel ejus liberti colligebant, nullo ordine, et prorsus indigesta transcribuntur. *Idem.*

Sampsucho] Hyssopo. Diosc.

Prasion] Oniten. Idem.

Inter hæc medium] Silvestre. *Idem.*

Proximum Smyrnæum. Deinde Heracleoticum ad potum utilius] In V. C. *Proximum Zmyrnium odorius. Heracleoticum ad potum utilius.* Legendum videtur *odoratius* non *odorius*. Pintian.

Heracleoticum] Ex Heraclea Cretæ. *Dalec.*

Communis autem usus] Hæc omnia de Heracleotico Dioscorides. *Idem.*

In descensione balinearum] 'Ἐν τῷ λουτρῷ, *in balnearum solio.* Idem.

Venena opii et gypsi extinguit decoctum] Datur iis qui cicutam aut opium biberunt, ex passo: qui gypsum aut Ephemeron, ex oxymelite. Diosc.

Cum cinere in vino bibatur] Cinerem hic lixivium appellat. Sic Columel. XII. 22. 'Cinis autem odorem picis aufert, et eluit spurcitiam.' *Dalec.*

Lepidium] Lepidium ἀπὸ τοῦ λεπίζειν, id est, ἐκδέρειν dictum, quod urenti acrimonia sua ulceret, excoriet, decorticet, eaque facultate vel ferro notas fronti servorum inustas (τὰ στίγματα) deleat. Columella: 'Atque oleris pulli radix, lachrymosaque cepa Ponitur: et lactis gustum quæ condiat herba, Dejectura (alii, 'Deletura,') quidem fronti data signa fugarum: (alii, 'focorum:') Vimque suam idcirco profitetur nomine Græco.' *Dalec.*

Adalligatum brachio qua doleat] Dioscorides collo appendit. *Idem.*

Compescere dolorem] Excitata pustula, quæ humoris impetum dentem vexantis ad brachium revocet. Sic quidam in eo morbo aurium radici medicamenta, quæ pustulas gignunt, admovent. *Idem.*

Coctum cum aceto] Et teda, ac colluturn. Diosc.

Cum semen gratissime, &c.] Vide supra lib. X. cap. 8. ult. *Dalec.*

Alligatis] Et in pesso subditis. *Idem.*

Clavis in pedibus mederi] Circumscarificatis mederi tritum in urna vetere. Diosc. *Idem.*

Panis etiam crustis] Ut ammi et melanthium, fœniculum. *Idem.*

Saccis quoque additur. Cum amaris nucibus vina commendat] Scribo, *Saccis quoque additum cum amaris nucibus, vina commendat*, ex eodem: et paulo post *juveniorem* in eodem legitur, non *juniorem:* et *olefaciant* pro *olfaciant.* Pintian. *Saccis quoque additur*] Quibus vina colantur et transfunduntur. Vina enim per saccum olim transmittebant, non tantum ut liquidiora et castigatiora biberent, sed ut peregrinis odoribus in saccum conjectis, et odore et sapore magis placerent, qua ratione Hippocraticum vinum hodie nobis paratur. Theophrast. de Caus. VI. 9. Vide supra XIV. cap. ult. *Dalec.*

Anicetum] Omnibus aliis medicamentis præcellens. *Idem.*

Ligustici] Sativi, de quo lib. XIX. cap. 8. ult. *Idem.*

Epiphoris oculorum e vino radicem ejus tusam imponit Iollas: ipsum cum croco puri modo et vino] In apographo nostro: *Epiphoris oculorum evenenor radicem ejus tusam imponit. Iollas ipsum cum croco, &c.* Legendum puto, *Evenor*, non *Evenenor*, et nomen auctoris accipio, quamvis in elencho non inveniam: constabit id quoque paulo

infra. *Pintian.*

Narium quoque carcinodes] Cancerosum ulcus, aut polypum. *Dalec.*

Carcinodes consumit] *Carnes*, non *carcinodes*, in V. C. habetur. *Pintian.*

Pituitas purgat testum] Crassos et pituitosos succos pulmonibus infarctos, et thoraci. *Dalec.*

Facillime] Jucundissimo et utilissimo remedio. *Idem.*

Et ternis diebus sumuntur] *Et ternæ diebus sumuntur*, in vetusto codice; quam lectionem confirmant verba mox paulo sequentia: 'Aliqui addunt et opium pilulis in die ternis lupini magnitudine.' *Pintian.*

Ad ructus] Quæ sequuntur omnia ex variis auctoribus Plinius coacervat, iisdem facultatibus sæpius etiam repetitis. Horum nihil apud Diosc. *Dalec.*

Cum apio olfactus sternutamenta inhibet] Quamquam omnis hujus cœpti fiducia secundum τὸν δευτῆρα ἰδίων nobis sit archetypa Vossiana, non sprevimus tamen adhibere, quas potuimus, et secundi loci membranas, velut Vossianas binas, (distinguendi ergo ab dominis, quos antehac alter in fine, alter in principio habuisse se testantur, Andegavenses et Menapias appellabimus,) quartas Academiæ, quintas eruditissimi et ingeniosissimi Marquardi Gudii nostri: non illas quidem ætatis ejusdem et fidei, interim utiles; quippe quæ neque repente a vetustissima scriptura omni, sed pedetentim et per gradus cumque aliquo pudore abscessum, et si non plano testimonio, vestigiis quibusdam, veritatem, aut ejus revocandæ propiores vias, demonstrarent. Hic igitur et Voss. et Academicus, *sternumenta.* Neque hic modo, sed etiam XXI. 18. 'Odor alienus sternumenta protinus movens.' et c. 22. 'Movet et aridum sternumenta.' XXIII. 1. 'Singultus cohibet, sternumenta olfactu.' XXIV. 7. 'Destillationibus et sternumentis e pituita.' Sic enim Vossianus. E Chiflet. notarunt: 'sternutamentis e pituita.' Acad. noster: 'sternumenta pituitas.' Plato in Timæo: φλέγμα ὀξὺ καὶ ἁλμυρὸν πηγὴ πάντων νοσημάτων, ὅσα γίγνεται καταῤῥοϊκά. XXV. 5. 'Farina eorum per se et mista radiculæ, qua lanas diximus lavari, sternumentum facit.' Ibidem: 'quod celerrime movet sternumenta:' et, 'singultus infinitos aut sternumenta.' Hic adponunt et e Chifletiano. c. 11. 'Fit et ex callitriche sternumentum.' c. 13. 'Eadem sicca concisa sternumentum est.' Hic quoque e Chifl. annotant. XXVII. 13. 'sternumenta quoque gustatu movet.' XXVIII. 6. 'sternumenta pinna gravedinem emendant.' XXXII. 3. 'sternumenta olfactu movent.' Sic omnibus his locis Vossianus: nonnunquam et alii. Idem in suis observasse Cl. Salmasium apparet ex illis quæ scribit ad Solinum p. 29. *Gronov.*

Præcordiorum tumores] Potissimum e flatu natos. *Dalec.*

Nervis quoque] Membranis flatu crasso distentis, vel acri lancinatis, quæ viscera et corporis musculos ambiunt. *Idem.*

Prodest ejus et capitis] Τὸ *ejus* non est in optimo; et sine injuria sententiæ tollatur. *Gronov.*

E vino radicem et ad renes] *Et venor* in codice antiquo, non *e vino.* legendum puto, ut dixi, *Evenor;* quo nomine pictor etiam celeber fuit Plinio lib. XXXV. *Pintian.*

Tritum cum menta e vino, radicem ad renes] Sigism. Gelenius est auctor τοῦ *e vino;* nam vett. edd. *cum menta verum et radicem ad renes.* Ms. bibliothecæ publicæ, Gudianus, Menapius: *cum menta verum radicem et ad renes.* Vossianus Andeg. *cum mente venor radicem et ad;* sed potior, *cum mentæ venor radicem et ad renes.* Nimirum scribendum est: *Semen hydropicis et cœliacis dedit tritum cum menta*

Evenor, radicem et ad renes. Habes nomen idem et xxi. 31. 'Laudatum vero a Diocle et Evenore, a Timaristo etiam carmine.' Et reposcit id Plinius paullo superius hoc ipso cap. 16. 'Epiphoris oculorum e vino radicem ejus tusam imponit Iollas; ipsum cum croco.' Hic quoque Gelenius addidit *e vino*, quo carebant priores editiones. Margo monet in Ms. fuisse, *evenor radicem.* Vossiani tres et Academicus, *oculorum evenenor radicem.* Gudianus, *eveneor radicem.* Et manus quidem secunda in meliore tentavit, *et venena:* sed vera lectio est: *Epiphoris oculorum Evenor radicem ejus tusam imponit; Iollas ipsum cum croco, pari modo, et vino, &c.* Hæc scripseram confisus Dalecampianæ, et ratus, quicquid esset in superioribus boni, id eam, ut decebat, adoptasse. Dein didici Jacobum Cadomensem nimio minus quam diligenter usum observationibus magni Pintiani: in quibus complura inveniebam præflorata, quæ nunc primum me proditurum speraveram. Jamque adversus ea omnia spongiam parabam; neque enim solemus actum agere; dein præstare visum relinqui, ut erant, nostra; ita tamen, ut, quæ ille præceperat, auctori suo redderentur, adjuta codicis hujus auctoritate, quando illius, quæ debuerat, ratio habita non erat. Accedit, cum fere verbo tantum jaciat, *sic legendum*, aut *melius esse*, ut non sit obvium, nedum cuivis, quid viderit, quid secutus sit, quamobrem aliud atque aliud præferat, divinare, atque ideo explicatius eadem tradi haudquaquam sit aspernandum. Ex unionibus igitur illis, quos Pintianus ante seculum, et quod excurrit, quasi avibus cortis objecit, est utroque loco medici nomen. *Gronov.*

Phreneticis quoque illinunt] *Illinivit* in codice antiquo, non *illinunt*, ut referas ad eundem Dalionem. *Pintian.*

Contractiones] Nervorum σπασμούς. *Dalec.*

Multi vomituris] Ut robustior sit ad vomitionem perficiendam ventriculus. *Idem.*

Strangulationes vulvæ, si manducetur] Scribe *Strangulatus*, ex vetusto codice, non *Strangulationes*, solita Plinii consuetudine, quæ alii nomina aliis usurpant inflexionibus, quarta semper usurpandi. *Pintian.*

Cap. xviii. *De anetho, sacopenio, et sagapeno, et de papavere albo et nigro, et quomodo succus herbarum colligendus est, et de opio.*

Anethum quoque ructus movet] Rhodiginus xxvii. 16. notat ἀνηθὸν Græcis florem quemvis dici ἀπὸ τοῦ ἄνω τείνεσθαι. Anethi comæ et seminis decoctum inflationes discutiunt. Diosc. *Dalec.*

Uvam in faucibus levat] Condylomata, Dioscoridi; Plinius legisse videtur κιονίδας. *Idem.*

Sacopenium] Sagapenum nostras, quod Sacopenium Plinius vocat, ut nomine a transmarino dividatur, succus est ferulæ nostratis, qui caule ad radicem vulnerato fluit. Diosc. Vide supra xix. 8. *Idem.*

Sed sativi albi calix ipse teritur] Scribendum, *E sativis albi calix, &c.* ex vet. cod. *Pintian.*

Sed sativi albi calix ipse teritur et e vino] Rursum τὸ *e vino* interposuit Gelenius. Vossiani duo, *teritur et vino bibitur.* Idque sufficere censeo. Sed præstantior etiam, *et sativis;* ut et *sativi ita diximus*, quod e Chiffletiano quoque notatum. Emenda: *Papaveris sativi tria diximus genera, et sponte nascentis alia promisimus. E sativis albi calix ipse teritur et vino bibitur somni causa.* Locus quem respicit est xix. 8. 'Papaveris sativi tria genera: candidum, cujus semen,' &c. Et mox: 'De reliquis generibus papaveris sponte nascentis dicemus in medicinæ loco.' Similiter peccatum xxi. 6. Partem horum, nempe utrobique legendum, *E sativis*, odoratus est et Pintianus. *Gronov.*

E nigro papavere sapor gignitur] Lege *sopor*, non *sapor*, ex eodem, ut paulo ante: 'bibitur somni causa,' et paulo post: 'non ut soporifera modo.' Quorum verborum ordinem invertendum censeo, legendumque, *non soporifera modo vi*. Pintian. *E nigro papavere*] E nigro potius, quam albo papavere, opium fieri nusquam Dioscorides scribit. Valentius e nigro colligi verisimile est, imbecillius ex albo. *Dalec.*

Sapor gignitur] Saporis vocabulo τὸν χυλὸν Græcorum Plinius voluit exprimere, duplici errore: altero quod liquor is ὀπὸς sit, id est, *manans sponte lacryma*, non autem χυλὸς, id est, *succus herba trita expressus*: quod ad id papaveris albi, non nigri, scapus inciditur. *Idem.*

Turgescit] Grandescit, et ad florem properat. *Idem.*

Cum deflorescit, hora diei sereni] Pintianus e veteri exemplari, *hora sereni diei*; quod etsi leve est, non fastidiendum tamen, quia et sic duo Vossiani. Sed alter horum etiam utilior. Quæ namque illa, *hora sereni diei?* circa meridiem, inquit Dalecampius. Immo multo citius. Sic enim membranæ egregiæ: *hora sereni diei tertia, hoc est, cum ros exaruerit.* Nimirum cum fere πλήθουσα est ἀγορὰ, et, ut canit Martialis, 'Exercet raucos tertia causidicos.' Sextam autem meridiem intelligimus. Columella XI. 2. 'Pruinis et gelicidiis nocturnis adhuc rigentes materiæ ferrum reformidant. Itaque dum hæ regelare sinuntur usque in horam secundam vel tertiam, poterunt vepres attenuari.' Et ibidem: 'Quascumque vineas culturi sumus, ne per æstum, sed mane usque in tertiam, et a decima usque in crepusculum fodiamus.' *Gronov.*

Cum ros in eo exaruerit] Circa meridiem. *Dalec.*

Sub capite et calice] Sub capite, ante florem: et calice, post florem. *Idem.*

Ut lactucis] Constantinus legit *aut conchis*, in dictione ὀπός. Ego nihil muto. Glaucio enim et silvestribus lactucis succum detrahi solitum Dioscorides prodit, quo verum opium adulteraretur. *Idem.*

Vi soporifera modo] Virgilius Æn. IV. 'Hesperidum templi custos, epulasque draconi Quæ dabat, et sacros servabat in arbore ramos, Spargens humida mella soporiferumque papaver.' Idem VI. cum ait: 'Melle soporatam et medicatis frugibus offam,' medicatas fruges papavere conditas intellexisse videtur. Victorius IV. 3. *Idem.*

Mortifera per somnum: opion vocant] Voss. duo et Gud. *per somnum sopion vocant;* ut et Acad. nisi quod *sopio.* Scribendum ex optimo: *mortifera per somnos: opium vocant.* Gronov.

Sic scimus interemptum Licinii Cecinnæ Prætorii viri patrem in Hispania Bavili cum valetudo impatibilis odium vitæ fecisset] Romana et Parmensia, et quædam alia recentiora exemplaria, sic legunt: *In Hispania bajulicum, quoniam valitudo impatibilis, &c.* Legendum fortasse in totum hoc pacto: *Sic scimus interemptum post Licinii Cecinnæ prætorii viri patrem in Hispania Bubilium, cum ei valetudo impetibilis odium vitæ fecisset;* nam codex antiquus *post Licini* legit; et *impetibilis* legit, non *impatibilis*, ab impetu videlicet, non a 'patior.' De Babilio vero, aut hoc, aut alio ejusdem nominis, Plinius lib. VII. cap. de mortibus repentinis: 'Bebius judex dum Babilium differri jubet.' *Pintian.* *Sic scimus interemptum, &c.*] Lege: *Sic scimus interemptum Licinii Cæcinæ prætorii viri patrem in Hispania Bilbili, cum valetudo impetibilis odium vitæ fecisset.* Perperam vulgo, *impatibilis*, violentum, acerbum, difficilem valetudinem significat. Et cap. 20. ejusdem libri: 'Prætorii viri pater est Hispaniæ princeps, quem scio propter impetibiles uvæ morbos filo sus-

pensam e collo gerere.' Sic in aliis locis ubicunque *impatibile* hoc sensu reperietur apud Plinium, reponendum erit *impetibile*. Vide Salmas. p. 876. a.

Cum valetudo impatibilis odium vitæ] Omnes, *impetibilis*; neque hic modo, sed etiam cap. 20. 'Propter impetibiles uvæ morbos.' Et xxv. 5. 'Ne nubilo die detur, impetibiles quippe cruciatus existunt.' Notavit et in suis Ferdinandus Nonius Pintianus, ab *impetu* videlicet, inquit, non a *patior*. A quo haud scio an acceperit, sed tamen quum Apuleius in Apologia dixisset: 'Sceleri adversus parentem nefando, immani, impetibili:' miram hac notione vocem eam pronuntiavit Is. Casaubonus, quam legerent plures intelligentibus; proprie enim 'impetibile' esse id, quod petitioni obnoxium est, quod facile potest impeti: sic Solinum de chamæleonte: 'Impetibilis est coraci, a quo cum interfectus est, victorem suum perimit:' nec, nisi fallat memoria, esse antiquiorem Solino, qui eam vocem usurparit. Postea cœpisse accipi de re turpi et reprehensioni obnoxia, ut apud Apuleium et Symmachum Epist. IX. 103. In alia omnia ire Glossarium: *Impetibile*, ἀνεπιχείρητον, ἀνεπιτήδευτον: quasi præpositio haberet vim negandi, neque absurde: sed non ita se usurpatum legisse. Sic ille. Nec potuit vir tantus labi, quin multis lubricum relinqueret. Neque ego Fr. Juretum moror, qui quod Glossæ, 'Impetibile, improbum, sævum,' habent, reddit 'scævum:' non Scip. Gentilem, cui 'impetibile' ab impetendo, quasi petitioni et reprehensioni obnoxium: non Gev. Elmenhorstium, cui 'impetibilis' impurus: non Jo. Pricæum, qui, ut aliquid novi addat, pro impetuoso dictum censet, translatione, ut ait, nimis obvia, quæ sceleribus violentiam tribuat. Ipse Salmasius p. 876. Solinianum, 'impetibilis est coraci,' in eodem ludo edoctus explicat, a corace impeti solet, obnoxius est impetitioni corvi. Tum, alias *impetibile*, inquit, Latini usurpant etiam agentis significatione, pro eo, quod impetere solet, non quod impetitur: huc Plinii duo refert et Apuleii loca. Deinde sane recentiores Latini pro re mala et inhonesta factu et nefanda eam vocem posuerunt: id probat ex Symmacho. Tandem, quicquid malum esset et odiosum et intolerabile (Βαλλ' οὕτως) sic vocarunt; nam *impetibile*, quod impetit, vel cum impetu venit, non tantum quod impetitur. Qui labor? quantus æstus? et tamen aliud agebat, cum hæc scriberet, ut et cæteri. *Impetibile*, o principes studiorum, nihil est aliud quam *impatibile*, et pro hoc illud receptum est, ut 'compecto' et 'depectus' a 'pacto,' 'imperco' et 'compercunt' a 'pareo,' 'confessus' a 'fassus,' 'conspergo' a 'spargo,' 'dispessis manibus' a 'passis,' 'defetiscor' a 'fatisco.' Una autem ejus significatio antiquissimis, mediis, recentissimis, non ferendum, nimium, intolerandum, sive ob dolorem, sive ob inimicitiam aut dissidentiam, sive ob turpitudinem, crudelitatem, et similia. Jam autem M. Tullius de Finibus II. 17. 'Dolorem, quem vos, quam improbis pœnam proponitis, impetibilem facitis; cum sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem.' Sic est apud me in bonæ fidei membranis, etsi vulgo 'impatibilem.' Sed nihil inter hæc duo interest, nisi quod aurium fastidia vastiorem in ea voce primam literam, leniorem quintam putaverunt. Pintianus autem hoc etiam loco, *cum ei valetudo*. Nostri hac parte nihil mutant. Sed omnis locus ita concipiendus: *Sic scimus interemptum P. Licinii Cæcinæ prætorii viri patrem in Hispania Bilbili, cui valetudo impetibilis odium vitæ fecisset*. Gronov.

Sed postea usus ejus, &c.] Mnesidemus usum duntaxat olfactandi probavit, conciliando somno, Dioscor. *Dalec.*

Ejus trito in pastillos] Nigri Diosc. *Idem.*

Ad somnum] Illito ex aqua fronti et temporibus. *Idem.*

Ad capitis dolores cum rosaceo] Hoc de opio Dioscorides. *Idem.*

Cum hoc et aurium, &c.] Cum amygdalino, croco, myrrha. Dioscor. *Id.*

Multoque magis quas vocant lexipyretas] Rectius in veteri exemplari *lexipyretus*, ex instituto Græcæ linguæ, quod sit adjectivum compositum. Expende porro an sit commodior lectio *alexipyretus*, hoc est, febris expultrices. *Pintian.*

Quas vocant lexipyretas] Voss. *lexipyretius.* Voluit, quod vidit Pintianus, *lexipyretus*, Græca terminatione. Nimirum ληξιπυρέτους. Male autem provectus ulterius Pintianus facit, ἀλεξιπυρέτους; nam ἀπὸ τοῦ λήγειν dicitur. Marcellus de Medicam. c. 16. 'Prodest et iis, qui sine horrore circuitu febrium vexantur; quamobrem lexipyretos hæc compositio dicitur.' *Gronov.*

Rotundat capita] Sativo caput oblongum Dioscoridi. *Dalec.*

Longum ac pusillum et ad omnes effectus valentius] Proferunt e Chifl. *longa et pusilla et ad omnes effectus valentiora.* Vossianus amplius: *majus rotunda et capita ac silvestri longa et pusillas et ad.* Unde scribas licet: *Sativum omne majus: rotunda ei capita, ut silvestri longa et pusilla, sed ad omnes effectus valentiora.* Sic XXI. 6. de croco: 'Sativum latius majusque et nitidius.' Gudianus quoque et Menapius, *majus.* Sed et Pintianus e suo *majus* et *rotunda.* Andegav. *majus rotunda et capita ac silvestri longa aut pusillus et ad omnes effectus valentiora.* Gronov.

Decoquuntur] Tunduntur, prælo exprimuntur, et in mortario trita diguruntur in pastillos. Dioscor. *Dalec.*

Perpeti non est] Quia soporiferum, et caput gravans. *Idem.*

Experimentum et in aqua, quia nebula] Voss. *quoniam ut nubecula innatat.* XXVIII. 6. 'Mala et in qua (urina) veluti furfures atque nubeculæ apparent.' *Nubecula* et Pintianus. *Gronov.*

CAP. XIX. *De erratico et ceratiti, et glaucio, sive paralio, et heraclio sive aphro, et de diacodio, et tithymalo.*

De erratico, &c.] Theophr. Hist. IX. 13. *Dalec.*

Quoniam in arvis] Ratio illa est, quod medium genus censeatur, non quod rhœas vocetur. Vide XIX. 8. *Idem.*

Rhœam vocavimus, &c.] Rhœadem. ῥοιὰ malum Punicum est, ῥοιὰς papaver. *Idem.*

Glaucion vocant, alii paralion] Quidam falsi cognatione foliorum, ex hoc glaucion fieri arbitrati sunt. Dioscor. *Dalec.*

Nascitur enim, &c.] Lege, *Nascitur enim in afflatu maris, aut in petroso loco.* τὰ παραθαλάσσια reddidit Plinius, *maris afflatum.* Salmas. pag. 247. b.

In afflatu maris] Sponte ubique satum provenit. *Dalec.*

Speciem passerum] Struthio similibus. Diosc. Ineptissimus hic Plinius. *Idem.*

Speciem passerum præsentantibus] Tentavit hunc locum ὁ πάνυ ad Solinum pag. 1356. ut tamen magnam partem idem dicat, quod priores; nam τὸ *aphrodes*, ἀντὶ τοῦ *aphro* jamdudum ex Dioscoride inculcabant margines: Plinium autem Græci auctoris τὸ στρουθίον, quæ herba erat, pro *passere* accepisse et se suspicatum scribit Dalecampius, et ante utrumque Hermol. Barbarus observavit. Qui, quemadmodum et Salmasius advocat *repræsentantibus.* Liber optimus et editio Parisiensis anni 1514. *præsentibus.* Unde legendum: *speciem passerum præbentibus,* dictione

Liviana; apud quem simile vulnus curavimus xxv. 16. Noster xxiv. 15. 'Orbiculato foliorum ambitu, speciem lecti pedum præbenti.' Sic enim et Voss. xx. 9. 'Sed tanta vis est, ut avidius haustum tinctæ animæ momento aliquo speciem præbeat.' *Gronov.*

Radice in summa terræ cute] Radice perquam tenui. Herbula tota candida et spumosa est: fructu inter folia candida. Dioscorid. Pro ῥίζην δὲ λεπτὴν ἐπιπλέον, Plinius legit ἐπιπολάζουσαν. *Dalec.*

Ex hoc lina splendorem, &c.] Suspicor Plinium, cum apud auctorem, unde hæc sumpsit, legisset papaver hoc foliis parvuiis esse, similibus struthio, quo æstate lanæ purgantur ab erioplytis, et candorem trahunt, nec assecutus τοῦ στρουθίου significatum esset, incogitanter vim purgandi lina tribuisse huic plantæ. Dioscorides ejus facultatis nusquam meminit. *Idem.*

Vino albo] Mulsa, Dioscor. vino mulso, Theophr. *Idem.*

Diacodion et arteriace vocatur] Antiquum exemplar, *decadion et arterlace vocatur*, præfert. Considera an sit verior lectio *dodecadion*, hoc est, duodenarium, quod sit ex duodecim rebus conflatum, de quo infra. *Pintian.*

Fit autem hujus papaveris] Dioscoridi diacodion tantum fit ex sativi papaveris capitibus. Fallitur Plinius. *Dalec.*

Saccatis] Colatis. Hac voce posthac utitur, xxix. 2. Vide Turn. Adversar. xiii. 14. *Idem.*

Drachmas senas croci, &c.] Heras apud Galenum κατὰ τόπους, lib. vii. harum rerum tantum unam drachmam miscet. Ineptissimum est, quod papaveris generibus ob nominis similitudinem tithymalum Plinius interponit. *Idem.*

Capite magnitudinis fabæ] Capite in caulis summo rotundo, in quo fructus ervi magnitudine, colore varius: flos albus. *Idem.*

Cap. xx. *De portulaca sive peplio, coriandro, et atriplici.*

Quam peplion vocant] Inepte Plinius silvestrem portulacam ejusdem generis ac naturæ cum sativa, nisi quod sponte provenit, confundit cum peplio, herba diversissima, ideo tantum, quod peplion agrestem portulacam nonnulli vocaverunt. Quidam legunt, *telephion;* quoniam sedum tertium acre et ulcerans Dioscorides, et agrestem portulacam nominari scribat, et telephium. *Idem.*

Non multum sativa efficacior] Ob magnam acrimoniam et fervorem. *Idem.*

Sagittarum venena et serpentium hæmorrhoidum et presterum restringi] Ante castigationes Hermolai *hæmorrhoidum et præsigrum* legebatur: ipse pro verbo illo *præsigrum, presterum* substituit; quod mihi non probatur. Potius scribendum credo pro, *et præsigrum, ait Petrichus;* ut sit nomen auctoris cujus in elencho fit mentio: vitiose tamen in impressis omnibus codicibus *Petridius* legitur pro *Petrichus.* Patet id tum ex antiquo exemplari, tum ex Nicandri interprete in Theriacis 'Petrichum in Ophiacis' citante. Utitur et ejus testimonio Plinius infra cap. 23. qui et cum Nicandri interprete Orphiaca eum composuisse in elencho tradit. Item *restingui* in exemplari vetusto habetur, non *restringi.* Cæterum quod attinet ad *presteras*, ut vix fidam castigationi meæ, facit quod l. xxxii. capite tertio, circa finem, rursus 'præsigrum' fit mentio; quanquam ibi pro 'præsigras,' 'presteras' correctiores scripserint. Quamobrem amplio judicium. *Pintian.*

Resistit et aquarum vitiis] Peplion bilem, pituitam, aquas educit. *Dalec.*

Sic et infantium] Ad sativam jam hæc pertinent. *Idem.*

Cerebro imponitur] Inflammato sei-

riasi morbo. *Idem.*

Si procident, prodest] Oculi. Hoc vitium nunc προπτωσιν Græci vocant, nunc ἐκπιεσμόν. *Idem.*

Eadem si procident, prodest foliis] Voss. unicus: *si procedant oculi, foliis tritis cum corticibus fabæ*, sine τῷ *prodest.* Intelligitur ex superioribus, 'imponitur.' Sed *procidant* præfero ob 'vulvas procidentes,' et 'procidentiam alvi,' et 'sedem prociduam;' quæ alibi apud nostrum reperies. *Gronov.*

Cum polenta et sale et aceto] Eruptionibus papularum in capite, cum vino. Diosc. *Dalec.*

Dolores] Stupores, Dioscorid. *Idem.*

Quidam adjecere paulum murræ. Nam et mobiles dentes stabilit] Codex citatus: *Quidam adjecere paulum murenum. Mobiles dentes stabilit.* Legendum forte, non *paulum murenum*, sed *paulum murrhini;* hoc est, vini myrrha conditi, de quo supra. *Pintian.*

Stomachum in acetariis, &c.] Stomachi et intestinorum ardores, et æstum placat. Diosc. *Dalec.*

Imponitur cum polenta] Ventri et Hypochondriis. Dioscor. *Idem.*

Vomicis] Cruentis excreationibus. Dioscor. *Idem.*

Tenesmis] Hæmorrhoidibus, Diosc. *Idem.*

Purgationibus mulierum] Immodicis, et nimis effusis: sic et mox. *Id.*

Inter silvestria non invenitur] Satu tantum, non sponte, nascitur. Nuper tamen silvestre repertum in Hispania. *Idem.*

Panos] Et strumas. Dioscorid. *Idem.*

Quæ serpunt] Herpetas et ignes sacros sanat cum pane aut polenta; item testes inflammatos. Dioscor. *Idem.*

Ambusta] Igneas summæ cutis inflammationes, Dioscor. πυρώδεις φλεγμονὰς κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν. *Idem.*

Atriplex et silvestre est accusatum a Pythagora] Ms. Voss. *silvestre et accusatum à Pythagora.* Super τὸ *accusatum* manus etiam antiqua posuit *sativum.* Unde nonnulli codices, *silvestre est et sativum accusatum*, quemadmodum et quatuor alii Mss. et ex Jo. Andrea priscæ editiones. Sed videtur Plinius fecisse: *Atriplex et silvestre et sativum est. Pythagoras, tanquam faceret hydropicos morbosque regios et pallorem, concoqueretur difficillime, ac ne in hortis quidem juxta id nasci quicquam, nisi languidum, culpavit.* Gronov.

Tradiderit Solon Smyrnæus] Voss. *in Italia nasci tradiderit id Solo Smyrnæus.* Ut et sequenti cap. extremo: *Adjecit Solo* (*ne quid omittamus*) *bupalathon radicis tantum altitudine differens et erga dysentericos effectu potum ex vino.* Sic et Chiffletianus. Sed ille insuper *pota.* Itaque scribendum, *radicis tantum altitudine differens et erga dysentericos effectu potæ ex vino.* Radicis, inquit, altitudine et ejusdem ex vino potæ effectu. Gelenius fecerat, *efficaci effectu potu ex vino.* Sic xxv. 8. *Themiso*, ut et Chiflet. et Pintiani, qui alias *Themison.* Gudianus et Menap. *nasci tradiderunt id solo et mineus.* Acad. *nasci tradiderunt id solon et mineus.* Andegav. *nasci tradiderit id Solon mirneus.* Altero loco quatuor conjurarunt in *adjecto sale.* Gronov.

Vulvarum vitiis] Inflammationibus. *Idem.*

Cum melle] Mulsa. Dioscor. *Idem.*

Arterias et tonsillas] Acri fluxione exasperatas. *Idem.*

CAP. XXI. *De malva, malope, et althæa, et lapatho, et oxylapatho, et hydrolapatho, et hippolapatho, et bulapatho.*

Malope] Alii, *moloche.*

Lapatho] Lapathi Dioscoridi quatuor genera: oxylapathum silvestre; oxylapathum sativum; oxalis rotunda silvestris, nos et sativam habemus; oxalis, sive anaxyris. Quatuor his generibus idem addit hippolapathon, nulla facta mentione aut hydrolapathi aut bulapathi. Hydrolapathum auc-

toris, est Dioscoridis hippolapathum, in paludibus nascens. Hippolapathum auctoris lapathi silvestris genus, amplo et lato folio, descriptum a Dodonæo pro tertia specie lapathi. Bulapathum vero, planta, quam totambonam officinæ vocant. *Idem.*

E silvestribus, cui grande folium et radices albæ, althea vocatur, ab excellentia effectus a quibusdam Aristalthea] Diversa est codicis antiqui lectio. Scribo igitur sic: *E silvestribus cui grande folium et radices albæ, Althæa vocatur, ab excellentia effectus. Quibusdam Plistolochia;* nam ab excellentia effectus dictam esse Althæam, satis indicat Dioscorides lib. IV. nomen illi asserens a multiplici potestate et usu esse factum. Scribitur autem ea dictio cum Æ diphthongo in secunda sæpius; deduci enim videtur a verbo Græco ἀλθαίνω, quod apud nos *medeor* valet. apud Galenum autem de Simplicibus lib. VII. et Theophr. de Plant. Hist. lib. IX. cum *e* simplici scriptum invenio, quod potest tolerari, ut descendat a verbo ἄλθω, ejusdem qua ἀλθαίνω significationis: etsi alias apud eundem Theophrastum cum Æ diphthongo inveniatur. Porro *altheam* vocatam esse alio nomine Plistolochiam Plinius supra ostendit hoc ipso lib. cap. 4. his verbis: ‘Pastinacæ simile hibiscum, quod molochen agriam vocant, aliqui Plistolochiam.’ Molochen autem et althæam idem esse et Diosc. lib. III. et Theophr. lib. IX. auctores sunt. Hermolaus tamen aristaltheam, vocem, ut nos putamus, adulterinam et commentitiam, in Corollario in Dioscoridem agnoscit pro vera et legitima a Plinio tantum desumptam: perperam, ut censemus. Certe in exemplari nostro *Plistolochia*, non *Aristalthea*, legitur, et neque Dioscorides, neque Galenus, Paulusve, medicorum aut quod sciam ullus, ejus vocis meminit. Pro persuaso vero habeo sciolum aliquem eam commentum esse, quod Græcæ linguæ ignorantia nesciret quomodo hæc vox *althæa* excellentiam effectus significaret: novam igitur ipse excogitavit; satis evidenti exemplo, quanto disciplinarum periculo indocti audeant sese corrigendis libris immiscere, et receptam priscamque antiquorum codicum lectionem mutare. *Pintian.*

Valent et contra venena] *Valent et contra psitim venena*, in antiquo cod. ut forte legendum sit non *psitim*, sed *psimithii*, hoc est, cerussæ quam venenatam esse et Dioscorides et Nicander, et medici omnes testantur. Valere autem contra cerussam malvæ decoctum Dioscorides tradit libro ultimo. *Idem.* *Valent et contra venena*] Si jus decoctarum a bibentibus continuo revomatur. Diosc. *Dalec.*

Adspersum genitali fœminarum] Pro *genitali* habent *curationis* quinque manu exaratæ membranæ. Numquid, *adspersum cubatibus fœminarum?* x. 57. ‘Medicina in fame, et cubatus in fumo.’ Ubi tamen *cubitus* Mss. si malis *cubitibus*. In contrarium effectum de vitice XXIV. 9. ‘Matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes his foliis cubitus sibi sternunt.’ Cogitabam etiam aliquando, *lavationibus*. Sic infra: ‘In solia balinearum additum.’ Prima editio Jo. Andreæ Romæ curata a. 1470. cujus usum etiam mihi præbuit egregius Gudius, *cubili:* alia Parisiensis vetus, *cubitali:* pro quo ex Hermolao sumpserunt, opinor, *genitali*. Gronov.

Ex vino albo] Aut cum mulsa. Dioscor. *Dalec.*

Panos] Abscessus. Dioscor. *Idem.*

Defectu sanguinis] Atrophia. *Idem.*

Mirum aquam radice ea addita addensari sub dio atque lactescere] Multo etiam fidelior hac in parte codex noster, *Mirum aquam radice addita ea addensari sub dio, atque glaciescere.* Theophr. IX. 19. ‘Spinam enim quan-

dam enarrant quæ aquam injecta congelet: et radicem althææ posse addensare aiunt, si tritam injeceris, sub dioque humorem posueris.' Quæ Theophrasti verba invenies a Dioscoride tralata tertio ejus libro, cap. de Althæa. *Pintian.*

Efficacior autem, &c.] Nam peptica et malactica vis spatio temporis elanguescit. *Dalec.*

Nec lapathum dissimiles, &c.] Non hoc dicit, lapathum herbam esse silvestrem, sed præter sativum esse etiam aliud lapathi genus silvestre. Quare melius legitur adjecto, *et: Est autem et silvestre.* Gelen.

Rumicem] Supra XIX. 12. Lapathum sativum rumex dicitur, non silvestre. *Dalec.*

Lapathum cantherinum] Ut Columella I. 9. hexastichon hordeum cantherinum vocari ait, quod cantheriis, id est, equis pabulum detur, sic lapathum cantherinum hoc rumicis genus vocari probabile est, quod eo valde cantherii delectentur. In equis cantherii, quod in porcis majales, in ovium genere verveces. Lucilius: 'Penula, si quæris, cantherius, servus, segestre, Utilius mihi, quam sapiens.' Rumicem fœcundum, epitheto peculiari, auctor Moreti vocat. *Idem.*

Est et alterum genus fere, oxylapathon appellant, sativo idem similius] Legendum reor *feri*, hoc est, *silvestris*, non *fere*. Vetus quoque codex *item* legit, non *idem*. Pintian.

Sunt qui hydrolapathon] Integra et nihil mutata lectione, quidam a Plinio significari volunt lapathi aquatici genus quarto loco descriptum a Dodonæo, in nostris stagnis frequens. *Dalec.*

Radix aceto decocta si coletur, succus dentibus auxiliatur] Scribe, *Radix aceto decocta, si colluantur, dentibus auxiliatur*, ex V. C. Quæ lectio fautorem habet Dioscoridem lib. II. de lapatho sic prodentem: 'Decoctis in vino etiam rumicibus, in dolore dentes et aures utiliter colluuntur.' *Pintian.*

Stomachi inextricabilia vitia sanat] *Stomachi fastidia*, τὴν ἄσην. Dioscor. et cœliacos affectus. Idem. *Dalec.*

In aqua cælesti prodest sanguinem rejicientibus] Delevit hic τὸ *prodest* Gelenius, ubi retinent Acad. Menap. Gud. transpositum, *sanguinem prodest rejicientibus;* non Vossiani duo: sed nec, ubi reliquit Sigismundus, in fine hujus periodi membranæ id ullæ agnoscunt. Recte, ut puto: modo τὸ *rejicientibus* mutes in *rejicientes*. Ita enim conceperat Plinius: *Dysentericos semen duabus drachmis in vino optime liberat. Oxylapathi semen lotum in aqua cælesti sanguinem rejicientes, adjecta acacia, lentis magnitudine*] Intelligitur enim ex præcedenti membro 'liberat.' Et sic amat sæpe Plinius verba lucrifacere. Scripsimus etiam *optime* pro *potum;* nam et Voss. et Chiflet. *optimum*. Gronov.

Præstantissimos pastillos] Ad scabiem, lepras, impetigines. *Dalec.*

Radice meliceridas et lepras curant] Scribo, *lichenas et lepras*, ex antiquo exemplari, suffragante etiam Dioscoride lib. II. 'Sanant,' inquit, 'rumicum omnium radices in aceto coctæ, crudæque mox emplastri modo impositæ, lepras, impetigines, scabrosque ungues.' Sic enim melius legetur quam ut Hermolaus castigavit, qui pro *cherias*, ut antea in codicibus excusis legebatur, *melicerias* ipse substituit. Quod etsi Dioscorides quoque scribat, tamen accedenti ad alteram ejus sententiam, de antiquissimi et emendatissimi codicis scriptura, nullus relinquitur dubitationis locus. Esse autem lichenas Græce, quæ a Latinis impetigines dicantur, apertius est quam ut expositione egeat. *Pintian.*

Radice meliceridas et lepras curant] Agnosco *meliceridas*, XXI. 20. extremo. Psellus περὶ καινῶν ὀνομάτων τῶν ἐν νοσήμασιν· Μελικηρὶς, ἀπόστημα σώματι χλιαρῷ ἐοικός. Sed hic qua-

tuor scripti, *Radice cherias*, ut erat vulgo ante Hermolaum Barbarum. Princeps liber, *Radici licherias et lepras curant.* Forte *lichenas.* Sic XXI. 19. 'Lichenas et lepras et furfures in facie emendant.' XXII. 22. 'Urinam ciere præcipue traditur, sanare lichenas et lepras ex aceto.' Ibidem: 'Xenocrates et lichenas et psoras radice in aceto decocta tolli dicit.' Ubi Vossianus: *Xenocrates et lichenas, psoras, lepras radice, &c.* Vide XXVI. Monuerat et Pintianus. *Gron.*

Poto vino et lienes] Cum aceto, Dioscorid. Legit Cornarius, *Semine poto e vino lienes, &c.* Dioscorides vero habet: 'silvestris (nempe mollis) et oxylapathi, oxalidis semen ex aqua aut vino bibitur contra dysenterias, cœliacos affectus, stomachi fastidia,' &c. nulla lienis facta mentione. *Dalec.*

Et urinam ciet] Menses. Dioscor. *Idem.*

Et erga dysentericos effectu, potum ex vino] Ut intelligamus hoc quoque differre a reliquis lapathi generibus, quod peculiarem vim contra dysenteriam habeat. *Gelen.*

CAP. XXII. *De sinapis tribus generibus, et marrubio, et serpyllo, et sisymbrio, sive thymbræo, et de lini semine, et blito.*

In sativis tria genera diximus] Lib. XIX. c. 8. *Dalec.*

Contra pituitam tenetur in ore] Mansum capitis pituitam elicit. ἀποφλεγματίζει. Diosc. *Dalec.*

Ad uvam gargarizatur, &c.] Ad tonsillas, diuturnasque et callosas arteriæ scabritias succus mixtus cum mulsa gargarizatur. *Idem.*

Item comitialibus tepidum cum succo cucumerum] Vossiani duo *tepidus*; melior, *comitialibus tedis cum.* Lege, *tædiis.* Sic utitur eo vocabulo XXIII. 1. 'Utique ulcerum phagedænis et gangrænis tibiarumque tædiis cum sale illinuntur.' XXIV. 10. 'Succus hederæ tædia narium graveolentiamque emendat.' XXVI. 1. 'Causticis namque curabatur, ni usque ad ossa corpus exustum esset, rebellante tædio.' Eodem lib. cap. 13. 'Taminia quidem in aceto decocta etiam vestes eo tædio liberat.' *Gronov.*

Conversione] Strangulatu. Diosc. *Dalec.*

Est autem id semen ex seseli] Tordylium quidam Creticum seseli vocant. Diosc. *Idem.*

Et si vehementior somnus] Vox *somnus* non est in optimo conspicua. Ut suspicer eam insertam, postquam vocabulum præcedens sic corruptum edi cœpisset; Plinio autem fuisse: *Et si veternus lethargicos premat.* Gronov.

Per duplices pannos] Inter duplicatum pannum. *Dalec.*

Exit et e cauliculo succus lacteus] Falsum hoc; non enim planta hæc lacteum succum fundit. *Idem.*

Sinapis naturam, &c.] Lege: *Sinapis naturam effectusque eosdem habere traditur Adarci instar salis coacta, in cortice calamorum nascens.* Salmas. pag. 1301. a.

Inter silvas tacta, &c.] Lib. XVI. c. 36. quo tractantur arbores in silvis nascentes. Inepte Plinius et illic et hic ardacen inter plantas memorat. Vide supra XVI. 36. et infra XXXII. 10. circa finem. *Dalec.*

Qui sanguinem rejecerint] Tabidis. Diosc. *Idem.*

Scopis] Fasciculis manualibus. *Id.*

Et virilium vitiis, &c.] Folia cum melle illita sordida ulcera purgant, nomas sistunt. Diosc. *Idem.*

Ad tussim siccam efficacissima est] Ob humoris crassitiem. *Idem.*

Gangrænas et pterygia] Cancrum esse gangrænam putat Nonius, quamvis eas ægritudines medici distinguant. Lucil. Sat. lib. I. 'serpere uti gangræna malum atque Herpes ita posset.' Varro περὶ ἐξαγωγῆς: 'Non vituperamus, cum sciamus digitum præcidi oportere, si ob eam rem gan-

græna non sit ad brachium ventura.' Idem lib. II. de Vita Pop. Roman. metaphorice : ' Quo facilius animadvertatur per omnes articulos populi hanc mali gangrænam sanguinolentam permeasse, nempe morum labem et corruptionem.' *Idem.*

Morbo regio] Naribus morbum regium purgat. Diosc. *Idem.*

Vomicas rumpere] Internos abscessus. *Idem.*

A serpendo putant dictum] A serpendo putant dictum, quod in sativo evenit in petris maxime. (a maceriis demissum prolixius crescit. D.) silvestre ac voluntarium non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit. Sativum origano simile foliis ramisque, sed candidioribus. Dioscor. *Idem.*

Sed ad palmi altitudinem increscit] Parvi: nimirum ad quatuor digitorum, sive trium pollicum altitudinem. *Idem.*

Et contra marinorum venena, &c.] Leporis, draconis, pastinacæ, &c. *Idem.*

Illinitur temporibus] Καταβρέχεται Dioscor. *affunditur.* Idem.

Desideria] Ardores, phlegmonas. Dioscor. *Idem.*

Ad cruentas excreationes] Dioscoridi cruentos vomitus sedat ejus succus, ad drachmas quatuor potus ex aceto. *Idem.*

Sisymbrium silvestre a quibusdam] Sisymbrium a quibusdam appellatum silvestre serpyllum. *Diosc.* Apud Aristophanem sisymbrio sponsi coronantur hilares alioqui, et nuptiarum expectatione læti, unde νυμφίων βίος, solutus et voluptarius, ὑμεῖς μὲν ἄρα ζῆτε νυμφίων βίον. Rhod. XXVIII. 24. *Idem.*

Simile nasturtio est] Gustu, Diosc. *Idem.*

Utrunque efficax] Prius, Diosc. *Id.*

Quod in sicco ortum, &c.] Quod in sicco ortum menthæ hortensi simile est, odoratius, latiore folio, et coronis inseritur. Dioscor. *Idem.*

Utraque capitis] Prius, Diosc. idque folio fronti et temporibus illito. *Idem.*

Cutisque vitia] Ephelidas, maculas sole contractas, et lentigines in facie. Diosc. *mulierum* non addit, atque id de posteriore. *Idem.*

Movet urinam cum vino potum] Utrumque et mox, silvestre, prius. Dioscor. *Idem.*

Quos vigilare opus sit] Somnolentos, veternosos, lethargicos. *Idem.*

Cutis vitia emendat] Ephelidas, et varos, crudum illitum cum nitro et fico. Dioscor. *Idem.*

Epiphoras cum thure] Omnem inflammationem cum aqua, melle, exiguo oleo, aut cum melle cocto. Dioscor. *Idem.*

Membranas mitigat] Inflammatas. *Idem.*

Iners videtur ac sine sapore] Εὐηθὲς, εὐτελὲς, μωρὸν λάχανον. *Idem.*

Unde convitium fœminis, &c.] Βλιτάδες eæ dicuntur, εὐτελεῖς. Plauto ' luteæ ' et ' bliteæ,' a luto et blito. Catullus : ' Non assis facies, o blitum lupanar,' id est, meretrix fatua. *Scalig. in Varr.* Plautus in Trucul. ' Blitea et lutea est meretrix, nisi quæ in vino sapit, ad rem suam.' Lutea contemptissima, nullius pretii, e luto facta : βλὰξ, *stolidus, ineptus, insulsus :* βλιτὰς γυνὴ Snidæ *iners, stupida, fatua :* βλιτομάμας Aristophani, *stolidus more puellulorum.* Inde vox Gallica, *Belitre.* Idem.

Ventrem adeo turbat] Theopompus comicus apud Athen. lib. XIV. Παῦσαι κυβεύων, μειράκιον, καὶ τοῖς βλίτοις Διαχρῶ τὸ λοιπόν· κοιλίαν σκληρὰν ἔχεις· Τὰ πετραῖα τῶν ἰχθυδίων ἀπέσθιε. Victorius III. 18. *Idem.*

CAP. XXIII. *De meu, et fœniculo, et hippomarathro vel myrsineo, et cannabi, et de ferula, et carduis.*

Myrsineo] Al. *murrhineo*, vel *murrhino.* Dalec.

Duo genera ejus] Macedonicum scilicet et Hispanicum. Non quidem ea duo diversa genera sunt: cæterum iis in locis plurimum gignitur. *Idem.*

In Athamante reperiatur] Monte Phthiotidis Thessaliæ, supra IV. 8. *Idem.*

Radice trita vel decocta] Citra coctionem. Dioscor. *Idem.*

Vesicæ vitia] Farctæ ac præclusæ. Dioscor. *Idem.*

Unde intellectum est, &c.] Nicander in Theriacis: μαράθρου δὲ ἐ νήχυτος ὄρπηξ Βοσκηθεὶς ὀκύν τε καὶ αὐγήεντα τίθησι. *Idem.*

Caule turgescente] E scapo, foliis, viridi semine, ramulis, et radicibus prima germinatione. Dioscor. *Idem.*

In Iberia] In Iberia caulem medium, dum floret, rustici demetunt, et igni admovent. Calfactus is *succum lacteum*, ὀπὸν, exudat gummi similem, altero succo efficaciorem ad oxydercica et ocularia medicamenta. Dioscor. Confuse et perturbate hoc Plinius. *Idem*

E lacrymis fit] Gummoso liquore, quem igne vicinus caulis veluti lacrymatur. *Idem.*

Quin et panis crustis subditur] Ut ammi, melanthium et anisum. *Idem.*

Stomachum dissolutum astringit] Stomachi fervorem extinguit. *Idem.*

Ex aqua tritum sedat] Frigida potum. Dioscor. *Idem.*

Ventrem sistit] Hippomarathron radice aut semine poto. Dioscor. *Idem.*

Mammas replet] Si sativi coma, vel semen cum ptissana sumatur, aut si hippomarathri foliorum decoctum hauriatur. Dioscor. *Idem.*

Renes purgat] Renum doloribus prodest. *Idem.*

Ardentibus ex aceto] Ex incendio factis, vel carbunculis. *Idem.*

Calculos vesicæ pellunt] De Hippomarathro id Dioscor. *Idem.*

Verendis amicissimum] Tumentibus, ulceratis, pruriginosis. *Idem.*

Vesicæ cum vino leni] Stranguriæ. Dioscor. *Idem.*

Petridius qui Ophiaca scripsit] Scribendum *Petrichus*, non *Petridius*, ut supra ostensum est, ex Nicandri interprete et antiquo exemplari. *Pint.*

Et Miction qui Rhizotomumena] Scribo *Micton*, non *Miction*: et *Rhizotomica*, non *Rhizotomumena*, ex Nicandri interprete, in Theriacis Mictonem citante in Rhizotomicis. *Idem.*

Cannabis] In vetusta inscriptione sepulchri Patavini legitur *Canabetum* simplici *n*. Ea sic habet: 'Inferendi, in area humandi, sepeliendique jus potestasque esto: ut huic areæ, quam ego definii, et a fronte maceriam duxi, et titulum posui, ultra eam aream et maceriam in fronte in agro versus late P. X. retro usque ad Canabetum huic areæ cedet, in qua pedatura neque humari, neque tumulum fieri volo, ut habeat ea area et a latere accessum suum.' Brissonius II. 16. *Dalec.*

Succus ex eo vermiculos aurium] Cannabis recentis decoctum expressa valide herba, piscatores terrestrium lumbricorum cavernulis effundentes eos statim evocant. Ejusdem succus, aut decoctum, tineas equorum ventri inhærentes ejicit et necat. *Idem.*

Tantaque vis ei est] Cum Plinius legisset cannabis silvestris virgas esse althææ similes, oscitanter et incogitanter cannabi tribuit, quod althææ proprium est, ut aquam spisset, quod antea traditum est, c. 21. *Idem.*

Alvo succurrit] Concitatæ. Dioscor. *Idem.*

Ambustis cruda illinitur] Inflammationes mulcet illita, et tumores discutit. Dioscor. *Idem.*

Radix] Medulla, Dioscor. *Idem.*

Ex oleo autem et aceto] Sudores ciet, cum oleo peruncto corpore. Dioscor. *Idem.*

E viridi ferula ramusculus] Herm. Barbarus, *E viridi ferula musculus*, subjicit, tanquam ex Dioscoride, apud quem est ἐντεριώνη. insuper esse codices notat, in quibus *medulla* scribatur, non *musculus*, neque *ramusculus*. Vere ille quidem utrumque: quamvis Dioscorides alium effectum ei medullæ tribuat, quam hic Plinius. Verba III. 91. Τούτου χλωροῦ ὄντος ἡ

ἐντεριώνη πινομένη αἱμοπτοϊκοὺς καὶ κοιλιακοὺς ὠφελεῖ. At Plinii in membranis, Chifletianus, *Et viride merulla vultuis utile est:* quatuor nostri, ut fere ex alio notant: *E viridi medulla vultui utile est et ad omnia ejus vitia:* Vossianus antiquior, *E viridi medulla vultuis utile est ad omnia ea vitia.* Scribendum censeo, *E viridi medulla vulvis utilis est ad omnia earum vitia;* nisi etiam *utile* malis retinere, ut 'Triste lupus stabulis.' *Gronov.*

Ad sanguinem sistendum] Ad cruentas excreationes medulla pota confert, naribus indita sanguinem erumpentem sistit. Dioscor. *Dalec.*

Radicis succum] Sagapenum, quod imo caule ad radicem vulnerato fluit. Dioscor. *Idem.*

Silvestrium genera sunt duo: unum fruticosius a terra statim: alterum unicaule crassius] Hoc *μονοστελεχὲς* et *μονόκαυλον* Theophrasto, illud *θαμνώδες ταῖς ῥάβδοις.* Immemor ergo sui Plinius *fruticosum* heic pro frutectoso posuit. Frutectosa est ebenus, quam *θαμνῶδες δένδρον* ideo vocat Theophrastus. Vide Salmas. pag. 1081. b.

Unum fruticosius] Scolymus Theophrasti, qui infra describitur XXII. 22. 'Frutex est nunquam cubitali altior,' &c. *Dalec.*

Alterum unicaule crassius] Scolymus Dioscoridis. *Idem.*

Celeriter canescentem] Marcore candicantem, ob id *γῆρια, γηρύμους*, et *γηράματα* Græci, ut pappos Latini vocant. Rhodig. VI. 7. *Idem.*

Ut mares gignantur] Medicorum vulgus Chamæleontæ, id est, silvestris cardui florem, ad conceptus efficacissimum esse putat. *Idem.*

Ita enim Chæreas Atheniensis scripsit, et Glaucias qui circa, &c.] Brevius in antiquo exemplari, *Ita certe Glaucias scripsit qui circa, &c.* reliqua superfluunt. *Pintian.*

Manducatus carduus odorem commendat oris] Lege, *Mastiche cardui silvestris odorem commendat oris.* Salmas. p. 228.

Odorem commendat oris] Radix illita, et decocta, in vinoque pota, totius corporis et alarum graveolentiam emendat. *Dalec.*

CAP. XXIV. *Theriacæ compositio, medicaminis Antiochi.*

Sed discessuri ab hortensibus] Sic Gelenius, cum legeretur, *ante discessum.* Acad. Gud. Vossiani tres, *hortensis.* Scribendum *hortensiis.* Sic enim solet. XIX. 6. 'Hortensiis omnibus fere singulæ radices;' et cap. 8. 'Beta hortensiorum levissima est.' XXI. 15. 'Batin hortensiam.' Sic enim Voss. Chiflet. Pintiani, ubi vulgo *hortensianam.* XXII. 24. 'E floribus coronamentisque et hortensiis.' XXVI. 8. de crethmo: 'Speciesque est batis hortensiæ.' Sic plane Voss. ut et Chiflet. ubi etiam editum *hortensis.* Gronov.

Incisam lapide versibus in limine ædis Æsculapii] Academ. Gud. Men. *in limine dei Æsculapii.* Andegav. *versibus limine dee esculapis;* et super *τὸ limine* notatum, *vel line.* Modestius, quam postea, tentatam veterem scripturam agnoscere licet, quæ superat in sanctiore: *versibus et linedea esculapi.* Hinc illud *limine* natum, quod ignoravit Plinius. Forte scribendum, *incisam lapide versibus VI. in æde Æsculapii.* Idem.

Serpylli duum denariorum pondus: opopanacis et milii, &c. digeruntur in pastillos victoriati pondere] Vides *denarium* pro drachma, *victoriatum* pro tribus obolis. Sic et XXI. 22. et XXIX. 1. Sic cap. 4. et 6. et 10. XXX. 14. et 15. Sic 'duæ sextæ denarii,' pro duobus obolis. Vide Gronov. de Sestert. p. 195.

Milii] *Mei*, ex Galeno l. II. de antidotis. Hujus remedii alia descriptio est apud Plinium Medicum l. III. cap. pen. *Chifflet.*

LIBER XXI.

PROŒM. *De natura florum et coronamentorum.*

CAP. I. *De mira florum varietate.*

De natura florum] Theophr. Hist. VI. 6. et VII. 8. Plutarch. Conviv. Quæst. lib. III. Athen. lib. XV. *Dal.*

Cato] Cap. 8. *Idem.*

Pingere] 'Tot fuerant illic, quot habet natura colores, Pictaque dissimili flore nitebat humus.' De campis Ætnæis, in quibus rapta Proserpina est. *Idem.*

Ideoque sæcula annosque tribuit iis. Flores vere odoresque in diem gignit] Secus in codice vetere: *Ideoque sæcula annosque tribuit. His vero flores odoresque, &c.* ut pronomen *His* referat coronamenta: et paulo post *celerius*, non *celerrime*, in eodem habetur. *Pintian.*

Sufficiente imagini colorum reddendæ, misturarum] Annotant e Vett. *sufficit:* tum *mixturarumque.* Academ. *reddendo mixturarumque.* Gud. et Voss. duo, *reddendæ mixturarumque.* Optimus *sufficienti;* dein, *reddendæ et mixturarumque.* Suspicor, *Sed ne pictura quidem sufficiens imagini colorum reddendæ est mixturarumque varietati.* Gronov.

Sive alterni atque multiplices, &c.] Lege: *Sive alterni atque multiplices inter se nectantur, sive privati generis funiculis, in orbem, in obliquum, in ambitum.* De florum varietate et mixtura, multiplicique usu in coronis nectendis loquitur, quorum imagini exprimendæ nec pictura sufficit, sive alterni et multiplices nectantur inter se, sive privati generis funiculis in orbem, in obliquum, in ambitum. Sequens caput sic incipere debet: *Quædam coronæ per coronas currunt: tenuioribus utebantur antiqui, stroppos appellantes, unde nata strophiola.* Nihil hæc ad flores, aut e floribus coronas: duæ aut tres tæniæ invicem tortæ coronam faciebant, quam vocabant *stroppum.* hoc est, quod ait, *quasdam coronas per coronas currere;* nam totidem coronæ, quot tæniæ tortæ. addit: *Cum vero e floribus fierent, serta a serendo serieve appellabantur:* a serie, id est, ordine, vel a serendo *serta* dicebantur coronæ, quæ e floribus fiebant. *Salmas.* pag. 371. a. Vel sic lege: *Sive alterni atque multiplices inter se nectantur: sive pro brevitate generis funiculis in orbem, &c.* Vide Salmasium pag. 1068. b.

Sive privatis generum funiculis] Bis tentavit hunc locum Salmasius ad Solin. p. 371. reddit *sive privati generis funiculis;* p. 1068. *sive pro brevitate generis funiculis;* quod sit in Thuaneo, *privati generis.* Nostri quinque *generum,* sed ἀμόμων ille *privati.* Vide an fuerit: *sive alterni atque multiplices inter se nectantur, sive privorum generum fasciculi, in orbem, in obliquum, in ambitum.* Eam enim vocem huic rei aptarunt. Cicero Tusc. l. III. 'Fasciculum ad nares admovebis.' Tertullianus: 'Coronam si forte fascem existimas florum per seriem comprehensorum.' *Gronov.*

CAP. II. *De strophiolo serto, et qui primum flores miscere cœperint, et quando primum corolla inventa est, vel appellata, et quare.*

Quando primum] Janum omnium

primum nummum percussisse, rates et naves invenisse, coronas reperisse, illisque fuisse usum, tradit Athenæus lib. xv. ac ideo multas civitates Italiæ ac Siciliæ in sua pecunia altera parte bicipitem eum cudere, altera vel navem, vel ratem, vel coronam. Victor. xxxvi. 16. *Dalec.*

Strophia appellantes] Strophium nunc corona est: Virg. in Copa: 'Et gravidum roseo necte caput strophio:' nunc fascia pectoralis, quæ tumorem papillarum cohibet, Nonio. Turpilius: 'Me miseram quid agam? inter vias epistola excidit mihi, infelix inter tuniculam et strophium quam collocaveram.' Plaut. in Aulul. 'Pro illis crocatis strophiis, sumptu uxorio.' Brod. iv. 11. *Strupos*, vetus. 'Strupum' et 'stropum' antiquitas coronam dixit. Festus. Turn. xxix. 1. Strophia ἀπὸ τοῦ στρέφειν, *a contorquendis* floribus dum conseruntur et connectuntur. *Idem.*

Inter sacra tantum] Quæ coronati peragebant. *Idem.*

E floribus fierent serta] Apud Apul. Asini lib. x. Gratiæ et Horæ Venerem Deam suam propitiant jaculis floris serti, et soluti. Coronas ex floribus στεφάνους ἰοθαλέας Philoxenus vocat apud Athenæum lib. ix. pag. 208. vs, 5. Apud eundem στορωνοὺς Dromon vocat, quæ singulis conviviis dispertiebantur. *Idem.*

In sacris certaminibus] Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροι, Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων· Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο· Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς. Ludi ii et sacra certamina fuerunt, Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia. *Idem.*

Accendere Sicyonii] Strabo in Brutiis, circa Vibonem, agrum scripsit tanta florum copia scatere, ut eo collectura Proserpina e Sicilia diverterit, et coronæ e floribus illic primum textæ sint. Ennius in Sotadico apud Varronem: 'Ibant malacam viere Veneriam corollam,' nempe apud Hephæstionem, ποίης τέρεν ἄνθος μαλακὸν ματεῦσαι. *Scalig.* in *Varr.*

Coronariæ] Strophiarios vocat Plautus, strophiorum, id est, coronarum, artifices. *Idem.*

Atque in primis appellata Stephaneplocos] Vossiani tres, Acad. Gud. *Stephaneplocos.* Ut et Græcis Στεφανηπλόκος. xxxv. 11. 'Quæ e nobilissimis ejus tabula appellata Stephaneplocos.' Sic iidem Mss. *Gronov.*

Ramento e cornibus tincto] Idem fit hodie pennis gallinarum albis, cujusque floris et colorem et figuram imitantibus: idem fit charta picta ac concisa, singulos flores repræsentante. Idem fit et a Vestalibus præsertim Italicis, sericeis filis germanum floris colorem, nativamque figuram exprimentibus. *Idem.*

Postquam e lamina æres tenui] Optimus, *e lamna;* non enim *lamna*, quod ex corruptis libris adamavit Gifanius. xxxi. 6. 'Denaria appellatur, cujus lamnæ latitudo,' &c. Ubi male codex Pintiani, *lamina.* xxxiii. 5. 'Cadmia æris massis, alumen lamnis.' Ejusdem libri cap. 7. 'ferri candentis lamna.' cap. 9. 'Lamnas duci et specula fieri.' xxxiv. 8. 'Coronarium tenuetur in lamnas.' cap. 18. 'Adalligatisque lumborum et renium parti lamnis frigidioribus.' Et, 'lamna pectori imposita.' Et, 'Uritur autem in patinis per lamnas.' Sic omnibus his locis Vossianus. *Gronovius.*

CAP. III. *Quis primum coronam foliis aureis et argenteis dedit, et de honore coronarum apud antiquos, et de Scipionis honore, et de pactilibus coronis, et Cleopatræ reginæ facto.*

Crassus dives] Eum creditoribus suis decoxisse posthac tradit xxxiii. 10. quemadmodum et Valer. vi. 11. *Dalec.*

Lemnisci] Magius ii. 17. *laniscos* legi vult, quod urnarum et sepulchrorum serta lanis coloriis, et tæniis or-

narentur, ut antiquissimum coronarum genus lanearum fuit, quas in sepulchris tænias multis sculptas videmus, interdum striatas. Cæcilius in Androgyno, 'Sepulchrum plenum tæniarum.' Plutarchus in Philopœmene defunctorum urnas tæniis cingi et redimiri docet. Supra, XVIII. 2. Spiceam coronam alba vitta Acca Laurentia collocavit. Varroni de Ling. Lat. lib. VI. infulæ dicuntur, quasi infilæ, quod intra hostiarum cornua velamenta e lana adderentur. 'Itaque nunc,' inquit, 'cum ad sepulchrum frondes et flores ferunt, lanas addunt.' Hæc quidem Magius πιθανὸς καὶ ἀξιοπίστως: verum si e lana lemnisci forent, quod ait Plinius, cælari non possent, nisi quis sic existimet, quod e lana principio fuit, ex ære postea, auro, argentove factum. Apud Germanos coronæ sponsarum lemniscos etiam nunc habent, nempe undique pendentia foliola aurea, nunc cælata, nunc rudia, quæ Galli vocant *paillettes*, veluti paleolas. Festo, Lemnisci fasciolæ colorisiæ dependentes ex coronis: sic dictæ quod antiquissimæ fuerint laneæ coronæ. *Idem.*

Propter Hetruscas] Tertullianus Hetruscas duas ex auro, quæ in triumphis ferebantur, describit, alteram civicam quernam, alteram victricem lauream. 'Coronant,' inquit, 'et publicos ordines laureis publicæ causæ: magistratus vero insuper aureis, ut Athenis et Romæ. Præferuntur etiam illis Hetruscæ. Hoc vocabulum est coronarum, quas gemmis et foliis ex auro quercinis ob Jovem insignes ad deducendas tensas cum palmatis togis sumunt.' Ac rursum: 'Triumphi laurea foliis struitur, hæc adumbratur lemniscis, et inauratis laminulis, unguentis delibuitur,' &c. *Id.*

Bracteasque] Id est, exiguos appendices squamulis similes cælatos. Intelligendum P. Claudium Pulchrum non tantum coronis addidisse lemniscos, sed etiam pro philyris pendulis quibusdam velut tæniis ac fasciis adtexuisse adnexisseque bracteas aureas, vel argenteas. Legendum puto, *bractearumque etiam philyras dedit.* Idem.

Per ludos] Ludos Consuales significat a Romulo institutos in honorem Neptuni equestris, qui artem equitandi docuit. Illis equi ac muli, tum juncti, tum soluti, magno spectatorum studio, per circum decurrebant, mulusque pro victima sacrificabatur. Alii Equitia intelligunt ab eodem reperta, quæ in Martio campo celebrabantur. Vide Alex. ab Alex. v. 26. *Idem.*

Et servos suos quique mittebant] Lege: *Servos suos equosque mittebant. Inde illa XII. tabularum lex: Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus, virtutisve ergo duitur ei*, pro *detur* ἀρχαϊκῶς. Addit Plinius interpretans verba legis: *quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit.* Et post sequitur: *dum intus positus esset;* dele *intus:* coronam igitur virtute partam et ei qui peperisset, et ejus parenti sine fraude esse impositam lex jubet, et dum *positus* est, id est, collocatus, et dum foris effertur. Tota ergo lex ita fuit concepta: 'Qui coronam parit ipse pecuniave ejus, virtutisve ergo duitur ei, ut ipsi mortuo parentique ejus, dum positus escit, forisve feretur, sine fraude siet imposita.' *Salmas.* p. 122.

Qui coronam] Hic duplicis coronæ mentio fit. Prioris, virtute partæ: de qua Cicero libris de legibus: 'Jam illa significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam, et ei qui peperisset, et ejus parenti sine fraude esse lex impositam jubet,' &c. ¶Posterioris, quam pecunia comparasset, nimirum vel equus vel servus, superiore minus honorata et laudata. Imperator Alexander civilium munerum vacationem iis non permisit, qui æmulis corruptis et redemptis coronati

fuerant. Rævardus c. 15. in leg. XII. Tabul. qui sic interpretatur, eum argui, vituperari ac reprehendi, qui pactione coronam sit adeptus, virtutis ergo, ne id fraudi sit iis, qui virtutem citra dolum quærunt. Quod autem pertinet ad mortuorum coronas, Servius adnotavit, olim cadavera per dies septem domi servari solita, rogo dari octavo die, sepeliri nono. Turneb. XXIX. 1. legit *dividitor*, id est, detrahitor, adimitor, si pactione adeptus sit, non virtute. Veteribus 'dividia' tædium fuit, 'dividus' actio apud Nonium, separatus. *Dal.* *Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus virtutis ergo arguitur*] Vetustum exemplar, *qui coronam parit, ipse pecuniave ejus virtuti suæ ergo dividitur ei.* Scribendum reor: *Qui coronam parit, ipse pecuniave ejus, virtutis suæ ergo duitur ei;* ut sit antiquo more dictum *duitur*, pro *datur;* nam Sexto Pompeio auctore *duis* dicebant pro *dederis.* Pintian.

Parit] *Pacit, pactione acquisiverit.* Rævard. c. 15. in leg. XII. Tab. Plinium tamen legisse *parit*, ostendunt sequentia verba, 'Pecunia partam,' nisi 'pactam' legas. *Dalec.*

Virtutis ergo arguitur] Vexatissimus locus. Voss. duo, Acad. et Gud. *virtutisve arguitur.* Turnebus Advers. XVIII. 29. in quibusdam libris ait reperiri, *virtutisve ergo dividitur ei;* in quo literam unam mutat, ut sit *dividitor;* vel conjicit *inditor ei.* Gifanius Lucretiano Indice, in 'arlabitur,' *arduitor* seu *ei arductor.* Quod et Lipsio placuit Ep. Q. IV. 27. Vossianus primus, *virtutisve ergo duitur ei.* Sic manus vetustissima. Sed sollicitavit eam posterior, et ex *d* fecit *g*, relicta tamen, ut satis appareat, exstante virgula. Itaque scribas censeo: *Qui coronam parit ipse pecuniave ejus, virtutis suæ ergo duitor ei.* Ut fere Pintianus et Salmasius ad Solin. p. 122. quibus hoc testimonium præbendum erat. *Gronov.*

Ut ipsi mortuo parentibusque ejus, dum intus positus esset, forisve, &c.] In vetusto codice, *merito* legitur, non *mortuo:* et *impositus*, non *intus positus.* Quid si legas non *impositus*, sed *in potibus*, hoc est, in conviviis; ut infra hoc capite: 'In potu atque hilaritate præcipue odorum vi surrepente.' *Pintian.* *Ut ipsi mortuo, &c.*] Græcis mos etiam fuit coronatos mortuos efferre. Cicero in Orat. pro L. Flacco, Smyrnæorum plebiscito decretum fuisse narrat, ut mortuus Castricius in oppidum introferretur, quod aliis non concedebatur; deinde, ut ferrent ephebi; postremo, ut aurea corona imponeretur mortuo. Apud Aristophanem, *ἐν Ἐκκλησιαζούσαις*, maritus uxorem increpans, quod se in lectulo dormientem, veluti cadaver, reliquisset: *Ὤιχου καταλιποῦσ᾽ ὡσπερεὶ προκείμενον, Μόνον οὐ στεφανώσασ᾽, οὐδ᾽ ἐπιθεῖσα λήκυθον.* *Dalec.*

Positus esset] Græcis est *προτίθεσθαι*, de cujus verbi notione et prisca consuetudine vide quæ notata sunt supra ad XVI. 11. *Idem.*

Ex auctoritate senatus in carcerem adductus] Antiquum exemplar *missus*, non *adductus.* Confirmant eam lectionem verba quæ statim sequuntur: 'non ante finem belli emissus est.' *Pintian.*

Marsiæ coronam] Marsias Liberi patris minister in civitatibus libertatis fuit indicium. *Dalec.*

Appellavit tribunos plebis] Voss. *plebi;* ut Livius, alii passim. XXVIII. 9. *Drusus tribunus plebei* Chifl. et Voss. idem. *Gronov.*

Nec intercessere illi, &c.] Sensus est, Tribunos non intercessisse, sed castigandum censuisse Munatium, severiore et longe alia disciplina Romanorum, quam Atheniensium, apud quos juvenes comessabundi, poti, vino madidi licenter ac insolenter Philosophorum scholas adeunt, illos audituri. Nam corruptissimi et perditissimi fuerunt Atheniensium mores, ut inquit Theopompus apud

Athenæum lib. XII. juvenibus apud tibicines et scorta versantibus, aliquanto grandioribus occupatis in tesserarum lusu et ejusmodi petulantia: universoque populo plus sumptus faciente in publicas epulas ac viscerationes, quam in gubernanda civitate. Eo vero crimen probrosius, quod Philosophis operam darent, quorum monitis ac præceptis revocari debuerant ab ea intemperantia, cum Romæ Philosophi nulli essent, qui juvenes ad virtutem et probitatem erudirent. Putat Cujacius hic significari Polemonem, qui cum, auctore Laërtio, comitatus sodalibus aliquando ebrius ac coronatus scholam disputantis de temperantia Xenocratis ingressus fuisset, ab eo nihil deterrito, sed acrius et animosius rem quam cœperat tractanti, sic est castigatus, et ad saniorem mentem reductus, ut eam vitæ impuritatem perosus, philosophiæ se totum tradiderit, et vita functo Xenocrate ejus scholæ præfuerit. Horat. II. Sat. 'Quæro, faciasne quod olim Mutatus Polemon: ponas insignia morbi, Fasciolas, cubitale, focalia: potus ut ille Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas.' Atheniensium juvenum, faces vibrantium, Erynniumque cultu pavorem incutientium proterviam in Socratem, multa jam nocte a cœna domum redeuntem, narrat Rhodig. XXI. 40. *Idem.*

Ob id erat in tribunatu plebei, &c. Tres hoc in loco errores Plinii annotat nobilissimus et doctissimus Baro Rich. Strein. de Famil. Rom. Cornel.

Flores e prospectu omni sparsit. Et jam tunc, &c.] Rosa, myrto apud Euripidem in Electra et Plutarchum in Aristide, potho apud Theophr. Hist. lib. VI. et aliis omne genus floribus ornata coronataque sepulchra olim fuisse, e multis scriptorum locis cognoscimus. Anacreon Oda in Rosam: *Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ, Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει.* Sophocles in Electra: *Καὶ δὴ λέγω σοι πᾶν, ὅσον κατειδόμην· Ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον, Ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεοῤῥύτους Πηγὰς γάλακτος, καὶ περιστεφῆ κύκλῳ Πάντων ὅσ' ἔστιν ἀνθέων θήκην πατρός.* Serta illa, ut videre est in urnis ac sepulchris antiquis, tæniis laneis coloriis, id est, suo tantum et nativo colore tinctis, implicabantur et nectebantur. Magius II. 17. *Dalec.*

Larium publicorum] Lar apud Plautum in Aulularia: 'Huic filia una est: ea quotidie mihi Aut thure, aut vino, aut aliquo semper supplicat: Dat mihi coronas.' *Idem.*

Ac sepulchrorum] Decemviri olim sustulerunt sumptuosam respersionem, id est, murratam potionem: longas coronas, quibus ornabantur busta, sepulchra, sellæ curules, theatra, currus triumphantium; nam rotundis homines utuntur; et acerras, de quibus adnotatum supra XII. 17. *Idem.*

Summaque auctoritas] Legend. *Summaque auctoritas pactili coronæ, uti Saliorum sacris invenimus sollemnes cœnas. Transiere deinde rosaria, eoque luxuria processit, ut non esset gratia nisi e mero folio sutilis mox petitis ab India, aut ultra Indos. Lautissimum quippe habetur e nardi folio eas dari, aut veste Serica versicolori unguentis madidas. Hunc habet novissime exitum luxuria fœminarum.* Fœminarum luxuria sericæ vestes. Vide Salmas. p. 557. a.

Pactili coronæ] Plectilis meminit Plautus in Bacchidibus: 'Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis.' *πλεκτὸς* Xenophani Colophonio apud Athenæum, *κυλιστὸς* Eubulo comico. Apud Græcos sponsæ, quæ ad virum ituræ erant, ex obviis floribus coronam sibi texebant, quam sub flammeo capiti imponerent. Probrosum enim fuisset emptam gestare. Alex. ab Alex. II. 5. *Dalec.*

Sutiles aliorum sacris invenimus] Leg. *Saliorum.* De horum institutione, ritu, saltationibus, carmine,

ancyliis, et conviviis sumptnosis abunde multa Alex. ab Alex. I. 26. Salius Arcas, Æneæ comes, Saliorum Marti Gradivo sacrorum saltationem instituit. Ab eo dicti Salii. Varro. In denariis Romanis Salius effingitur amictus veste longa, dextra manu caduceum tenens, sinistra clypeum, capite galea tecto prominenti, ad utramque aurem apice oblongo et acuto. Ursinus XXIII. *Idem.*

Rosaria] Coronas e solis rosis. *Idem.*

Mero folio] Merum folium dicit aroma Indicum, non autem floris rosæ folia. *Idem.*

In potu atque hilaritate] In epulis coronatos accubuisse ostendunt Aristophanes in Equitibus, Plautus in Pseudolo. Ovidius: 'Ebrius incinctis philyra convivà capillis Saltat et imprudens utitur arte mero.' Martialis: 'Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo, Lassenturque rosis tempora sutilibus.' Rhodiginus XXVII. 26. et 28. Huc spectat quæstio apud Plutarch. in Sympos. I. 3. An inter pocula coronis et sertis utendum sit. *Idem.*

Odorum vi surrepente fallaciter; scelerata Cleopatræ solertia] Scribendum puto *non fallaciter*, sed *fallacis et*: jungendaque ea verba inferioribus, ut in totum legatur sic: *Fallacis et scelerata Cleopatræ solertia. Namque in apparatu belli Actiaci*; ita enim in codice vetere habetur. *Pintian.*

Fertur pavore ejus lusisse] Sic quidem exemplar antiquum, sed placet magis legatur, *pavori ejus illusisse.* Idem.

En ego sum, inquit, illa chare Antoni] Non *chare* legit idem exemplar, sed *in arce*: lego, *Marce.* Idem.

De floribus extra supra dictos] Romana et Parmensis et reliquæ impressiones non *De floribus* habent, sed *De coronis.* At exemplar nostrum *De floribus* præfert; sicque omnino legendum. Cæterum verba illa mox paulo sequentia, *Flores persequutus est nemo*, emendanda erunt, scribendumque est vice versa, *Coronis persequutus est nemo.* Vocum igitur permutatio facta est; nam si legamus, *flores persequutus est nemo*, quid, obsecro, in libris, quos statim ante memorat, inscriptis Anthologicon, hoc est florilegiorum, tractabatur nisi flores? *Idem.*

De floribus extra supradictos] Annotant in Chiflet. esse *supradictis.* Vereor ne neglexerint observare ibidem abesse *τὸ extra.* Certe sic Vossianus: *de floribus supra dictis.* Andeg. *de coronis supradictis*; sed ita, ut super *τῷ coronis* habeat, vel *floribus.* Legendum autem: *De floribus supra dictos scripsit Theophrastus.* Gronov.

CAP. IV. *De rosa in coronis, et de generibus ejus, et ubi seratur.*

In rubo quoque proveniens] Cynosbato. *Dalec.*

Angusti] Late se non spargentis. *Idem.*

Granoso cortice] Veluti granis asperso et scabro. *Idem.*

In virides alabastros fastigato] Papillatos corymbos vocat Hieronymus. Dehiscentem in calathum fundi aiunt. Rhod. XXVII. 26. *Cohicum* et *conicum* Glossarii auctor vocat *κάλυκα ῥόδου μεμυκότα.* Vide Scalig. in Festum, voce Conivola. *Idem.*

Ac sese pandit, &c.] Lege: *ac sese pandit in calices, medio sui stantes amplexa luteos apices.* Salmas.

Homero teste] Iliados Ψ. *ῥοδόεντι ἐλαίῳ. Dalec.*

Mensarum etiam deliciis] Solebant Romani non solum mensas ad convivia structas, ut nunc fit, rosarum foliis contexere, sed etiam epularum ferculis ea inspergere, tuta et minime noxia voluptate. Quidam exponunt mensas citreas in summis deliciis habitas inungi rosarum succo, qui ob amarorem intactas et illæsas eas servaret a carie et tineis. Heliogabalus in recumbentes convivas per laquea-

ria, velnti per impluvium, rosas effundi jubebat. Quidam et pulvinos tricliniares ac cubitorios rosis farciebant. *Idem.*

Differunt etiam multitudine, &c.] Hæc ex Theophrast. Hist. VI. 6. *Idem.*

Scabritia corticis] Ejus quod infra rosam est asperitas. Theophrast. 'Corticem' vocat corticosum alabastrum, qui semen continet, ut paulo post sequitur. *Idem.*

Lychnis] Quidam inodoratam et pusillam rosam rubram indicari volunt, vere et autumno prodeuntem, quam vulgo vocamus *Damas rouge*. Alii lychnidem Dioscoridis coronariam herbam, flore violæ, purpurascente, a Plinio intempestive recenseri putant inter rosarum genera. Nostrates certe ob similitudinem, quam is flos habet cum rosa, lychnidem vocant, *Passerose.* Idem.

Contenta raris] Scribendum puto, *contenta ruderibus;* unde et statim subjungit, *Proprie ruderatum agrum amat:* legendum *ruderaceum*, non *ruderatum*, ex vetusto codice: et mox paulo *novissima*, non *novissime*, in eodem. *Pintian.*

Caule concisa inseruntur] Malleolis ex caule decisis. *Dalec.*

Et ocellis radicis] De Lilio id Theophrastus Hist. II. 2. *Idem.*

Translatione quoque] Optimus: *tralatione quoque, ut vites, optime ocissimeque provenit.* Idem Chiflet. et Andegav. flagitant. *Gronov.*

CAP. V. *De lilio, tria genera, et ratione ea inserendi.*

Candor ejus eximius] Lege: *Candor ejus eximius, foris striati et ab angustiis in latitudinem paulatim sese laxantis effigie calathi, &c.* Post: *Tertio generi cætera eadem, calix herbaceus:* posuit *herbaceum* pro eo quod in Dioscoride est, κροκῶδες. Lege ergo *helvaceus* pro *herbaceus:* idem mendum infra cap. 19. 'Narcissi duo genera in usum medici recipiunt: unum purpureo flore, alterum herbaceum.' Scribendum, 'helvaceum.' Color *helvaceus* et *helveus* est inter russum et album. Ita Festus: 'Hic plane est melinus et luteus color vel crocus.' *Salmas.* 102.

Tenuique filo et semine] Videtur scribendum *stamine*, non *semine;* ut ex sequentibus paulo infra patet. Item *pilo*, non *filo*, præfert idem exemplar. *Pintian.*

Nascens per frutecta] Ea est, quæ Iasione a Theophrasto, et ab auctore dicitur posthac XXII. 17. et 22. *Dalec.*

Ut hipposelinum] Theophrastus Causs. I. 4. lilio et hipposelino addit et alia quædam, quæ tamen non recenset nominatim. ὀπογενεῖς vocat has plantas auctor librorum de Plantis, qui Aristoteli adscribuntur, cujus vocis loco in exemplari depravato legitur *opigais.* Idem.

In Antiochia et Laodicea Syriæ] Optimus *Laudicea.* Et sic plurimum locutos 'Lautumiæ' apud Ciceronem, Livium, M. Senecam, 'Laudicœni' apud Plin. 'Laudice' et 'Laudamia' apud Justinum, multaque alia, demonstrant. Similiter lib. XXIII. procem. 'maxime circa Antiochiæ et Laudiciæ montes,' idem codex. *Gronov.*

In radice sunt] In caule nulla. *Dalec.*

Tertio generi cætera eadem] Lego, *alteri generi.* Nam tantum duo genera Narcissi sunt: alterum quod florem in medio purpureum habet, πορφυροειδές: alterum, quod croceum, κροκῶδες. Plinius legisse videtur ποῶδες. Idem quod in medio floris extat *calicem* vocat, nullius Græci auctoris exemplo. *Idem.*

Omnes serotini] Uterque Narcissus nobis floret Martio et Aprili. Theophr. lib. VI. cap. ult. alterum genus leirii per autumnum cum croco et silvestri et sativo floret. *Idem.*

Inventa est et in his ratio inserendi] Forte non *inserendi*, sed *inficiendi* legendum est, ut liquet ex his quæ insequuntur, præsertim ex ultimis

capitis verbis: 'Mirumque ita tingi aliquid ut nascatur infectum.' *Pint.*

Colliguntur namque scapi arescentes, liliaque suspenduntur in fumo] Scribo: *Colliguntur namque scapi arescentis lilii, qui suspenduntur in fumo;* tum ex scripto exemplari, tum etiam ex Græco auctore, de Re Rustica, quem alii Constantinum, alii Heronem appellant, Geoponicon lib. XI. qui hoc idem docet eisdem ferme verbis. *Idem.*

Nodulis] *Nodulos* vocat radiculas bulbis similes, quas, ut Cassius prodit, caules in fumo suspensi emittunt. *Dalec.*

Mirumque ita tingi aliquid, ut nascatur infectum] Optimus ablegat τὸ *ita;* neque hujus particulæ in oratione illa ullus usus est. *Gronov.*

CAP. VI. *De violis et de caltha, et de bacchare, combreto, asaro, et croco.*

Earum plura genera] Nicander in Georgicis duo tantum genera facit, ὠχρὸν et χρυσεῖον, *pallidum* et *luteum.* Ἀλλὰ τὰ μὲν σπείροις, τὰ δὲ καὶ ὡραῖα φυτεύοις Ἄνθη ἰαονίηθε· γένη γε μὲν ἴδσι δισσά. Ὠχρὸν χρυσεῖόν τε φύειν εἰς ὦπα ἰδέσθαι Στεῦται. Ἰωνίαδες νύμφαι στέφος ἁγνὸν Ἴωνι Πισαίοις προθέσασαι ἐνὶ κλήροισιν ὄρεξαν· Ἤνυσε γὰρ χλοόνην, μετὰ δ' ἐσσυμένος σκυλάκεσσιν Ἀλφειῷ καὶ λύθρον ἑῶν ἐπλύνατο γυίων Ἑσπέριος, νύμφαισιν Ἰαονίδεσσι νυχεύσων. *Scaliger.*

Plantis omnes, ut olus, satæ] Luteas et albas semine nos serimus, purpureas planta. *Dalec.*

Ia] Μελάνια. Theophr. *Idem.*

Sed sativis maxima auctoritas, &c.] Lege: *E sativis maxima auctoritas luteis. genera Tusculana, et quæ marina appellatur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum vero sine odore minutoque folio Calatina, munus autumni, cæteræ veris. Proxima ei caltha est et concolor. Amplitudine vincit et numero foliorum Marinam quinque non excedentem.* Viola 'Calatina' dicta a Calatia oppido Italiæ. Vide Salmas. p. 1160. b.

Sed sativis maxima] Lege cum Voss. *appellatæ ia, et ab his ianthina vestis. E sativis maxima auctoritas luteis. Genera autem, Tusculana, et quæ marina appellatur.* Simile mendum XX. 18. *Gronov.*

Genera iis Tusculana] Scriptum exemplar, *genera autem Tusculana;* et paulo post *Calatina,* non *Calathiana;* ut forte neutro modo scribendum sit; sed *caltiana,* permutatis literis, a similitudine caltæ, ut sequentia statim ostendunt: nisi quis deduci malit a calatho. *Pintian.*

Calathiana] Calathianam alii esse volunt thylacitidem, a Dodonæo pictam calathianæ titulo; alii ejusdem campanulam. At utraque cærulea est, calathiana vero lutea, si calthæ concolor est; nam caltham luteam esse monstrant hi versus Virgilii et Columellæ, 'Mollia luteola pingit vaccinia caltha,' 'Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha.' Calathianam ego puto esse digitalem luteam, flore luteo, calatho simili; caltham vero nostram calendulam. Dioscoridi caltha chrysanthemum, sive buphthalmos dicitur. *Dalec.*

Proxima ei caltha est concolori amplitudine] Quid, quæso, amplitudo vel spatium ad colorem, aut color ad amplitudinem? Pro voce ultima notant *similitudine.* Sed alteram retinet egregius codex: quod autem præcedit, pro eo habet *conculcari.* Fortassis, *et cochleari amplitudine.* Sic XXI. 27. 'cochleari mensura.' XXIV. 1. de alysi decocta: 'Ex ea et melle prodest magnifice ad tussim et orthnopnœan cochlearis mensura.' Ita enim ibi legendum ex Ms. Vulgo sine sensu: 'Ea et ex melle.' *Gronov.*

Quam scopam regiam appellant] Sideritim quidem esse puto, sed Achilleam, cujus folia odorem multum spirant, non insuavem, verum medicatum, auctore Dioscoride, ut pro 'latissimo folio' XXV. 5. legendum sit 'tenuissimo,' nisi latissimum folium intelligamus totius plantæ comam

latissime se spargentem; nam multis virgis multumque spatii occupantibus ea planta subrigitur. Coronis autem expetitur flos ex albo aureus. Quamobrem inter luteos flores hic a Plinio recensetur. *Idem.*

Unde quidam errore, &c.] Lege, *Unde quidam errore falso baccarida ea appellabant.* Unguenta ex baccaris radice fiebant apud Græcos antiquos, ut Aristophanes testis est. Inde quidam ex Græcis unguenta appellarunt βακκάριδας, errore falso. Mox sequitur, quod ita legend. *et procerius quam baccar, nexui tantum:* dicit combretum nexui tantum esse, id est, ad corollas necti: sic 'vestis amictui,' 'linteum extersui,' &c. Vide Salmas. pag. 1068. a, b.

Nec hæc sunt tantum] Primum verbum redundat ex vetusto codice. Et statim: *Sed eorum quoque error corrigendus est:* rursus redundat particula *sed*, ex eodem. *Pintian.*

Quoniam in coronis, &c.] *Quoniam coronas non ornet:* σαίρειν, *ornare, verrere, mundare:* γῆ σαιρομένη Plutarcho in Catone, *floribus ornatus ager; νεμομένη, pascuus; σπειρομένη, sationalis,* vel *seminalis, arvum; ῥαινομένη, riguus.* Dalec.

Crocum silvestre optimum] Non quidem sponte nascens, agreste, inurbanum, sed exoticum aliunde invectum; Italicum enim fructuosum et quæstuosum non est. *Idem.*

Scrupula usque singula, &c.] Areæ singulæ vigesima quarta parte minus fructus reddunt quam impensæ factum est. Scrupulum vigesima quarta unciæ pars est. Quod si ad drachmam id exigas, cujus scrupulum tertia pars est, sensus est: tertia parte minus fructus percipi, quam impensa constiterit. *Idem.*

Ad scripula usque singula areis decoquentibus] Hoc quid sit, palam se fatetur nescire ὁ πάνυ: inquinatissima esse tantum scire; neque ignorare quomodo explicent: legendum autem omnino, *ad scripula usque singula areis decoquens;* aut, *ad scripula usque in singulos denarios decoquens,* ad Solin. p. 106. Hæc posterior tamen conjectura et explicatio Dalecampii eodem redeunt; nempe tertia parte minus fructuum percipi, quam impensa constiterit; pro tribus, quæ impensa sunt, scripula tantum reddi bina. Hæc multis confutare possem; sed quæramus sensum vulgatæ, quam integram servant optimæ membranæ. Primo *areæ* quid habent molesti? An non ipse restituit XIX. 8. et vere opinor: 'Carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipue, sestertium sena millia e parvis reddere areis?' An non Columella lib. X. 'circum areolas et sepem ducitur horti?' Idem XI. 3. 'Circa Idus Januarias humus refossa in areas dividitur: quæ tamen sic informandæ sunt, ut facile runcantium manus ad dimidiam partem latitudinis earum perveniant: ne qui persequuntur herbas, semina proculcare cogantur; sed potius per semitas ingrediantur, et alterna vice dimidias areas eruncent.' Jam cur non juxta eleganter *areolæ*, quæ male respondent, neque reddunt, quod acceperunt, 'decoquere' dicuntur, atque ipsum crocum? Multis hoc illustrare possem, si ratio scribendi pateretur. 'Decoquere' autem 'ad scripulum,' cum Latine loquimur, non est eo usque, ut scripulum consumatur, sed ut scripulum tantummodo supersit: quemadmodum quod medici jubent 'decoqui ad tertias,' in eo duæ tertiæ consumuntur, una manet; non una consumitur, et duæ restant. Super omnia, qui quodve 'decoquere ad scripulum' dicitur, in eis 'scripulum' non consideratur pro tertia parte denarii, (qui Dalecampii error est,) sed pro quarta et vicesima parte unciæ, assis ducentesima octogesima octava. As est 'area,' vel totum quod seritur in area. Ea area 'decoquit ad singula scripula,' id est,

ad quartam et vicesimam partem unciæ. Hæc Latine, si mens ea Plinio fuit, melius dici non possunt, nec planius. Quod si cui nimium videtur, et 'scripulum' potius pro tertia parte denarii vel drachmæ accipiendum, legerem mitius tractatis verbis et sensu meliore: *ad singula usque scripula denariis decoquentibus*. Quod esset de pondere denarii sato tantum redire scripulum, sive partem tertiam. *Gronov.*

Sativum latius, majusque et nitidius, &c.] Lege: *Sativum latius majusque et nitidius, sed multo lenius; denegans ubique, nec fœcundum, etiam Cyrenis ubi semper flores laudatissimi.* Denegat creditum malus debitor et decoctor: sic crocum non tantum in Italia decoquere areis ejus a quo seritur, sed ubique denegare dicit, etiam Cyrenis, ubi flores laudatissimi. Et paulo infra lege: *probatio sinceri, si imposita manu crepitet, veluti fragile: humidum enim quod evenit adulteratione sidit. Altera probatio, si manu imposita, et relata ad ora leniter faciem oculosque mordeat. Est per se genus sativi blandissimum vulgo, cum sit mediocre: dialeucon vocant. Cum sit mediocre*, id est, cum de optimis non sit. *Salmas.* 107.

Prima nobilitas Cilicio, &c.] Lege: *Prima nobilitas Cilicio, et ibi in Coryco monte: dein Lyciæ Olympo: mox, &c.* Et paulo post scribe: *Crocum silvestre optimum, serere in Italia minime expedit, ad scripula usque singula arcis decoquens.* Seges comparatur debitori, qui si bonum nomen est, cum fœnore reddit quod accepit, si minus creditori suo decoquit. Ita et croci seges areis decoquere dicitur eleganter, quæ impensam domini frustratur. Dicit porro, *ad scripula usque singula;* nimis laxe hoc concipi videtur; lege, *ad scripula usque in singul. X.* in singulos denarios usque ad scripula decoquit: nihil verius. Vide Salmas. p. 106. et 107.

Aliqui Phlegræo secundum locum dedere] Vocem *Phlegræo* agnoscit in Plinio Hermolaus in Corollario Dioscoridis. In archetypo tamen nostro non *Phlegræo* legitur, sed *Heræo*. Legendum puto *Ægæo*, ab Ægis Ætoliæ urbe, ex Dioscoride libro primo, qui primam bonitatem tribuit croco Corycio; secundam Lycio; tertiam ei quod est ex Ægis urbe Ætoliæ. Quare in Plinio malim legere, *tertium locum dedere*, quam *secundum*. Hermolaum autem profiteor me demirari, quin in Dioscoridis tralatione, 'ab Ægybus urbe Ætoliæ' scribat, cum y in secunda et tertia inflexione, non 'ab Ægis,' ut rectius convertit Marcellus: præsertim cum constet ex Stephano et aliis Ægas primi ordinis Ætoliæ esse urbem: Ægys autem tertii, non Ætoliæ, sed Laconiæ. *Pintian.* *Aliqui Phlegræo*] Phlegra oppidum Macedoniæ maritimum. Phlegræus ager Campanus, sive Laboriensis, Puteolis vicinus, fertilissimus panici, farris, rosarum. Ex iis duobus locis, vel alterutro fortassis, crocus nobilis et excellens fuit. *Dalec.*

Si imposita manu crepat] Hoc mediæ ætatis indicium est. *Idem.*

Veluti fragile] Nam fragile Dioscorides improbat. *Idem.*

Medio candidum] Dioscoridi Corycium, quod optimum est: in oblongo calice paululum candidi monstrat. *Id.*

Transferri in locum subactum] Idem fit et passim in Gallia. *Idem.*

Tritum ad theatra replenda] Seneca Epistola xci. 'Hodie utrum tandem sapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat,' &c. Martialis: 'Et Cilices nimbis qui maduere suis;' nempe Cilicio croco. Spartianus in Hadriano: 'In honorem Trajani balsama et crocum per gradus theatri fluere jussit.' Brod. v. 6. Theophr. de Odoribus: 'Ἀλλὰ συμβαίνει τῷ ὄντι καθάπερ ἥδυσμα γίνεσθαι τῷ πόματι τὴν ὀσμὴν, τῷ μέν γε γλυκεῖ καὶ μάλιστα δεομένῳ διὰ τὸ μηδὲν

ἔχειν. Seneca Quæst. Natur. II. 9. id 'sparsionem' vocat. Poëta: 'Pulpita solennes non oluere crocos.' *Id.*

Gaudet calcari et atteri] Nam foliis attritu et calcatu corruptis, et necatis, totum alimentum in radicem absumitur, quæ anno sequenti plenior flores plures et meliores edit: adde et quod radix, alimento turgida, quod in folia exhaustum non est, diutius vivit, et tardius flaccescit. Aliter tamen rusticis videtur, qui studiosissime tum pecus arcent, tum homines a locis croco consitis. Vide Victorium XIV. 8. *Idem.*

Ac fontes lætissimum] Plinius in Theophrasto legit, ἐν τοῖς κρουνοῖς, non, ut legimus, ἐν τοῖς κροτητοῖς. Legit quoque: καταπριβομένης κάτῳ (non κάτω) τῆς ῥίζης. *Turneb.*

Trojanis temporibus, &c.] Priora istius capitis pertinent ad præcedens caput, usque ad *Omnium.* Salmas. pagina 108.

CAP. VII. *De floribus antiquis et de odoramentorum diversitate, saliunca, et polio.*

Quicquid ad meridianas horas diei vergit] Acad. et m. p. Gudianus cum Menap. *die.* Vossianus optimus cum Andeg. *dies.* Ita tuto lege: et notavit olim e suo codice Gelenius; sed spreverunt. *Quicquid dies vergit,* est dictum, ut apud Livium notavimus: 'Quicquid progrediebantur, Quicquid longius proferrent arma.' Plinius ipse XVIII. 17. de medica: 'Quicquid in caule adsurgit, folia contrahuntur.' Quod etiam in superioribus editionibus vexarunt. *Gronov.*

Quia nebulosus et roscidus, &c.] Non consentit hæc ratio cum eo quod scripsit V. 9. Nilum unum omnium nullas auras expirare, quod et Lipsius animadvertit Variarum lib. II. Plinium excusare conatus, sed æquiore animo, quam justa causa. Locus hic e Theophrasto petitus est de Caus. VI. 27. cujus verba hæc sunt: ἐν Αἰγύπτῳ γὰρ χείριστα τὰ ἄνθη, καὶ τὰ στεφανώμαθ' ὡς εἰπεῖν, ὅτι ὁ ἀὴρ ὁμιχλώδης, καὶ δροσοβόλος. *Nam in Ægypto deterrimi flores, et, ut summatim dicam, coronamenta, quoniam aër caliginosus est, multumque roris affundit, &c.* nulla facta Nili mentione, quibus reddendis verbis negligens profecto ac incuriosus Plinius fuit. Ad hoc pertinere videtur quod Aphrodisæus Probl. 1. quærit, Cur in Ægypto æstuosissima regione ψυχρὸς οἶνος γεννᾶται. *Dalec.*

In lilio] Lilio et leirio. Theophr. Causs. VI. 21. *Idem.*

Abrotonum, &c.] Hunc locum e Theophr. Causs. VI. 22. Plinius integrum non vertit, sed truncum ac mutilum, ut ex collatione judicare licet. *Idem.*

Flores triti omnes amariores quam intacti] Lego ex vetusto codice, *Flores omnes triti;* et puto scribendum *acriores,* non *amariores;* de odore enim hic agitur et odoris acrimonia, non de sapore. *Pintian.*

Quin et arborem totam, &c.] Contra Theophrasti judicium, a quo hæc omnia sumpta sunt, hæc Plinius scribit. Locus est Causs. VI. 28. 'Odores autem,' inquit, 'ab invicem nullus fructus, neque pars ulla arboris excipit: ita ut manifestum id sit. Interdum tamen juxta odoratas plantas acria seruntur, ut cæpa et allium juxta coronarias,' &c. *Dalec.*

Quod dictum est] Lib. VIII. c. 10. Plinio noti non erant cercopitheci odorati, qui muscum olent. Idem Alexandri non meminerat, cujus corpus odorem suavem expirabat. *Idem.*

Drilonis et Naronæ] Legendum *Naronis,* non *Naronæ,* ut ostendit Nicandri versus ab Hermolao citatus, et ostendunt omnes geographi, aut, si magis placet, *Narone,* auferendi casu. *Pintian.*

Raphanitis a similitudine] Ea fortassis est, quam Aëtius in emplastro venenatorum astraglitim nuncupat,

et cujus sub eodem nomine Galenus meminit κατὰ τόπους, lib. I. in remediis, quæ faciunt ad calvescentes præter ætatem. Astragalitim vero nuncupant, quod astragali radix velut raphanus grandis sit, et teres. *Dalec.*

Floret diversi coloris specie] Vossianus, ut Pintiani codex, *Floret versicoloris*. Lege, *Floret versicolori specie*. Gronov.

Et fossuri tribus ante mensibus, &c.] Idem fere Theophrastus de panace Asclepio, Hist. IX. 9. *Dalec.*

Natura est fervens] Theophrastus lib. περὶ ὀσμῶν· θερμὴ δὲ καὶ στυπτικὴ ἡ ἶρις· καθ' ὑπερβολὴν δὲ πικρὰ νέα οὖσα, καὶ τὸν χρῶτα τῶν ἐργαζομένων αὐτὴν ἀφελκοῖ. *Idem.*

Jampridem enim et seritur. Nunc e Pamphylia] Legendum forte commutatis verbis, *Jampridem enim et nunc fertur e Pamphylia*. Pintian.

Seritur] In Elide, Leucade, et aliis locis, ubi paratur unguentum Irinum, ut ex Illyrico tantum silvestris petenda non sit. *Dalec.*

Nunc e Pamphylia: sed Cilicium maxime laudatur] Rectius Ms. primicerius: *nunc et Pamphylia*. Dixerat: *optimum antea irinum Leucade et Elide ferebatur*. Significat nunc ne inde quidem desiisse, sed etiam e Pamphylia apportari. Omisit autem præpositionem, ut et ad *Elide*. Deinde idem liber, *sed Cilicum cum maxime laudatur*. Præclare. Pintianus tentabat: *Jampridem enim et nunc fertur e Pamphylia*, commutatis verbis. Nimirum mirabatur ad illud, *e Pamphylia*, subaudiri *fertur*, cum intercessisset, *seritur*. Sed quod est de satione, accipiendum per parenthesin interpositum, hoc modo: *Optimum antea irinum Leucade et Elide ferebatur: (jampridem enim et seritur) nunc et Pamphylia, &c.* Gronov.

Atque Septentrionale, &c.] Legend. *Atque e septentrionalibus saliunca folio quidem subbrevi, et quod necti non possit radici numerosæ cohæret, herba, &c. Alpiumque aprica, urbium Eporedia.* Vide Salmas. p. 1066. b.

Ut metallum esse cœperit] In vectigali et reditu publico censeri non aliter, quam metalli fodina. *Dalec.*

Hesiodi laudibus] Vide posthac c. 20. Theophr. Hist. IX. 21. *Idem.*

Folia ejus mane candida] Hoc Dioscor. de tripolii flore prodidit, cum quo Plinius magno errore polium confundit. *Idem.*

Nunquam palmo altiora] Frutex dodrantalis. Diosc. *Idem.*

CAP. VIII. *De vestium æmulatione cum floribus, et amaranto, et chrysocome, sive chrysiti.*

In quibus unguento vicisse, &c.] Lege: *In quibus unguento vicisse naturam gaudens luxuria vestibus quoque provocavit eos flores qui colore commendantur. Hos animadverto tres esse principales; in cocco qui a rosis micat, et gratius nihil: suspectu trahitur et in purpuras Tyrias dibaphasque ac Laconicas. Amethystum qui in viola: et ipse in purpureum, quemque ianthinum appellavimus; genera enim tractamus in species multas sese spargentia. Tertius est qui proprie conchylii intelligitur, multis modis: unus in heliotropio, et in aliquo ex his plerumque saturatior: alius in malva ad purpuram inclinans: alius in viola serotina, conchyliorum vegetissimus.* Omnium colorum micantissimus coccineus, qualis in nigrante rosa conspicitur; is etiam in purpuris Tyriis ac dibaphis micabat, sed tum cum suspicerentur tantum, et c. 38. ejusdem libri: 'Nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens.' Fulgorem igitur illum nitoremque cocci pariter et rosæ, non habebat purpura, nisi in sublimi posita spectaretur, ita ut suspicienda esset: et hoc est, quod hoc loco dicit, coccineum colorem, qui in rosis micat, suspectu etiam trahi in Tyrias purpuras et dibaphas. *Salmas.* in Tertull. Pall. p. 186. 187. 188.

Hos animadverto, &c.] Lege: *Hos animadverto tres esse principales: ut rubentem in cocco, quia rosis, nigrante gratia: hic trahitur suspectu et in Tyrias dibaphasque, ac Laconicas.* Ita eum locum constituo, libri melioris auctoritate. Tyria ergo purpura suspectu ruborem nitoremque præferebat cocci, cocco porro tincta, rursus Tyrio tingebant, ut fieret hysginum. *Salmas.* p. 273. b.

Unum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil traditur aspectu et in purpuras Tyrias, dibaphas] Locus est vitiatissimus et insanabile cacoëthes. Vetus codex sic legit: *quia rosis migrante gratia nihil trahitur suspectu.* Scribi posset minus fortasse male: *qui rursus migrante gratia trahitur in species. In purpuras, &c.* Pintian.

Unum in cocco qui in rosis micat] Misere affectus locus. Acad. *unum in cocco quia rosis micat grativis gratius nihil traditur aspectu qui et in purpuras tyrias diphasque aut laconicas: alium ametiston quod viola.* Eodem fere modo Menapius. Gud. *unum in cocco quia rosis micat gratius nihil traditur aspectus et in purpuras tyrias diphasque aut laconicas: alium ametiston quod viola.* Vossianus Andegav. *unum in cocco quia rosis micante gratia nihil traditur aspectu, &c. aut Laconicas, alium ametistom quod viola.* Sed his codicibus solis nihil commiserim: nec sunt ex illis, qui possunt ope sua censerier. Fideliores ut Pintiani: *quia rosis migrante gratia nihil trahitur suspectu.* Vossianus hoc amplius: *principales ut rubentem in cocco quia rosis migrante gratia nihil trahit suspectu et in purpuras tyrias dibaphasque ac laconicas: amethistum quæ viola et ipse in purpura eum quemque yacinthinum appellavimus.* Hæc tutior et vera conjecturis semita. Tentabam autem: *Hos animadverto tres esse principales: ut, rubentem in cocco, qui rosis nigrante gratia* (vel, *micante nigritia*) *nihil cedit, suspectus et in purpura Tyria dibaphaque ac Laconica* (sive mavis *purpuris Tyriis dibaphisque ac Laconicis*) *amethystum, qui violæ, et ipse in purpura, eaque quam ianthinum appellavimus; (genera enim tractamus in species multas sese spargentia;) tertius est, qui proprie conchylii. intelligitur multis modis.* Illud *rubentem* confirmatur XXXIII. 1. 'uvas rubentes cocci modo.' Τὸ 'micante nigritia,' vel 'nigrante gratia,' IX. 36. 'Nigrantis rosæ colore sublucens.' Et c. 38. 'Rubens color nigrante deterior.' Ibidem: 'Nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam nitoremque, qui quæritur, cocci.' Item: 'Laus ei summa in colore sanguinis concreti, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens.' Ne quid dissimulem, *trahit* codex optimus literis, sed virgula superposita significat τὸ VR adjiciendum: sed *nihil cedit* reposcit præcedens verbum *provocavit. Suspectus* autem, non quasi non et aspectu placeat, sed quia suspectu magis intelligitur. Jam probavimus. Sed et XXXVII. 10. 'Quando præcellens debet esse in suspectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roseus nitor.' Seneca Nat. Quæst. I. 5. 'Sunt etiam quidam colores, qui ex intervallo vim suam ostendunt. Purpura Tyria, quo melior saturiorque est, eo oportet altius teneas, ut fulgorem suum ostendat.' Cum dicit: 'eaque quam ianthinam appellavimus,' subaudio 'veste,' ex c. 6. 'ab his ianthina vestis;' nam *ianthinum* pro *hyacinthium* Merula et Hermolaus viderunt. Sed fortasse meliora nosces ex Pintiano et Salmasio ad Tertulliani Pallium p. 137. In Solinum p. 273. Octaviique Ferrarii insigni opere de Re Vestiaria par. I. II. 7. *Gronov.*

In viola serotina, &c.] Leucoio purpureo, quod admodum sero florere perseverat. *Dalec.*

Vegetissimus] Id est, vividissimus ac nitidissimus, 'color' subaudi, qui ex conchyliis exprimi ac elici potest. *Idem.*

Flammeis] Flammeum Verrius nuptæ amiculum vocat quo caput tegebat, non a flammæ colore flammeum, sed quia Flaminica, cui divortium facere non licebat, eo assidue uteretur. Eodem modo tegebatur et nupta, ut perpetuo cum viro maneret. Nec hoc tantum, verum etiam in soccis luteo colore utebantur novæ nuptæ, quod his verbis demonstrat Seneca: 'Crura distincto religavit auro, Luteo plantas cohibente socco.' Fascias autem priore versu crurales significat, auro intertextas, quibus tibias et semina obligabant. Magius III. 3. Vide Alex. ab Alexand. c. 2. Reticulis etiam luteis usas fuisse virgines pridie nuptiarum adnotatum est, XXVIII. 9. Tibullus: 'Flavaque conjugio vincula portet amor.' Turn. Advers. XXIX. 32. *Idem.*

Principatum dedit] Nobilioribus aliis, ut purpureo, ianthino, cœruleo. *Idem.*

Summa ejus natura, &c.] Lege: *Summa naturæ ejus in nomine est: appellatio quoniam non marcescat.* Ita dixit, *summa naturæ*, ut 'summa voti:' at eo loco *in nomine est* idem significat, quod 'in fama est.' Et postea scribe *helichrysi*. Sed falsum est eum florem non fuisse in usu Alexandri ætate, quia proximi ab ejus morte auctores de eo siluere. Vide Salmas. 966. b.

Summa ejus natura in nomine est] *Summa natura ejus* Acad. Gud. Vossiani. Salmasius scribi jubet: *Summa naturæ ejus*, ut 'summa voti,' 'summa curæ,' ad Solin. pag. 966. Perperam, ut puto; nam eodem sensu et elegantius dicitur *summa natura*, ut 'summa respublica.' Vide ad Livium XXVI. 10. *Gronov.*

In nomine et cyani colos] Legend. *In nomine et Cyani colos: item helichryso: omnes, &c.* Salmas. p. 132. b.

Petilio] Petilium dictum quidam volunt a Petilia oppido Magnæ Græciæ, cujus mentio fit III. 10. *Dalec.*

Luteum semen includente] *Includentia*, non *includente*, vetus exemplar præfert: ut referat semina. *Pintian.*

Pastillicantibus] Pastilli rotundam figuram effingentibus. *Dalec.*

CAP. IX. *De honore coronarum, et cyclamino, et meliloto, et trifolio, tria genera ejus.*

Cappadocia vocantur] Alba vocat Columel. IX. 4. distinguitque a rutilis. *Idem.*

Colossinus] Colossinum Plinius vocat, non quidem vastum et inusitatæ magnitudinis, ut Beroaldus exposuit, sed purpureum, a Colossis urbe Troadis, ubi pigmentum tale parabatur. Philander in Vitruv. lib. III. cap. ult. *Idem.*

Folia in coronamentis] Legend. *Folio in coronamentis smilaces et hederæ obtinent principatum, de quibus in fruticum loco abunde diximus.* Vide Salmas. p. 1041. b.

Smilacis] Coronas e smilace infaustas esse, vide XVI. 35. *Dalec.*

Ergo in coronamenta] Hæc Theophrast. ut suffruticum genera, τῶν φρυγανικῶν, recenset, non ut plantas ad coronamenta expetitas. Hist. VI. 1. *Idem. Ergo in coronamenta, &c.*] Scribe: *Ergo in coronamenta folio venere melophrum: smerea, origanum, cneorum quod casiam Hyginus vocat; et quod cunilaginem, conyza; melissophylum, quod apiastrum; meliloton quod nos sertulam Campanam vocamus.* Salmas. p. 101. b.

Melothron] Vitis alba XXIII. 1. mihi potius glycypicron Dodonæi. *Dalec.*

Spireon] Σπειραία frutex lentus et vitilis, ut in spiras torqueri possit, Matthioli viburnum. *Idem.*

Cneoron] Cneorum album Anguillaræ lavendula nostra utraque, mas et fœmina: cneorum nigrum libanotis coronaria, sive rosmarinus: cujus nusquam sub alio nomine Theophrastus meminit. *Idem.*

Tria ejus genera. Minyanthes vocant Græci, ac asphaltion, &c. Alterum acuto, oxytriphyllon, &c.] Perpe-

ram; nam idem genus quod ὀξύφυλλον vel ὀξυτρίφυλλον ab acutis foliis appellatur, μινυανθὲς etiam dicitur a flore; ἀσφάλτιον ab odore; κνήκιον a seminis figura. *Salmas.* 243.

Majore folio] Columella VI. 17. Simonianum trifolium vocat, invenirique tradit in confragosis locis efficacissimum, odoris gravis, neque absimilis bitumini, et idcirco a Græcis asphaltion vocari, a Romanis propter figuram acutam trifolium: quoniam longis et hirsutis foliis viret, ac caulem robustiorem facit quam pratense. *Dalec.*

Acuto] Imo potius, ut volunt, acido. *Idem.*

Ut marathro, hippomarathro] Vossiani duo Gudianusque *maratho, hippomaratho;* ut et alibi. Utroque autem modo et Græcis scribitur. *Gronov.*

Utuntur e ferulis, &c.] Ita lege: *Utuntur et corymbis hederæ, flore purpureo, et in alio genere earum silvestribus rosis simili: sed in his quoque color tantum delectat, odor autem abest.* Vide Salmas. p. 364. a.

Silvestribus rosis similis] De cisto id accipiendum. Cisson cum cisto hic Plinius confundit, ut et in aliis quibusdam locis; itaque sic castigandus hic locus ex Theophrasto et Dioscoride: *Utuntur et ferulis, et ferulagine, et cisti flore purpureo. Nam et est in alio genere candicans. Utrique tamen earum silvestribus rosis similis.* Dalec.

CAP. X. *De origano, et thymo, et melle Attico, et conyza, et Jovis flore, et helenio, et abrotono, et leucanthemo.*

Alterius enim nullum semen] Hoc ex Theophrasto Hist. VI. 2. Dioscoridi tria genera origani, Heracleoticum, onites silvestre, atque adeo tragoriganum. Fructuosa omnia sunt. *Idem.*

Totidem et thymi] Hoc ex Theophrasto loco supra citato. Album tantum Dioscorides agnoscit et describit. Philochorus thymi lignum proprie νηφάλιον vocari tradit, eoque veteres primum usos in sacris, quæ accenso igne fiebant, ut ἀπὸ τῆς θυμιάσεως καὶ τῆς θυῆς appellatum sit. Rhod. XXIII. 3. *Idem.*

Non potest deprehendi] *Flore ipso integitur,* ἐν τῷ ἄνθει ἀναμέμικται. Theophr. *Idem.*

Ergo translatum est, &c.] Qui tamen asportare ex Attica cupiunt, quærunt et inveniunt. *Idem.*

Et vix flore, uti docemus, satum] Corruptissima verba. Quid si legas, *sed vix floruit decies satum;* vel, *decimo satum;* vel, *decimo satu.* Pintian.

Thymis] Nigris, sed non albis: serpyllo zygi Dioscorid. vulgo *Serpoullet* et *Farigoule.* Rubra vocat Arist. Hist. IX. 49. *Dalec.*

In coronamentis] Theophrastus in coronas expeti nusquam ait. *Idem.*

Libanotis] Falsum id, nec a veteribus proditum. *Idem.*

Et tantum folio] Theophrastus scribit simpliciter, has esse coronarias, non autem solo folio coronare, Hist. VI. 1. *Idem.*

Jovis flos] Dios anthos et hemerocalles flore tantum coronant, reliqua foliis. Delenda itaque illa, *Jovis flos.* Idem.

Rosæ modo] Ut rosa, viola, ἰωνιά, ῥοδωνιά. Aliter hæc Plinius recitat, quam leguntur apud Theophrastum. *Idem.*

Colore tantum, &c.] Nicander in Georgicis: Ἠ γὰρ καὶ λεπταὶ πτερίδες, καὶ παιδὸς ἔρωτες, Λευκοῖα τ' ἀμενηνὰ, καὶ ἐν κρόκος εἴαρι μίων, Κρῖνον, κύπειρός τε, σισύμβριον, ὅσσα τε χ' οἷα Ἄστορ' ἰαμναίοισι τόποις ἀνετρέψατο λειμὼν Κάλλεα, βουφθαλμόν τε, καὶ εὐειδὲς Διὸς ἄνθος. Sic fere Petronius: 'Emicuere rosæ, violæque et molle Cyperum, Albaque de viridi riserunt lilia prato.' *Idem.*

Helenium] Ægyptium Dioscoridis. *Idem.*

Dodrantalibus ramulis] Cubitalibus ramulis, serpylli modo humi jacenti-

bus, foliis lenticulæ circa ramos, longioribus, crebris. Dioscor. *Idem.*

Abrotonum odore jucunde gravi] Videtur legendum *acri*, non *gravi*, ex Theophrasto de Causis Plant. VI. 22. et Plinio supra hoc ipso libro capite 7. Admonuitque nos in hac re priusquam in Plinium quippiam scribere aggrederemur, Oroscius noster, insignis philosophus ac medicus, Latineque ac Græce egregie doctus. Sed potest tolerari *gravi*, ex Dioscoride libro tertio, capite de abrotono. 'Nascitur,' inquit, 'æstate odoratum cum gravitate aliqua.' Ergo cum dicit Plinius abrotonum acrem habere odorem, Theophrastum secutus est; cum gravem, Dioscoridi consentit. *Pintian.*

Abrotonum odore jucunde gravi floret æstate] Recte Gelenius, *jucunde gravi; sed τὸ æstate* deſit in castioribus membranis, ortum ex *est autem*, quod video in Voss. duobus, Academico, et Gudiano; et adjecit aliquis expleturus in sequenti commatio, quod Plinius voluerat intelligi. Sufficit vero paullo post dici de abrotono et adonio junctim: 'Utrumque floret æstate.' *Gronov.*

Vacuum sponte provenit] Lego, *Vacuis sponte provenit*, id est, incultis neglectisque locis, quo loquendi modo prædia vacua scripsit ac dixit Cicero. *Dalec.*

Cacumine suo se propagat] Quoniam summis flos surculis exit, quo pereunte semen succedit, et vertice plantæ delapsum, terraque exceptum, plantam suam propagat. *Idem.*

Seritur autem semine melius] Abrotonum radice, vel *avulso* surculo, *παρασπάδιος*, potius quam semine germinat. Semine vero difficulter exit. Surculi autem in testis et fictilibus panguntur, quemadmodum conserunt Adonidis hortos. Seritur æstate; est enim admodum alsiosum, atque morbis obnoxium, etiam ubi sol multum lucet; sed ubi convaluerit, creveritque, magnum ac robustum arborescit rutæ modo, &c. Theophr. Hist. VI. 7. *Idem.* *Seritur autem semine melius quam radice aut surculo*] Ex Theophrasto hoc ad verbum libro sexto, capite ultimo: et tamen vult hæc verba depravare Ruellius. Sed videtur Theodori tralatio decepisse hominem, quæ diversa abit a Græca lectione quam sequitur Hermolaus in Corollario cum Plinio. Itaque nihil hac in parte dicit Ruellius. *Pintian.*

Ritu vitis fruticant] Scribendum, *rutæ vice fruticant*, ex antiquo exemplari, confirmante eam lectionem Theophrasto libro et capite proxime citatis, his verbis: 'Sed cum convaluerit creveritque, magnum, robustum atque arboraceum constat, quemadmodum ruta, nisi quod lignosius et siccius et squallidius est.' Viderunt hoc ante me alii; sed primus omnium Hermolaus in secunda editione. *Idem.*

Leucanthemum est] Anthemis alba, Dioscor. *Dalec.*

Foliosum] Lego *folioso*, id est, foliolis per ambitum extrinsecus multis, orbiculatim cingentibus, quod in floris medio luteum est. Hæc Dioscorides magnitudine cum rutæ foliis comparat. *Idem.*

CAP. XI. *De amaraco vel sampsucho, et nyctegreto, et meliloto, et viola alba, et codiamino, et de silvestribus bulbis et heliochryso, et lychni, et de herbis citra mare.*

Appellavere] Apud Athenæum Chæremon Persicum vocat his verbis: Πέρσης δὲ θαλερὸς ἐντραφεὶς ἀμάρακος Λειμῶσι μαλθακοῖσι τεῖνεν αὐχένας. *Id.*

Et odore melius. Copiosum, &c.] *Mollius* in antiquo codice, non *melius*. Astruitur ea lectio Theophrasti auctoritate libro sexto, capite ultimo. 'Et jucundi,' inquit, 'odoris semen est, et quidem mollioris odoris.' *Pintian.*

Nyctegretum inter pauca miratus est Democritus coloris ignei] Omnes Nyc-

tegreton. Dein Mss. quatuer *coloris hygini folio spineo* aut *higini:* cui maxime fidimus: *coloris hisgini folio hispinæ.* Scribe: *Nyctegreton inter pauca miratus est Democritus, coloris hysgini, folio spinæ.* Hesychius: Ὑσγινὸν, βάμμα τι. Noster IX. 42. 'Quin et terrena miscere, coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret hysginum.' XXI. 26. 'Hyacinthum in Gallia maxime provenit: hoc ibi pro cocco hysginum tingunt.' Sic Hermo. Barbarus pro eo quod in vett. *hoc ibi loco:* unde nonnulli postea *locorum*, quod et Salmasius ad Solin. p. 272. sequitur. Censeo scribas: 'hoc ibi fuco hysginum tingunt.' XXXV. 6. 'Causa est, quod hysgino maxime inficitur.' Athenæus lib. VI. δύο δ' ὑπὸ τοῖς ποσὶν ὑσγινοβαφῆ. *Hysgini* sagax quoque Pintianus deprehendit. *Gronov.*

Coloris ignei] *Coloris hiis gigni*, in eodem; scribendum puto, *coloris hysgini*, de quo Plinius XXXV. 6. *Pintian.*

Ab aliis nyctilopa] Melius in eodem, *nyctalopa:* et confestim verbum *tamen* redundat. *Idem.*

Viola alba] Leucoion, Theophr. nempe bulbosum. *Dalec.*

Postea quæ appellatur purpurea] Lege: *Postea quæ appellatur Ion, et purpurea, proxime flammeum quod vocatur, silvestre duntaxat.* Vide Salmas. p. 1361. b. 1362. a.

Codiaminon bis anno] *Cyclaminos*, non *Codiaminon*, in vetusto exemplari; sed non placet lectio. Theophrastus lib. VI. capite ultimo, cum narcisso, lirio, et aliis herbis quæ hic referuntur a Plinio, *codion bulbi* reddit. Theodorus *bulbi florem* vertit. Proinde non absurde hic *conion* legi posset, non *codiaminon.* Et verba illa quæ paulo post sequuntur, *Est autem hic silvestris bulbi flos*, alieno ibi loco posita, hic debent subjici, neque enim anemonæ ulla ratione congruere possunt. *Pintian.*

Seriores supradictis aliquando narcissus et lilium trans maria: in Italia, &c.] Scribo: *Seriores supradictis aliquando narcissus lirium. Transmarina in Italia, &c.* ex eodem, astipulante etiam Theophrasto loco citato: utique quod attinet ad lirium, illud nolui præterire: narcissum et lirium idem esse; sed ab aliis hoc, ab aliis illo nomine appellari, auctore eodem Th. VI. 6. *Idem.*

Nam in Græcia tardius, &c.] Omnino sic lege: *Nam in Græcia tardius etiam anemone, quæ leimonia vocatur, alia quam quæ dicetur in medicinis. Post ea viola, quæ appellatur purpurea. Sequitur œnanthe, melanion, ex silvestribus elichrysos: deinde alterum genus anemones. Post hanc gladiolus, &c.* Dalec.

Deinde alterum, &c.] Inepte Plinius βολβοῦ κώδιον *anemonem* esse interpretatur. Ineptius idem inter flores vernos recenset duas anemonas, cum unicam tantum Theophrastus referat, quam λειμωνίαν cognominavit. Ea porro est pulsatilla nostra. Cætera quidem anemonarum genera æstatis principio florent. *Idem.*

Nascitur locis tepidis] Hoc e Theophrast. male citat Plinius. Is Hist. lib. VI. cap. ult. et de Caus. I. 14. scribit œnanthen in apricis, et a noxio frigidoque afflatu contectis locis satam, et, quod ait Plinius, tepidis, diutissime florere, si crebro devulsus flos in semen abire prohibeatur: id est, quod Plinius citat. *Idem.*

Hyacinthum comitatur fabula duplex] Legend. *Hyacinthum comitatur fabula duplex, luctum proferens ejus, quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore edens, ita discurrentibus venis, ut Græcarum literarum figura, αἰ, αἰ, legatur inscriptum.* Vide Salmas. p. 1042. a.

Ex Ajacis cruore editi] Auctore Pausania lib. I. Salaminii tradunt, post Ajacis interitum, apud se primum florem enatum candidum, modice rubentem, lilio et foliis, et aliis partibus minorem, inscriptum iisdem

literis, quibus et hyacinthum. Cosmosandalon Athenæi esse puto. *Dalec.*

Venis] Imo potius maculosis notis. *Idem.*

Si et unguenta sumantur ex auro] Theophrast. Hist. IX. 21. *Idem.*

Et alterum genus lilii] Lego *lirii*, non *lilii*, ex Theophrasto loco sæpe citato. *Pintian.* *Alterum genus lilii*] Theophrastus statim post Jovis florem, (hic vulgo aquilegia dicitur,) cerinthum et iphyon; ut pro cerintho videatur alterum genus lilii vertisse. *Dalec.*

Duo genera hujus] Pothos albus, iasminum nostrum: pothos cœruleus, clematis secunda Dodonæi. *Idem.*

Qui fere nascitur, &c.] Quo utuntur circa sepulchra: is autem *χρονιώτερος* est, diuturnior: vel, diutius floret, vel, diutius vivit. Theophr. *Idem.*

Et spinæ flore utuntur] Et acutæ spinæ fructu, et smilacis flore, Theophrast. *Idem.*

Spinæ albæ cauliculi] De scolymo id Dioscor. ἡ δὲ πόα ἀρτιφυὴς οὖσα λαχανεύεται, ἑφθὴ ὥσπερ ἀσπάραγος. Plinius non animadvertit Theophrastum de oxyacantha id scripsisse quod citat; et intempestive addit de cauliculis spinæ albæ, quod Dioscorid. de tenellis germinibus scolymi prodidit. *Idem.*

In modum lineæ] Exprimere voluit, quod ait Dioscorides: *κλήματα δ' ἔχει μικρὰ, ὅσον τοῦ σχοίνου πάχος. viticulas, seu virgulas, habet junci crassitie:* prætenuem virgulam *lineam* vocavit. *Idem.*

Topiaria herba] Topiarium opus, cum arbuscularum virgulæ ductiles facili flexu in varias formas hominum, turrium, ædium, cubiculorum, modo humi, modo per hortorum et viridiariorum spatia, finguntur: unde Topiarii ejus operis artifices Ulpiano. Alex. ab Alex. III. 25. *Idem.*

Ut intra id tempus purgata] Voss. optimus, *purpurgata.* Lege, *perpurgata ac pura sint.* XXXIV. 13. 'Siccare et excrescentia consumere, perpurgare.' Utuntur et Plautus et Varro de Re Rust. II. 11. *Gronov.*

CAP. XII. *De cura apum; pabulo et morbis earum, et remediis.*

Maxime alvearia] Hoc in vocabulo, et ei vicino *alvei*, perpetuus error non vulgatos modo, sed et secundi generis membranaceos obsidet; nam qui nobis hoc negotium fecit, in eo legitur *albaria*, quod est *alvaria*. Sic infra, *At genistas circumseri alveariis gratissimum:* ille *albaris.* Similiter: *Imponunt navibus alveos noctibusque quina millia passuum contrario amne naves subvehunt.* Idem, *Imponunt navibus alvos.* deinde ignorat τὸ *naves:* et merito, supervacuum enim est. Mox, *donec pondere ipso pressis navibus pleni alvei intelligantur.* Scriptus, *plenæ alvi intelleganter.* Sic et cap. 14. 'Alvearia orientem æquinoctialem spectare convenit.' Voss. 'Alvaria.' Deinde: 'Alvearia optima e cortice, secunda ferula, tertia vimine. Multi ea et speculari lapide fecere.' Pintiani codex, 'Alvus optimæ.' Voss. 'Alvos optime cortice;' tum nescit τὸ 'ea,' ut et Pintiani. Scribe: 'Alvos optimas e cortice, secundas ferula, tertias vimine; multi et speculari lapide fecere.' Item: 'Circumlini alveos fimo bubulo utilissimum.' Optimus, 'alvos.' Statim, 'si magnus sit alveus.' Acad. 'si magna sint alvearia.' Gud. 'magna sit alvearii'.' Voss. Andeg. 'magna sit alverios.' Menap. 'magnum et sit alveariis.' Quem sequimur, et Chifl. 'si magna sit alvus.' Ibidem: 'Alvearia hieme stramento operiri.' Idem et Pintiani, 'Alvos.' Rursus: 'Et araneorum quidem exitium facilius est, papilionum major pestis. Tollitur vero, cum maturescit malva noctu, interlunio, cœlo sereno, accensis lucernis ante alveos.' Gud. et Menap. 'papilios major lucernis tollitur vero.' Acad. 'papilios major lucernis tollitur vere.' Andegavens. 'papilio estis major lucernis tollitur ve-

ro.' Vetustissimus et Chifl. 'papilio pestis major lucernis tollitur vero:' deinde omnes, 'sereno accensis ante alvos.' Nimirum transposuerunt τὸ 'lucernis,' quod id commodum locum esse non sinat τῷ 'vero,' postquam id admiserant potius, 'tollitur vero,' quam 'tollitur vere,' quod tamen in Academico est. Scribendum autem erat: 'papilio, major pestis, lucernis tollitur, vere, cum maturescit malva, noctu, interlunio, cœlo sereno, accensis ante alvos.' Dicit, 'vere cum maturescit malva.' Hieme enim seritur; non illa, quæ mense Octobri, teste Palladio tit. 11. et Plinio XIX. 8. sed quæ Februario, ut Palladius tit. 24. Consentit Columella IX. 14. 'Ab æquinoctio primo, quod mense Martio circa octavum Cal. Apriles in octava parte arietis conficitur ad exortum Vergiliarum, dies verni temporis habentur duodequinquaginta.' Per hos primum ait apes curandas esse, &c. Mox, 'item papiliones enecandi sunt.' Et infra: 'quo tempore malvæ florent.' Denique ibidem: 'Alveorum, cum mel eximitur, inlini oportet exitus melissophyllo aut genista tritis, aut medios alba vite præcingere, ut apes diffugiant.' Opt. 'Arborum.' significat 'Alvorum;' nam idem mox: 'aut medias alba vite præcingi.' Nempe 'alvos.' Etiam alii quatuor 'medias,' Andegav. etiam plane 'alvorum.' E Chifletiano 'media' notant. Sic et cap. 20. hujus libri: 'Melissophyllo sive melittæna si perunguntur alvearia, non fugient apes.' Opt. 'si perunguntur alvi.' XI. 10. 'Novissimi maxime implentur melle, ideo aversa alvo favi eximuntur.' Sic Men. et Gud. Academicus: 'ideo adversa alvo favo ex.' Nec dubito, quin et sic fuerit in Chifl. etsi tantum ex eo notaverint, 'aversa alvo.' Vulgo: 'ideoque averso alveo.' Eodem lib. cap. 15. 'Æstiva mellatione decimam partem Thasio Dionysio apibus relinqui placet, si plenæ fuerint alvi.' Sic Chifletianus. Nostri, 'si pleni fuerint alvi.' XXII. 24. 'Prima propolis alveorum aculeos,' &c. Idem 'alvorum.' XXX. 24. 'Sparsas apes in alvearia reverti.' Rursus idem: 'in alvo.' Lege, 'in alvos,' ut et Pintianus. XXVIII. 7. 'apes tactis alvearis fugere.' Is ipse, 'alvariis,' quod prætermisit Salmasius ad Solin. p. 26. ubi locum istum tractat. Columella quoque dicto loco: 'alvi aperiendæ sunt et fumigandæ.' Apud Phædrum quoque Fab. LII. 'Alvos accipite et ceris opus infundite,' in scriptis codd. esse testatur Salmasius ad Hist. Aug. p. 477. *Gronov.*

Ervilium] Cunilam, thymbram, vel satureiam vocat Columella IX. 4. *Dalec.*

Casiam] Cneorum utrumque, album, sive lavendulam, ac spicam nostram; et nigrum, sive rosmarinum coronarium. Vide eundem loco citato. *Idem.*

Melissophyllon, Cerinthen] Theophrastus lib. VI. cap. ultim. *Cerinthum* enunciat, non *Cerinthen.* Virgilius tamen Georg. lib. IV. prima inflexione protulit: 'Cerinthæ ignobile gramen,' si exemplaria vulgata vitio carent: certe ab Aldo impressa sic præferunt. *Pintian.*

Cum olivæ florem] Vanum falsumque id esse tradit XI. 8. *Dalec.*

Cum aliquas quam proxime, &c.] Virgilius: 'Palmaque vestibulum aut ingens oleaster obumbret: Ut cum prima novi ducent examina reges Vere suo, ludetque favis emissa juventus, Vicina invitet decidere ripa calori, Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos.' *Idem.*

Cornum quoque arborem, &c.] De ulmorum samera et tithymalli flore id Columella. Amygdali quoque florem caveri oportere scribit Varro. *Idem.*

Nam flore ejus degustato alvo concita moriuntur] Scriptum exemplar: *Flore ejus degustato alvo cita moriuntur;* reliqua superfluunt. *Pintian.*

Alvo concita moriuntur] E Chifl. notant *alvo circa*. At tu lege cum fidissimo, *alvo cita*. Sic XXIII. 1. 'Alvo citæ signinum maxime conducere indubitatum est.' Et cap. 7. extreme de sorbis: 'nam recentia stomacho et alvo citæ prosunt.' Hoc quoque præcepit Pintianus. Acad. Gud. Menap. *concitata*. Andegav. *citato*. Gronov.

Urinam hominum] Hyginus apud Columel. *Dalec.*

Ad naves quotidie remeant, mutantes locum] Duo novissima verba falso adjecta suspicor. *Pintian.*

CAP. XIII. *De venenato melle, et de remediis mellis venenati, et mellis insani.*

Ut mella quoque venenata fiant] In heptacometarum arboribus venenati genus mellis nascitur, quod haustum stupefacit, et mentem consternat. Eo tres Pompeii cohortes in potum dato ab ea gente interemptas fuisse memoriæ traditum est. Rhod. XVIII. 30. Populos eos in Ponto Stephanus collocat, et Scythicum montem incolere scribit. Apud Trapezuntem in Ponto mel e buxo defluit gravis odoris, quo ἐκφρονες et amentes fiunt. Rhodig. XXIII. 35. *Dalec.*

Præcipue caprarum] De euonymo id Theophrast. Hist. lib. III. cap. ult. de rhododendro Dioscor. ob Aconitum venenatum esse idem auctor prodit, lib. VI. *Idem.*

Excrementa] Quæ sumpto eo melle rejiciunt ægri, sputo, vomitu, alvo. *Idem.*

Aliud genus in eodem Ponto gente Sannorum, &c.] Hi sunt, quos posterior ætas Tzanos vocavit, Lacis conterminos. Utraque Colchica gens fuit in clientela fideque Constantinopolitani Imperatoris. *Gelen.*

In eodem Ponto gente Sannorum] Sic Gelenius, cum legeretur, *in eodem Ponti situ viget ex annona mellis*. Tres codices, *in eodem Ponto situm gentes annonam*; ut et Andegav. nisi quod *annosum*. Potior, *in eodem Ponti situ gentes annorum*. Pintiani codex, *in eodem Ponti situ gente Sannorum*. Lege, *in eodem Ponti situ, gente Suanorum*. Poteras suspicari, *in eodem Ponti sinu*, ex Justini lib. II. 'Frustraque et Ponti sinum et Asiam edomitam esse dicit.' Sed Plinius ista voce sic uti gaudet. IV. 16. 'Ex adverso hujus situs Britannia insula.' Ubi male Pintianus opinatur legendum, 'Ex adverso hujus sita est.' XI. 1. 'Italiæ quoque partibus juxta et hieme et æstate fulgurat, quod non in alio situ.' XII. 19. 'In quo situ Liber pater educatus esset.' Sic XVI. 18. inscribit, 'De arborum natura per situs.' XXVII. 2. 'Necantque gustatu earum pantheras, nisi hoc fieret, repleturas illos situs.' XXXI. 4. 'Cessasse fontes amnesque, qui in eo situ multi erant.' XXXII. 1. de Arabia: 'Piscium adipe camelos perungi in eo situ, ut asilos ab his fuget odor.' Ita enim legendum, cum sit in scriptis omnibus 'perungui,' aut 'perungi,' quod mutarunt in 'perungere' propter corruptum 'fugent odore.' XXXIII. 4. 'Quo sit situ terrarum numen hoc, signavimus nomine.' Ita enim legendum. 'Suanos' habes et VI. 11. 'A portis Caucasiis per montes Gordyæos Valli, Suani, indomitæ gentes: auri tamen metalla fodiunt.' Etsi edatur 'Suarni.' Strabo l. XI. Οἱ Σοάνες δυναστεύουσι τῶν κύκλῳ, τὰ ἄκρα τοῦ Καυκάσου κατέχοντες, τὰ ὑπὲρ τῆς Διοσκουριάδος· βασιλέα δ' ἔχουσι, καὶ συνέδριον ἀνδρῶν τριακοσίων· συνάγουσι δ', ὥς φασι, στρατείαν καὶ εἴκοσι μυριάδων.... Παρὰ τούτοις δὲ λέγεται καὶ χρυσὸν καταφέρειν τοὺς χειμάῤῥους· ὑποδέχεσθαι δ' αὐτὸν τοὺς βαρβάρους φάτναις κατατετρημέναις καὶ μαλλωταῖς δοραῖς· ἀφ' οὗ δὴ μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. Restituendi sunt iidem Plinio XXXIII. 3. 'Jam regnaverat in Colchis Salauces et Esubopes, qui terram virginem nactus plurimum auri argentique eruisse dicitur in Suanorum gente, et alioquin velleri-

bus aureis inclito regno.' Sic Ms. vulgo 'Samnorum.' Diffido etiam vocabulo 'Esabopes;' nam idem liber insignis, 'salaucesa et esubopes.' quasi vellet: 'Jam regnaverant in Colchis Salauces, Æetes, Ubopes.' Cæterum 'Suanos' et apud Ptolemæum visere potes, et in Tabula Peutingeri. Item in Excerptis legationum e Prisco rhetore, et Menandro Prorectore (ubi longa disputatio de 'Suanis' et 'Suania' inter Justini Imp. legatum et Persas) a D. Hœschelio vulgatis. *Gronov.*

Gensque ea cum ceram in tributa Romanis præstet] Præcipuus, *præstent.* Pro eo quod sequitur, *non vendit* legendum, quamquam scriptis non secundis, *non pendit;* nempe in vectigali sive tributo. XII. 25. 'Servit nunc hæc, et tributa pendit.' *Idem.*

Parum enim erat genuisse rem] Particula *enim* optimus non utitur. Livius lib. XXI. in Orat. Hannibalis ad exercitum apud Ticinum: 'Parum est, quod veterrimas provincias meas Siciliam et Sardiniam adimis: etiam Hispanias?' Plinius lib. IX. 35. 'Parum scilicet erat, in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, &c. gestarentur.' Ibidem: 'Parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur.' Lib. XXXIII. proœm. 'Parum enim erat unam vitæ invenisse pestem, nisi in pretio esset auri etiam sanies.' *Idem.*

Non enim ipsi melli, sed apibus jam] Iterum brevius: *non enim et ipsis jam apibus cuspides dederat.* Hoc est, quasi non apes ipsæ haberent, quo lædere possent, et hominem cautum esse minusque mellis appetentem cogerent. Et vulgatæ profecto sensus nullus, neque hic melli locus est. Acad. Gud. Men. *non enim ipsi sed apibus jam cuspides dederat.* Voss. alter, *non enim ipsi de apibus jam c. d.* Quasi vellent, *ipsis et apibus.* Idem.

CAP. XIV. *De melle, quod muscæ non attingunt, et alveariis, et cura eorum si famem sentiunt apes, et quomodo cera fiat.*

Orientem Æquinoctialem] Brumalem meridiem, Columel. solem hibernum, Pallad. *Dalec.*

E cortice] Suberis præcipue. Columel. *Idem.*

Secunda ferula] Addit Columell. e ligno cavatæ arboris, et in tabulas dissectæ e fimo, e latere. *Idem.*

Circumlini alveos, &c.] Et intus et extra, Varro. *Idem.*

Ambulatorium] Mobile, ut attolli et demitti possit. Varro lib. III. *Id.*

Si magnus sit alveus] Major quam pro numero apum. *Idem.*

Fallente operis incremento] Sic omnes nostri sine ulla suspicione. Seneca Nat. Quæst. III. 27. 'Natura ad originem rerum parce utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus.' Nec minori elegantia Jurisconsultis alluvio dicitur 'incrementum latens.' Ineptus igitur ille librarius, qui subjecit *argumento:* nec tantum ei fidei debebat habere Pintianus, ut inde conjiceret *augmento.* Gronov.

Fimo bubulo] Columel. IX. 14. *Dal.*

Cognatum hoc iis] Ex juvenco cæso, sepulto, putrescente apes nascuntur. Archestratus in Epigrammatibus de apib. *βοὸς φθινομένης πεποιημένα τέκνα* et rursum: *ἵππων μὲν σφῆκες γενεὰ, μόσχων δὲ μέλισσαι.* Varro. *Idem.*

Maturescit] Florescit. Columelle. *Idem.*

Tractas madentes passo] Carminatas, pexas, ut quasi per siphonem succum apes evocent. Columel. *Id.*

Crudas carnes] Exemptis interaneis. Columel. *Idem.*

Vasa mellaria, &c.] Μελιτηρὰ Galenus vocat lib. de documento pro epileptico: eaque idem exponit ἐξ ὧν ἐκενώθη μέλι. Acetum ex melle fieri probabile Rondeletio non est, sed potius ex propoli, quæ acidum olet. *Idem.*

Sporta collatis] Per juncos aut stramenta. Columel. *Idem.*

Punica vocatur] Omnium candidissima. *Idem.*

Punica fit hoc modo] Candidam ceram αἰνιγματικῶς Varro in Prometheo apud Nonium his verbis significat: 'Chrysosandalos locat sibi, et amiculam de lacte (quidam, 'lacteam a cera' legunt) ac cera Tarentina, quam apes Milesiæ coëgerint, ex omnibus floribus libantes, sine osse et nervis, sine pelle, sine pilis, puram putam, proceram, candidam, teneram, formosam.' *Idem.*

Sub dio siccant sole lunaque; hæc enim candorem facit: siccantes, ne liquefaciant, protegunt tenui linteo] Scribo: *sub dio siccant sole lunaque. Hæc enim candorem præstat, sol siccat: et ne liquefaciat, &c.* ex vetusto codice. *Pintian.*

Pigmentis traditur] Fucorum tincturis, ad ἐγκαυστικὴν et κηρογραφίαν. *Dalec.*

Ad reddendas similitudines] Eo artificio nostra memoria quidam imitantur in pensilibus hortis arborum et herbarum omne genus, folia, flores, fructus. *Idem.*

CAP. XV. *De herbis sponte nascentibus et aculeatis.*

Frugum quidem fertilissima, sed ut prope] Τὸ *quidem* a Gelenio est, *prope* a Pintiano; et confirmat utrumque præcipuus. Sed idem, *fertilissimas et ut prope.* Videtur fuisse: *frugum quidem fertilissima, utut prope sola iis carere possit.* Gronov.

In Italia paucissimas novimus, fraga, tamum, ruscum, batin marinam] Ubi optimi libri leg. *fraga, tamnum:* in vulgatis male, *tamum:* legendum ubique, *thamnum.* Græc. ἕλιξ. Salmas. pag. 225.

Tanum] Alii legunt *tamnum*, alii *tamum.* Cyclaminum secundam, quam pro vite nigra Matthiolus pingit, Itali etiam hodie *tamaro* vocant, ejusque teneros cauliculos et viticulas vere primum erumpentes asparagorum more decoctas mandunt, ac in fasciculos digestas vænales circumferunt. Ejus fructus uva taminia vocabatur: 'jam Tami sponte virescunt,' apud Columellam legit Pomponius. *Dalec.*

Colocasia] Colocasia, vel, ut Athenæus, Nicander, Virgilius, Colocasion, Dioscoridi non integra planta est, sed ejus tantum radix. *Idem.*

Cyamon] De hac Nicander in Georgicis: Καὶ κύαμον σπείρῃς Αἰγύπτιον ὄφρα θερίσσῃς, Ἄνθεσι μὲν στεφάνους ἀγύῃς, τὰ δὲ πεπτηῶτα Ἀκμαίου κάρποιο κιβώρια δαινυμένοισι Ἐς χέρας ἠϊθέοισι πάλαι ποθέουσιν ὀρέξῃς, Ῥίζας δ' ἐν θοίνῃσιν ἀφεψήσας προτίθημι. Hadr. Jun. I. 10. *Idem.*

Araneoso] Filis nervoso. Martialis: 'Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces, Improba cum morsu fila manuque trahes.' Diphilus apud Athenæum lib. III. radicem probat, quæ minime lanosa sit. *Idem.*

Foliis latissimis] Perasi magnitudine, Dioscor. pilei Thessalici, Theophr. *Idem.*

Quæ personata in nostris] Dioscorides folium nymphææ comparat cum folio cyborii, sive Ægyptiæ fabæ. *Idem.*

Ut implexis, &c.] Legend. *Ut implexis colocasiæ foliis, in varias species vasorum, &c.* Vide Salmas. p. 968. a, b. Et in præcedentibus lege: *Thyrso autem qui inter folia emicat spectabili, &c.* Vocat heic *Thyrsum*, quem *scapum* dixit in faba Ægyptia, quæ eadem est cum colocasia. Scribe porro: *foliis latissimis, sed jam si arboreis comparentur, ad eorum similitudinem quæ per se nata in nostris amnibus notamus.* Dicit folia Colocasiæ ad eorum similitudinem esse quæ per se nata spectantur in amnibus. Ea sunt folia nymphææ. Vide Salmas. p. 969. b. 970. a.

In variam speciem vasorum] Inde scilicet factum est, ut κύαμος, auctore Hesychio, poculi genus sit, ad eorum similitudinem constructum, quæ ex colocasiæ foliis Ægyptii parabant.

Ob eandem causam id quoque poculum et κιβώτιον et κιβώριον dicebatur. Sic enim fabam Ægyptiam nominant. Eadem industria rusticos in Allobrogum montibus vidi ex gentianæ foliis implexis pocula fingere, quibus e gelidis fontium scaturiginibus aquam hauriebant. κιβώρια sic dicta interpretatur Athen. διὰ τὸ κάτωθεν εἰς στενὸν συνῆχθαι ὡς τὰ Αἰγύπτια. κιβώρια. *Dalec.*

Nascitur post Vergilias] De plantis omnibus, quas κιχωριώδεις vocat, id Theophrast. scribit Hist. VII. 11. non de cichorio solo. *Idem.*

Radix ei lenta] De cichorii caule id Theophrastus, non de radice: Ὁ δὲ καυλὸς, inquit, κιχωρίου μέγας, καὶ ἀποφύσεις ἔχων πολλάς· ἔστι δὲ γλισχρὸς, καὶ δυσδιαίρετος, διὸ καὶ δεσμῷ χρῶνται. *Caulis cichorii magnus multis enascentibus surculis, lentis, fractu contumax, quamobrem pro vinculo utuntur.* Idem.

Anthalium] Theophrasto melinathella, Hist. IV. 10. nobis thrasi: auctori librorum de plantis, qui editi sunt nomine Aristotelis, I. 5. margaritæ Ægyptiæ. *Idem.*

Mandunt igni paratum] Elixant in hordeaceo zytho. Theophr. *Idem.*

Œthum] Vingum vocat Theophr. Hist. I. 11. male Plinius exposuit. Œtum Indi et Æthiopes, apud quos plurimum provenit, adhuc vocant *Hetich.* Idem.

Arachidna quidem, &c.] Arachidna et aracoeides non minus fructuosa sunt supradictis. Carnosum utrumque, radicem unam crassam habet, in altum descendentem, alias vero, quibus fructus insidet, tenuiores, in summa telluris facie multifariam divisas. Arenosis gaudent. Neutrum aut folium, aut folio simile quicquam gignit, utrumque potius velut ἀμφίκαρπον est, hoc est, *infra supraque terram fructum edit*, quod mirum est. Theophrast. Hist. I. 11. *Idem.*

In cibis] Hæc e Theophr. Hist. VII. 7. *Idem.*

Condrylla] *Chondrylla.* Falso apud Theoph. legitur *andryala.* Idem.

Anthriscum] In exemplaribus Theophrast. pro *anthrisco*, Turnebus legit ἐνθουσικόν. *Idem.*

Et æquinoctio nascens aphace, acinos quam epipetron vocant] Aliter in V. C. *Et ab æquinoctio nascentes aphacea, cynopos, epipetron vocant.* Scribo: *Et ab æquinoctio nascentes aphace, acinos quam epimetron vocant*, ex Dioscoride lib. III. et Theophr. VII. 8. Habetur nihilominus in Theophrasto loco signato herba nomine 'cinops,' quam Theodorus tralato, ut consuevit, nomine, 'canariam' appellat. *Pintian.*

Aphace] Lege: *Aphace, Echinopus, Epipetron vocant quæ nunquam floret.* Vide Salmas. 1292. b.

Acinos] Turnebus Advers. XVI. 9. legendum putat *cynops.* Lego: *acinos, et quam epipetron.* In Theophrasto legitur *cynops*, Hist. VII. 8. *Dalec.*

At e contrario aphace] Non de aphaca id Theophrast. Hist. VII. 8. scripsit, sed de quibusdam herbis statim cum flore fructum amittentibus. *Idem.*

Cnicon] Turnebus loco citato legendum putat *cici*, nempe ricinum. Orpheus in Argonauticis cnicon σχιστὴν vocat, veluti scissilem, quod ejus flos in multos apices dividatur. *Idem.*

Differentia prima, &c.] Legend. *Differentia prima, silvestris et mitior: silvestrium duæ species, una mitiori simili caule, tamen rigido, itaque et colu antiquæ utebantur ex illis. Quare quidam Atractylida vocant, semen candidum, grande et amarum.* Vide Salmas. pag. 896. b.

Colu] Fusis, πηνίοις, non σπληνίοις. *Dalec.*

Torosiore caule] Sonchi caule. Th. Hist. IX. 4. Pro σογχώδει, Plinius legit σαρκώδει. *Idem.*

In totum spina est asparagus] Inepte putavit Hermolaus asparagum et

scorpionem unicam esse plantam, quod apparet ex Theophrasto Hist. vi. 3. vide et cap. 1. ejusdem. *Idem.*

Quædam spinosa foliata sunt, &c.] Lege: *Quædam spinosa foliata sunt, ut carduus, eryngc, glycyrrhiza urtica. τῷ ἀκανθώδει πεφύλλενται. Salmas.* pag. 176. a. *Quædam spinosa foliata sunt*] Hæc ex Theophrasto Hist. i. 16. et vi. 8. ubi *φυλλάκανθα* vocat, quæ Plinius hic *spinosa foliata* dicit. *Dalec.*

Glycyrhizon] Inter spinosas Theophrastus non recenset. Huic autem fructus tantum echinatus est. *Idem.*

Aliqua et secundum spinam habent folium] Legendum reor, *Aliqua et secundum spinosum habent folium.* Est autem illud *secundum*, non præpositio, sed numerale nomen. Theoph. de Hist. Plant. vi. 1. 'Alia foliis constant aculeatis, ut acanum eryngium, cnecum. Quædam etiam juxta folium aculeatum, alterum quoque folium habent: ut ononis, tribulus, phleus, quam nonnulli stœbam appellant.' vi. 8. 'Quoniam distinctum sit superius aliud totum esse spinosum foliatum, seorsum de utroque dicendum, atque tertium illud addendum, quod juxta aculeum folium gerit. Phleus enim, tribulus, capparis, peculiare nimirum obtinent, ut non solum caulem aculeatum, sed etiam folium, habeant hispidum.' At si mavis ut illud *secundum* præpositio sit, necesse erit addere *alterum* verbum, ut legatur, *aliqua et secundum spinam habent folium alterum.* Pintian. *Aliqua et folium, &c.*] Lego ex Theophrasto: *habent folium, ut tribulus, ononis, phleos, quod aliqui stœben vocaverunt, hippophaës spinis angulosis. Quædam in folio habent et in caule, ut capparis. Tribulo proprietas, &c.* Dalec.

Quædam in folio habent, &c.] Lege: *Quædam in folio non habent, et in caule habent, ut Pheos.* Salmas. p. 394. a. *Quædam in folio habent et in caule*] Vetus codex: *Quædam in folio non habent, et in caule habent.* Sed utrocunque modo verba hæc legantur, adulterina mihi et ab aliquo argutatore falso adjecta videntur; nam Theophrastus nihilo plus tribuit phleo, quam ononi et tribulo, ut constat ex illius verbis paulo ante allatis. Legatur meo periculo sic: *Aliqua et secundum spinam habent folium alterum, ut tribulus, ononis, et phleos, quam aliqui stœben appellavere:* cætera delenda. *Pintian.*

Phleos] Falso id Plin. Stœbe Theoph. Hist. vi. 3. folio minime pungit, sed præter folium exarmatum, spinosum fructum gignit tribuli alterius modo. *Dalec.*

Geniculatum] Γωνιοειδεῖς ἀκάνθας, Dioscor. ait, *angulosas.* Plinius legit *γονατώδεις. Idem.*

Tributa proprietas, quod et fructum spinosum habet] In vetusto exemplari non *tributa* legitur, sed *tributi.* Scribo *tribuli*, ex Theophr. Hist. Plant. vi. 1. 'Tribulus,' inquit, 'vel fructu aculeatus est; habet enim in fructu aculeum. Qua de causa id quoque proprium ei, ut sic loquar, præ omnibus, licet utique adnotare.' *Pintian.*

Plures ejus differentiæ] Vide c. 13. lib. seq. *Dalec.*

Pustulasque] Turnebus Advers. xxiv. 2. leg. *pusulas;* sic dictas, quia pus continent. Columellæ 'pusula' ignis sacer; unde 'pusilosa,' vel 'pusulosa ovis.' Sic autem vocat, quia sacer ignis, qua depascitur, pustulas attollit. *Idem.*

Carnem teneriorem, &c.] Pisces, quadrupedes, aves recens captas venatores et aucupes urticæ foliis involvunt, ut minus et tardius corrumpantur. *Idem.*

Cap. xvi. *De carduo, et helxine, et tribulo, et anchusa.*

Helxine] Al. *ixine.* Idem.

Carduus et folio, &c.] Legendum, *Carduus et folia et caulem spinosæ lanuginis habet: item acorna, leucanthes, chal-*

denecos, polyacanthos, conopyges, helxine, scolymos. Ita scribit vetustissimus Thuanæus. Pro *chaldenecos*, lege *chalce, cnecos*. Et pro *conopygos*, lege *onopygos*. Salmas. 523. a, b.

Item acorna] Hæc ex Theophrast. Hist. I. 16. VI. 1. ubi φυλλάκανθα vocat, quæ hic Plinius *spinosa foliata* dicit. *Dalec.*

Chalceos, Cnicos] Scribo *cnecos*, non *cnicos*, ex Theophrasto, Galeno, Aëtio, Paulo, Dioscoride, et omnibus; ex quibus Theophrastus, Paulus, Aëtius, *cnecos* scribunt cum *e* longo: Dioscorides et Galenus cum *i*. Scribendum vero hoc loco esse *cnecos*, seu *cnicos*, non *cnidos*, ut putat Hermolaus, constabit aptissime legenti caput tertium libri sexti Theophrasti de Hist. Plant. *Pintian.*

Helxine] Leg. *Ixine*. Hoc vitium esse auctoris, non exemplaris, monstrat, quod is scribit XXII. 17. 'Sed nos qualis vera esset helxine, diximus superiori libro,' &c. *Dalec.*

Chamæleon] In Theophrast. Hist. VI. 3. legendum: πλὴν οὗτος φυλλάκανθος οὐκ ἀκανώδης. Cæterum cum spinosis hic sit foliis, acano caret. Vitiosus codex, qualis ad nos pervenit, fefellit Plinium. Chamæleon quidem niger, ut alii cardui, spinosis foliis est, verum aliorum modo ἀκανικὸν, id est, *spinosum* capitulum non habet, sed florem in umbella, quod ei peculiare est. *Idem.* *Chamæleon in foliis non habet aculeum. Est et illa differentia, quod quædam ex his multicaulia ramosaque sunt, ut carduus, uno autem caule, nec ramosum, cnicos*] Mendosa, ut conjicio, verba, et præpostere locata. Scribo: *Chamæleo in foliis non habet aculeum. Est et illa differentia, quod quædam in his multicaulia ramosaque sunt, ut cnecos. Uno autem caule et ramosum, ut carduus*; nam particula negativa *nec* in vetere codice non legitur. Theophr. VI. 3. 'Verum hæc omnia ejusmodi sunt, leucacantha, chalceos, cnecos, polyacantha, atractylis, onopyxos, ixine, chamæleo, verum hæc non habet folia aculeata. Sed præter prædicta discrimina distant inter sese, quod alia multis constant caulibus, ramososque fundunt, ut cnecos.' *Pintian.*

Quædam cacumine tantum spinosa sunt, ut eryngium] Falsum est eryngium cacumine tantum spinosum esse, auctore Dioscoride libro tertio. Quapropter non *eryngium* hic arbitror legendum, sed *rhutrum*, ex Theophrasto loco citato: 'Alia,' inquit, 'superius cacumine tantum sparguntur, quemadmodum rhutrum: et alia protinus primis imbribus germinant, alia post; nonnulla etiam æstate, ut quæ tetralix a quibusdam vocata est, et helxine. Pari modo et flores differentiam faciunt. Scolymus enim pulchre et diu floret.' *Idem.* *Cacumine tantum*] Theophrasto, eryngium adnata et caules in cacumine tantum habet, non autem spinas, ut inquit Plinius. *Dalec.*

Acorna colore tantum ruffo distinguitur et pinguiore succo] Scribendum reor, *Acorna colore tantum ruffo et pingui distinguitur a cneco.* Theoph. VI. 4. 'Acorna colore tantum ruffo et nitido distinguitur a cneco;' nam verbum λιπαρὸν *nitidum* ego vertissem, non *pingue*. Idem.

Rufo distinguitur] Ἐπιξανθῷ Theophrast. *flavescente*, Hist. VI. 4. *Idem.*

Funderet] Carni admota. Theoph. *Idem.*

Decocta] Et cruda Theophrast. *Idem.*

Est, radice, &c.] Diosc. 'Est, a radice foliosa.' Apud Theophrast. cujus exemplari depravato falsus est Plinius, legendum, 'ixine omnibus locis æque nascitur.' *Idem.*

Mastichen appellatam] Sic Theophrast. Dioscorides vero quibusdam in locis: 'Viscum circa radicem invenitur, quo mulieres utuntur pro mastiche.' *Idem.*

Et cactos quoque in Sicilia, &c.] Le-

gend. *Cactos quoque in Sicilia tantum nascitur, suæ proprietatis et ipse. In terra serpunt caules a radice emissi lato folio et spinoso: caules vocant κάκτους, nec fastidiunt in cibis, inveteratosque: unum autem caulem rectum habent, quem vocant πτέρνικα, ejusdem suavitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis quam pappum vocant, quo detracto et cortice, teneritas similis cerebro palmæ est: vocant Ascalian.* Salmas. 226.

Nec fastidiunt in cibis inveteratos quoque. Unum caulem rectum habent quem vocant pternica] Vetus exemplar: *Nec fastidiunt in cibis inveteratos. Condunt muria: caulem rectum habent, &c.* Theophr. VI. 4. 'Et reservare eos aqua salsa conditos consueverunt.' *Pintian.*

Ascalian] Apud Athenæum *ascaleton*, apud Theophr. *scalian*. Appuli circa Hydruntum etiam vocant *scalera*. Dalec.

Folio ad effigiem ulmi] Φύλλα πλατεῖα. Dioscor. legit φύλλα πτελέας. *Idem.*

Cicerculæ folia] Ciceris. Theoph. *Idem.*

Alteri harenaceum] Theophrastus VI. 4. 'sesamodes,' id est, sesamaceum. Utri igitur incuriæ crimen intendemus? Librarione, qui pro sesamaceum *harenaceum* scripsit, an Plinio nostro, qui cum in Theophrasto 'sesamodes' legisset, postea memoriæ lubrico putavit non 'sesamodes' legisse, sed 'ammodes,' et *harenaceum* transtulit. *Pintian.*

Apposito folio] Theophrastus eodem libro ἐτησίῳ folio, hoc est, *annuo spatio* durante, Græce dixit. Forte quis super verba *annuo spatio*, quibus Plinius verterat dictionem Græcam, verbum Theophrasti posuit *epetio:* postea librarius seu corrector indoctus pro *epetio*, *apposito* scripsit, derasis Latinis dictionibus. *Idem.*

Sequitur a frugibus aratro inimica] Locus videtur mutilatus. In vetere codice sic legitur, *Sequitur rarata frugibus inimica:* scribendum reor, *Nascitur terra arata frugibus inimica.* Theophrastus loco antedicto: 'Nascitur lento plenoque solo, et præcipue in segetibus atque cultis. qua de causa agricolis inimica exit.' *Idem.*

Aculeatarum caules, &c.] Ex Theophrast. VII. 9. hæc Plinius corruptissime citat. Theophrasti verba sunt: 'Differunt inter se herbacea, (ποώδη,) quod alia terræ instrata folia edunt, alia in caules, alia utrobique. Instrata terræ folia gignunt, (ἐπιγειόφυλλα,) coronopus, anthemon, anchusa, gramen, anemone, Aphyllantes, apargia, (argemone) plantago, apate. In caule folia mittunt, crepis, anthemum foliosum, lotos leucoion. Utrobique, cichorium,' &c. Mire hunc locum depravat auctor, ut et quæ sequuntur de herbarum comparatione cum arboribus. *Idem.*

Ut ejus quam coronopon vocant. E diverso stant anchusa inficiendo ligno cerisque radice apta. Est autem mitior anthemis, et phyllanthes, &c.] Legendum puto: *ut ejus quam coronopon vocant, et anthemis, et anchusa, et phyllantes, &c.* reliqua falso inserta puto. Theophr. VII. 9. 'Ab radice foliata, coronopus, anthemon, anchusa, poa, anemone, phyllanthes, apargia, arnoglosson, apate.' Ex quibus Theophrasti verbis constat, *apate* in Plinio legendum esse, non, ut perperam scriptum est, *aphace*. *Apaten* Theodorus *fraudem* vertit. Patet etiam ex eisdem Theophrasti verbis, vitiata esse hæc quæ sequuntur verba. *Pintian.*

Coronopum vocant] Dioscorides coronopum non serpere ait, sed terræ insterni, sive humi procumbere, κατὰ τοῦ ἐδάφους στρώννυσθαι, folia vero non quidem spinosa esse, verum in longum fissa κατεσχισμένα. Sic paulo ante cacti caules in terra dixit serpere, cum ii tantum humi jaceant. *Dalec.*

E diverso stant anchusa inficiendo ligno cerisque radice apta] Sic Gelenius, cum esset: *Et ex diverso stans anc. infic. lig. cerisque apta. Est autem mitior eis anthemis.* Pintianus audacter nimis: *ut ejus quam coronopon vocant, et anthemis et anchusa et phyllanthes;* reliqua falso inserta putat. Voss. *et diverso stant anc. inf. lig. cerisque radicis apta est ante mitioribus anthemis et phyllanthes.* Scribe: *E diverso stat anchusa inficiendo ligno cerisque radicis aptæ; stant e mitioribus anthemis et phyllanthes. Stat,* inquit, et *stant;* nam dixerat, *caules aliquarum per terram serpunt.* In quo si error est, auctori relinquendus est. Gud. quoque et duo Voss. *radice apta est ante mitioribus.* Gronov.

Caule foliato est et crepis, et apate] Scribendum enim est non *apate,* cujus paulo ante habita est mentio, sed quod mireris, *lotos;* sic enim antiquum præfert exemplar, et confirmat Theophr. VII. 9. 'In caule,' inquit, 'tantum foliata, crepis, anthemon foliosum, loton, leucoion,' &c. *Pintian.*

Caule foliato est et crepis et apate] Vossiani duo et Gudianus, *crepis et lotos;* tertius, *crepis et locos.* Academ. *crepis et lothos.* Scribe, *picris et lotos;* nam Theophr. VII. 9. Καὶ ἐπικαυλόφυλλα δὲ πικρὶς, ἀνθέμιον τὸ φυλλῶδες, λωτός. Noster XXII. 22. 'Picris ab insigni amaritudine cognominatur.' *Lotos* quoque Pintianus. *Gronov.*

Angulis, incisuris, odore, flore] Addenda duo verba ex vetere codice, *Jam vero angulis, incisuris, &c.* Pintian.

Aphace, &c.] Has duas postremas addit Plinius præter orationem Theophrasti VII. 9. illarum autem loco cichorium adscribit Theophrast. Capite vero 10. ejusdem libri, aphacam, onocheiles, plantaginem, cichorium proventum floris sui prorogare tradit. *Dalec.*

CAP. XVII. *Differentia herbarum per folia, et quæ herbæ toto anno floreant, et de hastula regia, et pistana, et gladiolo.*

In primisque heliotropio, adianto] Scripti quatuor, *adianto folia.* Optimus, *adianto pholia.* Scribe, *heliotropio, adianto, polio;* nam Theophrastus VII. 10. ἐπεὶ δὲ καὶ ἀείφυλλα τῶν τοιούτων ἐστὶν ἔνια, καθάπερ τὸ πόλιον, καὶ τὸ ἡλιοτρόπιον, καὶ τὸ ἀδίαντον. Et sic Theophrastum habere jam allegaverat ad marginem Dalecampius. *Gronov.*

Perdicium et aliæ gentes] Theophrastus non quidem in usum cibi venire scribit, sed esse grandi et carnosa radice, ut crocum et aspalacem, vel, ut alii legunt, *asphodelum.* Addit et crassas et plures habere radices, quam folia. *Dalec. Perdicium et aliæ gentes, quam Ægyptii edunt*] Supra dixerat, Ægyptios præ cæteris gentibus herbis vesci: nunc dicit, perdicium herbam etiam aliarum gentium cibum esse. *Gelen.*

Amara et aphace et quæ picris nominatur, et ipsa toto anno florens. Nomen ei amaritudo imposuit] Quoniam Hermolaus depravate hanc lectionem vult, subvereri se dicens, ut *apate* legend. sit, non *aphace,* admonere lectores libuit *aphace,* non ut putat Hermolaus, scribendum esse, tum ex antiquo apographo, tum ex Theophrasto libro septimo, capite undecimo. Enimvero temperare mihi hac parte nequeo, quo minus dicam risum mihi excitare Hermolaum. Inquirit enim tanquam rem subtilis indaginis, cur Theodorus herbam *apathen, fraudem* verterit. Tandem colligit, ob id a Theodoro inditum nomen *fraus,* quod edentes amaritudine fallat, cum vero Theodorus in plerisque nominibus vertendis aliam rationem quam etymologiæ sequatur, ut in picris quam 'amarago,' et onopyxos quam 'buxus asininus,' et cynops quam 'canis oculus,' et hypochœresis quam 'porcelliam' vertit, et aliis hujusmodi multis, in quibus et lusit et lusus est. *Pintian.*

Notabilis et scillæ crocique natura] Hæc ex Theophrasto Hist. VII. 12.

quod tamen de croco illic, Theophrastus de narcisso tradit vitioso exemplari. *Dalec.*

Cypiri] Phasgani Theophrasto, Xiphii Dioscorid. Inepte hoc Plinius. *Idem.*

Non dissimilis est, &c.] *Thesii radix gustu amara est, alvum tusa purgat.* Hæc tantum Th
t. de
cap. 11. lib. his
in
rate thesion pl
tissimi cum gl
esu jucunda, c
tror hunc locu
nendum,
imposuit,
xxii. 22.
elus ma
d hoc i
addit
volu
est
ntus,
d al
o i

dem es
ma ver
exempla
ditur et ca
semine, et i
cipua utilita
phrast. *Dalec*
Ut videtur
πλέον
Legib
imo ci

Idem.

Duo genera faciunt] Marem et fœminam, infra lib. xxii. cap. eod. in princ. *Idem.*

Manipulos] Vel ad pabulum pecorum, vel ad ædificiorum tecta, ut in multis locis Galliæ. *Idem.*

Item pistanam dicit a Græcis vocari] Scribo *idem*, non *item*, ut referat Magonem, ex antiquo exemplari. *Pintian.*

Palustrem] Sic a Magone vocari
o butomon Theophr. et acorum
vel juncum triangulum
cina
n. *Dalec.*
unco, genera sex, et
icamentis eorum, et
to junco.
Isidoro, quod ra-
iscum, scirpum,
m juncum esse
us et Isidorus
commendant,
id vero quo-
esse holo-
te cognos-
dem plan-

Alterum
unt, quod
invenio.
alenus
Dios-
vidi-
n;

errore suo hallucinans, imaginatus est cacumen in terra defigi, et sic juncum propagari tradidit rubi modo. *Dalec.*

Marem] Theophrasto holoschœnos, non oxyschœnos mas, tametsi probetur magis mihi hæc Plinii lectio, quam vulgati exemplaris Theophrasti. nam cum oxyschœnos mas semen non ferat, ex radicis bulbuloso capite is quotannis ut renasceretur, natura constituit. *Idem.*

Unciarum latitudinem] *Pollicis.* Libræ partes usurpantur etiam de pedis partibus, ut et XXXIII. 8. quo loco tractat de coticula. Pes autem pollices 12. ut libra totidem uncias continet. *Idem.*

Discutit duritias corporum] Dioscoridi radix gladioli panos discutit. *Idem.*

Quanquam professus, &c.] Lege: *quamquam professus efficacissimum esse adversus calculos. Os eo fovet.* Paulo post lege: *laus prima Hammoniaco, secunda Rhodio, tertia Theræo;* a Thera insula Cycladum una, vel, ut alii, Sporadum. Vide Salmas. 1000. a.

Abortus facere] Menses pellit Dioscoridi, perfrictionibus vulvæ, et præclusionibus medetur. *Dalec.*

Cyperos juncus est] Ineptissime Plinius cypirum a cypero distinguit. *Idem.*

Hammoniaco] *Armeniaco:* quamvis XII. 23. *Hammoniacum* vocari scribat, quoniam juxta oraculum Hammonis ferula ea nascitur, quod et de cypero nos existimare possumus, quoniam is maxime gaudet fontibus in arenoso loco scaturientibus, qualis est Jovis Hammonis fons, supra V. 5. *Idem.*

Confundit intellectum] Errorem suum Plinius olfacit. *Idem.*

Sed cyperos durissima] Idem paulo antea de cypiro scripsit. *Idem.*

Radix adversus serpentium ictus et scorpionum præsertim remedio est] Scri-: *Radix adversus serpentes et scorpionum ictus præsentis remedii est,* ex vetusto codice. *Pintian.*

Radix adversus serpentium ictus, scorpionum præsertim, remedio est] Notant e suis, *et scorpionum præsenti.* Vossiani duo, Gudianus, et Academicus, ut etiam Vetustior et Pintiani, *et scorpionum præsentis remedii est.* Sic XXIII. 26. 'contra serpentes et scorpiones;' et sæpius alibi. *Gronov.*

Capitisque dolores facit: at qui vocatur holoschœnos, ejus quæ proxima sunt radicis, commanducantur adversus araneorum morsus] Emendatior antiqua lectio: *Capitis dolores facit qui vocatur holoschœnos. Quæ proxima sunt, &c.* Pintian.

Somnum allici] Ὕπνον *somnum* vocat καταφορὰν *soporem.* Sic Galenus de semine papaveris: *ὑπνωτικὸν δ' ἐστὶν, εἰ δὲ καὶ πλεῖον ληφθείη, καταφορικόν. Dalec.*

Ob id stomacho utilis] De flore id Dioscor. *Idem.*

Ad muliebres usus decoquitur] Decoctum ad inflammationes vulvæ insidentibus fœminis utile. Diosc. *Id.*

Ungues vocantur] Diosc. ὄνυχας vocat. Asclepiades lib. IV. κατὰ τόπους, in ocularibus medicamentis, τοὺς λοβούς. *Idem.*

Capillus in capite] Capillum auctor supra c. 4. 'luteos apices' vocat. Diosc. τὸ ἐν μέσοις ῥόδοις εὑρισκόμενον ἄνθος, *florem qui in mediis rosis invenitur.* Idem vocat φύλλα, non *fruticis folium,* quod caules et ramos vestit, ut hic Plinius, sed *floris* veluti *laminas,* qua significatione sæpius usus est Plinius supra citato loco, et paulo post hoc ipso capite. *Idem.*

Calix] *Calix,* id quod flore lapso papposam lanuginem et semen continet: *cortex,* ut supra e c. 4. hujus lib. constat, flores, prinsquam in alabastros fastigietur, et tumescens dehiscat, involucrum. *Idem.*

Oleo aut vino maceratur] Oleo in confectionem unguenti rosacei, apud Dioscoridem I. 54. quamvis confectio

Alvo concita moriuntur] E Chifl. notant *alvo circa*. At tu lege cum fidissimo, *alvo cita*. Sic XXIII. 1. 'Alvo citæ signinum maxime condncere indubitatum est.' Et cap. 7. extremo de sorbis: 'nam recentia stomacho et alvo citæ prosunt.' Hoc quoque præcepit Pintianus. Acad. Gud. Menap. *concitata*. Andegav. *citato*. Gronov.

Urinam hominum] Hyginus apud Columel. *Dalec.*

Ad naves quotidie remeant, mutantes locum] Duo novissima verba falso adjecta suspicor. *Pintian.*

CAP. XIII. *De venenato melle, et de remediis mellis venenati, et mellis insani.*

Ut mella quoque venenata fiant] In heptacometarum arboribus venenati genus mellis nascitur, quod haustum stupefacit, et mentem consternat. Eo tres Pompeii cohortes in potum dato ab ea gente interemptas fuisse memoriæ traditum est. Rhod. XVIII. 30. Populos eos in Ponto Stephanus collocat, et Scythicum montem incolere scribit. Apud Trapezuntem in Ponto mel e buxo defluit gravis odoris, quo ἔκφρονες et amentes fiunt. Rhodig. XXIII. 35. *Dalec.*

Præcipue caprarum] De euonymo id Theophrast. Hist. lib. III. cap. ult. de rhododendro Dioscor. ob Aconitum venenatum esse idem auctor prodit, lib. VI. *Idem.*

Excrementa] Quæ sumpto eo melle rejiciunt ægri, sputo, vomitu, alvo. *Idem.*

Aliud genus in eodem Ponto gente Sannorum, &c.] Hi sunt, quos posterior ætas *Tzanos* vocavit, Lacis conterminos. Utraque Colchica gens fuit in clientela fideque Constantinopolitani Imperatoris. *Gelen.*

In eodem Ponto gente Sannorum] Sic Gelenius, cum legeretur, *in eodem Ponti situ viget ex annona mellis*. Tres codices, *in eodem Ponto situm gentes annonam*; ut et Andegav. nisi quod *annosum*. Potior, *in eodem Ponti situ gentes annorum*. Pintiani codex, *in eodem Ponti situ gente Sannorum*. Lege, *in eodem Ponti situ, gente Suanorum*. Poteras suspicari, *in eodem Ponti sinu*, ex Justini lib. II. 'Frustraque et Ponti sinum et Asiam edomitam esse dicit.' Sed Plinius ista voce sic uti gaudet. IV. 16. 'Ex adverso hujus situs Britannia insula.' Ubi male Pintianus opinatur legendum, 'Ex adverso hujus sita est.' XI. 1. 'Italiæ quoque partibus juxta et hieme et æstate fulgurat, quod non in alio situ.' XII. 19. 'In quo situ Liber pater educatus esset.' Sic XVI. 18. inscribit, 'De arborum natura per situs.' XXVII. 2. 'Necantque gustatu earum pantheras, nisi hoc fieret, repleturas illos situs.' XXXI. 4. 'Cessasse fontes amnesque, qui in eo situ multi erant.' XXXII. 1. de Arabia: 'Piscium adipe camelos perungi in eo situ, ut asilos ab his fuget odor.' Ita enim legendum, cum sit in scriptis omnibus 'perungui,' aut 'perungi,' quod mutarunt in 'perungere' propter corruptum 'fugent odore.' XXXIII. 4. 'Quo sit situ terrarum numen hoc, signavimus nomine.' Ita enim legendum. 'Suanos' habes et VI. 11. 'A portis Caucasiis per montes Gordyæos Valli, Suani, indomitæ gentes: auri tamen metalla fodiunt.' Etsi edatur 'Suarni.' Strabo l. XI. Οἱ Σοάνες δυναστεύουσι τῶν κύκλῳ, τὰ ἄκρα τοῦ Καυκάσου κατέχοντες, τὰ ὑπὲρ τῆς Διοσκουριάδος· βασιλέα δ' ἔχουσι, καὶ συνέδριον ἀνδρῶν τριακοσίων· συνάγουσι δ', ὡς φασι, στρατείαν καὶ εἴκοσι μυριάδων.... Παρὰ τούτοις δὲ λέγεται καὶ χρυσὸν καταφέρειν τοὺς χειμάῤῥους· ὑποδέχεσθαι δ' αὐτὸν τοὺς βαρβάρους φάτναις κατατετρημέναις καὶ μαλλωταῖς δοραῖς· ἀφ' οὗ δὴ μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. Restituendi sunt iidem Plinio XXXIII. 3. 'Jam regnaverat in Colchis Salauces et Esubopes, qui terram virginem nactus plurimum auri argentique eruisse dicitur in Suanorum gente, et alioquin velleri-

bus aureis inclito regno.' Sic Ms. vulgo 'Samnorum.' Diffido etiam vocabulo 'Esubopes;' nam idem liber insignis, 'salancesa et esubopes.' quasi vellet: 'Jam regnaverant in Colchis Salauces, Æetes, Ubopes.' Cæterum 'Suanos' et apud Ptolomæum visere potes, et in Tabula Peutingeri. Item in Excerptis legationum e Prisco rhetore, et Menandro Prorectore (ubi longa disputatio de 'Suanis' et 'Suania' inter Justini Imp. legatum et Persas) a D. Hœschelio vulgatis. *Gronov.*

Gensque ea cum ceram in tributa Romanis præstet] Præcipuus, *præstent.* Pro eo quod sequitur, *non vendit* legendum, quamquam scriptis non secundis, *non pendit;* nempe in vectigali sive tributo. XII. 26. 'Servit nunc hæc, et tributa pendit.' *Idem.*

Parum enim erat genuisse rem] Particula *enim* optimus non utitur. Livius lib. XXI. in Orat. Hannibalis ad exercitum apud Ticinum: 'Parum est, quod veterrimas provincias meas Siciliam et Sardiniam adimis: etiam Hispanias?' Plinius lib. IX. 35. 'Parum scilicet erat, in gulas condi maria, nisi manibus, auribus, &c. gestarentur.' Ibidem: 'Parum est, nisi qui vescimur periculis, etiam vestiamur.' Lib. XXXIII. procem. 'Parum enim erat unam vitæ invenisse pestem, nisi in pretio esset auri etiam sanies.' *Idem.*

Non enim ipsi melli, sed apibus jam] Iterum brevius: *non enim et ipsis jam apibus cuspides dederat.* Hoc est, quasi non apes ipsæ haberent, quo lædere possent, et hominem cautum esse minusque mellis appetentem cogerent. Et vulgatæ profecto sensus nullus, neque hic melli locus est. Acad. Gud. Men. *non enim ipsi sed apibus jam cuspides dederat.* Voss. alter, *non enim ipsi de apibus jam c. d.* Quasi vellent, *ipsis et apibus.* Idem.

CAP. XIV. *De melle, quod muscæ non attingunt, et alveariis, et cura eorum si famem sentiunt apes, et quomodo cera fiat.*

Orientem Æquinoctialem] Brumalem meridiem, Columel. solem hibernum, Pallad. *Dalec.*

E cortice] Suberis præcipue. Columel. *Idem.*

Secunda ferula] Addit Columell. e ligno cavatæ arboris, et in tabulas dissectæ e fimo, e latere. *Idem.*

Circumlini alveos, &c.] Et intus et extra, Varro. *Idem.*

Ambulatorium] Mobile, ut attolli et demitti possit. Varro lib. III. *Id.*

Si magnus sit alveus] Major quam pro numero apum. *Idem.*

Fallente operis incremento] Sic omnes nostri sine ulla suspicione. Seneca Nat. Quæst. III. 27. 'Natura ad originem rerum parce utitur viribus, dispensatque se incrementis fallentibus.' Nec minori elegantia Jurisconsultis alluvio dicitur 'incrementum latens.' Ineptus igitur ille librarius, qui subjecit *argumento:* nec tantum ei fidei debebat habere Pintianus, ut inde conjiceret *augmento.* Gronov.

Fimo bubulo] Columel. IX. 14. *Dal.*

Cognatum hoc iis] Ex juvenco cæso, sepulto, putrescente apes nascuntur. Archestratus in Epigrammatibus de apib. βοὸς φθινομένης πεποιημένα τέκνα: et rursum: ἵππων μὲν σφῆκες γενεὰ, μόσχων δὲ μέλισσαι. Varro. *Idem.*

Maturescit] Florescit. Columelle. *Idem.*

Tractas madentes passo] Carminatas, pexas, ut quasi per siphonem succum apes evocent. Columel. *Id.*

Crudas carnes] Exemptis interaneis. Columel. *Idem.*

Vasa mellaria, &c.] Μελιτηρὰ Galenus vocat lib. de documento pro epileptico: eaque idem exponit ἐξ ὧν ἐκενώθη μέλι. Acetum ex melle fieri probabile Rondeletio non est, sed potius ex propoli, quæ acidum olet. *Idem.*

Sporta collatis] Per juncos aut stramenta. Columel. *Idem.*

primo. *Pintian.*

Tinearumve vitio laborantibus, &c.] *Tineas* Plinius Latine reddit Græcorum ἕλμινθας, *lumbricos*, quod et multis locis in Dioscoridis versione Ruellius imitatur, ut capite de Thymo. *Idem.*

Geniluram consumit] Prodest iis, quibus genitura effluit. Dioscorid. τὴν γονὴν, τὸ σπέρμα. Græci præterea et θόρον vocant, quasi vim et impetum quendam; nam etiam θουρὸς, βιαῖος. id quod significavit Arnobius lib. v. cum scribit: 'Sancta et ferventia Numina vim vomuisse Lucilii.' Hesychius et αὐτομάτητα nominat, præsertim cum cogitatione aut memoria Veneris erumpit sponte, qualem his versibus Nonnus ostendit: Οὐ τόσον ἱμείρων ἐπεμήνατο Κυπρογενείη, Ἣν ποθέων ἀκίχητα, γονὴν ἔσπειρεν ἀρούρῃ, Θερμὸν ἀκοντίζων αὐτόσσυτον ἀφρὸν ἐρώτων. Festus notat sic effusam in terram genituram Aphris dici Bilbit, quod vocabulum fœditatem significat et confusionem. *Scaliger.*

Quarundam aliarum herbarum] Ut ranunculi. *Dalec.*

Rursusque opus quærunt] Ab ægro rursum advocati. *Idem.*

Vitia quæ sanaverint] *Rebellaverint*, non *sanaverint*, in eodem. Credo tamen legendum esse *debellaverint.* Pintian.

Polio Musæus, &c.] Legend. *Polio Musæus et Hesiodus petungi jubent, dignationis gloriæque avidos, polium tractari, colipolium contra serpentes substerni, suffiri, potari in vino, decoqui recens, vel aridum, inliniique. Vel splenelicis propinant in aceto.* Vide Salmas. p. 1067. b.

Stomacho tamen inutile esse] Non solum quod utilitatis nihil affert, sed etiam quod noxium est, ut inimicus, non solum qui amicus et benevolus non est, sed qui etiam malevolus. Horat. 'Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.' Duarenus I. 11. *Dalec.*

Aliqui negant] Quod Dioscorides scriptum reliquit. *Idem.*

Astringit] Falsum hoc, et præter medicinæ rationem, undecunque Plinius citaverit. *Idem.*

Contra ictus earum vesparumque et araneorum] Voss. auctior: *earum vesparumque et similium, sicut araneorum.* XXIII. 7. 'Vesparumque et similium venenis.' Notavit et Pintianus. *Gronov.*

Vulvarum strangulationes] Fungorum, μυκήτων, Dioscor. Plinius legit μητρῶν. *Dalec.*

Oculis medetur cum lacte aut cum lini semine] Scribe, *oculis medetur cum luteo ovi aut lini semine;* tum ex antiquo exemplari, tum ex Dioscoride libro tertio ad verbum. *Pintian.*

Vino dulci] Passo ad morbos supra recitatos. *Dalec.*

Meliceridas] Recentes per se cum aqua. Dioscor. *Idem.*

CAP. XXI. *De trifolio, et thymo, et hemerocalle, et de helenio, et abrotono.*

Myanthes] Menianthes quidam ideo dictum volunt, quod integro mense floreat: quidam quod ad Lunæ radios florem mittat: alii, quod floris foliola veluti lunata et falcata sint. Vide supra cap. 9. hujus libri. *Idem.*

Simus quoque medicus decocti] Tradunt quidam, ait Dioscorides, totius fruticis decoctum dolores finire illorum, quos serpentes percusserunt. At si eodem decocto cujuspiam alius foveantur ulcera, perinde affici, ac si serpens momorderit. Miraculi novitatem non satis Plinius explicat. Vide Galenum de Theriaca ad Pisonem. Idem fere narrat Ælianus de phalangiorum morsu, de Anim. XVII. 11. *Idem.*

Ergo non aliter utendum eo, quam contra venena, &c.] Scribendum *Ego*, non *Ergo*, ex vet. cod. *Pintian.*

Duo autem sunt genera ejus] Plinius suo judicio, et non veterum scrip-

torum, hæc statuit. Dioscoridi et Theophrasto unicum est thymi genus, foliis albis, quod in capillo florem habet. Nigrum vero zygis est. Inconsiderate Plin. ejus thymi florem nigrum esse putat, quod nigrum a Græcis vocari, præcipue a Theophr. legerat. Flos quidem in eo genere thymi subpurpureus est. *Dalec.*

Utraque oculorum] De thymo tantum albo id Dioscorides. *Idem.*

Cum aceto et sale] Dioscoridi cum sale et aceto potum pituitam per alvum detrahit: cum melle in ecligmate faciles excreationes facit. *Id.*

Lateralis dolor sit] E flatu melancholico. Diosc. *Idem.*

Prodest orthopnoicis et anhelationi] In eodem non *anhelationi*, sed *halenatoriis*: ut legendum putem *anhelatoribus*. Pintian.

Prodest et orthopnoicis et anhelationi] Voss. *et hanelatoris.* Scribe, *anhelatoribus.* Puta *πνευματίαις.* XXII. 34. 'Anhelatoribus et in tussi vetusta cum porro ex aceto datur.' XXIII. 7. 'Vesicæ semper utiiis et anhelatoribus ac suspiriosis.' Hoc quoque Pintian. *Gronov.*

Contra inflationes] De epithymo hoc Dioscorides. *Dalec.*

Impetus tollit impositum] Humorum fluentium et brevi phlegmonem excitaturorum irruptiones et epiphoras. *Idem.*

Coxendicibus imponitur et articularibus] Sic Gelenius. Vossianus: *coxendicibus imponitur cum vino, articularis morbis et luxatis tritum ac lana inspersum ex oleo, ambustis cum adipe suillo.* Pleraque horum jam in medium dederunt ex Chiflet. non *articularis*, in Andegav. quoque conspicuum, quod revocari flagitat *articulariis*, Pintiano jam notatum. Capite præcedenti: 'articularios morbos sedat.' Sic et XXII. 24. 'Item articulario morbo et nervorum infirmitate laborantibus.' XXV. 5. 'Podagris veteribus, articulariis morbis.' XXVIII. 16. 'Varicum dolores sedat fimi vituli cinis cum lilii bulbis decoctus, addito melle modico: item omnia inflammata et suppurationes: sed podagris et articulariis morbis, e maribus præcipue vitulis.' Ita enim ibi legendum; nam vulgo interjiciunt tria vocabula, 'minantia. Eadem res,' quæ Mss. ignorant. Continenter Vossianus: 'suppurationes et podagris.' XXXII. 4. 'Paralysin et articularios morbos sentientibus.' Et his quidem locis salvi etiam vulgati codices. Sed et sic legendum XXII. 13. 'Articulariis morbis et podagris plurimi.' XXIII. 1. 'Item carbunculis, articulariis morbis.' Et cap. 3. 'Podagris incipientibus, item articulariis morbis.' Et 9. 'articulariis morbis et collectionibus.' XXVIII. 9. 'In lepris, elephantiasi, articulariis morbis.' XXXI. 6. 'In tenesmis articulariisque morbis.' XXXII. 9. 'Podagris articulariisque morbis utile est oleum.' Omnibus enim his locis præstantissimum liber 'articularis.' Sic et eodem cap. 9. lib. XXXII. 'Morbo regio, articulario, inflationibus,' eædem membranæ, ubi vulgo 'articulari.' Denique statim post verba e cap. 21. hujus libri proposita: 'Dant et potionem articularis bonis trium obolorum pondere in tribus cyathis aceti et mellis, in fastidio tritum cum sale.' Sic Ms. Forte, 'articulariis novis.' *Gronov.*

Radice odorata] Εὐμεγέθη, *magna.* Plinius legit *εὐώδη, odorata.* Dalec.

Ab Homero] Locus est Odyss. Δ. 221. *Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον, Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. Idem.*

Succi prædulcis] Hoc falsum, si de inula Plinius scripsit. Suspicor Plinium, aut libertum ejus scribam, reddere voluisse quod Dioscorides ait, Helenium passo conditum stomacho utile esse, ac salgamarios radicem parum siccatam, decoctam, refrigeratam, in sapam conjectam recondere. Inulas in horto Columella vo-

cat *tristes*, id est, ingratas et insuaves. Horat. Sat. vi. amaras: 'inulas ego primus amaras,' &c. *Idem.*

Et dulcis] Hoc falsum. *Idem.*

Et contra serpentium ictus ex vino] Dioscorides id de Helenio secundo. *Idem.*

Hoc fœminam, illud marem intelligi volumus] *Hoc fœminam, illud marem intelligentibus volunt*, vetus codex legit: ut putem scribendum: *Hoc marem, illud fœminam intelligi auctores volunt.* Pintian.

In utroque] In fœmina candorem foliorum cum seriphio Dioscorides comparat: in mare ramorum gracilitatem cum absinthio. *Dalec.*

Usus est et foliis] Voss. unicus, *Usus et foliis:* sine verbo. Dein, *orthopnœne vulsis.* Lege, *orthopnœæ, convulsis.* Gronov.

Vulvæ] Mensibus et suppressis et remorantibus. Dioscor. *Dalec.*

Oculorum inflammationi illinitur] Hic subito media pagina sistunt Gudianus, Andeg. Menap. reliquo ejusdem aliquot paginarum sive columnarum, ut vocant, spatio vacuo. Desunt omnia, quæ hinc continuantur usque ad xxii. 21. extremum, ubi est: 'purgatiores' (sic enim iidem pro 'pugnaciores') 'fieri putant in cibum eorum additis, pecorique esse utilissimos.' *Gronov.*

Cap. xxii. *Ex leucanthemo et sampsucho medicinæ.*

In Cypro] Et Cyzico. Dioscorid. *Dalec.*

Menstruis] Trahendis, in pesso subditum. Dioscor. *Idem.*

Sampsuchinum] Et amaracini et sampsuchini descriptio extat apud Dioscoridem. *Idem.*

Cap. xxiii. *De anemona medicinæ.*

Anemonas] Anemonem Ovid. Met. x. 'Adonidis florem' his verbis appellare videtur: 'sic fata cruorem Nectare odorato sparsit; qui tactus ab illo Intumuit; sicut fulvo pellucida cœlo Surgere bulla solet: nec plena longior hora Facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus. Qualem, quæ lento celant sub cortice granum, Punica ferre solent; brevis est tamen usus in illo. Namque male hærentem, et nimia levitate caducum Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.' *Idem.*

Flos nunquam se aperit, nisi vento spirante; unde et nomen accepit] Voss. *accepere.* Nempe anemonæ, quarum de pluribus generibus locutus est. *Gronov.*

Succum] Croceum, ut argemone: candidum, ut papaver. *Dalec.*

Asparagi cacumen] Tale cacumen spectatur in planta, quam pro eranthemo Dodonæus pingit ii. 21. et in ea, quam pro buphthalmo idem monstrat c. 22. libri ejusdem. *Idem.*

Prosunt anemonæ, &c.] Succo naribus infuso purgat caput. Dioscor. *Idem.*

Lacti quoque] Folia et caules in cibo cum ptissana sumpti copiam lactis præbent. Diosc. *Idem.*

Decocta oculorum epiphoras] Adde duo verba, *et cicatrices*, ex vetusto exemplari: *Decocta oculorum epiphoras et cicatrices.* Pintian.

Magi multum quidem iis tribuere] Notant in margine *quidam*, ut et in Academico est: sed Vossianus, *multum quiddam.* Sic xxii. 2. 'Immensum quiddam et hinc sumpsere.' *Gronov.*

Postea alligari florem panno roseo] Non *roseo* in eodem, sed *russeo* legitur. *Pintian.*

Cap. xxiv. *De œnanthe medicinæ.*

Œnanthe herba, &c.] Apud Athenæum lib. x. canes inebriantur esu τῆς οἰνοίττης. Lego, τῆς οἰνάνθης. Eo tamen nomine fortassis τὴν ὀνάγραν Dioscoridis significat. *Dalec.*

Pastinacæ] Staphylini. Dioscorid. *Idem.*

Numerosa] Dioscoridi radix non est numerosa, sed in numerosa rotunda capitula extuberat. Alia est

œnanthe coronaria Theophrasti supra memorata, cap. 11. hujus libri, flore albo, racemoso, labruscæ simili. Observandum œnanthen significare nunc herbam hic descriptam; nunc coronarium florem modo memoratum, quem nostrum lilium convallium esse puto; nunc labruscæ florem. *Idem.*

E melle tollunt] Mulso, Dioscor. *Id.*

Vesicæ vitiis medetur] Stranguriæ, Dioscor. *Idem.*

CAP. XXV. *De heliochryso medicinæ.*

Deos coronant illo] Hoc fit etiam hodie a rusticis nostris. *Idem.*

In frutectis] Asperis, et torrentium alveis. Dioscor. Plinius legit, δρυμώδεσι. *Idem.*

Ambustis cum melle imponitur] Ex Theophrast. Χρῶνται δὲ αὐτῷ πρὸς τὰ δακετὰ ἐν οἴνῳ, καὶ πρὸς τὰ πυρικαυστὰ, κατακαύσαντες, καὶ μίξαντες μέλιτι. *Id.*

CAP. XXVI. *Ex hyacintho medicinæ, et lychnide.*

Lychnide] Chifl. *Lichniti.* Idem.

Hyacinthus in Gallia, &c.] Lege: *Hyacinthus in Gallia eximie provenit. Hoc ibi locorum Hysginum tinguunt, &c.* Vide Salmas. p. 272. b. et 1225. a, b. *Hyacinthus in Gallia, &c.*] Plinius inepte hic appellat hyacinthum arborem, quam XVI. 18. vaccinium nominavit, e cujus fructus succo purpura tingitur. Vide quæ infra adnotata sunt XXXVI. 5. Legendum: *hoc ibi, e rubia pro cocco, hysginum tingitur;* nempe color similis hysgino vero; quod fit primum e cocco, deinde e Tyria purpura. Supra IX. 41. Quin et vaccinium ipsum etiam hysginum vocatur. *Dalec.*

Dulci illita] Albo, Dioscorid. *Idem.*

Abrotono datur] Vino, Dioscor. Legit Plinius ἀβροτόνῳ pro οἴνῳ. *Idem.*

CAP. XXVII. *Ex vincapervinca medicinæ, rusco, bati, et acino.*

Chamædaphne] Vincampervincam nos quidem apud Dioscoridem etiam daphnoeides vocari legimus, sed non chamædaphnen. Fallitur hic Plinius. *Idem.*

Hydropicis] De chamædaphne cathartica, non autem clematide, cujus adstringens facultas dysenterias et diarrhœas cohibet, verum id est. Plinius hæc ignoranter confundit. *Idem.*

Tortuosiore urina] Molesta, torquente. Sic στραγγουρίαν reddit. Tortuosiore igitur, quæ velut tortuosa exit, ob crassum humorem impactum urinario meatui, vel ob hypersarcosin in urinæ via extumescentem, lotiique meatum impedientem. *Idem.*

Ad virilia] Virilium morbos, præsertim urinæ difficultates, et calculos. *Idem.*

Alvum mollit] Imo potius urinam ciet. *Idem.*

Ciet menses et urinas] Dioscoridi vero menses et alvum pota sistit. *Idem.*

CAP. XXVIII. *Ex colocasia medicinæ.*

Acria corporis leniri putavit] Dioscorides commendat ad dysentericos et cœliacos. *Idem.*

CAP. XXIX. *Ex anthalio medicinæ.*

Anthalii] Malinathallæ, Theophr. Hist. IV. 10. de qua supra. Ea est nostris, *thrasi.* Idem.

Sabulosis apricis nascens] Ὑφάλμυροις, Dioscor. *subsalsis.* Idem.

Hirsutior] *Densior,* δασυτέρα. *Idem.*

Prior vulvis] Utraque inflammatis vulvis. Diosc. *Idem.*

Doloribus] Nephriticis. Dioscor. *Idem.*

CAP. XXX. *De parthenio medicinæ.*

Bibitur in stranguria renumque doloribus] Chifletianus *anseris* pro *doloribus,* unde quidam *ulceribus,* inquit Dalecampius. Vossianus quoque, *renumque anseris tribus drachmis.* Conjicio, *reniumque arenis.* Sic XXII. 21. 'Potum id pellit tænias et renium arenas.' Et sequenti, 'lapides renium.' Item, 'calculisque et arenis pellendis et vesicæ pruritibus.' XXIII. 3. 'Medentur enim arenosæ urinæ.' XXV. 13. 'extrahere renibus arenam.' Semper autem codex optimus *renium*

pro *renum:* plerumque et alii. Academicus quoque hic mutilus. Continuat enim: 'imposita et vulneribus bibitur etiam in duritia vulvarum.' *Gronov.*

Celsus apud nos] Perdicium, sive muralium, etiam parthenium vocari, cum Celso Dioscorides testatur. Verum parthenium, quod hic describitur, et amaracum, sive leucanthemum, nominari Plinius ait, nusquam perdicii, vel muralii, nomen habet. *Dalec.*

Flore albo] Flore per ambitum candido, intus melino, odore subviroso. *Idem.*

Cum melle] Cum oxymelite vel sale pota, epithymi modo. Dioscorid. *Idem.*

Bilem detrahit atram] Bilem et pituitam. Dioscor. *Idem.*

Contra vertigines utilis] Asthmata. Diosc. *Idem.*

Cum axungia inveterata] Inflammationibus cum flore. Dioscor. Plinius legit pro σὺν τοῖς ἄνθεσι, σὺν στέατι. *Idem.*

Cap. xxxi. *De strychno medicinæ.*

Coronarii in Ægypto] Solo fructu Halicacabi coronarios uti, et cum coronis intorquere, non autem hortensis utriusque vel folio, vel flore, vel fructu, Dioscorides ait. *Idem.*

Cui acini coccinei, granosi folliculi] Vetus exemplar: *cui acini coccinei granosi, in folliculis.* Forte legend. *cui acini cocci grano in folliculis.* Pintian.

Quoniam vesicæ et calculis prosit] *Vesicariam*, φυσαλίδα, potius; quoniam inflatæ vesicæ folliculus similis est, qui fructum amplectitur. *Dalec.*

Ocimi] Ἐδζόμου, non ὠκίμου, *erucæ.* Diosc. iv. 74. *Idem.*

Demonstranda remedia, non venena, tractanti] Chiflet. *tractantibus.* Subscribit Vossianus: sed habet præterea *demonstrando*, ut referatur ad τὸ *tertio*, quod multo commodius. *Tertio* (generi strychni) *folia sunt ocimi, minime diligenter demonstrando remedia, non venena, tractantibus.* Confirmat utrumque liber Academiæ. *Gronov.*

Succo] De radice, Diosc. *Dalec.*

Drachmæ enim pondere] Lege: *Drachmæ enim pondere lusum gigni dixerunt, species vanas, &c.* Salmas. 1086. b.

Lusum pudoris, &c.] Nam qui drachmæ pondere sumunt, inter dormiendum cum formosis puellis viri, cum pulchris adolescentibus fœminæ, rem habere exercereque se Venerem somniant. Theophrastus habet: οὕτως ὥστε παίζειν, καὶ δοκεῖν ἑαυτῷ κάλλιστον εἶναι. *Ut lasciviat qui sumpsit, et sibi videatur formosissimus.* Vide Lacunam in Dioscor. cap. de Solano. *Dalec.*

Dorycnion appellavere] Vide Plutarchum opusculo περὶ ἀοργησίας. Aliud est dorycnium Dioscoridis. *Idem.*

Passim nascente] Inepte hoc Plinius. Rarissima planta est, et hoc seculo nulli cognita. *Idem.*

Qui parcius spectaverant, manicon cognominavere] In eodem non *spectaverant;* sed *inspectabant*, legas. Scribo: *Qui parcius in iis peccabant, manicon cognominavere:* ut per gradus crescat oratio; primo innocentissimi; deinde parcius peccantes; ultimo nequiter occultantes. Significat autem illud *in iis*, ex his auctoribus. *Pintian.*

Qui parcius spectaverant, manicon cognominavere] Sic Hermolaus, cum esset, *spectabatur, magi cognominavere.* Pintiani liber, *inspectabatur;* ipse, *qui parcius in iis peccabant.* Chiflet. *inspectabant, manicon nominavere.* Vossianus, *inspectabantur;* Academicus, *spectabantur;* uterque autem et, *manicon nominavere.* Fuit, opinor: *Qui parcius insectabantur, manicon nominavere.* Tria nomina noxiæ ait herbæ imposita: *innocentissimos auctores*, qui infamare illam voluerint, et quantum in ipsis erat, cavere, ne cui

noceret, vocasse *dorycnion: qui nequiter occultabant*, et virus ejus ex nomine notum nolebant, *erythron*, aut *neurada:* qui mediam secuti sunt viam, ut non perterrerent vocabulo, et tamen ostenderent subesse quid periculi, eos dixisse *μανικὸν, insaniam* scilicet, non præsentem mortem, ejus usu metuendam significantes. *Gronov.*

Manicon] 'Ἀπὸ τῆς μανίας, *ab insania furiosa* sic dicta, vel ἀπὸ τοῦ μένειν, quod *pertinax* difficillime curetur; vel ἀπὸ τοῦ μονοῦσθαι, quod ægri *solitudinem* captent; vel ἀπὸ τοῦ μανοῦ, quod mentem *laxet* atque *remittat*. Hadr. Junius IV. 7. *Dalec.*

Opio velocius ad mortem] Somnificam vim habet opio mitiorem. Diosc. *Idem.*

Morion] Aliud est morion Theophrast. descriptum a Dodonæo III. 90. *Idem.*

Mira oblivione innocentiæ, quippe præsentaneum venenum, &c.] Parmensia exemplaria, et nonnulla recentiora, *inducentes* legunt, non *innocentiæ*. Ego hunc locum sic scribendum reor: *mira oblivione hi. Docentes quippe, &c.* claudicante alias sensu. *Pintian. Mira oblivione, &c.*] Mira oblivionis innocentia. Oblivionem enim affert iis qui sumpserunt, sed citra noxam valetudinis. *Dalec.*

Mira innocentiæ oblivione] Dalecampius format, *mira oblivionis innocentia;* adferre enim oblivionem iis, qui sumpserunt, sed citra noxam valetudinis. Pintianus, quia Parmense exemplar *inducentis*, pro *innocentiæ*, conjectat: *mira oblivione hi. Docentes quippe.* Nimirum jam ab Jo. Andrea usque ad Gelenium, opinor, impressa exemplaria vitiose, *minore oblivionum inducentes*. Sed recte quisquis ille, *mira oblivione innocentiæ;* nam Plinius in Diocle et Evenore ac Timaristo accusat *oblivionem innocentiæ*, qui tam periculosam herbam laudarint: quemadmodum paullo ante *innocentissimos* vocavit, qui nomine ipso absterruerint ab ejus usu. *Innocentia* medici est non monstrasse, quod majori discrimine adhibeatur quam toleretur, contra quod adhibetur, malum. Hoc lib. c. 25. 'Quanto innocentior alica?' XXVIII. 1. 'Quis veneficia innocentiora fecit, quam remedia?' XXIX. 1. 'Illa autem, quæ timuit Cato atque providit, innocentiora multo, et parva opinatu.' Dein legendum videtur: 'Quippe præsentaneum remedium ad dentium mobiles firmandos, si colluerentur halicacabo e vino: exceptionem addidere, ne diutius id fieret.' Nam Voss. 'hauecaccabon vino excepit.' Acad. 'alii cacabon vino.' *Gronov.*

Ad dentium mobiles firmandos si colluerentur: halicacabo uni exceptionem addidere] Vetus exemplar non *halicacabo uni*, sed *halicocabon vino* præfert. Scribo, *si colluerentur halicacabo in vino*. Pintian.

Exceptionem addidere] 'Corymbi duodecim,' inquit Dioscorides, 'hydropicis dantur: si quid numero adjiciatur, alienationem mentis faciunt.' Longe aliter hæc Plinius refert. *Dalec.*

Delirationem enim gigni eo. Nec demonstranda remedia, &c.] Puto luxatum esse ordinem verborum, legendumque: *delirationem gigni. Neque enim demonstranda remedia, &c.* Pintian.

Delirationem enim gigni eo. Nec demonstranda] Pintianus luxatum esse ordinem verborum censet, scribitque *delirationem gigni: neque enim demonstranda*. Voss. et Acad. ignorant τὸ *Nec*. Scribe: *delirationem enim gigni. En demonstranda remedia, quorum medicina majoris mali periculum adferat!* Per ironiam, quam continuat etiam in sequentibus, etsi vulgo id non appareat. Sic autem volunt scripti: *Commendetur ergo cibis tertium genus licet: præferatur hortensiis saporibus: et nil sit corporis malorum, cui non sa-*

lutarem stychnon Xenocrates prædicet! Alia etiam ex Chiflet. annotarunt: *commendetur* primi prodimus ex Voss. et Academico. *Hortensiis saporibus* fecimus ex more Plinii: quod si meminisset Pintianus, temperasset ex apographo suo laudare *hortensium*. Illud, *cui non salutare strychnos*, si quis tenere malit, quia et Chiflet. et Voss. affirmant, instar illius, de quo etiam supra, 'Triste lupus stabulis,' possis tentare: *et nihil esse corporis malorum, cui non salutare strychnos, Xenocrates prædicet*. Gronov.

Commendatur] Hæc si accipiantur de halicacabo, ut revera accipienda sunt, dissentit Plinius a Dioscoride, qui halicacabum ait οὐ βιβρώσκεσθαι. Tertium genus vocat, quoniam hortense duplex est, alterum baccis nigris, alterum flavis. *Dalec.*

Licet præferatur hortensis saporibus] *Hortensium*, non *hortensis*, in apographo nostro. *Pintian.*

Ut vel profutura de iis commemorare fas putem] In Apographo nostro, *ut id pletura nos de iis, &c.* Scribo, *ut ideo læsura nos de iis, &c.* Idem.

Non tamen auxilia eorum tanti sunt, ut vel profutura] Hoc commode subnectitur, sed non melius tractatum. Jo. Andreas et olim editi: *ut vel profutura non de iis commemorare nephas* (vel, *nefas*) *putem*. Acad. *ut in pictura non de his commemorare nephas putem*. Pintiani codex, *ut id pletura nos de iis;* unde conjicit, *ut ideo læsura*. Chiflet. *ut id pleutura nos de his;* unde conjiciunt, *ut ideo plura de iis*. Vossianus, *ut id pletura nos de his*. Sensum deprehenderunt, opinor, sed nimium licenter a veteri scriptura discesserunt vulgatæ architecti. Vide numquid propius illam sit: *uti vel curationes de his commemorare fas putem, præsertim in tanta copia innoxiorum medicaminum*. Gronov.

Halicacabi radicem bibunt] Mss. leg. *Halicaccabi radicem bibunt qui vaticinare gallantes quo vere ad confirmandas superstitiones aspici volunt:* non pro insano fecerit qui corrigendum contendet: *qui vaticinari Gallantesque furere ad confirmandi sup. asp. se volunt;* qui volebant aspici furere gallantes et vaticinari, quasi ab alicujus numinis inspiratione immisso furore, quia id pertinebat ad confirmandas religiones, radicem Halicaccabi solebant bibere, ut ἔκστασιν inde concciperent et numine repleri viderentur. *Gallantes* de Gallis matris Idææ vel Deæ Syriæ sacerdotibus, ut Bacchantes de Bacchis. *Salmas.* pag. 1087. a, b.

CAP. XXXII. *De corchoro, et de cnico.*

Corchorum] Diversum hoc olus est ab anagallide, quam etiam corchoron vocari ait XXIII. 13. 'Corchorus ob amarorem in proverbium abiit, foliis ocymum æmulatur, coctus estur.' Theophr. Hist. VII. 7. Auricula muris, tragi. *Dalec.*

Præcordiis (*ut ferunt*) *utilis*] In vetere codice, *præcordiis ferunt utilem*. Pintian.

Sive atractylide] Inepte cum cnico atractylidem confundit, ut et supra. *Dalec.*

Verbosius dici par esset, Ægyptia herba, ni magnum præberet, &c.] In V. C. *verbosius dici par esset Ægyptiam herbam magnum contra venenata animalia præbere auxilium*. Legendum reor: *Verbosius dici par est, quam Ægyptiam herbam magnum contra venenata animalia præbere auxilium*. Et paulo post, *herbam eam:* non retro, *eam herbam*. Pintian.

Contra venenata animalia] Scorpionum ictus. Dioscor. *Dalec.*

Non sentire cruciatum] Deposita vero statim recrudescere. Diosc. *Idem.*

CAP. XXXIII. *De persoluta.*

CAP. XXXIV. *De mensuris et ponderibus.*

De persoluta] Officinarum petasites, ut quidam censent, Iphyum Theophrasti, coronaria planta, quæ florem edit ante folia. Vide infra XXV. 9.

Petasitis certe alterum genus, quod marem vocant, florem edit rubrum et odoratum; alterum, quod fœminam appellant, candidum et inodorum. *Dalec.*

Drachma Attica (fere enim Attica observatione medici utuntur) denarii argentei habet pondus] Hinc ipse passim, ubi apud Græcos auctores *drachmis* definiri pondera invenit, modo drachmas retinet, modo *denarios* subjicit. *Gronov.* de Sestert. 192. 193.

Attica observatione, &c.] Ex Celso v. 17. et Scribonio Largo constat drachmas argenteas, quæ Romani denarii sunt, septem unciam fecisse. Quare in libra, quæ 12. unciis constat, 84. drachmæ numerantur. At vero drachmæ Atticæ, sive medicæ, octo unciam efficiunt; qua ratione in libra drachmæ sunt 99. Incogitanter Plinius has drachmas confundit. *Dalec.*

LIBER XXII.

PROŒM. *Complesse poterant miraculum sui natura atque tellus, reputantium vel prioris tantum voluminis dotes*] Tria illa verba, *vel prioris tantum*, non habentur in antiquo codice. Reliqua mutato ordine sic lego, *Complesse poterant miraculum natura atque tellus, reputantium voluminis sui dotes atque genera, &c.* Pintian.

CAP. I. *De gentibus, herbis formæ gratia utentibus.*

Corpora sua inscribunt] Στίζονται. inde inscripti, οἱ στιγματίαι· et apud Plin. *inscripta gagate fictilia*, ἐστιγμένα τῷ γαγάτῃ. *Salmas.* p. 258. b.

Simile plantagini] Lege, *Simile plantagini guastum in Gallia vocatur.* Salmas. pag. 254. b.

Glastum] Cæsar Bell. Gall. lib. v. Victorius XIX. 3. putavit esse luteum Vitruvii, sed falso. Britannos dimicaturos glasto quoque infectos fuisse, ut essent formidabiliores, scribit Alex. ab Alex. I. 20. *Dalec.*

CAP. II. *Quod herbis vestes inficiantur.*

Jam vero infici vestes, &c.] Legendum: *Jam vero vestes scimus infici admirabili fuco. Atque ut sileamus Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ, Hispaniæ cocci granum Imperatoriis dicatum paludamentis, Transalpina Gallia herbis Tyria atque conchylia tingit, et alios omnes colores, nec quærit in profundis murices, seque objiciendo escam dum præripit belluis maris, intacta etiam anchoris scrutatur vada, ut inveniat per quod facilius matrona adultero placeat, corruptor insidietur nuptæ. Stans et in sicco carpit, quod frugi non oderit, culpa non abnuat: usu alioquin fulgentium instrui poterat luxuria certe innocentius.* Coccum hic vocat fruticem ipsum. *Salmas.* pag. 272. a. et 1147. b.

Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ granis coccum] Sic Mss. Editiones priscæ nonnullæ *cocci granum*, quod præfert Salmasius; fatetur tamen posse retineri ex antiqua lectione, *grani coccum*; nam coccum pro ipsa tinctura coccinea usurparunt, inquit. Recte hoc: sed retinenda est ἀλόκληρος antiqua lectio: quippe *granis coccum* dixit Plinius, ut 'ære trabes:' coccum, qui color paratur e granis regionum istarum fœtu. Neque secus accepit, ne quem sua laude fraudem, vir excellentis doctrinæ et facundiæ florentis Octavius Ferrarius in opere præclaro de Re Vestiaria Par. I. lib. I. c. 7. Cæterum grana illa, non Africæ et Lusitaniæ modo, sed etiam Galatiæ, mihi subjecerunt cogitationem, ea de

voce corruptum vocabulum, quo nobilissimum colorem 'scarletum,' 'escarletum,' 'scarlatum,' 'squalatam' media cœpit ætas dicere: unde vulgares hodie linguæ, *scarlato*, *escarlate*, *escarlata*, *iscarlattino*, *scarlet*, *scharlaak* acceperunt. Videre licet Lipsium Saturnal. I. 5. Resendium Antiq. lib. I. Cl. Salmasium tot locis ad Solinum, Gerhar. Jo. Vossium in Glossario, Th. Reinesium Var. Lect. III. 10. et Epist. 31. ad Casp. Hofmannum, Æg. Menagium in exquisitissimis Originibus, qui viri præstantissimi omnes et multo plures, quum aliquid scribant hnc facile ferens, non sunt ausi tamen dicere, quod verum puto, *scarlatum* ex *Galatico* esse flexum; sed ex una vulgari lingua in alteram id transferunt, quum omnes vulgares acceperint e Latio. Nimirum etsi hæc grana non uno sub cœlo provenirent, prævaluit tamen *Galaticus coccus*, et sæpius appellatur. Plinius IX. 41. 'Coccum Galatiæ rubens granum aut circa Emeritam Lusitaniæ in maxima laude est.' Idem XVI. 8. 'Omnes tamen ejus dotes ilex solo provocat cocco. Granum hoc primoque ceu scabies fruticis parvæ aquifoliæ ilicis: cusculeum vocant: pensionem alteram tributi pauperibus Hispania donat: gignitur et in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia.' Ubi Sig. Gelenius quasi ex 'cusculiato' 'scarlatum' factum conjicit. Tertullianus de Pallio cap. 4. 'Latioris purpuræ ambitio et Galatici ruboris superjectio.' Symmachus Epist. III. 25. 'Quod remunerandum me de Galatia pollicеris.' Ubi æstuat Juretus, et depravatum locum censet, signatque asterisco. Non enim viderat Marinianum ob subitum iter hieme anni a Symmacho petisse vestes pingues et frigori pellendo idoneas, cum pollicitatione, se pro iis Galatico cocco tinctas ei redditurum. Prius his verbis exponitur: 'Amabili enim fiducia usioni tuæ præbenda mandasti, quæ peregrinatio hiberna poscebat.' Sic enim legendum, ubi 'Aufioni,' 'Ausioni,' 'Ausoni,' 'Ausoniæ' fecerunt. At 'usioni tuæ' est, in tuum usum. Arnobius lib. VII. 'Colunt enim Dii vineas, et ad suas usiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum.' Ubi etiam monstra erant olim. 'Præbenda' illa paulo post dicit 'vestes' et 'indumenta.' Posterius istis, quæ jam posuimus, 'remunerandum de Galatia,' ubi 'Galætia, Gallacia, audacia' fingendo bonum Juretum irritum habuerunt. Præcipuum igitur nomen cocci Galatici 'scarlato' appellando occasio fuit. Nec mutatio in literis facta homini in originibus linguæ Latinæ mediocriter versato mira potest videri; nam τὸ Σ multis vocabulis in initio præposuisse alios, alios resecuisse, notavit olim Angelus Caninius: sic γρύτη, σγρύτη, *scruta*: sic 'scaldare,' 'eschaufer,' quasi ex 'calidare.' Sed et G quam facile migret in C, neminem præterit. Canina autem litera ut gaudeat interponi, ex στύπος, *stirps*; ἄφλαστον, *aplustre*; ᾤα, πέζα ἱματίου, *ora*; νυὸς, *nurus*; φραγέλλιον, *flagellum*; perdix, perdrix; Londinium, Londres et Londra; diaconus, diacre; thesaurus, tresor; et plurima talia ostendunt. Sed et syllaba aliqua vocem mulctare aut contrahere barbarici oris proprium est. *Gronov.*

Tingit] Id vacciuio fieri tradit XVI. 18. *Dalec.*

Stans et in sicco carpit quod frugi mundos exsculpat. His alioqui fulgentibus, &c.] Depravatissima verba, et codex etiam antiquus depravatus, in quo sic leges: *Stans et in sicco carpit frugem qua mundus sine culpa non absit.* Et *fulgentius* præfert exemplar antiquum, non *fulgentibus*. Pintian.

Quo frugi mundos exculpat] Mirifice vexatus locus, quem tentat et Salmasius ad Solinum p. 1147. Pintianus: *carpit frugem, qua mundus sine culpa non absit. Frugi mundos* ab Hermolao

est: *His alioqui fulgentibus* a Gelenio. Ms. Acad. *quo frugem odoret culpant ablui usu alioqui fulgentius.* Vossianus: *quo fruge modo sed culpa non ablui usu alioqui fulgentius.* Suspicabar: *Stans et in sicco carpit, quo fruges modo: sed culpa non placuisse usui: alioqui frugalius instrui poterat luxuria, certe innocentius.* Stans, inquit, non natans, inque solido, ut fruges demetit, ita carpit herbas, quibus Tyria atque conchylia omnesque alios colores tingat. Nec quicquam abest præter fastosum usum, quem penes arbitrium est et norma etiam vestium. Absque quo foret, minore sumptu instrui poterant quantumvis nitidi, certe, ut non causam tot pereuntibus murilegulis darent. *Gronov.*

Nec committemus ut subjiciendo utiliora] *Viliora* in eodem habetur, non *utiliora;* quam lectionem approbat, quod statim sequitur: 'luxuriam vilitate circumscribamus.' *Pintian.*

Consectari non est, nec committemus, ut subjiciendo utiliora] Defuere aliquando in editis, ut et Mss. nonnullis, *τὰ non est:* nunc immissa quidem sunt, sed non suo loco. Vossianus enim, *Non est nunc propositum ista consectari.* Dein Mss. consensu *vilitate* pro *utilitate.* Sed quid est *utiliora?* Scribe, *subjiciendo tutiora;* id est, quæ non tanto periculo quæruntur. Partem horum vidit et Pintianus. *Gronov.*

Interim fortius augetur auctoritas] Scribendum puto *auctoritate,* non *auctoritas;* et *agetur,* non *augetur,* vetus legit codex. *Pintian.*

Interim fortius augetur auctoritas, quæ quanta debeatur] Ab Hermolao est *debeatur,* cum esset *debeat.* Utiliter, ut opinor; sed sedet etiam grave ulcus in fronte hujus periodi: ubi pro *fortius* notant aliis esse '*potius,* aliis *partibus:* unde Dalecampius jubet legi *portibus.* Pintianus, *fortius agetur auctoritate.* Chiflet. et duo quibus utimur, ut et Pintiani, *fortius agetur.* Scribe meo consilio: *Interim fortius agetur: auctoritasque quanta debeatur etiam surdis, hoc est, ignobilibus herbis, perhibebitur.* Instituerat probare Plinius ex herbis, nihil a rerum natura sine aliqua occultiore causa gigni. Primum fuerat argumentum, datas gentibus quibusdam ad formæ gratiam; alterum, datas vestibus tingendis. Huc respicit, et nunc ait se acturum *fortius,* id est, argumentis rerum magis virilium et fortes decentium; nam formam colere, variare vestimenta, mollia quodammodo et effœminata. Quale non potest censeri, quod sumitur ab auctoribus conditoribusque imperii Romani, et usu etiam surdarum herbarum et minus celebrium in sacris, legationibus, præmiis bellicæ fortitudinis. Lib. XIX. procemio: 'Nulla mentione habita tot rerum sponte curave provenientium, præsertim cum plerisque earum, pretio usuque vitæ, major etiam quam frugibus auctoritas perhibeatur.' 'Surdus' sic habes lib. XXVII. ult. 'Artesque salutares inseruit et visceribus, quippe cum surdis etiam rebus inseruerit.' Suspicari licet, *τὰ hoc est, ignobilibus,* ab aliena manu esse. *Gronov.*

Sagmina] Segmina. Vet. a secando. Verrius tamen *sagmina,* a sanciendo. Festus etiam interpretatur dici posse, quod ex loco sancto arcerentur vel a consule, vel a prætore, darenturque legatis proficiscentibus ad indicendum bellum fœdusve faciendum. *Dalec.*

Remediis publicis fuere] Vel ornandis aris Deorum, quos propitiatos et placatos volebant, vel lustrandis ac purgandis domibus. *Idem.*

Sacris] Verrendæ mensæ Jovis. *Idem.*

Legationibusque] Nam, ut ait Marcellus in Pandectis, Romanorum legati, ne violarentur, herbam ferebant, sicut Græcorum legati τὰ κηρύκεια, nempe caduceum; vel, ut alii legunt, τὰ ἱκετήρια. *Idem.*

Verbenæ] Livio, Nevio, Servio, Turnebo *verbenæ* non herbæ privatum genus dicuntur, sed rami, virgæ, frondes omnium sacrarum arborum, ut lauri, olivæ, myrti. quin etiam herbas ex puro loco decerptas, quibus festis diebus aræ coronantur: Terent. in And. 'Ex ara hinc sume verbenas tibi:' myrtum apud Menandrum fuisse, ex quo illa Comicus transtulit, constat: Virgilius: 'Verbenasque adole pingues, et mascula thura:' verbenas quasi 'herbenas' dictas volunt, illasque facile accendi, et flammam concipere ob pinguitudinem. Apud Tranquillum, in Vespasiano, in Serapidis templo verbenæ, coronæ, et panificia fuerunt. *Guilland.*

Ac semper et legati cum ad hostes, &c.] Scribo ex eodem, *ac semper e legatis cum ad hostes, &c.* Pintian.

Ac semper et legati] Vossianus, *Ac semper e legatis.* Omnino recte: vult enim ex sequentibus cum his conjungi, *e legatis unus.* Præcepit Pintianus. *Gronov.*

Legati] Fœciales, cum eorum principe patre patrato, a faciendo et patrando dictos, quasi belli et pacis auctores, significat. Fuerunt ii oratores quatuor, qui sancto legatorum officio ad eos qui rapinis, vel injuriis, hostili mente bellum commoverant, ac pacem violaverant, aut socios læserant, res repetitum mittebantur; ac nisi redditæ fuissent, jacta vibrataque in eorum fines hasta, bellum pium indicebant. Nonius.

Verbenarius vocabatur] Qui herbam puram ex arce Capitolii sumptam præferebat et ostentabat. *Dalec.*

CAP. III. *De corona graminea.*

CAP. IV. *De raritate ejus.*

In Ch. hoc caput a superioribus non distinguitur, et certe separandum non est. *Dalec.*

Graminea nunquam nisi in desperatione suprema contigit ulli, nisi ab universo exercitu servato decreta] Scribe: *graminea nunquam nisi in desperatione suprema contigit. Nulli nisi ab universo, &c.* Pintian.

CAP. V. *Qui soli corona ea donati.*

Donatus est ea, &c.] Præter hos, quos memorat auctor, data est et Q. Cincinnato a Minutio et toto exercitu, M. Valerio consuli bello gesto contra Samnites, et Julio Cæsari in expugnatione Mytilenarum. Rostratam primus accepit Marcus Varro bello piratico, donante Pompeio; deinde Agrippa bello Siculo ab Augusto. Primus Aul. Postum. Dictator ad lacum Regillum, castris hostium expugnatis, auream dedit. Alex. ab Alex. XXII. 18. *Idem.*

Hic Decius postea se consul Imperioso collega] *Imperio,* non *Imperioso,* in scripto codice legitur. Neutra lectio placet: potius reor verba esse falso inserta. *Pintian.*

Imperioso collega] Tito Manlio, qui filium securi percuti jussit, quod contra edictum Consulum extra ordinem pugnasset cum Geminio Melio. Livius l. VIII. Decad. I. *Dalec.*

Se consul, Imperioso collega, pro victoria devovit] Vossianus quoque *imperio;* ut codex Pintiani, cui neutra lectio placet, et potius verba falso inserta retur. Haudquaquam ego; quid enim clarius quam similitudinem literarum illud *SO* absorpsisse? Est enim T. Manlius Imperiosus, et intelligitur ad Veserim pugna. *Gronov.*

Magistrum equitum] Minutium, fusum fugatumque ab Annibale. Liv. lib. II. Dec. III. *Dalec.*

CAP. VI. *Qui solus centurio coronatus.*

Exclusam ab hoc legionem suam] Scribo *ab hoste,* non *ab hoc,* ex antiquo codice: vera lectione; subjungit enim, 'per castra hostium erumpere,' et *inclusam* legerem libentius quam *exclusam;* sequitur namque, 'legionemque eduxit.' Item alio modo verba disponerem: *inclusam ab*

hoste legionem suam hortatus per castra hostium erumpere, tribunum suum dubitantem interfecit. Pintian.

Manlio Cos. tribus cohortibus servatis totidemque] Tò *tribus* adjecit Gelenius. Chiflet. *Manilio cos. cohortibus.* Vossianus, *Manilio cus. cohortibus servatis totidemque.* Ne in Academ. quidem illa vox est. Scribe: *Manilio consule cohortibus servatis totidem, quot ad servandas eas eductis.* Dissimulavit enim numerum, utpote aliunde tum satis notum. Pintiani quoque codex carebat τῷ *tribus.* Gronov.

Quod et statuæ ejus in foro suo D. Augustus adscripsit] Chifl. et Voss. *scripsit.* Nempe similitudo literarum primam syllabam hausit. Fuerat enim, *Augustus subscripsit.* Horatius: 'si quæret pater urbium Subscribi statuis.' Florus IV. 10. 'Dum titulorum cupidine Araxem et Euphratem sub imaginibus suis legi concupiscit.' *Idem.*

Ipsum Augustum cum M. Cicerone filio consulem, &c.] Lege ex eodem, *Ipsum Augustum M. Cicerone filio consule, &c.* Sic paulo ante: 'Æmilianum quoque Scipionem Varro auctor est donatum obsidionali in Africa Manlio consule cohortibus servatis.' *Pintian.*

Addidere vivendi precio deliciæ luxusque] Scribendum arbitror, *abdidere vivendi precia deliciæ luxusque;* hoc est, ablegavere, sustulere. *Pintian.* *Addidere vivendi, &c.*] Vita majore in pretio est, ob id tantum, ut delitiis frui, luxuique indulgere liceat. *Dalec.*

Addidere vivendi precio deliciæ] Hoc Gelenio debemus. Mss. et priores, *pretia:* multo melius. *Addidere pretia vivendi,* id est, auxere, plura reddidere; fecere, ut majus operæ pretium esset vivere: quippe cum per eas mollius commodiusque agi vulgo putetur. Inde illa, quam statim notat, cupido vitæ. Verbum *addere,* ut apud Livium II. 1. 'partium certe urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctæ multitudinis addiderunt:' ut ibi legendum recte vidit Rhenanus. Intelligimus enim, 'aliis partibus:' ut in Plinio 'aliis pretiis vivendi.' Sic Cæsar de Bello Civ. lib. III. 'Biduum tempestate retentus aliisque additis actuariis in Ciliciam atque inde Cyprum pervenit.' Hoc est, et parandis navibus actuariis, quas numero, quem jam habebat, addidit. Tale est *adjicere,* quod restituimus Livio lib. X. 7. et L. Senecæ Troad. 205. 'Pretia vivendi' blandimenta vitæ. Plinius Junior I. 12. 'Sed tam longa, tam iniqua valetudine conflictabatur, ut hæc tanta pretia vivendi mortis rationibus vincerentur.' Pintianus, *Abdidere vivendi pretia:* quod sit ablegavere, sustulere, contra mentem auctoris. *Gronov.*

Aliorum hanc operæ credimus] Ante Gelenium erat, *operam esse.* Quod forte melius; nam Chiflet. et Vossianus *operæ esse.* Nisi placet hoc ipsum potius. Hanc curam vitæ nostræ credimus esse operæ aliorum: alios ei operam dare, ut ipsis id nobis facere non sit necesse. Deinde Voss. *credimus demandata quidem nostro; tum, provisum esse pro bonis ipsi fruimur voluptatibus.* Scribe: *aliorum hanc operæ esse credimus; ne mandato quidem nostro alios id agere, medicisque provisum esse pro nobis. Ipsi fruimur voluptatibus, et, quo nihil equidem probrosius duco, vivimus aliena fiducia.* Majores, inquit, nostri regebant ipsi valetudines suas, et suæ operæ curam eam esse ducebant, parci voluptatum; nunc in libidines nos ingurgitamus, quid de corporibus nostris fiat, securi, omni ea providentia medicis delegata. Pintianus infeliciter, *probrosis utimur voluptatibus.* Id.

Proh, bonis ipsi fruimur voluptatis] Lego, *probrosis ipsi fruimur voluptatibus;* sequitur enim illico: 'et quo nihil equidem probrosius duco.' *Pintian.*

Magna quanquam immensi laboris solatia] *Magno*, non *magna*, codex vetus; ut legatur paulo post, *solatio*. Idem.

Magna quamquam immensi laboris solatia] Vossianus, *magno q. i. l. solatio;* nempe cohæret hæc oratio continua cum præcedentibus: *Immo vero plerisque ultro etiam irrisui sumus ista commentantes atque frivoli operis arguimur, magno quamquam immensi laboris solatio, sperni cum rerum natura.* Hujus, inquit, injuriæ, quod irridemur et vituperamur in labore tanto, solatium habemus magnum per sociam ejusdem indignitatis; quis enim gravetur idem pati, quod rerum natura? Sic et c. 8. 'Ob hoc et Phaonem Lesbium dilectum a Sappho, multa circa hoc non Magorum solum vanitate, sed etiam Pythagoricorum.' Sic Mss. ubi subjecerunt 'multæ vanitates.' Consentit utrobique Pintianus. *Gronov.*

Satis admirari amplectique non est] Vossian. *satis mirari;* ut c. 12. 'Ut non sit mirari satis ingenium ejus.' *Idem.*

Inde excogitavit aliquas aspectu hispidas et tactu truces] Verbum *inde* superfluit ex eodem; et *tractatu*, non *tactu*, legitur ibidem. *Pintian.*

Inde excogitavit] Non reperi in optimo τὸ *inde;* et videtur esse additamentum alicujus, qui se melius nectere superioribus inferiora posse putabat, quam libuit Plinio. Exterminat eandem particulam auctoritate sui codicis Pintianus. *Gronov.*

Vocem ipsius fingentis illas] Duo postrema verba falso addita videntur, alias non haberet locum pronomen reciprocum *se*, quod sequitur continuo. *Pintian.*

CAP. VII. *Medicinæ ex reliquis coronamentis, et erynge.*

Et clara in primis aculeatarum erynge est] Dele conjunctionem, ex scripto exemplari. *Idem.*

Contra serpentes] Salamandras aquaticas eryngii montani contactu, quod cærulea capita gignit, statim mori deprehensum est; eodem vel prope tantum admoto, tanquam moribundas jactari, contremiscere, supinas everti. *Dalec.*

CAP. VIII. *De herba, quam centum capita vocant.*

In cibos Græcorum] De foliis tenellis tantum id Dioscorides. *Idem.*

Multa circa hoc non magorum solum vanitates] Scribo, *Multa circa hoc non magorum solum vanitate*, ex antiquo codice: et paulo post *medicinæ*, non *medico*, in eo legitur. *Pintian.*

Torminibus] Στρόφοις. De suo eryngio silvestri hæc Dioscorides. *Dalec.*

Renibus, stranguriæ, opisthotonicis, spasmis] In vetusto exemplari *opisthotonis* scriptum est, non *opisthotonicis;* ut sit nomen morbi ipsius ὀπισθότονος, ægrotantis ὀπισθοτονικός. *Pintian.*

Sive abundent] Hoc falsum est, nisi quis interpretetur, hoc casu accidere, cum urina movetur. *Dalec.*

CAP. IX. *De acano et glycyrrhiza.*

Glycyrrhizam] Vel a radicis gustu, qui subdulcis et odoratus est, vel quod echinatus spinosusque glycyrrhizæ fructus sit instar eryngii. *Idem.*

Echinatis] Ἐχίνου, non ἐχίνου, *lentisci.* Idem.

Fructu pilularum, &c.] Asperiore, qui siliquas habet lenticulæ pares, ruffas, parvas. *Diosc.*

Præstantissima in Cilicia, secunda Ponto] Exemplaria quædam non *Cilicia* præferunt, sed *Sicilia:* scribo *Scythia;* nam circa Mæotim paludem nascitur, unde et *Scythica radix* vocatur teste Theophrasto IX. 13. et Diosc. lib. III. *Pintian.*

Capitur ea Vergiliarum occasu] Scribendum puto, *carpitur a Vergiliarum occasu.* Idem.

Seu viti] Seu Gentianæ. Diosc. *Dalec.*

Meliorque nigra] Codex vetus ni-

gri; ut repetatur *coloris*, et mox paulum *decoctæ*, non *decocta*. Pintian.

Longa, ceu viti, coloris buxei. Meliorque nigra] De radice glycyrrhizæ loquitur. Mss. *vitium*. Sed quomodo coloris buxei dicitur in genere, et tamen melior nigra? Dioscorides πυξοειδῆ. Lege: *longa ceu vitium. Coloris buxei melior quam nigra, quæque lenta, quam quæ fragilis.* Pintianus e suo *nigri*, non secundante Vossiano, nec necesse est. *Gronov.*

Usus in subditis] Alii leg. *Usus linguæ subditis;* vel *in linguæ.* Sic vocat hypoglottida, nempe remedia quæ linguæ supponuntur, et ejus contactu liquescunt. *Dalec.*

CAP. X. *De tribulo et generibus ejus, et medicinis.*

In hortis] Juxta amnes, et in ruderibus. Diosc. *Idem.*

CAP. XI. *De stæbe, et medicinis ejus.*

Stæbe, &c.] Legend. *Stæbe quam aliqui Pheon vocant;* idque ex Theophrasto a nobis emendato. *Salm.* p. 394. a.

Cruentatis] Contusis, συγχύσει ὀφθαλμῶν τῇ ἐκ πληγῆς. Diosc. Est autem is morbus, oculi perturbatio, cum coloris mutatione, pupillæ vel dilatatione, vel diminutione, ac interdum divulsione. *Dalec.*

CAP. XII. *De hippophye et hippope, et medicinis earum.*

De hippophye et hippope] Al. *De hippophaë et hippophæsto.* Idem.

Est altera hippope] Legend. *Est altera hippophaës, sine caule, sine flore.* Salmas. p. 393. a.

Locupleti divinitate ad gerenda præsidia] Lego *generanda*, non *gerenda*, ex vetusto exemplari. *Pintian.*

Ut aliis prosit atque aliis horis] Chifl. et Voss. *ut aliis presit ab horis.* Scribe, *ut aliis prosit aliud horis.* Gronov.

CAP. XIII. *De urtica, et medicinis ejus.*

Carnesque ab ossibus recedentes] Ita videtur reddere vocem Græcam Dioscoridis ἀποστήματα, et inscite quidem. *Abscessus* commodius ille verterit. Ni forte illum hoc loquendi genere, quo aliis multis locis utitur, cutem detritam, pannosam, lacerosam intelligit, quæ abscessu tardius aperto, vel ægri metu, vel imperitia medici, immodice, rodente pure, attenuata et resiccata est, ideoque subjectis partibus agglutinari nequit: ῥακῶδες δέρμα Galenus vocat lib. II. ad Glaucon. et ad eum morbum valde mel laudat, de quo Diosc. suo capite scripsit: τὰ ἀφεστῶτα σώματα παρακολλᾷν. *Dalec.*

Illinitur lieni] De foliis id Dioscor. cum cerato. *Idem.*

Dulci poto] Sic vertit τὸ γλυκὺ, quod paulo ante *passum* reddiderat, et aptius. *Idem.*

Defluvia capitis semine illito cohonestari] Academ. *cohennestari.* Voss. *cohosiertari.* Lege *coërcitari*, vel *coërceri.* Gronov.

Succus quoque in usu est] Chifl. et Voss. *Succo.* Recte; frequens enim Plinio herbam adhiberi aut prodesse 'foliis' ad hoc, 'radice' ad aliud, 'caule,' 'succo,' 'semine,' &c. cap. 22. 'Semine singultus confestim ex aceto sedat.' *Idem.*

CAP. XIV. *De lamio, et medicinis ejus.*

Radice alligata, &c. quæ et cui] Voss. *radicem adalligata;* deinde, *radix dicatur quæ cui.* Voluit: *Autumnalis urticæ radicem adalligatam tertianis, ita ut ægri nuncupentur, cum eruitur ea radix, dicaturque cui et quorum filio eximatur, liberare morbo tradiderunt.* Sic XXIII. 6. 'Radix eorum circumscripta manu sinistra terra capitur ita, ut qui id faciet dicat, quare capiat, et cujus causa.' Sic Vossianus: non 'quæ capiat.' 'Quare' rem denotat, 'cujus' personam. *Idem.*

CAP. XV. *De scorpione, generibusque, ac medicinis ejus.*

Ex argumento nomen accepit scorpius herba] Scribo *scorpio*, non *scorpius*, ex

V. C. confirmantibus eam lectionem Theophrasto lib. IX. et Dioscoride lib. V. *Pintian.*

Scorpius herba] Scorpioeides. Diosc. *Dalec.*

Semen enim] Ut scorpiuros florem. *Idem.*

Est et alia] Tragos Diosc. quam et tragonon vocari, et scorpium, is tradit. *Idem.*

Asparagi caule] Caulis lævis est, et absque foliis. *Idem.*

CAP. XVI. *De leucacantha, et medicinis ejus.*

Eademque ruptis convulsis medetur] Alio ordine vetus exemplar, *Eadem ruptis convulsisque medetur.* Pintian.

CAP. XVII. *De helxine, perdicio, parthenio, sideriti, et medicinis ejus.*

Helxinen aliqui perdicium] Nicander in Theriacis vocat *κλύβατιν· Ἠὲ καὶ ἑλξίνην, τήν τε κλύβατιν καλέουσιν.* Addit interpres, dici et *κλυβάτιον, σιδηρῖτιν, παρθένιον, περδίκιον. Dalec.*

Mistæ similitudinis, &c.] Mercurialis. Diosc. Ex sideritidis Heracleæ historia Plinius id videtur avellere. *Idem.*

Diximus] Lib. XXI. c. 16. quo loco Plinius ignoranter et inconsiderate, pro ixine, nempe chamæleone albo, helxinen ter scribit. *Idem.*

Hæc autem inficit lanas] *Δύναμιν δ' ἔχει τὰ φύλλα ψυκτικὴν, στυπτικὴν, folia refrigerandi et spissandi vim habent.* Legit Plinius *βαφικήν.* Quidam hunc locum sic interpretantur, ad infecturam lanarum esse utilem, quod abstersoria sua vi, radiculæ, sive struthii modo, sordes auferat et eluat, impedituras alioqui ne succum suum lanæ bibant. Cæterum an ad id parietaria veteres usi fuerint, a nemine, quod equidem sciam, proditum est. *Idem.*

Omnes, et adusta] *Adusta et panos succus ejus cum psimmythio, et guttura incipientia turgescere, &c.* Cornarius, qui repetita ex superiore periodo temere alia censet. E quo quidem verba hæc, *tumores collectionesque,* irrepsisse puto. At Diosc. nominatim scripsit ignibus sacris, et ulceribus, quæ serpunt, auxiliari. *Idem.*

Caprino sevo ceraque Cypria] Hircino sevo, et cerato Cyprino. Diosc. *Idem.*

Urceolaris] Ocymoeides minus herbariorum. *Idem.*

Astericum] Ob florem stellatim divisum. *Idem.*

Vernula charus] Plutarchus in vita Periclis. *Idem.*

Ædificaret] Ictino architecto operi præfecto. Strabo et Vitruvius. *Idem.*

Et nobilis ille Splanchnoptes] Sic vocatus est, quod exta torreret, et oris pleni spiritu ignem accenderet; opus unicum Stypacis Cyprii. *Idem.*

CAP. XVIII. *De chamæleone, generibusque, et medicinis ejus.*

Chamæleonem aliqui, &c.] Album tantum. Diosc. Lego: *Chamæleonis duo genera. Candidior, quem ixiam vocant, asperiora folia habet, &c.* Idem.

Varietate foliorum evenit] De nigro Chamæleone id Dioscor. *Idem.*

Hic succus occidit et canes suesque in polenta. Addita aqua et oleo contrahit in se mures ac necat] Vetus codex, *Hic succus occidit et panos in polenta, et canes suesque addita aqua et oleo;* cætera redundant. Error, ut puto, est in situ verborum, scribendumque: *facit ad difficultatem urinæ panosque hic succus. Occidit et canes, sues, muresque in polenta addita aqua et oleo;* nam et Dioscorides lib. III. misceri scribit medicamentis quæ exedendo sunt, ut non absurde credi possit facere etiam ad panos. Et quod attinet ad canes, sues, muresque, ejusdem Dioscoridis verba sunt libro prædicto: 'Quin et canes suesque ac mures in polenta simul omnibus hydrelæo maceratis enecat.' *Pintian.* Theophrastus Hist. IX. 13. id aliter refert: 'Occidit,' inquit, 'canes et sues; canes quidem subacta cum po-

lenta et hydrelæo; sues vero cum brassica (μετὰ ῥαφάνων) mixta; viscum hulcera.' Fallitur Plinius: albi chamæleonis id peculiare est. *Dalec.*

Quare a quibusdam ulophonon vocatur] Scio apud Diosc. lib. III. οὐλοφόνον etiam legi; sed cum apud eundem auctorem varia nomina herbarum, ab aliis adjecta, non ipsius Dioscoridis legitima censeantur, potiorem in hac parte habeo veterem lectionem, in qua *ulophyton* scriptum est, non *ulophonon*. Pintian.

CAP. XIX. *De coronopo, et medicinis ejus.*

CAP. XX. *De anchusa, et pseudanchusa, et medicinis earum.*

Manusque inficit sanguineo] Diosc. τὴν χρόαν ὕφαιμος, ἐν τῷ θέρει γενομένη, non, ut vulgo legitur, γεννωμένη. *per æstatem colore rubescens*, καὶ βάπτουσα τὰς χεῖρας, *ac manus inficiens*. Legit Plinius, aut ejus scriba, τὴν χρόαν ὕφαιμος, ὡς πάπυρος σχιζομένη, καὶ βάπτουσα τὰς χεῖρας, inconsiderate ac negligenter. Orpheus in Argon. ἄγχουσαν ἐρυθρὴν vocat. *Dalec.*

Præcipue senum] Dioscoridi ulcera πεπαλαιωμένα, *inveterata*, sanat in cera et oleo decocta. *Idem.*

Pseudanchusa] Hæc est Dioscoridis echium, quam et *aridam* vocari et *alcibiadium* tradit. *Idem.*

Folia ictibus imponuntur. Virus serpentium fugat] Voss. *serpentes*. Mutaverunt, qui nescirent, quid hic *virus* esset: non enim venenum, sed gravem odorem significat, et anchusæ, non serpentium, est. Sic XXIV. 6. 'cujus radix evulsa virus hirci redolet.' XXXV. 15. 'virus alarum.' XXIX. 9. 'Ibi quod supernatat, butyrum est, oleosum natura: quo magis virus resipit, hoc præstantius judicatur.' *Gronov.*

CAP. XXI. *De onochile, anthemi, loto, et lotometra, heliotropio, tricocco, et adiantho sive callitricho.*

Anchusam vocant] Anchusa secunda. Diosc. *Dalec.*

Odorem, &c.] De alsines foliis id Dioscorides. *Idem.*

Pellit et tineas] De radice anchusæ tertiæ, quæ posthac describitur id Dioscorides tradit. *Idem.*

Est et alia, &c.] Anchusa tertia, Diosc. *Idem.*

In pastillos digerunt] Vide apud Dioscor. longe aliter hoc explicatum, quam a Plinio citatur. *Idem.*

Omnia mixta drachmæ un. p. contra serpentium omnium ictus] Ms. Voss. et Acad. ignorant τὸ *omnium*: dein, *Pellunt mortuos partus*. Gronov.

Manantes sanat] De leucanthemo et chrysanthemo id Dioscorides, ut legendum sit, *sanant*. Dalec.

Is enim, &c.] Iliad. Ξ. de Jove et Junone loquens: Τοῖσι δ' ὑπὸ Χθὼν δῖα φύεν νεοθηλέα ποίην, Λωτόν θ' ἐρσήεντα, ἰδὲ κρόκον, ἠδ' ὑάκινθον. Apud eundem Odyss. Δ. Telemachus sic Menelaum alloquitur: σὺ γὰρ πεδίοιο ἀνάσσεις Εὐρέος, ᾧ ἐνὶ μὲν λωτὸς πολὺς ἠδὲ κύπειρον. *Idem.*

Folia ejus cum melle] Hæc est *lotus urbana*, λωτὸς ἥμερος, triphyllos, Dioscorid. *Idem.*

Maxime aqua vel lacte subacto] Horum omnium nihil Theophr. nihil Dioscor. *Idem.*

Contrahi cæruleum florem] De cichorii flore, qui etiam solem semper aspicit, hoc audiendum. Heliotropii flos vel candidus est, vel subfulvus Dioscoridi. *Idem.*

Tricoccum] Parvum. *Idem.*

Helioscopium] Magnum. *Idem.*

Hoc altius] Magnum potius dictum puto ab amplitudine foliorum, quam a proceritate ramulorum. *Idem.*

Siriasin] Σειρίασις ardor capitis, adustio, ustulatio, est cerebri et membranarum ejus *inflammatio*, τὸ καῦμα, cum oculorum et syncipitis cavitate, totius corporis ariditate, febre ardente, pallore, appetentia dejecta, et nonnunquam diarrhœa. Vide supra XX. 30. *Idem.*

Decoqui cum radice oportet] Diosco-

ridi tenuis et inutilis radix est. *Idem.*

Seminis grana quatuor pota] De semine heliotropii magni id Dioscorides. *Idem.*

Spinæ quoque, &c.] Qualem morbum significet obscurum est, nisi forte sanguinem impurum, feculentum, crassum intelligat, renibus impactum, et dolores excitantem, quo in morbo prodest urinas meiere turbidas, cruentis similes, et tanquam injecta permixtaque fuligine nigras. Alibi sanguinem inutilem vocat, ut xx. 4. *Idem.*

Frutici topiario] Licenter hoc Plinius, et affectate. Primum quidem, quia frutex non est, sed herbula: deinde, quia hominum industria eo non utitur ad ornandos tegendosque hortorum parietes, ut aliis topiariis plantis, sed veluti naturæ quodam artificio muros vestit, e quibus prorumpit. *Idem.*

Crebro auferendi, ne pereant] Notant ex vet. *ne perareant.* Voss. *ne perunt.* Lege, *ne perurant.* XXXVIII. 8. 'Ne acria perurant, adeps anserinus cum cera,' &c. *Gronov.*

Perdices] Coturnices, Dioscorid. *Dalec.*

Pecorique esse utilissimos] Sata circa ovilia. Diosc. *Idem.*

CAP. XXII. *De picride, thesio, asphodelo, alimo, acantho, bupresti, elaphobosco, scandice, jasione, et de caucalide, sio, sillibo, scolymo sive limonio, soncho, chondrillo sive chondrille, et boletis.*

Rotundo folio] Falsum id. Nulli generi κιχωριωδῶν rotundum folium est, sed oblongum. Theophr. Hist. VII. 11. figuræ foliorum nullam mentionem facit, sed eam solum hieme tota, vereque toto florere tradit. Quod si rotundum *teres* intelligamus, minima certe κιχωριώδους species, quam picrida esse putamus, foliis est propemodum teretibus. *Idem.*

Verrucas] Matthiolus verrucarium cichorium depingit, facultatis præstantissimæ ad verrucas delendas. *Idem.*

Sed purgat alvum] Tuto delebis τὸ *sed;* non enim est in optimo, neque hic locum tuetur. *Gronov.*

Corporis dolori] Coli tormentis, aut lassitudini. *Dalec.*

Odorem corporis, &c.] Quia tetrum odorem corporis, alarum præcipue, feminum, pedum emendat. *Idem.*

Gravitatem aurium] Τὴν βαρυκοΐαν. Diosc. vero ὠταλγίαν, *aurium dolorem.* Idem.

Et ambusta. Et ad gravitatem] Voss. *et ambustæ gravitatem.* Andeg. *et ambusta et gravitatem*] Fortasse: *Decoctæ radicis in oleo succus perniones, et ambustæ gravitatem aurium.* Intellige, ambustæ radicis succus emendat aurium gravitatem. Tum, *Infunditur a contraria aure in dolore dentium.* Sic XXIV. 10. 'Ejusdem acinos quinque tritos in rosaceo oleo calfactosque in cortice Punico instillavit dentium dolori a contraria aure.' Sic duo Vossiani. *Punico* etiam Chiflet. 'Cortex Punicus,' est cortex Punici mali. Et in multis gaudebant sic loqui. Quemadmodum et in Cic. Fam. x. Lepidus scribit 'a ponte Argenteo,' id est, a ponte amnis argentei. *Gronov.*

Sophocles ad podagras utroque modo] Mss. quatuor, *Socrates.* Chiflet. et Voss. *Socles.* Forte *Diocles,* quem sæpe alibi nominat; ut hoc libro cap. 25. et XXIII. 1. Meminit et Sex. Empiricus, et Hesychius in Συγκομιστὸς, et alii. *Idem.*

Perunctis] Illitis genitalibus tam maris quam fœminæ. *Dalec.*

Xenocrates et lichenas et psoras radice] Quinque nostri: *Xenocrates et lichenas, psoras, lepras radice in aceto decocta tolli dicit.* Gronov.

Simus lapides renum in vino decocta atque pota eximit] Voss. *Timon lapides renium in vino decocta potaque eximi. Timon* quidem et Chiflet. etsi indiculus compluries: 'Phaniam physicum, Simum, Timaristum' nominet: et 'Si-

mos Cons' Straboni agnitus. Sed haud dubie rectum *eximi*, quod nostro debetur: intelligitur enim ex superioribus, *radice dicit*. Acad. Gud. Menap. *Halimon lapides renium*. Andegav. *Timon lapides renium, &c. eximitur*. Gronov.

Hippocrates semen ejus ad impetus] Præcipue ut et Chiflet. *Hippocrates semine ad impetus lienis dari censet*. Genus loquendi, quale hoc libro cap. 13. notavimus. XXIII. 7. 'Cum melle foliis ceria sanantur et canis morsus.' Sic quinque scripti, ubi vulgo: 'cum melle item et foliis.' XXIV. 2. 'Lotos alvum baccis sistit.' Eodem lib. cap. 9. de vitice: 'Et semine et folio additur in malagmata nervorum et podagræ.' Sic legendum ex quinque nostris, non 'semen et folium:' dein optimus, 'podagra,' non 'podagras;' unde facimus 'podagræ.' XXVII. 12. de polygoni generibus: 'Semine alvum solvunt, largius sumpto urinam cient.' Sic idem eximius, ubi vulgo 'Semina et sumpta.' *Idem*.

Hulcera ac scabiem] Festus prisco vocabulo ea vocat 'petimina:' præsertim quæ humeros obsident. Lucillius: 'Ut petimen naso, aut lumbos cervicibus tangat.' *Dalec*.

Alimon] Halmyrin Aëtius vocat. *Idem*.

Coquitur autem hoc ciborum gratia. Radix tormina discutit, &c.] Scribe: *Coqui autem hæc ciborum gratia. Radice tormina discuti, &c.* ex antiquo exemplari. Cui lectioni subscribit Dioscorides libro primo: 'Coquuntur,' inquit, 'folia ejus olerum modo in cibos.' *Pintian*.

Foliis in rotunditate longis, laudatum in cibis] Videtur legendum: *foliis in rotunditatem longis, laudatis in cibos*, ex verbis Dioscoridis. *Idem*.

Silvestre, et mitius] Hoc est, silvestre et sativum. Sativum halimum Tholosæ in quibusdam hortis habent, idque vocant *l'herbe du machlou*, id est, herbam colicam, quod doloribus colicis valde prosit. Silvestre haud procul Tholosa in quibusdam sepibus nascitur. *Dalec*.

Dysentericis etiam exhulceratis] Hoc est, etiamsi sit dysenteria, cum exhulceratione intestinorum, quod sane periculosius est. *Gelen*.

Ulceribus vetustis illini crudum] Sic quidem et Voss. manu prima, sed juxta vetus mutata litera fecit *crurum*, quemadmodum plane quatuor alii. Nec video cui sit hic usui cruditas ista; nisi quia paucis ante versibus *coqui in cibos* dictum est, ideo his *crudum* poni oportuit. *Gronov*.

Acanthos est, &c.] Lege, *Acanthi topiariæ et urbanæ herbæ lato longoque folio, crepidines marginum, adsurgentiumque pulvinorum toros vestientis, duo genera sunt: aculeatum et crispum, quod brevius, &c.* Cum ceteræ spinosæ arbores et herbæ suis nominibus et cognominibus distinguantur, hæc omnium aculeatarum commune nomen sibi proprium fecit; nam ἄκανθος absolute dicta est. Vide Salmas. pag. 534. a, b. Huic lectioni astipulatur etiam Pintianus ex Ms. *Acanthos est*] Græci ἀκάνθην fœminino genere dicunt, Latini vero masculino *acanthum*. Dalec.

Topiaria et urbana herba] Silvestris et agrestis ubivis Monspessuli nascitur. *Idem*.

Longoque folio] Latiore et longiore quam lactuca, erucæ divisura. *Idem*.

Aculeatum et crispum] Hoc est, silvestre, et cardui species. *Idem*.

Pæderota vocant] Apud Athenæum lib. XII. Demetrius Phalereus comam flavo colore tingebat, et pæderote illinebat faciem: apud eundem lib. XIII. λευκόχρως λίαν τις ἐστί; παιδέρωτ' ἐντρίβεται. Inde cognoscimus acanthi folia trita et illita faciem dealbare, maculas et sordes abstergere, eam lentore suo veluti lævigare, quamvis nonnulli *pæderota* fuci genus esse velint. *Idem*.

Phthisin metuentibus] Τοῖς φθισικοῖς.

Ruellius apud Diosc. commodius vertit, 'tabem sentientibus.' Omittit Plinius, urinam ciere, alvum sistere. *Idem.*

In sponte, &c.] Quibusdam ami vulgare. *Idem.*

Capite anethi] Vel umbellæ tantum figura, vel etiamnum floris colore. *Id.*

Nicandro] Nicander in Theriacis: Σπέρματα βουπλεύρου τε, καὶ Ἰδαίης κυπαρίσσου. *Idem.*

Buprestim, &c.] Buprestis oleris mentionem Theophrastus facit Hist. VII. 8. Gal. in Glossis. Hesychius βούπρηστις cum accentu acuto in antepenultima, *olus*, βουπρῆστις cum circumflexo in penultima, *insectum venenatum*. Quidam esse volunt *auriculam leporis*, descriptam a Dodonæo nomine bupleuri. *Idem.*

Iidemque remedia tanquam contra venenum prodiderunt] Forte, *remedio*. Gronov.

Quos dissilire, &c.] De bupresti herba id non traditur, sed de bupresti insecto, Scarabæo longipedi non dissimili, infra descripto XXX. 4. Ignoranter hæc Plinius. *Dalec.*

Quam non aliter magis accendi putant quam potu] In vetusto codice non *potu* leges, sed *postea:* scribendum arbitror, *pota ea*, aut *potu ejus*. Pintian.

Magis accendi putant quam potu] Sic quoque Gud. Acad. Menap. Notant in margine, *quam ejus potu*. Quidam ediderunt, *quam hujus potu*. Vossianus, *quam postea;* Andeg. *quam pote*. Lege, *quam pota ea*, ut voluit et Pintianus. *Gronov.*

Quam potu] Ut et cantharidis. *Dalec.*

Siccanda autem in eos usus prius est, ne succo suo madeat, qui contra serpentium ictus non facit eam deteriorem] In antiquo exemplari, non *in eos usus*, sed *in eo usu*, habetur. In quibusdam vero exemplaribus negatio desideratur: recte; nam si recipitur, duo postrema verba demenda habebis. *Pintian.*

Scandix quoque, &c.] Inter olera, quæ in cibis sumuntur, præsertim apud Ægyptios, et scandicem et anthriscum supra recensuit. *Dalec.*

Non facit eam deteriorem. Scandix quoque] Offensus his verbis Latius non conjicit modo, sed et edere ausus est, *non facit. Ea deterior scandix;* nam quod editur, inquit, sensum commodum non habet; quid enim opus siccari, si succus non facit deteriorem? Sed auferenda particula negandi, et scribendum, *qui contra serpentium ictus facit eam deteriorem;* ut habent omnes scripti. Et potuit id a Pintiano discere. Primarius etiam, *Siccanda autem in eo usu prius est;* et magis placet. *Gronov.*

Decoctæ succus] Τὸ ἀφέψημα. Diosc. *Dalec.*

Matrem ejus, &c.] Quidam, ut Theopompus, et Val. Maximus III. 4. hoc narrant. Constat tamen eum Mnesarchi, sive Mnesarchidæ, et nobilissimæ fœminæ Clitus filium fuisse: quamvis et eum quidam σκανδικοπώλην vocaverint. De illo perquam multa Rhod. XXIV. 10. *Idem.*

Anthriscus] Chærephyllum nostrorum et Columellæ lib. XI. Enthusicon apud Theophr. Hist. VII. 7. *Idem.*

Jasione] Volvulus major, smilax lævis, Dioscor. cujus mentio fit lib. XXIV. cap. ult. ut et convolvuli XXI. 5. *Idem.*

Succus quoque ejus bibitur] Hæc omnia in Diosc. non leguntur. Ex Petrico Plinium sumpsisse conjector. *Id.*

Pituitas] Obstructiones a pituita factas. *Idem.*

Bilemque a partu siccat] Biliosam purgationem, provocato locheio. *Id.*

Scolymum quoque in cibos recipit Oriens, et alio nomine Limoniam appellat, &c.] Per Orientem intelligit Græciam. *Salmas.* p. 228. *Scolymon quoque in, &c.*] Hæc de scolymo Theophrasti audienda sunt, non Dioscoridis. Utriusque mentio fit XX. 23. ultimo. *Dalec.*

Limonion appellat] Leimoniam quasi pratensem carduum, de quo xxv. 9. vel λιμόνιον, quod ejus esu λιμὸς, id est, *fames*, expleatur. Theophr. Hist. VI. 3. apertissime distinguit σκόλυμον a λειμωνίᾳ. Plinius legisse videtur, σκόλυμος δὲ καὶ λειμωνία. *Idem.*

Acerrimi cantus esse, &c.] Nempe τοῦ καύματος γενομένου, æstu vehementissimo, quamobrem cicadas αἰθαλίωνας vocant, παρὰ τὸ αἴθεσθαι ὑπὸ τοῦ ἡλίου. Vide quæ notata sunt x. 68. *Idem.*

Hecale] Hecale, anicula pauperrima, Theseum adolescentem comiter hospitio excepit, unde sacrum Hecalesion per pagos celebre Hecalo Jovi, cum Hecales summis honoribus. Ovidius: 'Cur nemo est Hecalem, nulla est quæ ceperit Irum? Nempe quod alter egens, altera pauper erat.' Plautus in Cistellaria: 'Ecastor haud me pœnitet, si, ut dicis, ita futura es. Nam si quidem ita eris ut volo, nunquam Hecale fies.' Petronius: 'Qualis in Actæa quondam fuit hospita terra, Digna sacris Hecale, quam Musa loquentibus annis Battiadæ vatis vivendo tradidit ævo.' Auctor Priapeiorum: 'Æqualis tibi quam domum revertens Theseus repperit in rogo jacentem.' Suidas Heroida fuisse tradit, sic dictam, ὅτι πρὸς ἑαυτὴν ἐκάλει. Fuit enim illi τὸ τεῖχος ἀκλήϊστον. Rhodig. xxx. 11. Vide infra xxviii. 8. Notus est versiculus ille veteris Epigrammatis: Μέλπω δὲ γραὸς τῆς φιλοξένου τρόπους. Vide Politianum Miscell. cap. 24. *Dalec.*

Albus qui e lacte nitor, utilis orthopnoicis] Verbum *albus*, cum minore littera scriptum, præcedentibus attexendum censeo. Item *nidor* magis arridet quam *nitor*. Pintian.

Lactucarum modo. Erasistratus calculos per urinam pelli eo monstrat] Longe aliter nostrum apographon: *Lactucarum modo ex embammate calculos per urinam pellit: eo monstrat et oris graveolentiam commanducato corrigit*; ut forte pro illo, *eo monstrat*, legendum sit *Erasistratus*. Idem.

Et oris graveolentiam, &c.] A vitioso et putrido humore, vapore genitam; siccat enim ac refrigerat sonchus, ideoque putredini obsistit. *Dalec.*

Quæ lac sibi coire sentiant] Præ calida intemperie hepatis, venarum, mammarum, siccari, minui, spissari. Sonchus cum farre coctus mammas uberiores facit, lib. xxvi. cap. ult. *Idem.*

Et in stomachi rosionibus] Æstuanti stomacho et inflammato illinitur, stomachi rosiones sorbitione mitigat. *Idem.*

Chondrillon sive chondrille] Plinius oscitanter confundit duas chondrillæ species. *Idem.*

Radice fabæ simili] Dioscorides chondrillæ secundæ radicem esse ait tenuem, levem, subflavam, succosam, rotundam, ἔγχυμον, id est, *vegetam*. Plinius legisse videtur, κυάμου. *Idem.*

Mastichen tuberculo fabæ] Mastichen, quæ in chondrilla reperitur, κυαμιαίαν μεγέθει εἶναι, Dioscor. tradit, fabæ magnitudinem æquare, sed non radicem fabæ similem esse. *Id.*

Veneno Tiberio Claudio principi per hanc occasionem a conjuge Agrippina dato] Nostrum apographon, *veneno cibi Claudio principi*, &c. legendum arbitror alio ordine: *Veneno Claudio principi per hanc cibi occasionem a conjuge Agrippina dato.* Pintian. *Veneno Tiberio Claudio*, &c.] Illo eventu Nero boletos appellabat βρῶμα θεῶν. Sueton. Dion. Hist. LVIII. qui etiam scribit post obitum a Seneca editam fuisse illius ἀποκολοκύντωσιν quasi ἀποθέωσιν et ἀπαθανάτωσιν, quæ etiamnum extat. Had. Jun. I. 17. *Dalec.*

Tiberio Claudio principi] Suet. in Claudio c. 44. Juvenal. Sat. v. *Jac. Cell.*

Ab conjuge dato Agrippina] Sic velle Mss. videntur. *Gronov.*

Ante omnes Neronem suum] *Neroni suo* in V. C. quæ lectio potest tolerari; Nero enim miseranda et ipse morte periit. *Pintian.*

Veluti guttas] Concretam pituitam, γλοιώδες, ἐπίπαγον. Diosc. *Dalec.*

Mox in pediculo corpus absumitur, raroque unquam] Opt. *mox increscente in pediculi corpus;* id est, in substantiam ejus convertitur illa membrana. Deiu Acad. *rarum est geminus geminis ex uno pede:* Vossiani et Gud. *rarum unquam.* Menap. *rarum e geminis.* Lege, *rarumque geminus ex uno pede.* Boletus geminus uno pede nixus rarum, sive res rara. *Gronov.*

Illa pernicialia prorsus improbanda] Pintiani codex, *illa permittit alia quod probandi alia alios;* unde ille fingit: *illa pernicies alia, quod probandi alii alias.* Menap. *illa permixti alia sicca ligari clavos.* Acad. *illa permixti alias siccas rigari clavos.* Gud. *illa permitti alia, sicca ligari clavos.* Vossiani princeps et Andegav. *illa permitti alia quod probandi alia.* Fortassis, *Illa pernicialia quæ probandi alea?* Illa, quæ scilicet dicam, pernicialia, quam periculose probantur? Probant autem, qui vescuntur, salute, si non adfuerint; exitio, si adfuerint. *Idem.*

Caligaris clavus] Caliga militare calceamentum, clavis suffixum ferreis, argenteis, aureis, ut quisque luxu et opibus diffluebat: commune tam gregario, vili, et obscuro militi, quam duci et centurioni. Inde 'caligati milites' Suetonio in Augusto et Vitellio. Inde nomen Caligulæ Imperatoris. Supra VII. 43. P. Ventidius juventam inopem toleravit in caliga militari. Lib. XXXIII. cap. 3. Agnon Teius crepidas aureis clavis suffigebat, quibus etiam urbana mulierum calceamenta ornabantur, auctore Festo in voce 'clavata:' ac id est, quod auctor loco proxime citato queritur et indignatur, ab equitum uxoribus aurum pedibus indui et gestari. Brissonius II. 5. *Dalec.*

Atque qui colligunt. Ducunt ipsi alia vitia] Verbum *ducunt* desecandum, ex apographo nostro: et pronomen *ipsi* superioribus agglutinandum. Quod autem sequitur: *Alia vitia. Nunc quidem si serpentis,* scribendum opinor, *alia etiamnum quidem. Si serpentis, &c.* ut intelligas, alia etiamnum pernicies. Sic, puto, minus male legetur. *Pintian.*

Deprehendisseque nisi agrestes] Scribendum: *Deprehendisse qui, nisi agrestes, possunt?* Gronov.

Ducunt ipsi alia vitia, nunc quidem] Verbum *ducunt,* inquit Pintianus, desecandum, et pronomen *ipsi* superioribus agglutinandum: quod autem sequitur, *Alia vitia, nunc quidem si serpentis.* Sane *ducunt* etiam ignorat melior Vossianus: sed et idem cum omnibus aliis nostris et Chifletiano, *ne quidem.* Forte: *Aliqui colligunt ipsi alia vitia, in quibus, si serpentis caverna juxta fuerit.* Nisi malis: *atque qui colligunt? Ducunt ipsi alia vitia, e quibus;* nam Gud. Acad. Menap. utcunque hic corrupti habent tamen, *dicunt ipsi alia vitia equidem. Idem.*

Fungorum lentior natura] 'Fungus' Plauto in Bacchidibus, stupidus, stolidus, inconsideratus: 'Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem?' Et aliquanto post: 'Tanti est, quanti est fungus putidus.' Item lepide: 'Pol hic quidem fungino genere est, capite se totum operit.' *Dalec.*

CAP. XXIII. *De fungis, et silphio, et de lasere.*

Velut apice, &c.] Sic albogalerum et pileum Flaminis vocat, cujus effigies in multis vetustis nummis spectatur, præcipue Julii Cæsaris. *Idem.*

Suilli] Suilli etiamnum Italis vocantur *Porcini.* Idem.

Anneum Serenum] Ejus meminere Seneca Epist. 64. et Tacitus Annal. XIII. *Idem.*

Ferula] Lege *Betula.* Ferula ar-

hor non est. *Dalec.*

Fico, ferula et gummi ferentibus] Acad. *gūmū*. Gud. *gūmin*. Voss. Andeg. *guminum*. Men. *gūmi*. Optimus *gummim*. Et sic eam vocem idem codex format tot locis, ut etiamsi solus faceret, appareret mos Plinii. Sed passim confirmant et alii. Libro XXIII. in Præfat. 'Lacrima vitium, quæ veluti gummis est.' Consentit Voss. alter. XXIV. 1. 'Gummis aceto facilius eluitur;' ubi ex Chiflet. notant 'commi.' Ejusdem cap. 9. 'Unum arbor ipsa exsudat gummium modo:' nec aliter Andegav. et Gud. Cap. 10. 'Gummim etiam in hedera quærunt, quam ex aceto utilissimam dentibus promittunt.' Sic omnes iidem, aut omnino aut majorem partem. Item c. 11. 'Gummium genera diximus, &c. dentibus inutiles erunt.' Ubi frustra Dalecampius 'inutilia;' quasi non sequatur: 'Quæ ex amygdala amara est,' et, 'siccant inlitæ,' et, 'cum passo potæ.' XXV. 9. 'Concrescentem gummis modo humidis locis.' XXVI. 7. 'Lacteus succus, qui densatus in gummim.' XXVII. 12. 'Præciso frutice dat succum gummi similem.' Ms. 'gummissis simili.' Lege, 'gummibus similem.' l. eodem, cap. 13. 'Succus ejus lacteus in gummim spissatur.' XXXII. 33. 'Fraude conjicientium gummim.' Hinc judicium fiat de cæteris. XI. 9. 'Gignitur autem rore verno et arborum succo, gummi modo.' Gud. et Men. 'commium modo.' Lege, 'gummium modo.' Confirmant quatuor nostri, XIII. 11. 'Gummi optimam esse ex Ægyptia spina convenit, vermiculatam colore glauco, puram sine cortice, dentibus adhærentem:' sic illi. Scribe igitur 'Gummim.' Rursus: 'Deterior ex amygdalis amaris et ceraso, pessima ex prunis.' Mox, 'Infantium ulceribus aptissima.' Tum, 'ad nihil utiles.' Item: 'Fit et ex sarcocolla (ita vocatur arbor) gummi utilissima.' Scribe 'gummis.' Denique, 'Ideo candida quam rufa melior.' Et semel iterumque ex aliis verbo notarunt. Cur non restituerunt Plinio suum? XVI. 26. 'Quæ gummi gignunt, post germinationem aperiuntur: gummi vero non nisi fructu detracto spissatur.' Ubi ex Chifl. annotant: 'gummini vero.' At vix dubito eum habuisse, perinde ut Acad. Men. Gud. 'Quæ gummim gignunt:' deinde, 'gummis vero.' Sic et Andeg. Vossianus, etsi priore loco 'gummum.' Sic et Columella XII. 50. 'Nova dolia liquida gummi perluere;' nisi scribendum 'perlinere.' Mox enim 'nova dolia vel serias crassa gummi leverunt.' *Gronov.*

Hi fluxionibus alvi quas rheumatismos vocant, medentur] *Fluctionibus albis* idem codex agnoscit, non *fluxionibus alvi;* ut pro eo quod sequitur *rheumatismos, rhus leucus*, scribendum putem, hoc est, 'fluctiones albas,' ex Galeni diffinitionibus, et Paulo ac Dioscoride lib. I. cap. de thuris cortice. Quo in loco cum Virgilius Marcellus vir singulari doctrina et diligentia explicet copiose quid in fœminis sit rhus, et quot accidat coloribus; laborem inquirendi tradendique nobis ademit. *Pintian.*

Lavantur etiam ut plumbum] Lege, *Linuntur etiam ad plumbum et oculorum, &c.* Plumbum oculorum vitium, coloris plumbei suffusio, cujus mentio fit XXV. 13. *Dalec.*

Ut plumbum in oculorum medicamenta] Notaverunt in aliis, *ut plumbum et oculorum.* Vossianus neutram adoptat particulam. Scribe: *Lavantur etiam, ut plumbum, oculorum medicamento.* Gronov.

Cum carne cocti] Ob carnis pinguem. Eadem ratione cum oleo vel butyro multo coquunt. *Dalec.*

Nam folia ad expurgandas] Et hic versata est mala manus. Scitius enim Voss. *Usus silphii in medicina: foliorum ad purgandas vulvas.* Gronov.

Pedum clavos, &c.] Lege, *pedum cla-*

vos circumscarifatos ferro, mistum cera extrahit. 'Scarificare' ut ubique apud Plinium scribitur et 'scarificatio' non est Latinum, licet sic loquantur τῶν χειρουργῶν παῖδες. Græce Σκάριφος τὴν ξέσιν significat, et σκαριφῶ, *rado, scindo, scalpo*, unde Latinum 'scarifo,' et 'scarifatio' vel 'scariphatio.' Vide Salmas. p. 590. a, b.

Et tum aquam bibentibus. Cavendumque ne qua intus sit exhulceratio] Secus in antiquo exemplari: *et cum aquæ bibentibus, cavendum ne qua intus sit exhulceratio;* cætera redundant. *Pintian.*

Exhulceratio] Quam acrimonia sua cum tenuitate partium juncta irritet. *Dalec.*

Tempestive enim datum] Cauterium licenter vocare Plinius hic videtur medicamentum Græcis dictum μετασυγκριτικὸν, et μεταποροποιητικὸν, quod habitum, et structuram corporis ac fabricam mutat; nempe quod admotum sua caliditate et insigni tenuitate humores evocat ex alto, cutisque poros aperit, quemadmodum de thapsia Dioscor. scribit; et intro sumptum sanguinem ac humores potenter in habitum corporis diffundit, et dispergit. Eorum medicamentorum in longis valetudinibus, ægro convalescente, usus fuit. Itaque apud Paulum III. 72. ἀναληπτικὴ ἐπιμέλεια, quæ ægros jam meliuscule habentes reficit, μετασυγκριτικῆς pars est. *Idem. Tempestive enim datum cauterii vim obtinet*] Lego, permutatis syllabis, non *cauterii*, sed *theriacæ*, ex Dioscoride lib. III. 'Bibitur,' inquit, 'idem, inungiturque contra eorum omnium injurias, quæ morsu ictuve venenum relinquunt, et venenatas telorum cuspides. Contra scorpionum ictus oleo dilutus inungitur.' *Pintian.*

Clavis pedum] *Morticinum* per convicium et contumeliam Plautus in Persa vocat exanguem, tetrum, pallidum, νεαρώδη. 'Cædere hodie tu restibus. Pæg. tua quidem, cucullé, causa? Non hercle, si os præciderim tibi, metuam, morticine.' Ter autem hunc morbum memorat: quod argumento est, variis ex auctoribus collecta hæc fuisse absque judicio, et hinc illinc sparsim. *Dalec. Clavis pedum qui vulgo morticini appellantur*] Quatuor postrema verba Plinii non puto; nam et paulo ante clavos pedum ipse appellavit sine tali additamento. Et Cornelius Celsus et alii 'clavos pedum' vocant, nulla vulgaris appellationis mentione. *Pintian.*

Ante subactum. Carnes replet cum vino et croco, &c.] Scribo ex archetypo nostro: *Alopecias nitro ante subactas replet cum vino et croco, aut pipere ac murium fimo et aceto.* Dioscorides lib. III. cap. de laserpitio: 'Contra capillorum defluvia, quæ alopecias dicunt, ex vino, additis pipere et aceto, utiliter inungitur.' *Idem.*

Carnes replet cum vino] Vel ulcera cava explet, vel corpus obesum reddit, et, ut alibi ait, pingue facit. *Dalec.*

Qui coagulum lactis sorbuerint] Quibus lac potum coagulatum est. *Id.*

Cavernis dentium, &c.] Cavernis Dioscorid. indit, aut cum thure in linteo circumligat. *Idem.*

CAP. XXIV. *De natura mellis, et aqua mulsa, et quare genere ciborum mores immutentur, et de melitite et cera: et contra compositiones medicorum.*

Ulceraque jam desperantia cicatrice includit] Ex Chifl. afferunt *disperantia;* quod nulli rei est. Præclare Vossianus, *jam desperantia cicatricem cludit.* Quasi quæ desierint sperare se unquam coitura. Lentulus ad Ciceronem XII. Famil. 'Rhodii nos et rempublicam quam valde desperaverint, ex literis, quas publice misi, cognosces.' Frontinus Strateg. IV. 5. 6. 'Varro collega ejus vel majore constantia post eandem cladem vixit, gratiæque ei a senatu et populo actæ sunt, quod non desperasset rempublicam.' Ita restituimus e membra-

nis, ubi vulgo, 'de republica.' De verbo 'sperare' pari suavitate diximus in primo Observationum. *Gronov.*

Ut putrescere corpora non sinat] Alexandri corpus melle oblitum incorruptum perdurasse monstrant hi Papinii versus e Silvis: Duc et ad Æmathios manes, ubi belliger urbis Conditor Hyblæo perfusus nectare durat.' Xenophon Commentariorum v. Agesipolin, Lacedæmoniorum regem, vita functum, et melle conditum scribit Spartam relatum, et regio funere sepultum fuisse. Gemistus Plethon Agesilaum mortuum, inopia mellis cera circumlitum, Lacedæmonem reportatum fuisse tradit. Itaque mel eorum qui vita excesserunt symbolum esse veteribus creditum, sicut fel vivorum. Rhodig. XXVIII. 27. Apud Nonium Varro περὶ τροφῆς: 'Quare Heraclides Ποντικὸς plus sapit, qui præcepit ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle servarent: quem si vulgus secutus esset, peream si centum denariis calicem mulsi emere possimus.' Victorius XIX. 1.

Arescentique in febribus linguæ] Ad id potius utile fuerit saccharum, quod juxta Galen. libro Methodi nec sitim facit, nec in bilem vertitur. *Dalec.*

Mel auribus instillatur] Sonantibus, et dolore affectis. Diosc. *Idem.*

Alterum inveteratæ] Σκευαστοῦ et ἀποθέτου, conditivæ. Dioscor. Hanc proprie ὑδρόμελι vocant. *Idem.*

Item animi humilis] Iis qui immodico sudore digeruntur, et quibus languidus pulsus est: τοῖς διαφορουμένοις, καὶ μικροσφύκτοις. Diosc. *Dal.*

Et in siti] Quod per inediam accidere solet, eleganter his versibus memorat Plaut. in Curculione: 'Tenebræ oboriuntur: genua inedia succidunt. PH. Viden' ut expallnit?' ac paulo post: 'Perii, prospicio parum, os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame, Ita cibi vacivitate venio lassis lactibus.' *Idem.*

Ergo et hæc animi, &c.] Horatius: 'Ad mare cum veni, generosum et lene requiro, Quod curas abigat, quod cum spe divite manet In venas animumque meum, quod verba ministret, Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.' *Idem.*

Lenit transitum spiritus, &c.] Aptius in archetypo nostro cum minore litera, et junctim cum præcedentibus: *lenito transitu spiritus et molliore facto meatu ne scindat, &c.* Pintian.

Vulvis imponitur] Tumentibus, et inflatis. Diosc. *Dalec.*

Inveteratæ usum damnavere] In inflammationibus et obstructionibus viscerum. Diosc. ἐπὶ τῶν φλεγμαινόντων καὶ στεγνῶν. *Idem.*

Stomacho] Bilioso. *Idem.*

Quod in dulci nunquam evenit] Vel *in passo*, τῷ γλυκεῖ, vel in vino dulcis saporis. Mulsum enim ex austero optime fit. *Idem.*

Ex austero factum non implet stomachum] Scribe *inflat*, non *implet*, ex V. C. et postremam dictionem arbitramur superfluere. Dioscorides lib. v. cap. de mulso: 'Primam bonitatis habet æstimationem mulsum, quod ex vetere et austero vino probatissimoque melle confectum fuerit. Minus enim inflat quod tale fuerit, et celerius absolutum in usum venit.' *Pintian.*

Multi senectam longam mulsi, &c.] Lege ex eodem *intrita*, non *nutritu*. quod noto illo Martialis versu roboratur: 'Circumlata diu mensis intrita secundis:' contra Criticos, qui aliter eum locum legunt. *Idem.*

Celebri Pollionis Romuli exemplo] Scribendum arbitror, *Vedii Pollionis nobili exemplo.* De hoc Vedio Pollione Augusti amicitia nobilitato Plinius supra lib. IX. et Seneca in libris de Beneficiis, et Varro de Re Rustica. *Idem.*

Celebri Pollionis Romuli exemplo] Pintianus, *Vedii Pollionis.* Sed Chi-

flet. et Voss. uterque, *Romili.* Legend. *Pollionis Romilii;* fuit enim gens Romilia. Pollio autem multarum gentium cognomen. *Gronov.*

Vigorem illum animi corporisque] Democritus rogatus, πῶς ἂν ἄνοσοι, καὶ μακραίωνες γίγνοιντο οἱ ἄνθρωποι, intus vino, foris oleo, respondit: eadem propemodum sententia, qua Pollio. Vide Rhod. VI. 6. Athen. II. Alii respondisse ferunt, intus melle, foris oleo. Corsicos certe μακροβίους et πολυχρονίους esse tradunt, quod melle assidue utantur, in eorum buxis, ut Diodorus ait, copiose nascenti. Aristoxenus scribit, Pythagoræ discipulis mensam pane tantum et melle instructam fuisse. Quin et Democritus, morte jam destinata, rogatus dies aliquot differre, ne proximis Thesmophoriis luctuosa funestaque domus esset, complusculum temporis vitam sustinuit solo mellis, vel, ut alii narrant, calidi panis odoratu. Rhodig. XXI. 3. *Dalec.*

Omnis autem mollit, calefacit] Voss. *calfacit;* ut sæpe et alibi. *Gronov.*

Explet corpora] In cavis ulceribus carnem gignit. *Dalec.*

Ad meatus] Ut in altum corpus subire et permeare possint. *Idem.*

Ad nexus] Justam crassitiem, et, ut loquuntur vulgo, consistentiam. *Idem.*

Scrupulatim quidem colligere] Acad. Gud. Vossiani *Scripulatim.* Gronov.

CAP. XXV. *Medicinæ ex frugibus.*

Quæ fruge vescantur] Formicas, cornices, equos, cervos, elephantos, &c. *Dalec.*

Tritici vero ferro, &c.] Ea industria conficitur oleum e tritico a medicamentariis. *Idem.*

Cados plenos] Acervis tritici defossos et sepultos: qua astutia rusticos triticum furari solitos Gal. scribit de Nat. Facult. I. 14. *Idem.*

Etiam si fricentur] Commodius vetus exemplar, *etiam si refricentur.* Et mox paululum *multipedæ,* non *multipedarum.* Pintian.

Hac decocta fit medicamentum] Dalecampius *pulmentum.* Putavit nimirum *pulmentum* esse pultem, aut, ut loquuntur, qui cauti esse volunt, cibum solidiorem pultis instar factum. Qui vulgaris error doctos etiam plerosque viros impedivit; nam et quibus nihil alioqui conveniret, hoc conveniebat, ut Scaliger, 'nihil se pulmentum morari, quod oleto quam piso similius sit,' dixerit, et Scioppius 'solo pane, aqua, et pulmento, cum pauxillo casei, se contentum' jactaverit. Et a magno Viro ad Johannis cap. 21. reprehensus est vulgatus interpres, qui προσφάγιον reddidit *pulmentarium;* quod inepte profecto factum ait: cur enim pultem a piscatoribus peteret? laudatque Erasmum, qui *obsonium.* Atqui *pulmentum, pulmentarium, pulpamentum, pulpamen* idem prorsus est, quod obsonium, προσφάγιον, προσόψημα, ὄψον, quivis cibus coctus carnium, piscium, olerum. Plautus Aulul. II. 4. 'Pulmentum pridem ei eripuit miluus.' Extis insidiatur milvus, non pulti. Hic, opinor, incepit Lambinus præire illis, qui descripserunt jam toties cibum esse ad modum pultis factum. Idem Rudente IV. 3. 'Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale sine pulmento;' hoc est, sine obsonio, sine cibo cocto, δίχα προσοψήματος Philoni de Legat. ad Caium. Eodem sensu Justinus III. 3. *vitam sine pulmento degere,* ἄνευ ὄψου, ξηροφαγεῖν. Pro eodem in Epitoma Livii XLVIII. 'Sine pulpamine mandere.' Sic 'pulpamentum' Sticho V. 4. 'Nimis vellem aliquid pulpamenti.' Hoc dicit, cui erant appositæ nuces, fabulæ, ficuli, oliva in tryblio, lupilli, comminuta crustula. Hæc enim erant in victu, quem Cicero pro Sex. Roscio vocat 'aridum,' et Plautus Rud. III. 4. 'Nullum habemus ignem, victitamus aridis.' Idem Mil. III. 1. 'Neque præripio pulpamentum.' Pseudolo

IV. 1. 'Lepido victu, vino, unguentis, et inter pocula pulpamentis.' Frustra scribunt pulpamentum esse cibum ex pulpa leporis. Qui dixit: 'Tute lepus es, et pulpamentum quæris,' idem dixit, quod dixisset, si ei placuisset dicere: 'et matteam quæris: et cupedias quæris: et ganeam quæris.' Omnis enim lepus pulpamentum; non tantum pulpæ istæ. Quæris, ait, quod es, quod habes. Glossæ: Ὄψον, *pulpamentum.* Cicero Tuscul. v. 32. ex literis Anacharsis ponit: 'Mihi cubile terra, pulpamentum fames.' Pro eo verbis Socratis cap. 33. ponit, 'obsono famem.' Pro eodem Horatius II. Sat. 2. 'pulmentaria quæro Sudando;' et I. Epist. 18. 'pulmenta laboribus emo.' Phædrus Fab. 48. 'frusta jactat familia, Et quod fastidit quisque pulmentarium.' Seneca Epist. 87. 'Caricæ si panem habeo, pro pulmentario sunt; si non, pro pane.' Loco obsonii sunt. Sic et Cato in tertio Originum apud Charisium: 'Laserpitium pro pulmentario suo habet.' Ex quo idem: 'multo pulmento usi;' hoc est, multo cibo apparato et cocto. Ulpianus l. XII. π. 5. D. de instruct. et instrum. 'Lanificas, quæ familiam rusticam vestiant, et quæ pulmentaria rusticis coquat.' Paullus l. XVIII. π. 3. ibidem: 'n cacabis pulmentarium coquitur.' Plinius XIX. 1. 'Nec caules, ut nunc maxime, probabant, damnantes pulmentaria, quæ egerent alio pulmentario: id erat oleo parcere:' et cap. 6. 'Ulpicum præcipue celebratum inter pulmentaria ruris.' Et potius est, ut *pulmentum* a pulpamento extrita syllaba, quam a pulte, ut Varro et Plinius voluerunt, quique eos sequitur Guidetus, ducamus. Varro lib. IV. 'Quod edebant cum pulte, ab eo pulmentum, ut Plautus; hinc pulmentarium dictum.' Plin. XVIII. 9. 'Pulte autem, non pane, vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde et pulmentaria hodieque dicuntur.' Ubi quas annotant 'pulmentarias fœminas,' vel 'mictyridas,' eæ non sunt nauci. Verba Lucilii sic restituerunt viri præstantes: 'Pulmentaria, ut intybus, aut aliqua id genus herba, Et jus mænarum: bene habet; sed mictilis hæc est Merx.' Potuerunt in origine vocabuli falli Varro et Plinius; non potuerunt in significatione. Itaque volunt ambo idem, nempe antequam panis usus esset promiscuus, pultem Romanis fuisse pro pane: id ex eo apparere, quod 'pulmentum' dixerint pro obsonio, quia hoc, quemadmodum postea cum pane, sic antea cum pulte vescebantur. Satis igitur significant 'pulmentum' esse non pultem, neque instar pultis paratum cibum, sed προσφάγιον, sive *obsonium.* Adde, si placet, Casaubonum in Athenæum VII. 2. et Salmasium ad Pallium Tertulliani. *Gronov.*

Illinunt eo] Vel ut aridiora corpora humectent, vel ut eorum sordes abstergant. *Dalec.*

Impetusque] Humorum fluentium impressiones et incursus. *Idem.*

Multipedarum] Scolopendrarum. Vide XXIII. 1. ult. et XXIX. cap. 6. ult. *Idem.*

Ad extrahendas suppurationes] Galenus lib. II. ad Glauc. cataplasmate ex hordeacea farina parato discuti posse tumores suppuratos pollicetur, si exiguum pus est, sicuti vicinum, si tenue. *Idem.*

Aut intestinorum vel laterum, &c.] Duo illa verba, *vel virilium,* non agnoscit nostrum exemplar, et, ut colligitur ex Dioscoride, recte. Is lib. II. cap. de hordeo sic ait: 'Cum meliloto et papaverum vasculis in lateris dolore indolentiam facit. Illinitur et contra intestinorum inflationes, cum lini fœnigræcique semine,' &c. quæ ibi leges. *Pintian.*

Multo lenior] Ad coquendum humorem, et dolorem mitigandum aptior. *Dalec.*

Mollior] Humidior, ad siccandum minus efficax. Quale sit trimestre frumentorum, vide XVIII. 7. *Dalec.*

Locorum ratione] Quoniam eo loco de hordeo tractaretur, et eodem loco etiam conveniebat de iis quæ fiunt ex hordeo sermonem haberi. *Idem.*

A farina hordei] Ἄλευρον, (legit Plinius ἄλφιτον,) inquit Diosc. κοιλίας σταλτικὸν καὶ φλεγμονῶν πραϋντικὸν, *farina alvum sistit et inflammationes mitigat.* ὠμὴ λύσις, vel, uno vocabulo, ὠμήλυσις, *cruda farina hordei;* tosta vero, ἄλφιτον, id est, *polenta.* Idem.

Cruore suffusis] In ecchymomate. *Idem.*

Scripsissent Græci] Et Hippocrates præcipue, qui de ea librum composuit. *Idem.*

Ad habitudinem] Legisse videtur Plinius πρὸς τὴν ἕξιν ἀφικομένους, cum legendum esset, πρὸς ἑκτικὴν (sub. διάθεσιν) *ad tabem,* quam postea σύντηξιν vocat: vel, πρὸς τὴν τῆξιν. *Id.*

Adjecto melle] Id præcipue convenit in tabe, quæ morbis pulmonis succedit. *Idem.*

Torretur ante] Et in sacco fervens apponitur. Diosc. *Idem.*

Levissimum mollissimumque] Hoc est, quod Hippocrates lib. περὶ διαίτης ὀξέων, inquit, καὶ γὰρ κοῦφον καὶ προσηνὲς ὁ κέγχρος. *Idem.*

Mel frugum] Μελίας σῖτος auctore Theophrasto cap. ult. lib. VII. ut et lotus, una voce multa significat, diversa viribus, locis natalibus, et usu cibario. Nunc enim priscis μελίνη, ἔλυμος est, auctore etiam Gal. de Aliment. et de cibis boni ac mali succi. Nunc vero semen aliud est quam panicum, et milium, utrique tamen simile, *a colore nigro,* ἀπὸ τοῦ μέλανος, sic vocatum, non *a melleo sapore,* ἀπὸ τῆς μελιττώδους γεύσεως, quemadmodum Plinius indicavit, qui *mel frugum* vocat: nisi legamus, *Panicum Diocles medicus melian frugem appellavit.* Quidam milium nigrum esse putant, haud præter rationem. Quidam vero granum in Melita frequens, incolis *Cumeno* dictum, Canariis insulis familiare, Massiliæ notum, nigrum, oblongum, milio simile, quo Canarios passeres canendi suavitate et assiduitate nobiles præcipue nutriunt. Granum id cum sevissem, prodiit phalaris; ut probabile sit, alterum melian Theophrasti, a panico diversum, phalarim esse, cujus nusquam alibi meminit idem auctor. *Idem.*

Quæ vaporanda sunt] Sicco fotu calfacienda: ἃ μὲν ἀτμιάζειν δεῖ. *Idem.*

Stomacho inutilis cibus] Sesamo olim in bellariis usi sunt, veluti re suavissima et delicatissima, quod etiamnum fit a Lucensibus. Plaut. in Pœnulo: 'Obsecro, hercle, ut mulsa loquitur!' Mil. 'Nil nisi laserculos, Sesamum, papaveremque, triticum, et frictas nuces.' *Idem.*

Animæ gravitatem facit] Dum manditur, commissuris dentium inhærens. *Idem.*

Ad detractiones] Καθάρσεις, bilis et pituitæ dejectiones. Diosc. *Idem.*

Ciet menses] Legendum *cohibet;* aut hæc prorsus diversa est a phœnice Dioscoridis, quæ in austero vino pota manantem vulva sanguinem sistit, et alvi profluvium. *Idem.*

Uno volumine] Olim περὶ πτισσάνης inscriptum fuit id opus, nunc vero 'de ratione victus in morbis acutis' vocatur. *Idem.*

Contra quanto innocentior est alica] Superfluit verbum *contra;* et scribe, *quanto innocentiore alica,* ex V. C. et statim, *Hippocrates tantum sorbitionis; tamen,* non *tantum,* in eodem. *Pintian.*

Non intumesceret] Præsertim si diu cocta sit. *Dalec.*

Quamdiu pedes frigidi essent] Paroxysmorum initio. *Idem.*

Ex tritico glutinosior] Κρίμνον vocat Diosc. crassiorem tritici farinam, alicæ propemodum similem. *Idem.*

Item pustulas et fluxiones sanguinis] *Pusulas* et hic et alibi semper, non

pustulas, et *fluctiones*, non *fluxiones*, in nostro exemplari. Idem vitium paulo post castigandum. *Pintian.*

Semuncia amyli cum ovo, &c.] Videtur legendum *obolis*, non *ovis*. Idem.

Tribus ovis] Quantum vacuo trium ovorum putamine capitur. *Dalec.*

Panis] Panis facultates Dioscorides attigit II. 107. *Idem.*

· *Fermentatus*] Non quidem *fermentatum*, ζυμίτην, autopyron dici vult Plinius, sed αὐτόπυρον, id est, confectum e farina minime castrata, simul et fermentatum, ad ea remedia commendat. *Idem.*

Nauticus] Ammianus Marcellinus ad usus diuturnitatem excoctum vocat 'buccellatum.' Brod. IV. 11. ναυτικὸν ἄρτον Lucianus. *Idem.*

Vocis studiosos] Aut φωνάσκους, aut eos qui claram et altam vocem custodire volunt, ne aspera et rauca fiat: aut συμφωνιακοὺς, qui canoram, suavem, plenam, lenem vocem suis modulationibus adhibere maxime nituntur et student. *Idem.*

Levissimum cibum] Intritam panis vocat Celsus lib. I. *Idem.*

Et vini in saccos additus] *Viri*, non *vini*, in nostro archetypo; rectius; ut sit patrius casus a *virus*, quo et alias usus est Plinius: intelligit autem graveolentiam, quam sacci contrahunt ex vinis quæ colantur. *Pintian.*

Lomento quoque] 'Ο ἐρεγμὸς, proprie *fresa faba*, in faba est, quod χόνδρος et πτισσάνη in frumentis. Dicitur tamen de iride et ptisana Paulo III. 25. Hippocrati περὶ γυναικείων, de hordeo, Galenus lib. I. de alimentis, de cicere. Lomentum vero κυάμινον, ἄλευρον: idem et λέκυθος dicebatur, quamvis et λέκυθον de orobo Paulus III. 80. de ptissana Hippoc. dicto loco usurparint. Gal. περὶ εὐχυμίας, κ. τ. λ. ἔτνος dici vult cibum paratum ex leguminibus fresis: λέκυθον vero ex iisdem in farinam tritis, in aqua coctis, pingui conditis. Inde λεκυθοπῶλαι, qui ea vendunt pulmenta. *Dalec.*

Voci eam prodesse] Probabile id, quoniam tussi medetur. *Idem.*

Fabalium] Fabalia Plinius hic vocat, quos fabarum culmos Columel. dicit. *Idem.*

Cum adipis suilli vetustate] Dalecampius corrigit, *cum adipe suillo vetusto*. Atqui hoc ipsum effert exquisitius Plinius, et similiter loquitur XXI. 19. 'Semen illinitur igni sacro, flos et folia ulcerum vetustati.' XXVIII. 6. 'Obstetricum nobilitas non alio succo efficacius curari pronuntiavit corporum pruritus,' hoc est, obstetrices nobiles. *Gronov.*

Et per se cortices] Longe plures ad varios morbos et fabæ, et ejus farinæ, et corticis facultates Dioscorides memorat. *Dalec.*

Crustulas hulcerum] Quæ inustis ferro candenti aut caustico partibus fiunt. *Idem.*

Contra suppurantia] Discutiendis tumoribus, qui ad suppurationem vertuntur, ne suppurent. *Idem.*

Ad sedem] Inflammatam. Diosc. *Idem.*

Dissolutionem stomachi] Subversionem, ἀνατροπὴν, Dioscorid. *Idem.*

Nec somno facilis] Somnia tumultuosa facit. *Idem.*

Mammis in aqua marina decocta] Τοῖς μαστοῖς χονδριῶσι, καὶ σπαργῶσι, *grumoso et concreto lacte duris, et nimia copia lac profundentibus*, Dioscorid. *Idem.*

Guttura] Bronchocelas. *Idem.*

Collectionibus] Ταῖς φλεγμοναῖς, *inflammationibus*. Diosc. *Idem.*

Est et silvestris elelisphacos] Corruptissimus hic locus ex Dioscoride sic est restituendus: *Est et silvestris phacos Græcis dictus, ab aliis Aphace. Ea est sativa lente altior, folio tenui. Elelisphacos folia habet cotonei mali effigie, sed minora, candida, longiora, asperiora, odorata. Hæc minor. Est et alterum genus ejus silvestre, odore gravi. Folia cum ramis decoquuntur.* Quam silvestrem vocat, σφάκελον Theoph. esse

puto. *Dalec.* *Est et silvestris elelisphacos dicta a Græcis, &c.*] Legend. *Est silvestris elelisphacos dicta Græcis; aliis sphacos dicta sativa, lente leviore, et folio minore atque sicciore et odoratiore. Est et alterum genus ejus silvestrius, odore gravi. Hæc mitior folia habet cotonei mali effigie.* Vide Salmas. p. 330. b. 331. a.

Hæc mitior] Verba hæc errore, ni fallor, hic inserta sunt; pertinent enim ad elisphacum auctore Theophrast. VI. 2. de stirpibus, discrimen assignante inter elisphacum et elelisphacum; illud enim esse sativum, hoc agreste; his verbis: 'Sphacelus et salvia inter se distant: quasi alterum urbanum, alterum genus silvestre dixeris. Sphacelo folium lævius, contractius, minusque squallens: salviæ scabrius et odore graviore.' Legendum igitur sic: *Elisphacos dicta a Græcis, aliis phacos, sativa lente lævior et folio minore; hæc mitior. Est et alterum genus silvestris odore gravi, folia habet cotonei mali effigie, &c.* reliquæ autem particulæ redundant, ex codice antiquo. *Pintian.*

Folia habet cotonei mali effigie] Hæc est apud Dioscoridem historia salviæ, quam cum phaco et aphaca inepte confundit. *Dalec.*

Torporem autem] Hoc de ictu pastinacæ intelligi potest, quod magis placet, et de salviæ remedio. Dioscorides radium pastinacæ mitigare dentium dolorem tradit, illosque frangere et ejicere. *Idem.*

Cicercula] Lathyrus Græcorum. *Idem.*

Farinæ ejus (ut ait Varro) maculas toto corpore emendat] Longe diversa et verior nostri codicis lectio: *Farina ejus varos; sed et maculas cutis toto corpore emendat.* Quam lectionem castam legitimamque esse Dioscorides comprobat lib. II. cap. de ervo, his verbis: 'Lentigines asperam et discolorem seu a sole cutem. Labes quas Græci spilos dicunt et toto corpore maculas exterit.' *Pintian.*

Farina ejus, ut ait Varro, maculas] Voss. *Farinam ejus varos sede maculas cutis.* Scribe, *Farina ejus varos, sed et maculas cutis toto corpore emendat.* XXIII. 1. 'Vitia cutis in facie varosque et lentigines et sugillata emendat:' et c. 4. 'Cutem erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit.' Vidit et Pintianus. Alluditque Andegav. exhibendo, *Farina ejus varro sedet maculas.* Gronov.

Atropha] Atrophos idem XXVIII. 9. ab imbecillitate vires recolligentes exponit. *Dalec.*

Genua quoque degravat] Graves genuum dolores excitat. In Æno mulieres æque ac viri, qui leguminibus victitarunt, crurum impotentia vexati sunt, nec ab eo morbo sanati. Qui autem ervum esitarunt, genuum dolor afflixit. Hippoc. 6. Epid. Sect. 4. *Idem.*

Mitescit] Ervi grana uberiora et candidiora aqua permiscenda macerantur Dioscoridi, et ubi satis aquæ combiberint, torrentur, quoad rumpatur hians cortex: moluntur: inde farina fit. *Idem.*

Capillos nigro colore inficiunt] Color in capillis niger non tantum a viris canescentibus expetebatur, ut senectutis vitium dissimularent, sed etiam a mulieribus, quod matronæ spectatæ pudicitiæ nigro capillo, toga longe ac late fusa, et ad talos demissa, stola, flammeo, vittis, et reticulo sese ornarent: meretrices vero flavo capillo, togaque subducta, stola pulla absque vittis et flammeo internoscerentur. Alex. ab Alex. v. 18. *Idem.*

Lupini quoque silvestres sunt] Galenus lupinos silvestres sativis esse πικροτέρους scribit. Diosc. vero μικροτέρους. *Idem.*

Utroque liquore] Amurcæ et decocti chamæleontis. *Idem.*

A Græcis erysimon vocari] Plinius admodum inconsiderate erysimon herbam descriptam a Dioscoride

confundit cum erysimo fruge a Theophrasto memorato Caus. II. 17. et VI. 19. item Hist. VIII. 7. *Dalec.*

Carcinomatum malis] Cæcorum, occultorum; de quibus Aphor. VI. 38. κρυπτῶν Diosc. *Idem.*

Cumino simile est] Sativum semen edit nigrum et oblongum; silvestre vero fuscum et rotundum. Diosc. Theophrastus sativi semen cum cumino comparat. *Idem.*

Porro] Plinius pro πρασίου legit πράσσου. *Idem.*

Infelix dictum est a Virgilio lolium] 'Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.' Lolium pani admixtum vertiginem capitis facit et gravedinem; unde proverbium 'lolio victitare.' In balnea cum frequentior turba concurreret, quam ut balneatores sufficerent, ut ingruentem vim hominum summoverent, lolium carbonibus injiciebant, cujus odore populus vexatus diffugeret. Alex. ab Alex. IV. 20. Plaut. in Milite: 'Mirum est lolio te victitare, tam vili tritico? PA. quid jam? SC. quia luscitiosus.' Ovid. Fast. I. 'Et careant loliis oculos vitiantibus ægri.' Polit. Miscell. c. 68. *Idem.*

Curatio hæc, &c.] Ratio hæc: *Aceti sextario uno diluuntur mellis unciæ duæ.* (sic et Ch. cætera ut in vulg. nisi quod *calidumque imponi*, expuncto τῷ *ipsum*, habet.) *Justum est ita temperatis sextariis tribus decoctæ farinæ, lolii addere usque ad crassitudinem, calidumque ipsum* (*alii calidamque ipsam, &c.*) Cornarius ex vetusto. *Idem.*

Aceti sextario uno dilui mellis uncias duas] Verbum *uncias* putamus superfluere, et legendum *duos*, non *duas*; alioquin non haberet locum quod statim subjicitur: *Ita temperatis sextariis tribus.* Pintian.

Decocta farina lolii sextariis duobus] *Decoctæ farinæ lolii sextarios*, et verbum *duobus* redundat ex eodem. Expende vero an sit commodius legi in totum sic: *Aceti sextario uno dilui mellis duos justum. His ita temperatis sextariis, tres decoqui farinæ lolii sextarios usque ad crassitudinem, &c.* Idem.

Avenæ genere] Ægilopem quidem, avenæ persimilem, certum est segetis hordeaceæ vitium esse, quoniam in eam nimia uligine hordeum degenerat, non aliter quam triticum in lolium. At avena peculiare genus habet, suoque semine provenit, et utilissimam agricolis frugem præbet. *Dalec.*

Estur et per se in patinis cum tenera est decocta] In vetusto exemplari: *Estur et per se et in patinis cum tener est decoctus*; ut referat caulem, non ipsam orobanchen. *Pintian.*

Solifugarum generis] *Solipugarum*, in eodem legitur, non *solifugarum*, rectius, ut a pungendo nomen adeptæ sint, quod statim sequitur. *Idem.*

Solifugarum generis] Solpugæ venenatæ formicæ XXIX. 4. quarum veneno et scorpionum clade gens Cynamolgis Æthiopiæ vicina sublata est, VIII. c. 19. Georgio Agricolæ post Solinum 'solifuga' animal est perexiguum, aranei forma, in metallis argentariis plurimum occulte reptans, et iis qui imprudentes supersedent exitium afferens. Nominis ratio est quod solem fugiat. *Dalec.*

Zythum in Ægypto] 'Sabaia' in Illyrico, ex hordeo vel tritico in liquorem verso potio vilis Marcellino lib. XXVI. a quo Valens Imperator in obsidione Chalcedonis 'Sabaiarius' per ludibrium vocatus est: 'Parabia' apud Pæonas: 'Curmi' apud Barbaros quosdam: 'Ala' Britannis a voce Danica *œla*: πῖνος Aristoteli, vel a bibendo vel a sordibus: βρῦτον Hellanico: πίνουσι δὲ βρῦτον ἐκ τῶν ῥιζῶν, καθάπερ οἱ Θρᾷκες ἐκ τῶν κριθῶν. Hecatæo, Archilocho: ὥσπερ αὐλῷ βρῦτον ἢ Θρᾷξ ἀνὴρ, Ἢ Φρὺξ ἔβρυζε. Æschylio: κἀκ τῶν δ' ἔπινες βρῦτον ἰσχυραίνων χρόνῳ. Zythi meminerunt Gal. VI. Simpl. Comment. in lib. Hippocratis de ptissana, Ægineta, Suidas, Diodo-

rus, qui scribit Bacchum εὑρεῖν τὸ ἐκ τῆς κριθῆς κατασκευαζόμενον πῶμα τὸ καλούμενον ζύθον. Strabo lib. XVII. Isidorus. Cervisiam dictam volunt a Cerere: 'Ceriam' Hispanicum esse vocabulum, nisi a cereo colore nomen impositum credamus. 'Cæliam' a calfaciendo Isidorus nuncupatam censet: quod parum credibile est. Ejus meminit Florus, quo loco refert Numantinos sese prius epulis, tanquam inferiis, implevisse, carnis semicrudæ, et cœlia. Had. Jun. II. 12. Apud Jureconsultos l. 8. ff. de tritico, vino, vel oleo leg. in quibusdam provinciis zythum fieri ex tritico vel hordeo, vel panico, non, ut vulgo legunt, 'pane.' Ibidem pro curmi et 'camum' perperam legitur. Cujacius Observat. XI. 30. *Idem.*

LIBER XXIII.

PROŒM. *Odorumque gratia proveniunt*] Melius in vetusto exemplari, *odorumve gratia proveniunt.* Et mox paulo inverte verba, legitoque, *arborum umbra alere, &c.* Pintian.

Partesque medicas pendentibus quoque dedit] Voss. *partesque medicasset peridentibus dedit.* Scribe, *partesque medicas et pendentibus dedit.* Ut plane comes ejus Vossianus alter. *Gronov.*

Primum enim homini cibum fuisse inde et sic inductos] Vossianus, *inducto:* recte: præcessit enim *homini*, qui *et sic* (ἐμφατικώτερον, etiam hac re, etiam hac occasione) inductus est, ut cœlum spectaret, dum nempe ex alto cibum petit. Ovid. ' cœlumque tueri Jussit.' *Idem.*

Ergo hercule has in primis dedit vitibus] Scribendum reor, *Ergo hercule partes primas dedit vitibus;* nam dixit in calce prioris libri: *Præstat ad vini transire mentionem, atque a vite ordiri medicinas arborum.* Et sequitur paulo post: ' Plurimum,' inquit, ' homini voluptatis ex me est. Ego succum vini, liquorem olei gigno.' *Pintian.*

Massari] Œnanthe Africana. Vide lib. XII. c. ult. *Dalec.*

Ut quando quantove opere cibi fiant] Scribendum puto, *ut quandoque tanto labore cibi fiant;* nam præcessit statim ante: ' Neque ut tellus omnia per labores,' &c. *Pintian.*

Ardores stomachi] *Acorem stomachi*, Diosc. Voce ὀξύνοντα Plinius deceptus est. *Dalec.*

Maximeque aqua quam virides accensæ] Scribo, *maximeque cum virides accensæ, &c.* ex V. C. *Pintian.*

Et intertrigines et pilos absumit] Lege, *et intertrigini*, et junge superioribus, ex eodem. *Idem.*

Odoribus, &c.] Eam tamen ad medicos tantum pertinere scribit XII. 28. *Dalec.*

Festinando] Priusquam flos in fructum transeat. *Idem.*

CAP. I. *De medicinis uvarum recentium, et sarmentis uvarum, et vinaceis, et de uva theriace, et de uva passa, et astaphide, et astaphide agria, pituitaria, et labrusca, et de vite alba et nigra, et de mustis, et vini generibus, et aceto.*

In palea servatæ] Paleales vocat Aurelianus III. 21. chronion. Vide Columell. XII. 23. Vide supra XIV. 1. et XV. 17. *Dalec.*

Stomachi ardore] Siticulosis, ardentibus, et longis febribus. *Idem.*

Mammarum inflammationi, &c.] *Duritiæ et lactis plenitudini*, τῇ σπαργώσει, Diosc. *Idem.*

Et cœliacos, &c.] Et fœminas uteri fluxione vexatas. Diosc. *Idem.*

Interanea tentaret] Ob dulcedinem, qua laxat, et mollit, obstructionesque parit. *Idem.*

Sanant epinyctidas et dysenteriam] Duo verba omissa sunt ab incurioso librario ex vetusto codice; ea sunt *et teria:* scribo autem non *teria*, sed *ceria*, hoc est, favos. Dioscorides lib. V. cap. de uvis: ' In verrucarum genere quas epinyctidas, carbunculos, favos, et articulorum exedentia ulcera,' &c. *Pintian.*

Sanant epinyctidas et dysenteriam] Voss. *epinyctidas et theria et dysenteriam.* Lege *ceria*, κηρία. XX. 2. ' Radix sanat ulcera concreta in modum favi, quæ ceria vocant.' XXIII. 7. ' Iidem cum melle ulceribus, quæ

ceria vocant, illinuntur.' Et rursus: 'Quæ mollissima sunt ex his, cum aceto ulcera manantia, epinyctidas, furfures sanant. Cum melle foliis ceria sanantur et canis morsus.' Sic enim Mss. Psellus περὶ καινῶν ὀνομάτων ἐν νοσήμασιν· Κηρίον ὄγκος ἐπὶ τοῦ δέρματος ἔχων κατατρήσεις. Occupavit et hoc Pintianus. Voss. Andeg. *epynictidas et ceteriam dyssinteriam.* Gronov.

Quam uvam taminiam aliqui] Festus ridicula, nisi fallor, interpretatione, *uvam taminiam* exponit, quæ tam mira sit, quam est minium. Tacite hic reprehenditur Celsus, qui taminiam vocavit lib. III. cap. de hydrope. *Dalec.*

Cum taminiæ, &c.] Eam Plinius innuit, quam silvestrem vitem Dioscorides vocat, et quæ paulo post describitur, et ampelos agria nominatur, et quæ Theophrasto athragena vocatur. *Idem.*

Rheumatismum cicatricum] Apud Dioscorid. est: οὖλά τε ῥευματιζόμενα στέλλει, καὶ ἄφθας τὰς ἐν στόματι θεραπεύει μετὰ μέλιτος. *Rheumatismum gingivarum sistit, ulcera oris manantia cum melle sanat.* Sic Ruellius cum Plinio. Mallem vertere, *ulcera oris depascentia.* Deceptus est Plinius in vocibus οὐλὴ et οὖλον. *Idem.*

Ad expuitionem sanguinis] Cum is crassus, et viscida pituita permixtus, faucibus adhæret, et strangulationis periculum adfert. *Idem.*

Est huic similis, sed in salictis nascens] Hæc est glycypicron Dodonæi, et, ut quidam volunt, melothron Theophrasti. Vide quod adnotatum est ad XXVII. 7. *Idem.*

Alii cedrostin] Emendatior lectio, *alii agrostin.* Dioscorid. lib. IV. cap. de vite alba: 'Sunt,' inquit, 'qui psilothron, qui archezostin, aut agrostin vocent.' *Pintian.*

Succo rubente, postea croci] Scribe, *succo rubente postea crocino*, ex antiquo exemplari. *Idem.*

Qui illitus per se et cum ervo, &c.] Nostrum apographum: *qui illinitos per se et cum ervo, lætiore quodam colore et cutis teneritate mangonizat;* nam verbum *corpora*, quod finit clausulam, non habetur in eodem. *Idem.*

Qui se ad talos dejecerit] In podagra, et articulari morbo. *Dalec.*

Unum de dando volumen Ascl. condidit, ab eo cognominatum] Voss. *Unum de dando eo volumen.* Deinde *cognominatis.* An legendum *cognominatus?* ut est in Andeg. et Menap. et Gud. qui etiam *dando et volumen.* XXVI. 3. 'Ipse cognominari se frigida danda præferens.' Ubi tamen optimus: 'cognominaveri se.' Numquid: 'Ipse cognomen ab ægris frigida danda præferens.' Sed ibi de aqua, hic de vino agitur. Idem codex, *qui postea vero.* Fortasse: *Unum de dando eo volumen Asclepiades condidit. Ab eo cognominati qui postea fuere, de volumine illo disseruere innumera.* Gronov.

Qui vero postea de volumine illo disseruere] In vetusto exempl. *qui vero post eum de volumine illo disseruere, innumeri;* illud autem *volumine* expositionis loco a lectore adjectum arbitror. *Pintian.*

Ut nomina modo cellarum væneant] Pendebat enim e doliis vinariisque vasis tabula, in qua vini solum natale et ætas scribebatur, ac quo tempore, quibusve consulibus esset conditum. Juvenal. Sat. V. 'cujus patriam titulumque senectus Delevit, multa veteris fuligine testæ.' Brod. I. 3. *Dalec.*

Hæc tamen facere constantissime videntur sententiæ victoriam] Vox ultima non est in Vossiano, uti nec in Chifletiano. Sed Vossianus etiam: *Hæ tamen:* deinde, *discriminis exigit.* Scribe: *Hæ tamen facere constantissime videntur sententiæ, quarum* (de Surrentino, Albano, Falerno) *mentionem fecimus. Si quis hoc quoque discriminis exigit, Falernum nec in novitate nec in*

nimia vetustate corpori salubre est, &c. *Constantissime facere*, est constantiores, neque ita variæ, esse; nisi malis, *facile constantissime*. Alii scripti, *Hæc tamen facere constantissime videntur victoriæ*. Gronov.

Vehementiæ minus Falerno] Chifl. et Vossiani duo, *Falerno habent*. Scribe: *Virium plus Surrentina, austeritatis Albana, vehementiæ minus Falerna habent*. Idem.

Nigrum] Quale melampsithium Diosc. vocat v. 9. *Dalec.*

Vinum si sit fumo inveteratum] Quod scribit Columella I. 6. Apothecæ superponuntur locis, unde plerumque fumus exoritur, quoniam vina fumo celerius vetustescunt, ejus tenore præcocem maturitatem trahunt. Horat. 'Hic dies anno redeunte festus Corticem astrictum pice dimovebit Amphoræ fumum bibere institutæ Consule Tullo.' Brod. VIII. 13. *Idem.*

Cariem] Saporem, qui nimia vetustate contrahitur. *Idem.*

Consilii dedere prisci] Non esse vina ad extremam senectutem recondenda, quæ cariosa est. *Idem.*

Sua cuique vino saliva] Suus humor, si dolia implenda sunt, cum vinum deferbuerit. *Idem.*

Corpus augere volentibus] Non sitire, et cibos modice proluere, optimum præceptum. Diosc. *Idem.*

Inutilissimum est] Galenus comment. Aphor. VI. 28. *Idem.*

Curas vigoremque animi impedit] Verbum *impedit* neque in Acad. neque in Voss. conspicuum. Nam in Gud. et Voss. duobus rursus hic lacuna a verbis: *Reliqua in commune dicentur*, usque ad *Plurimum fotu medetur: prodest erudines: item lepris;* sic enim And. At Menap. et Gud. *Plurimum fotu medetur. Prodest contra erudines. item lep.* Nempe reliquerat Plinius: *Vinum jejunos bibere inutilissimum est curas vigoremque animi ad procinctum intendentibus. Ad procinctum*, id est, ad serias res agendas. *Gronov.*

Sapientiam vino obumbrari] Eo pertinent Græcorum illæ sententiæ: Οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια· κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ. Ac rursum hoc Xenophontis in Symposio: τὸν οἶνον κατὰ τὰς τῶν ἀνδρῶν ψυχὰς, ὥσπερ μανδραγόραν, τὰς λύπας κοιμίζειν· τὰς δὲ φιλοφροσύνας ἐγείρειν, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα. Lepide hoc Antiphanes: τὸ δὲ Ζῆν, εἰπέ μοι, τί ἐστί; Β. τὸ πίνειν, φημ' ἐγώ. Idem et perquam venuste vinum Ἀφροδίτης εἶναι γάλα scribit. Rhod. XXVIII. 28. *Dalec.*

Itemque jugi superbibere ebrietati, quam quidem, &c.] Scribendum reor: *interque jungere, ac superbibere;* ut hæc verba ad præcedentia pertineant: deinde sequatur aliud cæsum: *Ebrietatem quidem frigidæ potus extemplo discutit;* sic enim præfert antiquum exemplar. *Pintian.*

Itemque jugi superbibere ebrietati quam quidem] Ut Chiflet. et Acad. atque Voss. *ebrietatem quidem*, sine τῷ *quam*. Nec secus Pintiani exemplar: unde ille: *interque jungere ac superbibere. Ebrietatem quidem*. Scribe: *Aquæ potum interponere utilissimum: itemque jugem superbibere. Ebrietatem quidem frigidæ potus extemplo discutit. Interponere*, ut Celso III. 6. 'Poterit semel aut bis interponi Græcum:' et eidem IV. 5. 'Interponenda abstinentia est.' Martialis I. 107. 'Interponis aquam subinde, Rufe.' Suetonius Vespas. 20. 'Inediamque unius diei per singulos menses interponeret.' *Jugem superbibere*, intellige, aquam, quoties bibas, superfusam vino bibere. Ut apud Justinum XII. 'in aqua frigida, quam prægustatæ jam potioni supermiserunt.' *Gronov.*

Totidemque postea] Exoriente sidere id a se fieri gloriatur Anacreon. *Dalec.*

Meracum] Parum dilutum. Prorsus meracum in iis ægritudinum generi-

bus noxium fuerit. *Idem.*

Liberaliter genitis] Bona corporis natura præditis. *Idem.*

Sacco viribus fractis] Saccabant olim vinum, cum mustum, priusquam ferbuisset, per saccum toties colabant, ut defecaretur. Sic adempta fæce, quæ vini vim alit et auget, vinum lenius et imbecillius bibebatur. Fæcis vini etiam necantem vim auctor describit sequenti capite. Vide xx. 19. et xxix. 2. *Idem.*

Saluberrimum, cui nihil in musto additum est] Voss. *in musta.* cap. 7. 'Dentium quoque dolor hic succus adpositus in lana prodest, aut in cavis eorum additus.' Voss. *caveorum.* Scribe, *in cava eorum;* quod jam ex aliis libris notarunt. Cap. 8. 'additis in singulis sextariis aquæ.' Ex veteri proferunt, 'in singulas singulis.' Scribe, 'additis in singulas sextariis aquæ.' xxvii. 12. 'Ex hac in tres modios salivati additur, quantum in unam sagittam addi solet.' 'Ejusdem cap. 12. 'Additur in antidota.' Sic utrobique Vossianus. *Gronov.*

Quis non etiam validus expaverit] Voss. *non sit validus.* Lege, *quis non et validus expaverit?* Idem.

Crapula est] Κραιπάλη Græcis. Vini condimentum sic dictum, quod *κραιπάλην*, id est, *capitis gravitatem*, affert: fit e resinæ crudo flore. *Dalec.*

Exhulcerationi] Profundarum et abditarum partium. Diosc. *Idem.*

Picatumque] Celsus Allobrogicum vocat iv. 5. *Idem.*

Helvenaco] *Helvico.* Vitis agri Viennensis, quæ vinum præbet sponte naturæ picem olens, generibus Arverno, Sequano, Helvico constabat. xiv. 1. *Idem.*

Veteribus ægris] Vel ætate senibus, vel inveterato morbo. *Idem.*

Dimidia enim pars periculi] Levius ac minus periculum est, cum remissa febre alliciendi somni caussa bibitur. *Idem.*

A libidine ægrotantibus] Vinum enim debilitatos jam immodica Venere nervos gravius offendit. *Idem.*

In tremore nervorumque] Ut nec caduco morbo, licet utraque ægritudo frigida sit. *Idem.*

Venarum vehementia] Lego *Urinarum:* si *venarum* legas, intellige vehementem, magnum, et concitatum pulsum. *Idem.*

Singultientibus] Ab acri humore stomachum lancinante. *Idem.*

Perlucebunt oculi] Aut scintillis micabunt, aut rubore nitebunt. *Idem.*

Nec a somno] Ne calfacta somno viscera vino etiamnum magis incalescant. *Idem.*

Palmeum] E palmulis chydæis, maturis. Dioscorides alvum sistere ait, non mollire, propterea que cœliacis dat et dysentericis. *Idem.*

Prægnantibus] Quæ pica et malacia vexantur. *Idem.*

In pestilentia] Apud Festum 'pesestas' pestilentiam vocabant imprecatores, cum fundum lustrantes abigi poscebant et averti morbum, mortem, labem, nebulam, impetiginem. *Idem.*

Convalescentium et a Solis ardoribus] Iis qui a sole usti capite doluerunt, et jam melius habent, aut qui in diariam febrem ea ratione inciderunt. *Idem.*

Oculis] Inflammatis, fluxione tentatis. *Idem.*

Plurimum fotu medetur post] Locus, si quis alius in historia naturali, pessime a librariis habitus, et qui dedita opera videri possit depravatis verbis et ordine luxato obscuratus, vel potius perditus. In primis verbum illud *fotu*, cum præcedentibus legendum; ut sic verba concipias: *Oculis quoque illo modo saluberrimum fotu;* deinde verbum *medetur* sequentibus applica, *Medetur item lepris, furfuribus, &c.* reliqua ergo sunt, *Plurimum post uredines.* Exemplar vetus non

uredines præfert, sed *hirudines;* scribo, *pellit potum hirudines.* Dioscorid. lib. v. cap. de aceto : 'Pellit haustas hirudines potum acetum.' *Pintian.*

Uredines] Ignis aut ferventis aquæ. *Dalec.*

Multipede] Auctor xx. 2. millepedam a Græcis *sepa* vocari ait, oblongam, pilosis pedibus, pecori præcipue noxiam, ejus morsu tumorem insequi, et locum putrescere : quæ de scolopendra audienda sunt. Vide infra quæ notata sunt in xxix. 6. *Idem.*

In sanguinis fluxione] *Fluctione* legendum, non *fluxione*, ut alias notatum est. *Pintian.*

In spongia impositum] Aut ægro in eo desidere jusso, adjecto salis tantillo. Celsus lib. vii. *Dalec.*

Tussim veterem] Et recentem lacessit. Diosc. *Idem.*

Saxa rumpit infusum] Alpes exercitui suo, ejusque impedimentis, pervias Annibal fecit ea industria et diligentia. *Idem.*

Tosto pane aut vino] *Tosto pane aut cum nitro*, in vetusto exemplari : rectius ; sequitur enim, 'utique sale compescitur.' *Pintian.*

Siquidem M. Agrippa supremis] Idem fere de Servio Clodio narratur xxv. 3. *Dalec.*

Unius medicorum] Quid si legas non *unius medicorum*, sed *Musæ medici?* Pintian.

In acerrimo impetu morbi] Addunt quædam exemplaria, *evasit :* alioqui imperfecta videtur oratio. *Idem.*

Cap. ii. *De aceto scillino, et oxymelite, et sapa et fæce vini, aceti, et sapæ.*

Acescentibus cibis] Ventriculo acida pituita farcto, vel melancholico succo. *Dalec.*

Vertiginosis, vulvarum strangulationibus] *Vertigini, vulvarum strangulationibus* codex antiquus ; et paulo post *Diocles* in eodem legitur, non *Dieuches*. Pintian.

Salis marini pondo, thymbræ quadrantem] *Libram*, non *thymbræ*, in eodem : et sane apud Dioscoridem lib. v. cap. de aceto mulso : in confectione oxymelitos nulla mentio thymbræ. Quapropter probo scriptam lectionem, *pondo libram quadrantem.* Qua locutione alioquin frequentissima usus est Columella xii. 33. 'Scyllæ,' inquit, 'aridæ pondo libram et quadrantem.' *Idem.*

Defervescente cortina] *Defervente*, non *defervescente*, in eodem. Et paulo post *fæx vini*, redundat *vini*. Idem.

Id sale et aceto recente efficacius est] Multas et insignes acidæ muriæ, τῆς ὀξάλμης, facultates a Diosc. proditas auctor silentio præterit. *Dalec.*

Melius] *Melior* leg. nisi ad Græcam vocem ἕψημα referas ; vel Latinam defrutum. *Idem.*

Et testium mammarumque inflammationes] In Apographo nostro *inflationi*, non *inflammationes*, legitur ; quod magis probo. Dioscorides lib. v. capite de fæce. 'Cruda fæx,' inquit, 'per se, et cum myrto, tumores reprimit.' *Pintian.*

Cum expiraverit quoque lavandis, &c.] Permutato loco verbi illius *quoque*, legitur in eodem : *cum expiraverit lavandis quoque corporibus, &c.* Idem.

Vestibus utilis] Lixiviis. Parisienses vulgo id miscent. *Dalec.*

Usum acaciæ] Summa vi adstringendi. *Idem.*

Panos discutit nondum] Hæc de fæce vini Dioscorid. non aceti. *Idem.*

Extinguit] 'Ακυρολογία *extinguit mammas*, pro *extinguit lac.* Dioscorid. σπαργῶντας μαστοὺς γάλα τε ῥέοντας ἀποσβέννυσι, *ubera distenta, tumida, lacteque manantia extinguit.* Idem.

Rufat capillum] Serenus, ut quidam exponunt, eam compositionem *unguentum cineris* vocat : 'Ad rutilam speciem nigros flavescere crines Unguento cineris prædixit Plinius auctor.' Cato : 'Mulieres nostræ cinere capillum unguitabant, ut rutilus esset

crinis.' Servius in Georg. 'immundum cinerem' exponit, quo puellæ non utuntur ruffandis crinibus. *Dalec.*

CAP. III. *De oleis, et foliis oleæ, et flore, et cinere, et de oliva alba et nigra, et de amurca.*

Nam lacryma, quæ ex arbore ipsa distillat, Æthiopicæ maxime oleæ, &c.] Non lacrymam ipsam miratur, sed eorum potius temeritatem, qui tam ancipiti remedio uti non dubitarent, cum etiam ipsi venenum faterentur. *Gelen.*

E radice oleæ quam tenerrimæ cortex derasus in melle crebro, &c.] In vetusto exemplari: *E radice oleæ quam tenerum derasum in melle crebro gustatum, &c.* Pintian.

Item dentibus aut attritis aut convulsis] Chiflet. *item dentibus carnem audendo attritis.* Voss. Andegav. *dentibus audodam attritis a. c.* Princeps, *item dent: carnem audenda adtritis.* Scribe, *item dentibus carne mandenda attritis.* Gronov.

Casuros dentes extrahit] *Causarios*, non *casuros*, in eodem rectissime; quo significatu et 'causaria missio' apud Jurisconsultos, et 'causarii milites' Livio: res nota, nec dicenda verbosius. *Dalec.*

CAP. IV. *De foliis oleastri, et œnanthino oleo, et cicino, et amygdalino, et laurino, et myrteo, chamæmyrsino, et cupressino, et citreo, et caryino.*

Et os quoque colluitur illo ad dentium] In eodem, *et de eo os quoque colluitur ad dentium firmitatem;* scribo, *Ideo os quoque colluitur illo, &c.* Idem.

Et os quoque colluitur illo ad infirmitatem dentium] Voss. *et de eo os quoque colluitur ad firmitatem dentium.* Eodem digitum intendit Andegav. *et Deos quoque colluitur illa ad firmitatem dentium.* Gronov.

Oleo capitis dolores] Lege, *Oleo in capitis dolore:* alioqui fuerit ἀκυρολογία; non enim dolor illinitur, sed affecta dolore pars. *Dalec.*

Omphacinum] Omphacinum oleum fit ex olivis acerbis et immaturis: *viride* ex olea druppa, nempe cibo nondum matura, jam tamen colorem mutante. Vide XII. 27. *Viride* alii interpretantur, quod ex olivis malo fractis sponte fluit, non ignis vi elicitur, vulgo *Huille vierge.* Idem.

Colorem dentium custodit magis, &c.] In vetere codice non *aliud* legitur, sed *alibi.* Scribendum reor *albat;* ut in præcedentibus, et his quæ insequuntur, *ruffat* usurpavit, et *nigrat.* Pintian.

Œnanthino idem] Ejus mentio fit XV. 7. De œnanthino, non oleo, sed unguento, Dioscorides tradit quod hic Plin. scribit. *Dalec.*

Contra omnia supradicta laudatissimum, &c.] Duo illa verba *laudatissimum, et*, non agnoscit exemplar antiquum. Reliqua sic legenda censeo: *Supra omnia supradicta lassitudinum, &c.* Pintian.

Bubus infusum per nares, &c.] In eodem non *ructent* legitur, sed *rictent;* ut sit frequentativum a 'ringo.' *Idem.*

Mellis acapni] Quod apes fecerunt, nunquam ad opus fumo excitatæ. *Dalec.*

Oleum cicinum bibitur ad purgationes, &c.] De hoc cicino oleo Plinius supra XV. 7. 'Proximum fit et e cici arbore in Ægypto copiose. Alii crotonem, alii rhibin, alii sesamum silvestre appellant.' De eodem et Dioscorides libro primo proprio capite. Cæterum in hoc Plinii loco non *cicinum* scribi debet, sed *cnicinum*, hoc est factum ex cnico herba, quam Dioscorides lib. IV. et Theophrast. lib. VI. memorant. De cnicino vero oleo Dioscorides lib. I. capite peculiari sic disserit: 'Conficitur et cnicinum oleum similiter. Vis illi eadem quæ ex grano Gnidio confecto oleo est.' Quæ verba mire quadrant cum illis Plinii verbis, quæ aliquanto post sequuntur

hoc ipso capite: 'Ex Gnidio grano factum eandem vim habet quam cnicinum;' sic enim legendum, non *cicinum*. Confirmat etiam correctionem nostram, quod Dioscorides tundi semen cnici tradit, darique expressum ex eo succum ad purgandam alvum in aqua dulci: quæ hic ferme verba Plinius repetit, magna Hermolai hallucinatione, qui *cicinum* hic pro *cnicinum* agnoscit. In quem errorem incidit etiam Marcellus Dioscoridis interpres lib. IV. cap. de ricino frutice. Cujus falsam traditionem, ne dicam temeritatem, quo minus profitear me demirari, temperare mihi non possum; scribit enim hoc ipso capite de ricino, *oleum cicinum*, seu *ricininum*, *in nullo sanitatis usu esse*. Quod neque in Græcis duarum impressionum Dioscoridis exemplaribus habetur, neque Hermolaus aut Ruellius Dioscoridis interpretes tale quippiam in suis tralationibus posuerunt; nam lib. I. multos ei in re medica usus Dioscorides assignat, ut in promptu est legere volentibus. *Pintian.*

Sive oxymyrsinæ] Ignoranter Plinius errat nominum similitudinibus deceptus; oxymyrsines enim ac myrti natura prorsus diversa est: præterea ex oxymyrsine oleum fieri nullus auctor prodit. Idem error annotatus est XV. 7. *Dalec.*

Cæterum iners et gravi sapore] *Cæterum iners et gravi sopore*, in vetusto exemplari. *Pintian.*

Enimvero si quid in nucleo putridi fuerit] Verbum *modus* putamus superfluere. *Idem.*

Eandem vim habet quam cicinum] Scribendum, ut dixi, *cnicinum* ex Dioscoride ad verbum. *Idem.*

Durius] Adstringendi vi potentiore et paulo calidius. *Dalec.*

Concitatæ] Sanguinem emittenti, vel procidenti. *Idem.*

Astringit gleucinum] Calfacit, emollit, relaxat Dioscoridi. Adstringere quidem verum est, refrigerare falsum, nisi citra aromata simpliciter ex oleo omphacino et musto paratum fuerit. Quidam legunt, *Adstringit et melinum.* Idem.

Balsaminum] Obliviose Plinius hic oleum vocat, quod apertissime et clarissime XII. 25. succum esse scripserat, ut revera est. *Idem.*

Vestium odorem] Quas et ab erosione tuetur. *Idem.*

E lupinis emollit] Falsum hoc esse statim judicabit, cui lupini vis et natura perspecta fuerit. *Idem.*

Proximum rosaceo effectum habens] Vocabulum postremum ab Acad. Gud. tribusque Vossianis *νοθείας* arguitur. Forte: *Therminum e lupinis emollit proxime rosacei effectum.* Quod genus loquendi et Livio restituimus. *Gronov.*

Lirinon] Lego: *Lilinum, quod et melinum, et seiræum vocamus, renibus, &c.* Lib. XXI. cap. 19. 'succus e flore lilii expressus, ab aliis mel, ab aliis Syrium (lego 'seiræum,' quasi sapa) vocatur.' Leirium Narcissus est, quem veluti congenerem liliis Plinius adnumerat XXI. 5. quo loco rubrum lilium præstantissimum esse ait in Antiochia et Laodicea Syriæ, mox in Phaselide, ut suspicari quispiam possit inde sumpta Phaselini et Syrii epitheta, leirinumque oleum hic audiendum, quod e rubro lilio fit, verum ex eo genere lilii parari nemo tradit. *Dalec.*

Vulvæ molliendæ] Hæc omnia citantur ex Dioscorid. nimis presse. *Idem.*

Elæomeli] Aurelinaus II. 1. *χρονιῶν* oleum Syriacum vocat, laudatque in paralysi ut mordicans, accendens, emolliens. Vide supra XV. 7. ult. *Idem.*

Pissino oleo usus et passim ad quadrupedum scabiem est] Secus in antiquo exemplari, et, ut puto, emendatius: *Pissino oleo usus est ad tussim et quadrupedum scabiem.* Et prodesse quidem ad quadrupedum scabiem

oleum pissinum Dioscorides auctor est lib. I. peculiari cap. De tussi tacet. Easdem tamen illi vires inesse dicit, quibus pix liquida prædita sit, quam ad tussim accommodatam esse priore capite dixerat. Et paulo post *corpus alunt* in eodem legitur, non *augent*. Pintian.

Tussim exasperant, corpus augent] Voss. *corpus aiunt;* hoc est, *alunt:* c. 1. 'Alvum sistit, corpus aiit.' Mox, 'sed corpora magis alit.' XXVIII. 9. 'In totum salsa minuunt corpus, alunt mollia.' Similiter Pintianus. *Gronov.*

Cum cotoneis et cera] Hæc verba ad præcedentia pertinent, ex Dioscoride lib. I. cap. de palma. Ex hujus auctoritate suspicio mihi injicitur, hunc locum nec integrum nec sincerum esse. Verba illius sunt: 'Illinuntur utiliter eædem contra vesicæ vitia cum cotoneis malis et labruscæ floribus confecto oleo subacta cera.' *Pintian.*

CAP. V. *De myrobalano palma, et de palma elate.*

Palma quæ fert myrobalanum] Lege, *Palma quæ præ se fert myrobalanum,* quæ recta Dioscorideorum interpretatio, et ab ipso I. 149. Deinde verissima etiam est edita; fert enim palma myrepsicæ balano simile pomum. Vide Reines. Var. Lect. II. 7. p. 172. *Palma quæ fert myrobalanum probatissima in Ægypto ossa non habet reliquarum modo in balanis*] Absolute hoc pronuntiat, et privatim de Ægyptia palma; at XIII. 12. scribit: 'In Cypro vero Syria, Ægypto quadrimæ, &c. nullo intus pomi ligno, quamdiu sunt novellæ,' &c. *Salmas.* p. 469. a. 471. b. *Palma, &c.*] Dioscoridi palmula immatura Arabicæ myrobalano similis est. *Dalec.*

Ossa non habet] Colliguntur enim virides et immaturæ balani, pomo carne sua tantum obtecto, nondum genito intus nucleo. Supra XII. 22. &c. XIII. 4. *Idem.*

Palma, sive elate, sive spathe] Lege, *Palma et elate sive spathe.* Salm. p. 409. a.

Vulvarum] Leg. *Uvarum:* columellarum, gurgulionis. Uvam enim jacentem et laxiorem eximia vi siccandi, quam habet, reprimit et adstringit. *Dalec.*

CAP. VI. *Medicinæ ex singulorum generum flore, foliis, fructu, ramis, cortice, ligno, succo, radice, cinere.*

Verna] Ἔαρος ἀκμάζοντα, *vere vigentia,* matura, tempestiva. Dioscorid. talia sunt cerasa, pruna, mora, fraga. *Idem.*

Ut qui facit, dicat quæ capiat] Vetus codex *quare capiat,* non *quæ capiat,* habet: et ego aptiorem lectionem duxerim, *ut qui capit,* quam *ut qui facit.* Pintian.

Sic adalligata strumis medetur] *Siccata,* non *sic,* in eod. *Idem.*

Oris suavitatem decocto eorum colluto] Acad. Men. Gud. *decocta eorum colluta.* Voss. *decocto earum collum.* Vera scriptura est: *Faciunt oris suavitatem decocto eorum colluti aut succo expresso;* ut in Vossiano et Andeg. Sic c. 7. 'Pruni folia decocta tonsillis, gingivis, uvæ prosunt in vino decocta et subinde ore colluto.' Voss. 'decoctæ et subinde.' Lege 'In vino, decocto eo subinde ore colluto.' XXIV. 14. 'Radix ad tertias decocta alvum sistit et sanguinem, item dentes collutos:' habet et Pintianus. *Gronov.*

Horum semen edentem] De mali succo, aut cortice potius id audiendum, quam de semine, apud Diosc. *Dalec.*

Punici mali novem genera] Hoc loco vocabulum *Novem* aut omnino supervacuum est, aut ejus loco legendum est *quinque,* ut supra XIII. 19. *Idem.*

Apyrina] *Apyrena.* Supra XIII. 19. ἀπύρηνα vocat, non quidem dulcia, sed quibus nucleus minime lignosus est, verum candidiore et molliore natura. *Idem.*

Inutilia habentur] Dioscoridi punica omnia stomacho utilia; atque adeo dulcia vinosis et acidis stomacho utiliora. *Idem.*

Caventur aquæ vomitionibus] Medentur acini vomitionibus. In Dioscoride est: κοιλίαν καὶ στομάχου ῥεῦμα πυρὴν ἵστησι. *Idem.*

Ob id malicorium appellant] Imo vero quod mali putamen et tanquam corium sit cortice durius, nucis involucro tenerius. Malicorium Græci nunc σίδιον, nunc τὸ τῆς ῥοιᾶς λέμμα, ἀπὸ τοῦ λέπειν. Marcellus medicus caliculos punici vocat. *Idem.*

Urinam cieri eodem monstrant] Hoc falsum. Dioscor. acida magis urinam ciere tradit, quam dulcia. *Idem.*

Dividitur malum] De acinis acidi punici id Diosc. *Idem.*

Ex acerbo fit medicamentum] Id fieri tradit Diosc. ex acinorum succo cum melle cocto, præsertim acidorum. *Idem.*

Cytinus vocatur Græcis] Dioscoridi et Gal. lib. VI. Simpl. Cytinus flos est mali punicæ sativæ. At Gal. κατὰ τόπους, lib. VI. cytinos esse ait πρωτογόνους ῥοιᾶς· καθ' ὃν γὰρ χρόνον ἀνθεῖν παύεται τὸ δένδρον, καρπὸς αὐτοῦ φαίνεται σχηματιζόμενος εἰς ἰδέαν ῥοιᾶς. His verbis Galenus Cytinum ait fructus esse rudimentum, quod deciduo flore primum apparet, et formatur. Inde legendum hic videtur, *florere desinentis*. Capitula mali punici Celsus cytinos vocavit lib. V. in descriptione emplastri rhypodis. Nec illud tacendum, cytinos, quanquam proprie mali sunt punicæ, dici tamen et de aliis. Sic hyoscyami cytinos dixit Dioscorides. *Idem.*

Solutus vinculo omni] Hoc Plinius paulo superstitiosius, quam Dioscorid. Vide utriusque auctoris dictionem, et confer. *Idem.*

Balaustium] Incogitanter hæc Plinius. Cytinus flos est sativæ punicæ, balaustium silvestris. *Idem.*

Est et silvestre Punicum] Ῥοιὰν Græci *malum punicum* vocant: ῥοιάδα μήκωνα, *papaver erraticum*, sic dictum, quod protinus flos decidat. Horum vocabulorum affinitate deceptus Plinius papaver cum punico oscitanter confundit. *Idem.*

Semine poto, aqua quæ subierit] Dioscorid. erratici semen ἠπίως κοιλίαν μαλάσσειν, *alvum leniter mollire*, cornicnlati vero, ἐπιεικῶς κοιλίαν καθαίρειν, *clementer alvum purgare*, inquit, sed non aquam subter cutem educere. *Idem.*

CAP. VII. *De pyris et eorum observationibus, et de ficorum observatione, et caprifico, et erineo, et aliorum generibus medicinæ.*

Itaque coaguli modo lac contrahit] Coaguli modo lac contrahit, concretumque dissolvit, ut acetum. Diosc. *Idem.*

Omnibusque quæ emollienda] Πάσαις συστροφαῖς. Diosc. *omnibus nervorum nodis.* Idem.

Ob id autumno insalubres, &c.] In vetusto codice: *Ob id autumno insalubria, quoniam sudantia hujus cibi corpora refrigescunt;* ut verbum illud *opera* redundet; quod tamen ad sensus integritatem aut aliud simile necessarium videtur: et *insalubri* lego potius quam *insalubres.* Quid si legas: *Ob id autumno insalubri, quod affluentia hujus cibi corpora refrigescunt?* Pintian.

Medicatæ] *Medicatas* vocat, quarum maturitas, ut sint præcociores, caprificatione acceleratur. Qua ratione id fiat, vide supra XV. 19. *Dalec.*

Quas stegnas vocant] Hæ fiunt adstricta cute, præclusis ejus spiraculis, impeditoque humorum et vaporum transpiratu, aëris frigore, gelida lavatione, et similibus causis. *Idem.*

Corpus et vires adjuvant] Galenus, libris de alimentis, vulpium corpus ficuum et uvarum esu maxime pinguescere tradit, sed carne laxa et fluida. *Idem.*

Ad carnes eos transtulit] Illarum esu carnem et habitum corporis augeri docuit. *Idem.*

Recolligentibus se a longa] Quatuor, *recolligentes*. Acad. *recolligens*. Lege *recolligenti se*. xxiv. 6. 'Qui longa ægritudine non recolligant vires.' *Gronov.*

Efficacius calce aut nitro admixto] In V. C. *Efficacius calce aut nitro, aut si admixto*. Locus est, ut sentio, hians et truncatus. Potest tamen, ut puto, jactura ex Dioscoride resarciri, ut sic legatur: *Efficacias calce aut nitro aut iridis radice admixta*. Dioscorid. lib. I. cap. de ficis: 'Panos maturant, multoque magis additis radice iridis, aut nitro, aut calce.' *Pintian.*

Pituitam] Pituitosum humorem, in pulmonem delapsum. *Dalec.*

Et furunculos, panos, parotidas, &c.] Scribo, *ad furunculos, &c.* tum ex vetere exemplari, tum etiam ex Diosc. lib. I. cap. de ficis: 'Quin etiam,' inquit, 'coctæ, mox concisæ, ad discutiendas durities illinuntur. Strumas et quas Græci parotidas dicunt emolliunt: panos maturant.' *Pintian.*

Utile et decocto earum fovere fœminas] Annon *femina?* Gronov.

Et peripneumonicis] In eodem, *ac pleumonicis*, Attice, pleumona enim illi vocant, quem communis lingua pneumona, ut grammatici notant. *Pintian.*

Hydropicis coctæ in vino cum absynthio, &c.] Locus est mendosissimus, tum verborum distinctione luxata, tum ipsis verbis depravatis. Scribe ergo sic: *Hydropicis coctæ in vino cum absynthio et farina hordeacea. Nitro addito manducatæ alvum solvunt.* Dioscorides lib. I. cap. de ficis: 'In vino decoctæ, additis absynthio et hordeacea farina, utiliter contra subeuntes aquas illinuntur.' Et alio loco: 'Alvum molliunt cum nitro et cnico tusæ, et in cibo sumptæ.' *Idem.*

Cinis non ex alia] Brevior et verior antiqua lectio: *Cinis non ex alia arbore acrior: purgat, conglutinat, replet, astringit.* Dioscorides, loco proxime citato, de lixivio facto ex cinere ramorum ejus arboris: 'Purgat enim, glutinat, et carne explet: nec minus concernit quam ea quæ cruentis vulneribus imponitur.' *Idem.*

Aciem purgat] Nisi pro acie *ulcera* legamus, de oculis intellexit, quod de ulceribus Dioscorides scripserat. *Dalec.*

Acrior] Acrius, Theophrasto, Aristophanique in Vespis: Ὁ τῆς συκῆς καπνὸς δριμύτατος ἐστίν. Plutarchus in Symposiacis quærit, cur ficus πίων καὶ γλυκύτατος καρπὸς nascitur ἐκ δένδρου πικροτάτου. Fumum molestissimum esse et acerrimum tradit Brod. III. 21. *Idem.*

Surculo quoque ejus] Hæc ferme omnia de fici lacte hoc ipso capite paulo ante recitata sunt, quæ Plinius, quamvis sensu eodem, ex diversis auctoribus nullo judicio in unum congessit. *Idem.*

Corticem ejus impubescentem puer impubis, &c.] *Cortice*, non *Corticem; defractura*, non *defracto ramo*, in vetusto exemplari legitur; nam non multo post: 'Idem,' inquit, 'præstare et ramus dicitur luna plena defractus.' Item verbum *impubis* non habetur in eodem. *Pintian.*

Nuclei Persicorum] Μαχαίρια vocat Archigenes κατὰ τόπους, lib. v. in descriptione medicamentorum, quæ faciunt ad gingivas cruentas, quoniam instar gladii mucronati sunt. *Idem.*

Et Cypro sui generis] Sycomorus Dioscoridi in Rhodo et Caria plurima nascitur. Cypria ficus ab ea diversa est, ex ulmorum genere, folio sycomori, fructu pruni magnitudine, meo judicio arbor quæ myxa fert. *Dalec.*

Discutit panos] Galenus Meth. XIV. 7. in curatione tumoris ex crasso vaporosoque spiritu geniti, mirum in mo-

dum laudat emplastrum διὰ συκομόρου, cujus descriptio est apud Æginetam. *Idem.*

Perfrictiones] *Horrores*, τὰς φρικίας, Diosc. *Idem.*

Si non superveniat alius cibus] Alia fuit Horatii sententia his versibus: 'ille salubres Æstates peraget, nigris qui prandia moris Finiet, ante gravem quæ legerit arbore Solem.' *Idem.*

Ex immaturis succus sistit alvum] Leg. *Ex immaturis succus sistit alvum, corticis, qui veluti animalium cutis est in hac arbore, &c.* Supra XVI. 38. 'Pro cute cortex. Mirum hic in moro,' &c. *Cutis*, in *alicujus*, corruptum est. *Idem.*

Observandis miraculis] Videlicet, quod nisi exacto frigore germinet, universa germinatione tantum erumpente, ut una nocte peragat, etiam cum strepitu. Vide supra XVI. 25. *Idem.*

Post additur omphacii aridi] Cornarius *additur*, et *aut*, in vetusto codice non legit, et sic emendat hunc locum: *Post omphacii aridi ponus X. duorum, myrrhæ X. unius, croci unius simul trita, &c.* Idem.

Præduratum vas sole torrebant] Scribo, *præduratum ad solem torrebant*, ex vetusto codice. *Pintian.*

Alia ratio succum siccato] Legend. *Alia ratio: immaturi succum exprimebant, siccato pomo multum, &c.* Id est, quod ait Diosc. immatura mora siccari, et pro rhoë misceri cœliacorum cibis. *Dalec.*

Mespila exceptis setaniis] Inepte Plinius. Sitanios ab epimelide diversa est. Nec sitanios, sed epimelis foliis malo comparatur, non autem facultate, quæ multum differt. *Idem.*

CAP. VIII. *De pineis et amygdalis, et nuce avellana, et de nuce juglande, et de pistaciis et castaneis, siliquis, cornu, et unedone, et lauro.*

Sanguinis excreationi medentur] In Æsculapii templo, quod olim fuit in insula Tiberina, reperta marmorea tabula, Græcis literis exarata, pini nucleos rejicientibus sanguinem ex pectore mederi testatur. Antiquitatis monumentum istud singulare ex libris de arte gymnastica Mercurialis medici doctissimi sumptum adscribere placuit: quod illi clarissimo viro me debere tacitum nolui. Scriptura hæc est: Αἷμα ἀναφέροντι Ἰουλιανῷ, ἀπηλπισμένῳ ὑπὸ παντὸς ἀνθρώπου, ἐχρημάτισεν ὁ θεὸς ἐλθεῖν καὶ ἐκ τοῦ τριβώμου ἆραι κόκκους στροβίλου, καὶ φαγεῖν μετὰ μέλιτος ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας· καὶ ἐσώθη, καὶ ἐλθὼν δημοσίᾳ ηὐχαρίστησεν ἔμπροσθεν τοῦ δήμου. Id autem est: *Sanguinem Juliano rejicienti ex pectore, desperato ab omnibus, ex oraculo Deus respondit, veniret, et ex aris tribus* (vel *e templo*, ubi tres aræ sunt) *nucleos pini tolleret, et cum melle comederet per triduum. Hoc remedio ille servatus est, ac profectus in templum gratias egit publice, populo præsente.* Idem.

Contrarios humores] Putres et corruptos, τὰς τῶν ὑγρῶν διαφθορὰς, Diosc. *Idem.*

Capitis dolori illinuntur, maximeque in febri, &c.] Scribendum reor alia distinctione et lectione: *Capitis dolori illinuntur, maximeque in fronte et temporibus ex aceto et rosaceo. Ex aquæ sextario sanguinem sistunt cum amylo et menta. Lethargicis comitialibusque prosunt.* Dioscorides lib. I. de amygdala: 'Capitis doloribus succurrunt fronti temporibusve ex aceto aut rosaceo illitæ. Et contra sanguinis excreationes cum amylo et menta sumuntur. Bibuntur eædem in aqua aut cum terebinthina resina.' Sed quoniam infra paulo subjungit: 'quinis fere præsumptis ebrietatem non sentiri,' hæreo, subdubitoque legendumne sit, *maximeque in febri si ab ebrietate*, an ut dixi. Itaque liberum sit unicuique censendi jus. *Pintian.*

Prosunt ecligmate jocineri, tussi et colo cum elelisphaco modice addito, &c.] Scribendum reor: *Prosunt eclegmate jocineri, tussi, colo, cum melle et lacte*

modice addito, nucis avellanæ magnitudine; cætera redundare opinor. Dioscorides lib. I. cap. de amygdala: 'In eclegmate avellanæ nucis magnitudine, additis melle et lacte, jocinorosis, tussientibus, et majoris intestini, quod colon dicunt, inflationibus opitulantur.' Antiquum quoque exemplar *magnitudine* legit, non *magnitudo.* Præterea in capite de elelisphaco Dioscorides assignat ei herbæ easdem vires quas illi tribuit hoc loco Plinius. *Pintian.*

Aiunt] Athenæus lib. II. ex Plutarcho. *Dalec.*

Item tussi et sanguinis rejectioni prodest] Mss. *item tussis sanguinis relictio,* sine τῷ *prodest.* Recte: *item tussis, sanguinis rejectio;* intelligitur enim ex superioribus, 'sanari dicitur.' Eandem scripturam fovent omnes alii. Sic inferius: 'Quæ pervetercs sunt nuces, gangrænis et carbunculis medentur: item sugillatis. Cortex juglandium lichenum vitio et dysentericis.' Sic Vossiani opt. et Andeg. ubi etiam alleverunt, *prodest.* Rursus eodem cap. 'Quin et commanducata atque devorata per triduum terna liberant tussi. Eadem suspiriis trita cum melle.' Sic Vossianus. Vulgo, 'liberant a tussi. Eadem prosunt suspiriis.' Acad. et alii duo Voss. 'liberant a tussi: eadem a suspiriis.' *Gronov.*

Hocque minore momento sed in cibis] Acad. et Gud. *hoc minore.* Voss. *hoc minor et tomento;* duo alii, *hoc minorem momento.* Forte: *Hoc minore tormento et in cibis nuclei faciunt.* Idem.

Siccæ unguinosiores et stomacho inutiles] In apographo nostro, non *unguinosiores,* sed *vinosiores,* habetur. Legendum puto, *virosiores;* nam cum paulo ante tribuerit arbori et foliis virus, quod in cerebrum penetret, et nucleos idem facere, sed minore momento, subjunxit, recentes esse jucundiores, siccas virosiores, a prima positione 'virosus,' qua usus est eminentissimus poëta, 'virosum' appellans 'Pontum.' *Pintian.*

Tussientibus] Tussiculosis, tussi obnoxiis; quoniam impleto vaporoso halitu capite fluxionem concitant. *Dalec.*

Vomituris] Laxatum enim ac emollitum oleoso suo unguine ventriculi os ad vomitionem imbecillum reddunt. Varro lib. II. 9. scribit nucibus Græcis in aqua tritis canum aures perunctas, et quæ inter digitos sunt, muscis, ricinis, pulicibus non exulcerari. Idem III. 16. flore nucis Græcæ et corni apes vere pastas cœliacas fieri, et urinæ potu refici. *Idem.*

Aptæ in tenesmo solo] Conveniunt in tenesmo, non quia trahunt pituitam, sed quia flatus crassos recti intestini extremam oram distendentes discutiunt, et viscidam pituitam ibi tenacius inhærentem abstergunt. *Idem.*

E duabus nucibus siccis] Serenus cap. 8. de venenis prohibendis: 'Bis denum rutæ folium salis et breve granum, Juglandesque duas, totidem cum corpore ficus, Hæc oriente die, parco conspersa lyæo, Sumebat, metuens dederat quæ pocula tutor.'

Et pinguedini corporis conferunt] In vetusto exemplari, *Corpori et pinguitudine conferunt plus quam sit verisimile.* Pintian.

Et pinguedini corporis conferunt] Ex Chiflet. notant *pinguitudine.* Pintiani codex, *corporis et pinguitudini conferunt.* Voss. Andegav. *faciunt et inflationem stomachi et pinguitudinem corpori.* Probatior: *Nuces avellanæ capitis dolorem faciunt et inflationem stomachi: corpori et in pinguitudini conferunt.* Lege, *in pinguitudinem,* vel *in pinguitudine.* Gronov.

Alvum cient] Hoc falsum: nihil Dioscorides. Lego, *alvo citæ et sanguinem, &c.* Dalec.

Siliquæ recentes] Κερατωνίας καρπὸς, vulgo *Carrubiæ.* Idem.

Syriacas in dolore] Κεραυνίας καρπὸν, vulgo *Cassiam fistulam.* Idem.

Arbutus sive unedo] Cum *arbuto*, quæ κόμαρος est, Plinius hic negligenter, ut et xv. 24. unedonem confundit, quæ fructus est epimelidis. *Idem.*

Item serpentium venenis resistunt, maxime sepis] Non *sepis*, sed *sepos*, terminatione genitivi Græca, in V. C. *Pintian.*

Dipsadis] Πρηστῆρα, καύσωνα, μελανοῦρον, ἀμμοβάτην, κεντρίδα, sive κεντρίνην etiam vocant Lybiæ alumnam, minorem vipera, sed perniciosiorem, corpore, ut ait Sostratus, albicante, cauda nigris lineis duabus distincta. Rhodig. lib. xxv. cap. ult. *Dalec.*

Jacentis] Gargareonis demissi et laxioris. *Idem.*

Febresque frigidas] Vel rigores febriles, vel hepialas, et lypirias, in quibus ardent simul ægri et algent. *Id.*

Daphnoides] Laureola officinarum. Vide quæ de chamædaphne supra notata sunt lib. xv. c. ult. et xxiv. 15. *Idem.*

Cap. ix. *De myrto sativa, et myrtidano, et de myrto silvestri.*

Liparas] Τὰ λιπαρὰ, lenia emplastra Celso lib. v. vel, ut aliis placet, ex unguinosis facta, ut oleo, butyro, adipe, &c. Quæ horum nihil, aut omnino parum habent, ἀλίπαντα dicuntur. *Idem.*

Diximus] Lib. xiv. c. 16. Vide quod illic adnotatum est de Plinii errore. *Idem.*

Appositum fotu, et illitu] In vetere codice, *apposite, fotu, et illitu*; ut sint tres ablativi. *Pintian.*

Capillorum nigritiam, malarum perfusiones] *Mammillarum* in eodem; non *malarum*. Idem.

Malarum] *Alarum*, καθύγρους μασχάλας. Dioscorid. Sic vertit Ruellius. *Dalec.*

Myrtus silvestris] Myrtus silvestris nunc vera myrtus est sponte nascens, nunc ruscus. Hæc Plinius non distinguit. *Idem.*

Oxymyrsinen] Ignoranter Plinius ruscum Latinorum ab oxymyrsine Græcorum diversum esse putat. *Id.*

LIBER XXIV.

Cap. i. *Medicinæ ex arboribus silvestribus.*

Sed ad singula illius discordiæ, &c] Aliter in antiquo exemplari: *sed ad singula illis discordiæ miraculis occursantibus*; reliqua redundant: placet nihilominus magis impressa lectio. *Pintian.*

Philyra coci et polline] Recentibus tæniis, membranis, fasciis tiliæ, minutim concisis, et cibo inspersis, quæ veluti salem exsugunt, et ebibunt. *Dalec.*

Polenta addita] Ut citius vinum defecetur. *Idem.*

Concordia valent, cum pix oleo extrahitur] Commodior lectio *concordia valentium. Pix oleo extrahitur.* Pintian.

Cum pix oleo] Ut et emplastrum quodvis. *Dalec.*

Gummi aceto facilius eluitur] Ob summam quam habet vim attenuandi. Verum id quidem est et de nostro Arabico, et de gummosis aliis, ut opopanace, &c. *Idem.*

Innumera præterea alia] Voss. *innumera alia præterea.* Lege *prætereo.* Gronov.

Ac sine impendio ex quibus vivimus] Legendum reor, *ac sine impendio eorum quibus vivimus.* Significat autem pecunias, quæ, ut Hesiodus ait, vita sunt miseris mortalibus. *Pintian.*

Magnitudo populi Romani] Idem argumentum fusius tractatur xxix. 1. *Dalec.*

Paremus externis, et una artium Im-

peratoribus] Vetus codex *imperaverunt* habet, non *imperat:* ut repetas *externi*. Pintian.

CAP. II. *Lotos.*

Loton herbam] Lotos arbor triplex est, prima diospyros Græcorum, faba Græca Latinorum, *uva d'India* Italorum, guaiacana quorundam, quam improprie loton vocant ob fructus dulcedinem, ceraso similis auctore Theophrasto III. 18. nucleo duro. Describitur prolixe XVI. 30. Secunda Dioscoridis, prior Theophrasti, celtis Plinii XIII. 17. magnitudine pyri, folio Ilicis, fructu dulci, nunc exosse, nunc durum nucleum ambiente, colorem uvæ modo mutante, cum maturescit, e quo vinum exprimitur, Monspessulanis *Micocaulier*. Tertia, quæ Theophrasto secunda est, laurocerasus quibusdam, quod folium lauro simile sit, fructus ceraso, fruticosa, ramosa, caudice firmo, semine nuce incluso, externa fructus parte minime carnosa, ut in amygdala, sed cutis modo tenera, ut in ceraso, sapore non tam dulci, quam gustui grato, e quo vinum exprimitur, in biduum aut triduum durans, post acescens, lotus Polybii apud Athenæum lib. XIV. arbor non magna, aspera, spinosa; folio herbaceo, rhamno simili, paulo latiore et spissiore; fructu initio myrtis albis perfectis colore et magnitudine simili, sed dum augescit phœnicoeo, magnitudine olivæ teretis; nucleo prorsus exiguo; ut arbitror, paliurus Theophrasti est; nemo enim alius spinosas esse lotos scripsit; nostra vero ziziphus. *Dalec.*

Cohibent] *Ruffant*, ξανθίζει, Diosc. *Idem.*

Mirum, his ramentis] Quæ hinc ad finem capitis sequuntur, in Dioscoride non extant: facultates vero aliæ ex Dioscoride citatæ non ad lotum diospyrum, sive fabam Græcam, pertinent, sed ad calicam sive Syrticam, quam *Micocoulier* vocant, qua in re Plinius falsus est. *Idem.*

CAP. III. *Glans.*

Suppurationibus] Fluxionibus, quæ excitata phlegmone suppurationes tandem efficiunt. *Idem.*

Baccæ] Vel glandes, vel baccæ, quæ baccarum modo adnascuntur. *Idem.*

Contra toxica] Glandes in cibo sumptæ resistunt venenatorum ictibus. Decoctum earum et corticis, cum lacte vaccino potum, prodest contra toxica. Dioscorid. Plinius hæc omnia pervertit. *Idem.*

CAP. IV. *De cocco ilicis, et galla, et visco, pilulis, glande, et de cerri radice, et subere.*

Coccum ilicis vulneribus recentibus ex aceto imponitur. Epiphoris ex, &c.] Coccum Ilicis est κόκκος ille φοινικοῦς τῆς πρίνου Theophrasti. remedia tamen sunt cocci tectorii, quod ἐν τῷ κόκκῳ βαφικῷ nascitur. Et paulo post lege, *quod ideo scolecinum vocant, &c.* σκωληκινὸς *vermicularis;* atqui hoc est coccum infectorium fruticis ilicis, quod totum vermiculis scatet parvis, quorum sanies pretiosum illum in tinctura colorem facit: inde 'vermiculum' hodie quoque vocant hujusmodi coccum. *Salmas.* 274. b. 275. a.

Celerrime in vermiculum se mutans] In antiquo exemplari, non *vermiculum* habetur, sed *ultimis;* ut putem legendum *ulicem*. de quo XXXIII. 4. 'Frutex est ulex roris marini similis, asper, aurumque retinens.' Et paulo post: 'Ulex siccatus uritur, et cinis ejus lavatur,' &c. *Pintian.*

Quod ideo scolecion vocant] *Stultilum*, non *scolecion*, antiquus codex ostentat; scribendum puto, *exulicem*. Id.

Excrescentia in corpore tollit] In eodem *tollunt*, non *tollit:* rectius; quia sequitur 'prosunt gingivis.' *Pintian.*

Nucleus] Gallæ rotundus globus. Hac voce sic quoque usus est XVI. 7. *Dalec.*

Levissimum] Intermixtis cortici-

bus minime asperum aut furfurosum. *Idem.*

Hulcera commanducato impositoque] Ulcera vetera, et malignos abscessus ex thure mollit. Diosc. *Idem.*

Corroborat decoctum] Post usum calfacientium et desiccantium. *Idem.*

CAP. V. *De fago et cupresso, et cedro magna, et de cedride, galbano.*

Panis mollis] Panem mollem vocat aut adhuc e furno calentem, aut Græcorum τὸ σταὶς, nempe farinam aqua subactam, nondum coctam; vel quod in medio panis molle est, sive micam. *Idem.*

Succus] Serosus liquor, qui primus fluit, dum cedri ad picem conficiendam uruntur, et a Syris cedrium dicitur, XVI. 11. *Idem.*

Magni ad lumina usus, ni capitis dolorem inferret] Vetus codex, *magni ad volumina usus ni capitis, &c.* ut illud Ovidii in Tristibus: 'Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.' Sed refragatur auctoritas Dioscoridis oculorum medicinæ utilem prodentis, lib. I. cap. de cedro. *Pintian.*

Animalia necat] Serpentes, lendes, pediculos, lumbricos, ascaridas. Diosc. *Dalec.*

Abortivum fieri in Venere] Sic Plinius Latine reddit Græcorum φθόριον, et, ut quidam volunt, ἀτόκιον. quanquam sic potius dicatur, quod impedito conceptu affert sterilitatem. Rhodig. VIII. 9. *Idem.* *Abortivum fieri in Venere ante perfusa virilitate*] Scribendum arbitror, *abortivum fieri, in Venere uncta prius virilitate.* Diosc. I. cap. de cedro: 'Genitalibus ante coitum inunctus sterilitatem facit.' *Pintian.*

Corpori ab ossibus recedenti] Ab ossibus recedit caro, cum ea putrescente ossa nudantur, in ulceribus phagædenicis et cancrosis. *Dalec.*

Comitialibus subvenit] Eos ut et vertiginosos excitat. *Idem.*

Abortus] Immaturos partus. *Idem.*

Ramis] Radiculis. *Idem.*

Nocere urinæ existimatur] Urinæ difficultati prodesse existimant. Diosc. *Idem.*

CAP. VI. *De Hammoniaco, et styrace, et spondylio, et spagno, et terebintho, et chamæpity, et pityusa, et resinis, et picea, et lentisco.*

Sphacos] Phascos ex Phavorino, cui sphacos fœni genus est, pecori admodum gratum. Sic legitur et apud Theoph. Hist. III. 9. Vide XII. 23. et 28. Plutarchum Quæst. Sympos. IV. 1. Inter ea, quibus capræ vescuntur, phascon recenset, ex Eupolide. *Idem.*

Piceæ, et laricis] Plinius πεύκην *piceam* vertit, quæ *pinus* est: πίτυν *laricem*, quæ *picea* est. *Idem.*

Quam navigationem Ægyptiam] Celsus de tabidorum curatione III. 22. 'Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, cœli mutatione, sic ut densius quam id est, ex quo discedit æger, petatur: ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur.' Vide infra XXXI. 6. *Idem.*

Herbidos] Ex herbis virentibus et vegetis geniti. *Idem.*

Chamæpitys Latine abiga] Sic dicta ab abigendo partu. *Aingæ* cum abortu nihil est commune. *Gelen.*

Victoriati pondere in vino finit] Alia exemplaria non *finit* legunt, sed *sinit*: lego *sanat*, ex codice antiquo. *Pintian.*

Cum honore et pityusa simili de causa dicitur] Duo prima verba superfluunt, ex eodem. *Idem.*

Eæ ferunt] Lentiscus et cupressus ferunt: de larice hoc intelligi non potest, quæ nusquam in Asia et Syria nascitur. *Dalec.*

Demonstravimus] Lib. XVI. cap. 11. *Idem.*

In potiones amygdalis amaris] *Impetigines*, non *in potiones*, in vetusto codice habetur. Sanari vero impetigines pice Dioscorides auctor est lib. I. cap. de pice liquida. *Pintian.*

Et eadem calida membrorum dolo-

ribus spasticisque] Quatuor scripti: *Terebinthina illinitur eadem calida membrorum doloribus spatia usque in sole evellitur et totis corporibus.* Voss. *terebinthina inlinitur eadem calida memorbum doloribus.* Forte, *pernionum doloribus.* Deinde idem, *spatiatisque in sole avellitur.* Ut Terentius in Adelphis 'lectulos in sole.' xx. 9. 'Eorum rubentes maxime in sole illiti.' Sequitur: 'et totis corporibus mangonum maxime cura,' intellige, illinitur et avellitur similiter. *Gronov.*

Per singula membra] Hoc medicinæ genus picationem medici vocant, de qua Galenus Method. lib. xiv. et libris de tuenda valetudine. *Dalec.*

Palpebras lentiscina commodissime replicat]] Pilos in oculis sublatos glutinat. Diosc. *Idem.*

Cap. vii. *De pice spissa, et liquida: et palimpissa, et pissasphalto, et zopissa, et teda, et lentisco.*

Brutia] Obliviosus et immemor Plinius xvi. 11. scripsit Brutiam doliis duntaxat, cæterisque vasis utilem esse. *Idem.*

Spissarum utilissima medicina est Bruttia] Dele verbum *est*, quod quinque membranacei ignorant. *Gronov.*

Utrasque præbet utilitates] Et medicinæ, et picandis illinendisque doliis. *Dalec.*

Non arbitror posse intelligi] Quoniam in arboribus, e quarum teda pix coquitur, mas et fœmina non agnoscuntur. *Idem.*

Liquida pix, oleumque] Hæc sunt ex alio auctore scripta, et rursum congesta, repetitis multis quæ antea recitaverat. *Idem.*

Pissasphaltos, mista bitumini pice] Aristot. περὶ θαυμασ. ἀκουσμ. Falsum tamen. Picem enim factitiam a natura cum bitumine misceri credibile non est. Pissasphalton vero bitumen est Sole et ventis resiccatum, et densatum ad picis crassitiem. Sic dictum vult Dioscor. quod picem simul et bitumen oleat, et id perperam: ἔτυμον verum, quod, cum nativum bitumen sit, picem sua crassitie æmulatur. *Idem.*

Aut si fœtus mammas læserit] V. C. *Aut si fœtus mammas læserit matrum. Optimum, &c.* Quod dum fervet, innatat, ideo præstantissimum est, quia purum bituminis modo supra aquam fertur, nec terram lapidesve mixtos habet, a quibus demergatur. *Idem.*

Zopissam] Zopissa sive apochyma non tantum cera est navibus derasa, sed cera cum resina mixta, qua naves oblinuntur, tum ut facilior et magis lubricus per undas earum sit cursus, tum ut eo, velut tectorio, defensæ navium tabulæ maris edaci salsugine minus corrumpantur. Northmani sua navigia hodie pice et axungia suis simul liquatis ungunt, idque linimentum vocant *Bré.* Melior zopissa ad discutiendum ex nave tum primum fluctus experta, quoniam præter suam et salis vim resiccantem, ligni quoque adhuc integram facultatem habet, quæ navigationibus continuatis evanescit. *Idem.*

Folia dentibus in dolore atteruntur] Itaque ex ejus surculis cuspidatim consectis ac mucronatis, auctore Dioscorid. ὀδοντόγλυφα sive dentiscalpia fiunt, purgandis scalpendisque dentibus, ut attritu, quæ inhærent, extergantur, et detrahantur. Martialis: 'Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis Defuerit, dentes penna levare potest.' Utebantur ad id et Myrti ramulo. Clemens Alexandr. Pædag. iii. Εὐφυεῖς ὀδόντας ἔσχεν· ἐξ ἀνάγκης, δεῖ γελᾷν ἵνα θεωρῶσιν οἱ παρόντες τὸ στόμα ὡς ὅτι κόμψον φορεῖ· ἐὰν δὲ μὴ χαίρῃ γελῶσα, διατελεῖ τὴν ἡμέραν ξυλήφιον μυῤῥίνης ἔχουσα λεπτὸν ἐν τοῖς χείλεσιν, ὥστε τῷ χρόνῳ σέσηρεν, ἄν τε βούλεται, ἄν τε μή. Victorius vi. 12. *Dalec.*

Replicandis palpebris] Oculorum pilis superne agglutinandis. Diosc. *Id.*

Virilia] Lego *naturalia*, nempe

vulvæ; quarum sanguinem erumpentem reprimit. Diosc. *Idem.*

In valetudine] Morbum eum fuisse ulcus pulmonis renumve credibile est, aut immodicas sanguinis profusiones. *Idem.*

CAP. VIII. *De platano, et fraxino, et acere, et alba populo, et ulmo, et tilia, et sambuco, et junipero.*

Omnibus serpentium et scorpionum venenis medentur] Desunt in Voss. ut et in Chiflet. *et scorpionum.* Sed insuper omnes quinque nostri jubent induci *medentur.* Intelligitur enim ex præcedenti membro, 'adversantur.' Sic cap. sequenti: 'Adversantur venenis serpentium:' et c. 18. 'Adversantur serpentium sceleratissimis.' *Gronov.*

Semen foliis ejus inest] Hoc perperam; non enim in ejus foliis semen est, sed ἐν λοβοῖς, id est, *in siliquis,* Theophrasto Hist. VIII. 17. Quidam hic legunt, *Semen folliculis ejus inest,* &c. Idem.

Quo medentur jocineris] Galenus κατὰ τόπους, lib. VIII. ex Asclepiade, sub finem libri, hepaticum medicamentum describit hoc titulo, ἄλλη ἐπιτετευγμένη· ποιεῖ καὶ πρὸς τὰς ἄλλας τῶν ἐντὸς διαθέσεις χωρὶς βηχός. In ejus compositione admittitur et fraxini et betonicæ semen. *Idem.*

Uvarum] *Musci,* βρύον. Errorem nunc Plinii animadversum et castigatum vide XIII. 28. *Idem.*

Semen] Καρπὸς, Dioscor. *fructus;* nempe uva densis et rotundis acinis constans, qui in lanuginem abeunt. *Id.*

Effluens] Dum accensa uritur, vel dum castratur, quod magis placet. *Id.*

Verrucas papulasque et attrita corporis tollit] Quatuor membranæ, *et attritu odoratus.* Voss. et Chiflet. *ex attritu odoratas.* Lego, *Verrucas papulasque ex attritu ortas tollit.* Gronov.

Ex qua apes propolin faciunt] Lib. XI. cap. 7. e gummi populorum ac vitium pissoceros fit, non propolis. *Dal.*

Corticis denarii pondus potum] Folia trita ex aceto lepris medentur: eadem vulnera glutinant, sed magis corticis tilia, fasciæ loco advoluta; nam lori modo facile flectitur. Diosc. Hæc Plinius pervertit, et perturbat. *Idem.*

Lacryma] Quæ præcisis ramis fluit e medulla, dum arbor castratur. *Id.*

Tilia leniter] Hæc de philyrea Diosc. a tilia diversa. *Idem.*

Helion] Palustre, quoniam in pinguibus et uliginosis nascitur. *Idem.*

Boa] Hispani morbi Gallici papulas adhucvoantboas . *Idem.*

Excalfacit, extenuat, cedro assimilis] Verbum *extenuat* codex antiquus non agnoscit. Scio tamen haberi in Dioscoride Latino ex tralatione Marcelli, sed in Græcis exemplaribus desideratur. Cætera in eodem exemplari sic leguntur: *excalfacit cedro alias similis: et hujus duo genera.* Pint.

Cedro assimilis. Et ejus duo genera] Voss. et Chifl. et Pintiani: *cedro alias similis. Et hujus duo gen.* Plinii fuit, *cedro alia similis;* ut, 'Omnia Mercurio similis.' Voss. quoque, *altera minuta.* Acad. et Gud. *cedri desimilis.* Andegav. *cedro ata similis.* Menap. *cedride similis.* Gronov.

Illinitur et oculis in epiphoris] Rectius in eodem, *Illinitur et oculorum epiphoris.* Pintian.

CAP. IX. *De salice, et amerina, et vitilibus, et erice.*

Græci lygon vocant, alii agnon] Scribe, *Græci lygon vocant, alias agnon,* ex vetere codice. *Idem.*

Ad Venerem impetus inhibent] Ideo matronæ Athenienses in Thesmophoriis, quæ castissime celebrabantur, ejus foliis cubile substernebant. Eodem consilio quidam e piscibus lævibus ac non squamosis utebantur: Hierophantæ vero pontificatum adepti cicuta se castrabant. Sacra enim maxima castimonia tractanda esse ostendunt Mysi et Esseni ἄβιοι καὶ ἄνυμφοι, Galli matris sacerdotes, qui virilitatem sibi adimunt, Gymnosophistæ pomis, oryza, farina con-

tenti, Indorum magi carnibus abstinentes, Jovis in Creta sacrifici in cibum nihil admittentes quod coctum sit, et quod jure pontificio cautum erat: 'At Divos caste adeunto, pietatem adhibento, opus amovento: qui secus faxit, Deus vindex erit.' Alex. ab Alex. IV. 17. *Dalec.*

Non multum a myrice differentem] In vetusto exemplari, *non multum bulice differentem;* scribendum forte, *non multum ab ulice differentem.* De frutice, qui ulex dicatur, supra disseruimus ex auctoritate Plinii XXXIII. 4. *Pintian.*

Flores apibus gratissimi] Opt. *floris:* et suavius sonat: *Genista quoque vinculi usum præstat: floris apibus gratissimi.* Gronov.

Docuerim] Supra XIX. 1. Vide et cap. 2. lib. ejusd. *Dalec.*

Homerus] Locus est Iliad. B. Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται. de quo Varro apud Gellium: 'Ego,' inquit, 'apud Homerum sparta non plus spartum significare puto, quam σπαρτοὺς, qui dicuntur in agro Thebano nati. In Græcia sparti copia modo cœpit esse ex Hispania. Neque ea ipsa facultate usi Liburni, sed hi plerunque loris naves suebant, Græci magis cannabe et stupa, cæterisque sativis rebus, a quibus σπάρτα appellabant.' Eustathius funes e sparto, id est, genista, compactos interpretatur, de quibus proverbium vetus jactatum est, τὸν λίθον ποτὲ τὸν σπάρτον ἄγειν. Guillandin. c. 9. in Plinium. Quod Varro σπαρτοὺς in agro Thebano genitos memorat, serpentis dentibus a Cadmo disseminatis, γηγενεῖς vocat Aristoteles primo ποιητικῆς, σπαρτὸν γένος Æschylus in Tragœdia ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. Ei familiæ signum affixum nativumque fuisse lanceæ figuram tradit Plutarchus lib. de iis, qui seras pœnas luunt. Dion. IV. sermone de regno. Idem Aristoteles citato loco. Victorius VIII. 16. Apollodorus id fuse narravit, Ovid. quoque Met. III. *Canterus* v. 1.

Græci eodem nomine appellant] Fallitur Plinius. Græci non σπάρτον vocant, sed σπάρτιον. *Dalec.*

Cum fronde in aceto] Ineptum hoc, cum foliis carere auctores testentur. *Idem.*

Myricen, quam et tamaricen vocat] In apographo nostro, *Myricem camaricen vocat Lenæus;* scribo, *Myricen chamericen vocat Lenæus;* nam erice fruticosa est arbor, tamarici similis, multo tamen brevior, auctore Dioscoride lib. I. capite de Erice: 'Vocabat igitur Lenæus myricen propter hanc similitudinem cum erice,' et alludens ad ipsum myrices nomen, non myricen, sed chamericen, hoc est, secundariam ericen, et imitatricem erices. *Pintian.*

Similem scopis] Eundem usum præbere ad domos converrendas, et inquinamentis purgandas. *Dalec.*

Nec seratur unquam] Apud nos, sed in Ægypto et Syria tantum. *Idem.*

Corinthus, et quæ circa est regio, bryoniam vocat] Lego, *Corinthus et quæ circa est Græcia bryam eam vocat*, tum ex citato semper exemplari, tum ex ipso Plinio XIII. 21. 'Myricen,' inquit, 'et Italia, quam alii tamaricem vocant, Achaia autem bryam.' *Pintian. Corinthus, et quæ circa est regio, &c.*] Bryan, ut XIII. 21. quoniam, ut Dioscorides ait, et florem et fructum gignit βρυώδη, muscosum. Idem.

Datur sanguinem] Hæc de fructu Diosc. cui tamen facultate similem esse corticem mox subjungit. *Idem.*

CAP. X. *De virga sanguinea, et silere, et ligustro, et alno, et edera, et cistho, et cisso, et erithrano, et chamæcisso, et smilace, et de clematide.*

Virga sanguinea] Modestinus in l. penult. ff. ad leg. Pomp. de parricid. antequam sacco parricidæ inderentur, ostendit in more fuisse positum, ut virgis sanguineis cæderentur, nempe ex hac arbore sumptis, non, ut qui-

dam legunt, *sagmineis*, aut, ut alii interpretantur, 'sanguine rubentibus, ac rorantibus,' quoniam hoc lignum infœlicissimum haberetur, ac maxime infame. Magius IV. 8. Sanguineum fruticem vocat auctor XVI. 18. *Dalec.*

Præsanavere] Celerius quam opus esset, sanatæ sunt. *Idem.*

Sileris folia] Siler Aloisius esse putat salicem latifoliam, candido folio, e cujus cinere, sulphure, et aphronitro fit pulvis excutiendis machinis bellicis utilis. Vide supra XVI. 18. *Idem.*

Ligustrum eadem arbor est] Legend. *Ligustrum, si hic eadem arbor est quæ in Oriente Cypros, suos in Europa usus habet.* Vide Salmas. p. 1001. b.

Psilothrum est phthiriasinque tollit] *Psilothrum est. Phthiriasin æque tollit*, vetus codex legit. *Pintian.*

Sub his maxime nascitur hypocisthis] Lege: *Sub his maxime nascitur hypocisthis: jam inter hederas diximus cisson Erythranos ab his appellatur similis hederæ.* Cissos Plinio proprie dicitur genus hederæ, quæ riget et sine adminiculo stat. *Salmas.* p. 367.

Quam inter ederas diximus] Obliviose citat hoc Plinius. Nullam enim hypocistidis prorsus mentionem fecit in ederarum historia et descriptione XVI. 34. *Dalec.*

Hypocisthis quam inter hederas diximus] Memoriam Plinii requirit Dalecampius. Sed forte librariorum culpa est, non Plinii. Ut Salmasius tentaverit, videre licet ad Solin. p. 367. Vossianus, *inter herbas.* Scribas igitur censeo: *quas inter herbas dicemus:* et præstitit XXVI. 8. Sic XXIX. 6. 'Stibis quid sit, dicemus in metallis.' *Gronov.*

Cissos erythranos] Legendum, *cistos erythrodanon.* Hæc ex Theophr. Hist. IX. 14. quo tamen loco non ait Theophrastus erythrodanon cistum aut esse aut vocari, sed folium habere cisto simile, rotundius. Vide supra XVI. 34. *Dalec.*

Tantamque vim accipiunt] Scribendum arbitror, *tanta vi ut sanguinem urina detrahant.* Reliqua supervacanea puto. *Pintian.*

Tantamque vim accipiunt, ut sanguinem urina detrahant] Quatuor exarati manu, *tantam vim accipiunt.* Voss. *tantam vim accipi, ut sanguinem urina detrahat:* belle, modo corrigas, *tantam vim acini.* Supra, 'Acini quoque ex eadem alba terni;' et, 'Ejusdem acinos quinque tritos.' De urina et sic supra: 'Aquam, quæ inter cutem subierit, urina educit Erasistratus;' sic enim et Vossianus. Pintianus scribendum arbitrabatur: *tanta vi ut sanguinem.* Gronov.

Item chamæcisson] Error hic Plinii animadversus et castigatus est XVI. 34. ultimo. Alia est chamæcissos descripta infra cap. 15. hujus libri. *Dalec.*

Alterum immortalitati proximum] Scribendum reor, *Alterum in montanis ali aut proxime, &c.* quoniam sequitur, 'Alterum genus culta amare.' *Pintian.*

Comantibus] Observa, 'comare,' quod foliorum et frondis proprium est, dictum de racemo: præterea corymbum de acino. *Dalec.*

CAP. XI. *De harundine, et papyro, et ebeno, et rhododendro, de rhue erithro, et de erythrodano, alysso et raticula, et apocyno, et rore marino, et cachry, et sabina, et solagine, et samulo, et gummi medicinis.*

Et succus ejus fitque elaterio] Absurdum hoc, nescio e quo petitum. *Idem.*

Multum enim et ipsam harundinem] Aliter in vetusto codice, *multa enim de ipsa harundine tradunt;* cætera superfluunt. *Pintian.*

Cum inaruit] Ad eum usum papyri caulem, advectum Ægypto, jam exuccum et aridum aqua mergebant, madefactumque et in oblongam cylindri formam arcte vinculo ligatum siccari permittebant; deinde cum opus esset

exolutum fistulis indebant, ut intumescens earum os aperiret: qua ratione cheirurgi nostra tempestate medullam Indici milii, Gentianæ radicem, spongiam cera imbutam immittunt. Alexandro Probl. I. 93. papyrus σφαιρωθεῖσα alvo suppressa, balani modo subjicitur in sedem, ut diductis sedis musculis, feces exeant. σκευασθεῖσαν ad recludendas fistulas Dioscorides poscit, id est, qua industria diximus paratam, quo loco Marcellus et Cornarius legendum putant, σκελετευθεῖσαν, *arefactam et siccatam*, ὡς σκελετόν. *Guilland.*

Ad laxandas siccandasque fistulas et intumescendo] Verba præpostere locata, legendaque, ut sentio, sic: *ad laxandas aperiendasque fistulas ad introitum medicamentorum, siccandasque in tumescendo.* Pintian.

Chartâ quæ fit ex ea] Apud Galenum et Paulum Pastillus διὰ χάρτου describitur ad oris nomas et naturalium insignes. *Dalec.*

Foliis myrti, cauliculis brevibus] His verbis describere Plinius videtur rhun Monspessulanam, cujus historia traditur in silva universæ historiæ plantarum. *Idem.*

Rhus, quæ erythros appellatur] Inepte Plinius rhun erythron differre putat ac distinguit a rhoë coriariorum. *Idem.*

Rami cum foliis imponuntur] Succus cum foliis bibitur: θηριοδήκτοις βοηθεῖ χύλος μετὰ τῶν φύλλων ποθείς. Plinius legisse videtur: βοηθεῖ καυλὸς μετὰ φύλλων ἐπιτιθείς. *Cornarius.*

Mirum est quod additur] Plutarchus tertio Symposiacῶn scribit alysson, si manu teneatur, vel omnino aspiciatur, singultu liberare: quo loco pro λυγμοῦ quidam legendum putant λύσσης. Est apud Pausaniam in Arcadicis Alysson fons, oppido Cinæthaënsium vicinus, cujus aqua potu sanat a cane rabioso commorsos. Alysson hoc Plinii Dioscoridis historiæ nihil convenit, ut ii prorsus rejiciendi non sint, qui alysson Plinii herbariorum asperulam esse putant. Alysson Galeno est folio prasii, flore cyaneo, de Antidotis lib. II. *Dalec.*

Saniem conspecto omnino frutice eo siccari] Posset legi, *Sanitatem suspenso omnino frutice conciliari;* vel sic: *fascino suspenso omnino frutice occursari.* Dioscorides libro tertio capite de alysso: 'Quinetiam domi suspensam sanitatem creditur facere, fascinationesque omnes ab hominibus pecoreque omni avertere.' *Pintian.*

Medetur morbo regio et ipsa decocti ejus potu] Pintianus e suo, *et ipsa decocta et jus potum.* Voss. *decocta ejus poto.* Lege, *decocta ejus pota.* Gronov.

Lanuginoso] Siliqua folliculari concluso, quæ lanugine plena est. *Dalec.*

Pro thure assumitur] Virgilius in Culice: 'Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina.' *Idem.*

Illinitur igni sacro et carbunculis] Aliter, ut opinor, distinguenda verba et scribenda: *Illinitur igni sacro et carbunculis ex vino. Cum melle pota regio morbo medetur.* Dioscorides libro primo, capite de herba Sabina. *Pintian.*

Sacro facto priusquam legatur pane vinoque. Voss. *pare vinoque.* Forte, *thure vinoque.* Gronov.

Samolum] Samolum Pulsatillam esse puto, quam etiamnum hodie Bononienses vocant *Samiolo*, ut ait Anguillara lib. XI. *Dalec.*

Item ambustis arteriæ vitiis] Lege alia distinctione: *Item ambustis, arteriæ vitiis inutiles. Urinam cient;* nam quoniam præcesserat, dentibus inutiles esse, interpositis his quibus prosunt, redit rursus ad incommoda, atque inutiles esse ambustis et arteriæ vitiis. *Pintian.*

Amaritudines hebetat] Medicamentorum acrimoniam hebetat, quibus admiscetur. Diosc. de gummi Ægyptiæ spinæ. *Dalec.*

Astrictis cæteris. Quæ ex amygdala amara est] Scribendum arbitror, *Astringit plus cæteris quæ ex amygdala amara est, spissandique viribus efficacior;* ut in initiis capitis sequentis: 'et ipsa stringit spissatque;' sic enim legitur in scripto exemplari. *Pintian.*

CAP. XII. *De spina Arabica, et spina alba, et acanthio et acacia.*

Spinæ Arabicæ laudes, &c.] Duo posteriora verba capitis præcedentis his adjungenda, et legend. *Spinæ Ægyptiæ sive Arabicæ laudes in odorum loco diximus.* Et paulo post legend. *Est et acacia spina, fit in Ægypto alba nigraque arbore, item viridi, sed longe melior est prioribus.* Salmas. p. 530. a.

Spinæ Arabicæ laudes in odorum] De Ægyptia spina tractatum est XIII. 9. et 11. De Arabica nusquam. Incogitanter et obliviose hoc Plinius. Lego: *Spinæ Ægyptiæ laudes in odorum loco diximus. Arabica spissat, &c.* Dalec.

Est et acaciæ spina. Fit in Ægypto alba] In vetusto codice: *Et acaciæ spina fit in Ægypto alba nigraque arbor. Est itidem viridis, sed longe, &c.* Pintian.

Nimio validius] Quia æstate fructus immaturus acerbissimus est. *Dal.*

Qui valde rufus] Quoniam acerbior fructus e quo extrahitur. *Idem.*

CAP. XIII. *De vulgari spina, et silvestri, et de erysisceptro, et de appendice spina, et pyxacantho, et paliuro, aquifolia, et taxo, et rubis medicinæ.*

Vulgaris quoque hæc spina] Legend. *Vulgaris quoque hæc spina, ex qua iniæ fulloniæ implentur, radices usus habet, præter spinas quidem multi. Inter odores, et ad unguenta utuntur alia, aspalathum vocantes. Est sine dubio hoc nomine spina silvestris in Oriente.* Tribus illis totis capitibus tractat utilitates et medicinas, quæ ex variis spinis capiuntur. Vulgaris, inquit, spina, quæ fullonibus inias præbet ad vestimenta polienda præter spinas, utiles fullonibus, radices etiam habet multi usus. Vide Dioscoridem. *Salmas.* p. 391. b. 392. a. 395. b. 396. b. et 397. a. Dicit apud Plinium etiam in vetustissimis exemplaribus *Hispaniam* et *Hispanam* reperisse scriptum pro *Spina*. *Vulgaris quoque hæc spina, &c.*] Spinam fulloniam hic intelligo hippophæston, quemadmodum et lib. XVI. cap. ult. Dioscorides certe et hippophaës et hippophæston spinas esse fullonias tradidit. Vide infra XXVII. 10. *Dalec.* *Vulgaris quoque hæc spina*] Potior lectio: *Vulgaris quoque spina est, qua cortinæ fulloniæ implentur.* Nec *cortinæ* habet nostrum exemplar, sed *lanæ*. Pintian.

Radicis usus habet] Struthii, ad lanas purgandas, molliciemque ac candorem conciliandum. *Dalec.*

Aspalathum vocantes] Oscitanter Plinius aspalathum orientalem alium esse putat, quam Rhodium. *Idem.*

In Nisyro et Rhodiorum insulis] Sincerior lectio, *in Nisyro et Rhodo insulis*, ex Dioscoride libro primo capite de Aspalatho: 'Nascitur,' inquit, 'ad Istrum et Nisyrum: in Syria quoque ac Rhodo.' *Pintian.*

Quem alii erysisceptrum] Legend. *Quem alii irisceptron, alii diathoon, Syri diaxyron vocant:* ἰρισκηπτὰ dicebantur loca et frutices, quibus iris innitebatur atque incumbebat, quæ et odoratiora fieri existimabantur. *Salmas.* p. 397. b.

Alii adipsatheon, sive dipsacon, sive diacheton] Scribi posset: *Alii sphagnon sive phasganon, sive diaxylon*, ex Dioscoride libro primo, cap. de Aspalatho. *Pintian.*

Sanguinem reddentibus medetur decoctum ejus] Vocabulum *cortex* non est in antiquo exemplari. Ego vero et paulo ante superfluere puto. Dioscorides loco ante allegato: 'Sistit alvum et sanguinis excreationes potum decoctum ejus. Solvit præter-

ea inflationes et stranguriás.' *Idem.*

Appendix] Vulgo *Berberis.* Dalec.

Baccæ] Oxyacanthæ, de qua intelligenda quæ sequuntur. *Idem.*

Purgationi] Sistendæ. *Idem.*

Flore ejus aquam glaciari] Ex ejus certe cortice viscum fit. *Idem.*

Recubitu propius adlabi] Quid si legas, non *recubitu*, sed *rei petitæ?* Pintian.

Ideoque ex eis mora vel hominibus cibos] Acad. *Ideoque et moracis bestiis vel hominibus.* Voss. duo et Gud. *et ex moratis bestiis vel hominibus. Bestiis* et editum inveniebat Hermolaus, qui delevit. Opt. *Ideoque et mora his, hoc est, vel hominibus cibos, dedit.* Pulchrius utique, non tantum plenius. *Gronov.*

Cauliculorum ex vino decoctum] In aliis exemplaribus *calculorum* scriptum invenias, non *cauliculorum;* haud omnino spernenda lectione; nam in fine capitis alterum genus rubi tradit, qui gignit pilulam castaneæ similem, præcipuo remedio calculosis. Sed quoniam Dioscorides succum ex foliis caulibusque expressum, mox in Sole densatum, multos in medicina usus habere tradit, quod et Plinius paulo ante dixit, rem in medium relinquo. *Pintian.*

Alterum genus rubi est] Hæc omnino sic evolvenda et restituenda sunt: *Alterum genus rubi est, in quo rosa nascitur. Cynosbaton vocant, alii cynospaston. Folium habet vestigio hominis simile. Gignit pilulam castaneæ (ejus echino) similem præcipuo remedio calculosis. Alia est cynorrhodos, quam proximo dicemus volumine. Fert et chamæbatos uvam nigram, &c.* Dalec.

Pilulam] Eam in rosa silvestri spongiolam vocat cap. 2. lib. proximi. *Idem.*

CAP. XIV. *De cynosbato et Idæo rubo, et rhamno, et Lycio, et sarcocolla, et de oporice medicina.*

Vestigio hominis simile] Ἀγνῶδες. Theoph. Hist. III. 18. Plinius legisse videtur ἰχνῶδες. Athenæus legit ἀγλῶδες, Hermolaus γλειῶδες, Milletus ἀγριῶδες. Plinium recte legisse arbitror. *Idem.*

Fert et uvam nigram] Plinius Cynosbati historiam, cujus fructus subruber est foliumque ἰχνῶδες, miscet ac confundit cum chamæbato, quod uvam nigram fert, sive morum uvæ simile, ejus rubi modo, quem *erectum*, ac *procerum*, ὀρθοφυῆ, vocat Theoph. Legendum porro sic est: *Fert Chamæbatos et uvam nigram, in cujus acino, &c.* ut diximus superiori capite. *Idem.*

Alia est a cappari quam medici] Quatuor scripti, *Alia est capparis quam.* Hermolaus addidit præpositionem. Voss. *tota alia quam cappari quod medici cynosbaton appellant.* Sic XX. 15. 'De cappari satis diximus inter transmarinos frutices. Non utendum transmarino: innocentius Italicum est.' XXV. 8. 'Ferunt bacculas parvas, ut cappari.' Sic Voss. et Chiflet. *Gron.*

Cynosbaton]. Rubus 1. qui morum fert 1. excelsus, βάτος· 2. humi stratus χαμαίβατος, νευρόσπαστος· 2. qui rosam gignit. 1. cynosbatos, sive cynospastos, *Eglantier.* 2. cynorrhodos. *Rosier sauvage.* 3. Idæus, *Framboisier.* 1. spinosus. 2. non spinosus. *Dalec.*

Idæus rubus appellatus est] Dioscorides Idæum dictum vult, non quod in Ida tantum nascatur, sed quod ibi copiosissime proveniat. *Idem.*

Quoniam in Ida non alias nascitur] Salmasius in Epist. de Cruce pag. 461. Plinio Dioscoridem opponit, qui πολλὴν ἐν Ἴδῃ γίγνεσθαι tradat, quum Plinius, ibi tantum nasci. Sed non tradidit hoc Plinius; nam Chifl. *aliis.* Lege, *quoniam in Ida non alius nascitur,* ut Vossianus. *Gronov.*

Rarioribus calamis innocentioribusque] Non *calamis* habet nostrum exemplar, sed *foliis.* Neutra lectio placet; verior esset, *rarioribus aculeis innocentioribusque.* Dioscorides lib. IV. cap. de rubo Idæo: 'Spinas habet

breves. Invenitur et sine spinis aliquando.' *Pintian.*

Rhamnos] Rhamnum ἀλεξιάρην Nicander vocat, quia nocturnos incubos, lemures, striges avertit efficaci amuleto: quo argumento in parentationibus ante fores suspendebatur. Meminit et Lycophron, et Euphorion his verbis, ἀλεξίκακον φύε ῥάμνον. Spinam Janalem hunc esse volunt celebratam ab Ovid. in Fastis: non autem spinam nuptiarum facibus auspicatam, cujus mentio fit XVI. 18. 'Sic fatus spinam, qua tristes pellere posset A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.' Et rursum: 'Virgaque Janalis de spina sumitur alba, Qua lucem thalamis parva fenestra dabat.' Rhod. XXII. 31. *Dalec.*

Candidior et fruticosior] In vetusto codice, *candidior et fructuosior et ramos spargens, erectis aculeis.* Pintian.

Is floret ramos spargens] Duo prima vocabula nescit Vossianus, contentus habere: *rhamnos appellatur a Græcis, candidior, fruticosior et ramos spargens.* Quatuor alii tamen aliquid infuscatum ostendunt exhibendo: *candidior frutex is floret.* Pintiani codex, *candidior et fruticosior et ramos spargens erectis.* Gronov.

Quod vocatur Lycium] Hoc falsum, et a nemine proditum. *Dalec.*

Aliter ille candidior adstringit] Sic Pintian. cum legeretur, *Alterque ille.* Menap. *aliter ille candidior.* Voss. *Ille autem candidior.* Vide ad Livium XXXV. 40. *Gronov.*

Lycium præstantius] Lycium Indi vocant. Græci, quoniam Indicum nomen non satis noverant pro cate, principio quidem acanthon nominarunt: et quia in Lycia et Cappadocia ea arbuscula buxi folio est, pyxacanthum appellaverunt, arboris Indicæ figuram ignorantes, quæ tamarisci folium habet, alias spinosissima. *Dal.*

Spuma ejus ac flos quidam medicamentis oculorum] *Quidem*, non *quidam*, in exemplari antiquo et nonnullis excusis. Scribendum igitur commutatis verbis: *Spuma ejus ac flos medicamentis quidem oculorum adduntur, &c.* Pintian.

Hulcera recentia, et serpentia, ac putrescentia] Verbum *recentia* non habetur in eodem: recte. Dioscorides lib. I. cap. de Lycio: 'Reduvias idem, putrescentiaque, et quæ serpunt ulcera sanat.' *Idem.*

In naribus clavos, suppurationes] *Auribus* in eodem, non *naribus*, veriore lectione. Dioscorides eodem loco: 'Facit ad purulentas aures, tonsillas, exulceratas gingivas,' &c. *Idem.*

Indici] Optimi Diosc. non Indici. *Dalec.*

Spinæ] Arboris in Perside nascentis. Diosc. *Idem.*

Pollini thuris similem] Scribo, *pollini thuris similem, cum quadam acrimonia dulcem, gumminosam: sistit fluctiones;* tum ex vetere exemplari, tum ex Dioscoride, qui lib. III. de sarcocolla, adulterari admixto gummi prodit. Plinius quoque supra XIII. 11. inter gummi genera sarcocollam numerat. *Pintian.*

Cum vino tusa sistit fluxiones] Voss. *dulcem cumminosam sistit.* Scribebam, *cum quadam acrimonia dulcem, gummosam.* XIII. 11. 'Fit et ex sarcocolla (ita vocatur arbor) gummis utilissima pictoribus et medicis, similis pollini thuris, et ideo candida quam rufa melior.' Sic enim scribendum diximus. Confirmat quod de eadem scribit Dioscorides III. 99. δολοῦται δὲ κόμμεως αὐτῇ μιγνυμένου. Vocabulum habes XII. 9. 'Indicum humidius et gummosum.' Ubi etiam Chifl. et Andegav. 'cumminosum.' Acad. Gud. Menap. 'gumminosum.' XXII. 9. 'Foliis echinatis, pinguibus, tactuque gummosis.' Voss. 'cuminosis.' XXVI. 8. 'Virus redolens gummosum,' a Gelenio; cum esset 'fuminosum.' Chifl. 'gumminosum.' Voss. 'summinosum.' Andeg. et Acad. 'cumino sub.' Quæ perpetua varietas op-

timorum et mediocrium codicum facit, ut ipse Plinius hoc vocabulo sic formato usus videatur, 'gumminosus;' nam et 'gummen,' 'gumminis' dixere. Palladius Novembri, tit. 7. 'Mense Martio extremo prunus inseritur, vel mense Januario antequam incipiat gummine lacrimare.' Ita enim Mss. ubi vulgo *gummen*. Neque hoc omnino improbamus, sed quid in membranis non unis invenerimus significavimus. Unde possis etiam: 'antequam incipiat gummina lacrimare.' Idem dixit 'gumma' Octobri tit. 12. 'In cerasis hoc servandum est, et in omnibus gummatis, ut tunc inserantur, quando his vel non est vel desinit gumma effluere.' 'Gumminosam' et Pintianus. Hoc etiam tacere non debui semper in Vossiano, immo et in aliis, *fluctiones*, non *fluxiones*, quotiescunque id vocabulum occurrit, conspici.' *Gronov.*

CAP. XV. *De chamædrye, et chamædaphne, et chamelæa, et chamæsyce, et chamæcisso, et chamæleuce, et chamæcyparisso, et ampeloprasso, et stachie, et clinopodio, et centunculo, et clematide Ægyptia medicina.*

Chamædaphne unico ramulo est] Legend. *Chamædaphne unico ramulo est, cubitali fere, folia tenuia, lauro similia, semen rubent adnexum foliis, illinitur doloribus capitis recens.* Salmasius, 404. a.

Folio tenui lauri similitudine] Voss. *Chamædaphne unico ramulo est, cubitale ferme, folia tenuiora lauro folia. Semen rubens adnexum foliis.* Corrige leviter: *cubitali ferme: folia tenuiora lauri folia: semen adnexum foliis.* Acad. Gud. Menap. *tenui folio ut lauri semen.* Andeg. *folia tenui ut laurum folia.* Gronov.

Chamalæa] De chamelææ succo vide XXV. 7. ult. et XV. 7. princ. *Dal.*

Claritati oculorum et contra suffusiones] Si Dioscoridem audimus lib. IV. non *cum vino cocta inuncta*, legemus, sed *cum melle inuncta*. 'Claritati,' inquit, 'oculorum et contra caligines, suffusiones, incipientes nubeculas, cicatrices, litus cum melle utilis est.' Qui locus a Marcello interprete negligenter Latine versus est. *Pintian.*

Chamæcissos spicata est tritici] Alia est chamæcissos descripta cap. 10. ult. hoc libro. *Dalec.* *Chamæcissos spicata est, &c.*] Locus est, ni fallor, vitiatissimus; quem si ad libellam Dioscoridis exæquare velis, sic leges: *Chamæcissos spithamæis est ramulis, quinis fere foliis.* Lege Dioscoridem lib. IV. cap. de chamæcisso. Hac dictione *spithamæus* pro dodrantali Plinius supra usus est VII. 2. 'Super hos,' inquit, 'extrema in parte montium spithamæi Pygmæi narrantur, ternas spithamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes.' Nec audiendus Hermolaus, qui in Dioscoridis Corollario supra dicta verba pro veris Plinianisque agnoscit. *Pintian.*

In vini cyathis duobus] Longe hoc a Dioscoridis placitis diversum est. proinde non dubito quin aliqua hic verba librariorum incuria prætermissa sint; nam in Dioscoride *tres* sunt cyathi, non *duo*: et ab ischiadicis hanc potionem insigniter amaram 40. aut 50. diebus bibendam præcipit: ab his antem qui regio morbo laborant, 5. aut 6. diebus, non 7. Verba ejus subtexui ex lib. IV. cap. de chamæcisso seu terrestri hedera: 'Contra coxendicis dolores trioboli pondere in aquæ cyathis tribus quadraginta quinquagintave diebus folia ejus utiliter bibuntur. Quin etiam foliis suffusiones quinque aut sex diebus pariter pota emendant.' *Idem.*

VII. diebus] Tricenis aut quadragenis diebus, Diosc. *Dalec.*

Ferranum] *Farfarum* Plautus vocat in Pœnulo. Versus est: 'Eo prosternebam folia farfari, ne scilicet viscus adhæresceret.' *Idem.*

Chamæpeuce] Quidam aliam esse non putant chamæpityn. *Idem.*

Porri similitudinem] Rondelet. legit *prasii*. Pro voce Græca πρασίου, Plinius legit πράσου. *Idem.*

Palmi altitudine] Dioscorides lib. III. 'duorum palmorum altitudine.' *Pintian.*

Itali centunculum vocant] Verbum *Itali* delendum; reliqua sic legito: *Centunculum vocant nostri, foliis ad similitudinem, &c.* ex antiquo codice. *Idem.* *Itali centunculum vocant, &c.*] Aloisio herba, quam Dodonæus pingit pro helxine cissampelo; sed vires non conveniunt. Placet magis Dodonæi judicium, qui herbæ impiæ genus centunculum vocat, I. 60. *Dalec.*

Græci autem clematidem. Est ejus egregius] Tria illa verba, *Græci autem clematidem*, in codice nostro desiderantur, et quidem recte. Centunculus enim 'gnaphalion' a Græcis vocatur, auctore Dioscoride, non 'clematis.' Cætera sic scribe: *egregii effectus ad sistendam alvum*, ex eodem codice. *Pintian.*

Sed Græci clematidas et alias habent] Scribendum censeo: *Græci clematidas duas habent*, ut reliqua deleantur, ex Dioscoride, qui duas clematidis species agnoscit lib. IV. *Idem.*

Quam aliqui echiten vocant] Clematidem priorem. Echiten sive echion, ut legitur c. 9. libri sequentis, ideo vocarunt, quod imposita serpentium et viperarum morsibus juvamentum præstet, auctore Dioscoride. *Dalec.*

Et pedales, foliosos] Detrahe conjunctionem *et*, cætera mutato ordine sic lege: *ramos habet pedales, foliosos, non dissimiles scammoniæ*, ex antiquo codice. *Pintian.*

Tenuem scammoniam: et pedales, foliosos] Voss. *tenuem scammonia ramos habet bipedales foliosos non dissimiles scammoniæ nisi quod.* Lege: *nonnulli tenuem scammoniam. Ramos habet bipedales, foliosos, non dissimiles scammoniæ, nisi quod nigriora minoraque sunt folia.* Diosc. IV. 7. κλήματα δ' ἔχει μακρὰ, ut legit Jo. Cornarius pro μικρά. Alii quoque quatuor nostri, ut et Pintiani: *Ramos habet pedales.* Nempe manus secunda τὸ *bi* virgulis confixerat in optimo codice. XXV. 2. 'Bipedali fuit altitudine.' *Gronov.*

Ex aceto dentium dolores sedant] In eodem, *ex aceto edentium venerem stimulant;* cætera supersunt. Dioscorides tamen lib. IV. clematidem dolores dentium mitigare prodit. Et in calce capitis, *polygonitis*, non *polygonitides*, in eodem. *Pintian.*

Ex aceto dentium dolores sedant. Venerem stimulant] Voss. *Ex aceto edentium Venerem stimulant;* ut et Pintianus. *Gronov.*

Ægyptia cognomine] Prior Dioscoridis, qui hujus cognominis nusquam meminit. *Dalec.*

Quæ ab aliis daphnoides] Et myrrhinoides Galeno Simplic. lib. VI. *Idem.*

Folio lauri] Colore, et figura, multo minore. Diosc. Hæc omnia Plinius mire confundit et perturbat. *Idem.*

CAP. XVI. *De aro et dracunculo, et dracontio, et ari, et millefolio, et herba ejusdem nominis, et pseudobunio, et yrrhi, et onobrichi medicinæ.*

Ægyptus hanc maxime gignit] Postrema illius capitis verba cum seq. cap. junge, et leg. *Ægyptus hanc maxime gignit, quæ et Arum, de qua inter bulbos diximus, &c. dracontium silvestrem esse pronuntiando.* Vide Salmas. p. 974. a.

Aros radicem nigram] Talis est ari Ægyptii, non nostratis. *Dalec.*

Unde et ei nomen] Fallitur Plinius. 'Dracunculum' herbarii vocant, aut quod veluti serpentium maculis picturatum caulem habeat, aut quod venenis anguium resistat. *Idem.*

Tantumque inesse ei virtus, ut olfactum] Voss. excludit τὸ *inesse;* et absque illo satis constat oratio. *Gronov.*

Pectoris vitia purgare] Hæc omnia quæ sequuntur de dracontio, non aro, Dioscorides scribit, quamvis radicem ari et folia dracunculi vires easdem

habere tradat. *Dalec.*

Epiphoris elixum imposuere] Verbum *elixum* redundat ex antiquo codice. *Pintian.*

Infundens aurium dolori] *Infunditur et aurium dolori* in eodem. *Idem.*

Et purulenta excreantibus farina] *Pura* in eodem; ut sit pluralis numerus a singulari *pus*, non *purulenta*, et *farinæ*, non *farina*. Idem.

Diodotus phthisicis e melle ecligmate, &c.] Vide Reines. Var. lect. II. 7. p. 172.

Alvum inaniunt] Ursi, cum latebris exeunt, id devorant laxandis intestinis, alioqui concretis, VIII. 36. *Dalec.*

Majorem] Nam et minor quidam est, in Sardinia, Corsica, et Majorica frequens, de quo vide cap. alterum ultim. lib. XXV. *Idem.*

Ut et menses] Parum credibile, ab herba tam acri sisti menses. *Idem.*

Foliis betæ] Hoc primum est a Matthiolo depictum. *Idem.*

Alii radice longa] Hoc est dracontium palustre pictum a Dodonæo. *Idem.*

Folio majore] Hoc est dracontium majus vulgare. *Idem.*

Aris] Arisaron. Diosc. Calicem ille vocat XXVI. 8. *Idem.*

Herbam in pratis] Stratioten myriophyllon intelligit. *Idem.*

Myrrhis, quam alii smyrrhizam] Legend. *Myrrhis quam alii myrizusam, alii myrrham vocant, &c.* Alibi cum Geranio eam confundit, ac de ea sic scribit, XXVI. 11. 'Geranion aliqui myrin, aut myrrida appellant.' Vide Salm. p. 707. b.

Subvenit et phthisicis in sorbitione] Adde verbum *data: in sorbitione data*, ex vetusto exemplari. *Pintian.*

CAP. XVII. *De coriacesia, et callicia, et menaide, et aliis XXIII. et medicinis earum, quas quidam Magicas esse dicunt, et de considia, et de aproxi, et de recidivis.*

Et aliis XXIII.] In his recensendis prætermisit latacen memoratam XXVI. 4. *Dalec.*

Coriacesia] Coriacesiam ἀπὸ τῶν κορῶν, *a virginibus*; calliciam vero ἀπὸ τοῦ κάλλους, id est, *a pulchritudine.* Idem.

Aquam glaciari] In muccosum lentorem spissari, ut et tragacantho, et aquifoliæ flore supra cap. 13. hujus libri. *Idem.*

Aproxis] Προσίεναι, *accedere*: ἀπρόξις, quod metu et pavore accedere propius non auderent. *Idem.*

Pythagoræ pertinax fama antiquitasque] *Verum Pythagoræ pertinax fama antiquitasque vindicavit* in vetusto codice. *Pintian.*

Et id ipsum aucteritatem voluminibus] Non *voluminibus* in eodem legitur, sed *voluminum*; ut scribendum putem *volumini ei.* Idem.

Democriti certe chirocineta] In eodem *hirocmeta*, quasi sacros labores dixeris: nota illa Græcorum in inscribundis operibus felicitate. *Idem.*

Chirocineta esse constat] Libri nomen, ideo sic dicti, quod assidue manibus tractari debeat. *Dalec.*

Aglaophotin] De aglaophotide, quam et cynospastum vocat, vide miram historiam apud Ælian. de Animal. XIV. 24. et 27. *Idem.*

Herbam] Hanc baharas nomine describi volunt a Josepho Belli Jud. lib. VII. vocarique Æliano cynospastum terrestre, Democrito marmarida, cynocephalian et osiritin Appioni, Homero moly, pæoniam Galeno. Guilandinus in Plinium XIII. 2. *Idem.*

Propter eximium] Vel potius ob lucidum splendorem. *Idem.*

Marmaritin vocari] Imo potius, splendentem et nitentem, ἀπὸ τοῦ μαρμαίρειν. Idem.

Nasci in Tardistilis Indiæ] Scribendum fortasse, *in Taxilis Indiæ*; de quibus Plinius VI. 20. et cæteri. *Pintian.*

Eandem hippophovada appellat] *Equi*, non *equæ*, vetus lectio. Et si indi-

tum est ei nomen, quod equi caveant eam, *hippophobada* scribendum esse in aperto est. *Idem.*

Instabilitatemque mentis] Amentiæ fatuitatisve periculum. *Dalec.*

Arianidem in Arianis gigni] *Arianida* antiquus codex: rectius; ut paulo ante *hippophobada* et *adamantida:* et infra *Meroida* potius quam *Meroidem* legerem. *Pintian.*

Therionarca] Alia est therionarca, nobis familiaris, roseo flore, descripta XXV. 19. *Dalec.*

Filio lactucæ] Genus fortassis aliquod tithymali. *Idem.*

Ophiusam] Dracontii genus aliquod. *Idem.*

Ut mortem sibi eo metu consciscant] Vide Alex. ab Alex. III. 5. quo loco varia pœnarum genera sontibus et noxiis apud diversas gentes constituta memorat. *Idem.*

Quæ ob id nomine alio] Scribendum videtur *potamitis*, non *potamantis*, hoc est, fluvialis seu fluminea. *Pintian.*

Syssitieterida a convictu] *Hestiaterida* in apographo nostro, non *Syssitieterida*, non minus probanda lectione. *Idem.*

Syssitieterida a convictu in Perside nominari] Acad. et Gudianus, *hesuttaterida.* Chiflet. *hestitaterida.* Voss. *hæstitaterida.* Andegav. *hesytitateryda.* Men. *hesintarida.* Suspicor, *hestiatorida.* Ἑστιατορὶς ab ἑστιάτωρ. Ut fere et Pintianus. *Gronov.*

Casigneten, quoniam secum ipsa nascatur] Deesse puto præpositionem negandi *a*, ut legatur *acasigneten*, hoc est, sine fratribus; quoniam sequitur, *nec cum aliis ullis herbis;* sic enim scribendum ex eodem. *Pintian.*

In Themiscyra regione et Ciliciæ] In antiquo codice, *Themiscyrena* legitur, non *Themiscyra.* Legi etiam posset *Themiscyria;* sic enim fit gentile nomen a Themiscyra, auctore Stephano Byzantio. Item non *Ciliciæ* in eodem exemplari scriptum invenies, sed *Galatiæ*, veriore lectione; multo enim minus Galatia distat a Themiscyria regione, quam Cilicia. *Idem.*

Magica quoque vocabula] Et non tantum Græca, magna ex parte ab effectu sumpta. *Dalec.*

Æschynomenen] Herbam vivam Lusitani vocant octo pedes altam, folio polypodii, flore luteo: quæ contacta refugit, et ad terram velut indignabunda folia dejicit, accessu hominum se contrahens, discessu pandens. Ejus meminit Theoph. Hist. IV. 3. statim post prunum Ægyptiam. Describit et Garcias ab Horto II. 22. Aromatum Indicorum Oviedus in Americæ Historia, et Julius Cæsar Scaliger. Ejus mentio fit et XIII. 10. sed aliis verbis. Æque mirabilis planta in insula Cimbubon reperta, Burneo propinqua; cujus delapsa folia tanquam animata repunt, moro similia, pedibus utrinque binis, pusillis, cum tanguntur fugientia. *Guilland.*

Œnotheridem] Sic fortassis vulgus appellavit lathyrida, voce a Græco detorta, et a lacteo succo. *Dalec.*

Celeber arte Grammatica] Appionem significat, artis grammaticæ peritissimum, Pleistonicen cognominatum, quod eruditione plurimos superasset, quemadmodum ἰατρονίκην Thessalus se appellabat: cujus mentio fit in præfatione totius operis, XXX. 2. XXXVII. 5. et XXXV. 10. Nisi quis intelligi malit Apollodorum paulo ante dictum, Grammaticæ scientia tam clarum, ut honorem Amphictyones ei habuerint, VII. 37. *Idem.*

CAP. XVIII. *De eriphia, et lanaria, et stratioti medicinæ.*

Aliqui esse dicunt] Hallucinantur ii. Stratiotes enim lacte non turget. *Idem.*

A Græcis] Theoph. Hist. IV. 9. *Idem.*

In Ægypto tantum et inundatione] Hoc Plinio minime credunt herbarii. Nullius quidem scriptoris testimonio id scribit. Dioscorides ea de re tacet. *Idem.*

Sanguinem quoque qui defluit a renibus] Scribendum reor permutatis syllabis, *naribus*, non *renibus*. Pintian.

CAP. XIX. *De herba quæ nascitur in capite statuæ, et de herba e fluminibus, et de herba lingua, et cribro, et fimetis; et rhodora, et impia, et Veneris pectine, et nodia, et philanthropo, et canaria lappa, et tordile, et de gramine, et dactylo, et fœnograeco medicinæ.*

Collectaque alicujus in vestis panno] Scribe, *collectaque in vestis alicujus panno et illigata*. Idem.

Contra tertianas adalligata] Duo prima verba contra omnia exemplaria contenderim supervacanea esse. *Idem.*

Rumpotinum] Rumpotinum arbustum Gallicum arboribus humilioribus et minime frondosis consitum, eaque re ab arbusto Italico differens. Supra XIV. 1. rumpotinus in arbusto 'opulus' dicitur. *Dalec.*

Exedum] Exedum acris herba videtur fuisse ab exedendo dicta. *Id.*

Corona] Περίαμμα. Vide quæ adnotata sunt XXVII. 11. Hoc remedium ex Archigene Galenus citat, κατὰ τόπους, lib. II. *Idem.*

Colluviem] Impuram et sordidam aquam cum sero lactis, furfure, concisis oleribus mixtam, quam bibendam suibus offerunt: vulgo, *lavaille*. Idem.

Silis] Seseleos. Imo vero Creticum seseli vocant. *Idem.*

In montibus] Amano. Diosc. *Idem.*

Et ex cacumine] 'Cacumen' vocat radicis caput. *Idem.*

Ad vulnera] Graminis vulgaris, non Parnasii. Diosc. *Idem.*

Tueturque ab inflammationibus] Non *plagas* in vetusto codice, sed *pacata*; præcessit enim *vulnera*. Pintian.

Decocto] Succo Parnasii. Diosc. *Dalec.*

Æreo vase] Ærea pyxide reconditur ad oculorum medicamenta. Diosc. *Idem.*

Hunc articulorum numerum] Nempe tot caules, radicesve, ut is geniculorum numerus habeatur. *Idem.*

Quod e graminum genere septem] Serenus in medicamentis, quæ capitis doloribus medentur: 'Vel quæ septenis censentur gramina nodis Utiliter nectis.' *Idem.*

Altero quod est scirpo simile] Aloisius paronychian Diosc. esse putat, quam is peplo similem esse foliis tradit. *Idem.*

Tertium genus dactyli] Aloisius esse putat sempervivi tertium genus, quod ἀνδράχνην ἀγρίαν, et τηλέφιον Græci vocant, Romani *illecebram*. Idem.

Quod juxta vinum, &c.] Καλαμάγρωστιν Dioscorides vocat, id est, *arundinaceum gramen*. Idem.

Quoniam corniculis] Imo potius, quod semen longis siliquis veluti corniculis includitur. *Idem.*

Quod quomodo sereretur, suo loco docuimus] Pronomen *quod* est a manu male sedula: certe quisque nostri consensu id condemnant. Vossiani enim ambo, *docuimus suo loco*. Gronov.

Contractio] Μύσις, Diosc. aditus et osculi uteri veluti conniventis præclusio. *Dalec.*

Parientibus] Instante partus tempore. *Idem.*

Sæpius die illinens] In vetusto Codice *prohibens*, non *præcipiens*: et paulo post, *acetabuli dimidii*, non *dimidiis*. Pintian.

Decoctum fœnigræci semen emendat] Verbum *semen* redundat ex eodem. Et sane Dioscorides lib. II. cap. de fœnogræco, graveolentiam excrementorum in intestinorum torminibus decocto fœnigræci emendari prodit. *Idem.*

Genitalibus] Tumentibus, inflammatis. *Dalec.*

LIBER XXV.

CAP. I. *Naturæ herbarum sponte nascentium.*

Omnium utique vitam clariorem fecere] Scribendum puto *hominum*, non *omnium*. Pintian.

Sed culmina quoque montium] Particula *Sed* in nullo est nostrorum. Et eleganter in talibus eam omitti sæpius ad Livium et Senecam monendum nobis fuit. Sed et duo posteriores, *mira sed in his*. Vossiani, *mira si in his*. Lege, *Non æque hæc cura eorum mira est in his*. Gronov.

CAP. II. *Qui Latine usus herbarum scripserint, et quando ad Romanos notitia earum pervenerit, et qui primi Græcorum de his composuerint, et de herbarum inventione, et antiqua medicina, et quare minus exerceantur earum remedia, et de cynorrhodo, et de dracunculo Medicinæ.*

Sanguinem anatum, &c.] Inde nata est ac inventa medicis confectio δι' αἱμάτων. *Dalec.*

Viginti duabus linguis locutum] Valerius lib. IX. Gellius lib. XVII. *Id.*

Pompeius autem omni regia præda potitus] 'Antidotus vero multis Mithridatica fertur Consociata modis: sed Magnus scrinia Regis Cum raperet victor vilem deprendit in illis Synthesin, et vulgata satis medicamina risit.' Serenus c. de venenis. Vide supra XXIV. 8. *Idem.*

Libertum suum Lenæum Grammaticæ artis doctissimum] Vox ultima est ab non doctissimo. Chiflet. et Vossianus relegant. Et eodem modo Plinius VII. 39. 'Pretium hominis in servitio geniti maximum ad hanc diem (quod equidem compererim) fuit Grammaticæ artis Daphnidis, Cn. Pisaurensi vendente.' Ubi Mss. 'Daphninatio Pisaurense.' Forte: 'Daphnidis Egnatio Pisaurense vendente.' Lib. IX. c. 8. 'Arionem quoque, citharœdicæ artis, interficere nautis in mari parantibus.' XXX. 2. 'quum adolescentibus nobis visu, Apion, Grammaticæ artis, prodiderit.' Sic enim vult accipi: *Lenæus Grammaticæ artis*, hoc est, Grammaticus. *Gronov.*

Verum et pictura fallax est, et coloribus tam numerosis præsertim in æmulatione naturæ multum degenerat transscribentium sors varia] Scribo: *Verum et pictura fallax est, coloribus numerosis, præsertim in æmulatione naturæ, multumque degenerat transcribentium sors varia*, ex codice nostro. *Pintian.*

Veneficiis et herbis id cogi, eamque num, &c.] Sic enim interdum hac parelctica particula Plinius utitur, ut supra XXIV. 22. cap. initio: 'Eam quoque num, quam laminum,' &c. Gelen.

Æschylus] In elegis, hoc versu: Τυῤῥηνῶν γενεὰν φαρμακοποιὸν ἔθνος. Theophrast. *Dalec.*

Cum etiam quæ rigatur Ægyptus, &c.] Tantum enim Ægypto, aggerente Nilo, accessit, ut Pharos insula, quam Homerus ætate sua unius diei cursu a continente abesse scribit, postea littorali urbi Alexandriæ ponte jungeretur. *Gelen.*

Ac nobile illud Nepenthes] Hinc apud Philostratum κρατὴρ Ἑλένης, de eo quod animi curam et mœrorem lenit: τόδε φρόντισμα τοῦτο, inquit, ἄριστε ὑπάτων, καὶ τὰ ἄχθη σοι κουφιεῖ

τῆς γνώμης, ὥσπερ ὁ κρατὴρ τῆς Ἑλένης τοῖς Αἰγυπτίοις φαρμάκοις. Idem auctor Antiphontem, quem ob excellentem eloquentiam Nestorem cognominarunt, scribit promittere solitum τὰς τοῦ νηπενθέος ἀκροάσεις: id quod Plutarchus scribit ab Antiphonte excogitatam τῆς ἀλυπίας τέχνην. Rhod. XIX. 8. *Dalec.*

Primus autem omnium quos memoria novit, Orpheus de herbis curiosius aliqua prodidit] Vide Reines. Var. lect. II. 1. *Idem.*

Dixit Democritus] Petronius in Satyra. Itaque hercule herbarum omnium succos Democritus expressit, et ne lapidum virgultorumque vis lateret, ætatem inter experimenta consumpsit. *Idem.*

Quæ tota migrabat in Græciæ linguas] Scribendum reor *migravit*, potius quam *migrabat*. Pintian.

Insanabilis ad hosce annos fuit rabidi canis morsus] Vossianus quoque, perinde ut Chiflet. *Insanabile.* Jam semel iterumque hoc genus loquendi observavimus in membranis. Neque aliter XXIII. 1. 'Saluberrimum putant uvas in aqua cœlesti servatas.' Sic certe optimus codex, non 'saluberrimas.' XXIV. 1. 'Quoquo modo collecta jumentorum pecorumque oculis salutare.' Sic idem; non *collectam salutarem esse.* Gronov.

Nuper cujusdam militantis, &c.] Citatur et hæc historia VIII. 41. *Dalec.*

In Lacetania] Non Lusitania remotissima a Roma. Lacetania vero est regio Pyrenæo vicina, in ea citerioris Hispaniæ parte, quæ prima se Roma venientibus offert. *Gelen.*

Spongiolæ] Eam in cynosbato vocat pilulam cap. 13. libri superioris. *Dalec.*

Caulem] Caulis is est dracontium minus, frequens in Corsica et Majorica. *Idem.*

Contra omnium morsus esse remedium] Voss. *remedia.* Forte: *contra omnium morsus esse remedio, alium, quam quos in priori volumine ejusdem nominis diximus;* sic enim etiam Vossianus. *Gronov.*

Sed huic alia figura] Plinius cum auditione tantum id cognovisset, facile narranti quidvis credidit. Cæterum dracontium id tantum a vulgari magnitudine discrepat. Itaque folia lapathi non sunt, sed potius ari, allio ursino similia: nec caulis baculi crassitudine est, sed pollicis: florere aiunt Octobri et Novembri. Quod autem scribit nasci prodeuntibus vere serpentibus, arescere cum sese condunt, in vulgari nostro etiam spectatur, et mihi credibile non est, cum, ut aiunt, seris anni mensibus floreat; quibus latent angues. *Idem.*

CAP. III. *De quodam pestifero fonte Germaniæ, et de Britannica, et maximis morborum doloribus.*

Qua pota intra biennium, &c.] Talem fontis naturam narrat Vitruvius lib. VIII. in Susis. *Dalec.*

Stomacacen] Cornarius eos morbos ad Oceanum magnum Orientalem et Occidentalem adhuc durare tradit, eosque fere simul ingruere, et ab incolis vocari, *Schobuk*, alii *Schorbuk.* Strabo lib. XVI. in expeditione Ælii Galli hos morbos Arabibus ἐπιχωρίους populares esse refert ob aquarum et herbarum usum, ac σκελετύρβην esse τὴν τῶν σκελῶν παράλυσιν. Vide locum. Sceletyrbes naturam conatus est explicare Rhod. VI. 8. sed parum feliciter. *Idem.*

Ut res tanta debeatur, herbam invenire, vitam juvare] In codice antiquo, *tanta res videbatur herbam invenire, vitam juvare.* Scribendum reor: *tanti eis videbatur herbam invenire, vitam juvare.* Pintian.

Prætor fortuita casusque et nomina, quæ omnis hora excogitat ad millia morborum, singulis mortalibus timenda] Scribo: *præter fortuita casus et quæ nova omnis hora excogitat millia morborum, &c.* ex eodem, et mox paulo *stultitiæ*, non *stultitia.* Idem.

Ut mori plerumque etiam optimi portus sit] *Potus*, non *portus*, et *optimis*, non *optimi*, in eodem. *Pintian.* *Ut mori plerumque etiam, &c.*] Cæsar apud Sallustium: 'In luctu, atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse. Eam cuncta mortalium mala dissolvere: ultra neque curæ, neque gaudio locum esse.' Theseus apud Euripidem: ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ. Victorius XII. 8. *Dalec.*

Veneno crura perunxisse] Frigido, ut cicutæ, opii, alterci. *Idem.*

CAP. IV. *De moly, et dodecatheo, et pæonia, vel pentorobo, vel glycyside, et panace, vel asclepio, et heraclio, et panace Chironio, et panace centaureo, vel pharnaceo, et heraclio siderio, et hyoscyamo, vel apollinari, sive altercangeno.*

Laudatissima herbarum est Homero] Voss. *clarissima herbarum est Homero teste.* Quare τὸ *teste* tollere Gelenius non debuit. Sed habuit codices, quales sequiores nostri, in quibus eadem vox desideratur. *Gronov.*

Quam vocari a Diis putat moly] Versus Homeri sunt hi Odys. K. Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης, Ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν. Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος· Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί· χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν Ἀνδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται. Auctor Priapeorum aureum esse putat: 'Hinc legitur radix, cujus flos aureus exit: Quem cum moly vocat, mentula moly fuit.' Quidam eo loco aureum καλὸν καὶ εὐειδῆ interpretantur, quod pulchra omnia 'aurea' soliti sint poëtæ vocare. Sic χρυσῆ Ἀφροδίτη: Horatio, 'cygni purpurei:' Albinovano, 'nix purpurea.' Illud quidem est moly Homericum, Dioscoridis vero moly 'molon' a Plinio vocatur, describiturque XXVI. 7. Vide Theophr. Hist. IX. 15. *Dalec.*

Effodi autem difficulter] Ob saxa, inter quæ nascitur. *Idem.*

Florem ejus luteum pinxere] Dioscoridis is est γαλακτόχρους, *lacteus*, in suo moly. *Idem.*

Afferrique Campania mihi] In codice antiquo, non *afferri*, sed *affirmaret*, legitur: puto legendum *afferret*, seu *efferret*, non *affirmaret*. Pintian.

Omnium Deorum majestatem] Non omnium quidem, sed præcipuorum duodecim, de quibus vide quod adnotatum est lib. XXVI. *Dalec.*

Exeunt a lutea radice] In codice antiquo, *alutæ radice;* verbum autem *exeunt* adulterinum existimo. *Pintian.*

Inest iis semen copiosum] Plura vide XXVII. 10. *Dalec.*

Faunorum in quiete ludibriis] Sic ephialten vocat, quod opinione veterum Fauni hæc visa dormientibus immittere crederentur. Dioscor. καὶ πρὸς τοὺς ὑπὸ ἐφιαλτῶν πνιγμούς. Themison in Epistolis appellat πνιγάμονα, alii πνιγαλίωνα, medici incubum; fit autem διὰ τὴν ἀναθυμίασιν ἐξ ἀδδηφαγίας καὶ ἀπεψίας εἰς κεφαλὴν ἀνατρέχουσαν. *Idem.*

Numerosum et Diis inventoribus ascriptum] Theophrastus sex describit Panacis genera Hist. l. IX. Primum Syrium cap. 10. cujus radix irino unguento additur ob suaveolentiam, secatur per messem, validiore tamen semine. Ego ex spatha, myrrha, oleo, iride tantum unguentum id parari reperio. Quinque alia genera cap. 12. referuntur, tria suis nominibus Cheironium, Asclepium, Heracleum: duo nulla certa appellatione, præterquam panacis his verbis: 'Sunt autem aliæ quædam panaces, una folio tenui, altera lato. Vires eædem ad ciendos menses cum farina illitis, et ulcera tam putrida, quam alia.' Syriacum ego smyrinium esse puto, quod in Amano monte plurimum gignitur, et pro myrrha, quæ in confectionem irini unguenti requiritur, substitui potest, auctore Diosc. alia vero

duo, quæ nomine suo non appellavit, ligusticum et origanum silvestre. Cap. sequenti Achillæam sideritin etiam vocatam fuisse panacem Heracleon Plinius scribit. Ligusticum panacem etiam dictum fuisse et origanum silvestre Dioscor. testatur. *Id.*

Quoniam is filiam Panaciam appellavit] Scribe, *qui filiam Panaciam appellavit*, ex codice antiquo. Et paulo post, *ubi et quonam fieret modo.* Pint.

Succus coactus ferulæ] Lege, *Succus ex eo cogitur, ut et ferula, qualem diximus, &c.* Ex inciso ferulæ caule sagapænum fieri Diosc. monstrat l. III. Potest etiam lectio retineri: quandoquidem XII. 26. panacem esse ferulam sui generis tradit, si legamus, *appellavit. Opoponax succus est coactus ferulæ, &c.* notando tamen errore Plinii, qui ex Asclepii panace fieri tradat opopanacem, cum is fiat ex heracleo. *Dalec.*

Scrobem repleri vario genere, &c.] Placenta mellita ex omni genere frugum. Theoph. Hist. IX. 9. τῇ παγκαρπίᾳ μελιττούτῃ. *Idem.*

Ubi et quo fieret modo] Voss. *et quonam.* Lege, *Ubi et quonam fieret modo.* Gronov.

Heraclion vocant] Plutarchus medicinæ peritum fuisse Herculem tradit. Itaque quod apud Euripidem legitur, Alcestin, quæ pro Admeto mortem obierat, ab eo cum morte luctato per vim ereptam, et ad maritum reductam fuisse, sic intelligendum: cum graviter ægrotans, et ferme desperata illa esset, medendi arte, qua excellebat, ab Hercule curatam, reddita pristina valetudine. *Muretus* Var. VIII. 23.

Centaurion] Centaurii magni radicem panacem vocari Dioscor. inquit, quoniam omnibus fere morbis succurrit. *Dalec.*

Vinoque gratiam adjicit] Apud Dioscoridem de centaurii radice hæc leguntur, ῥίζα παχεῖα, στεῤῥὴ, βαρεῖα, περὶ πήχεις δύο μεστὴ χύλου, μετὰ ποσῆς στύψεως καὶ γλυκύτητος, ὑπέρυθρος. Anagnostas et prælectores Plinii suspicor legisse, μετὰ ποτῶν, aut ποτοῦ, non animadversis quæ sequuntur, et inde natam erroris occasionem, ut vino gratiam adjicere interpretarentur. *Idem.*

Et ipsum ab Hercule inventum est] Hæc est sideritis Heraclea posterior Crateuæ, non prior, quæ folium quercus habet. *Idem.*

Inter vites] Vitis nigra, XXIII. 1. *Id.*

De herba] Argemo, XXIV. 19. vel parthenio secundo, XXII. 17. *Idem.*

Quæ Apollinaris, apud Arabas altercum, &c.] Omissa hic puto a librariis duo verba, *apud nos*, ut sit, *quæ Apollinaris apud nos, apud Arabas altercum, &c.* ex Dioscoride lib. IV. cap. de herba Apollinari. *Pintian.*

Sive altercangenum] Non agnoscit hæc verba antiquus codex. *Idem.*

Vulgare autem candidius est et fruticosius, altius papavere. Tertii semen, irionis semini simile] Verba hæc, corrupto, ut puto, ordine concepta, sic scribo: *Vulgare autem candidius est et fruticosius altero papaveris semine. Tertii semen irionis simile*, e Dioscoride eodem libro et capite. Et in archetypo nostro *alterius*, non *altius*, legitur. *Pintian.* *Vulgare autem candidius est et fruticosius*] Dodonæus legit: *Vulgare autem fruticosius est, et altius papavere, &c.* Ego nihil deleo, candidiusque dici puto, quod semen minus nigrum sit. *Dalec.*

Febrem depelli] Hepialon, tribus vel quatuor potis. *Idem.*

CAP. V. *De linozoste, parthenio, Hermupoa, sive potius Mercuriali, et Achilleo, et panace heracleo, sideriti, millefolio, et de scopa regia, et hemionio, teucrio, splenio, et melampodio sive elleboro, quatuor eorum genera, et de nigro elleboro et albo medicinæ, et quando detur, et quomodo sumendum, et quibus non dandum, et quod mures necet.*

Hermupoam] Ἑρμοῦ βοτάνιον, Dios-

corid. *Dalec.*

Contortoque] Parvo, rotundo, duorum testiculorum figura. *Idem.*

Hippocrates] Libris de natura mulierum, de mulierum morbis, et de sterilibus. *Idem.*

Medicorum nemo novit] Plinius hac in re se parum medicinæ peritum ostendit, qui pessorum ad ejusmodi mala utilium confectionem ignoraverit. *Idem.*

Vulvæ] Mulierum suffocanti. *Id.*

Epiphoris] Fluxionibus in ventrem. *Idem.*

Ungula] Pede suis salso, qui sua salsugine alvum irritat. *Idem.*

Gallinaceo] Nempe veteri, cujus jusculum alvum subducit. *Idem.*

Aliqui et hanc panacem] Prima Achillea Plinii, eadem est Diosc. Secunda, myriophyllon Diosc. Tertia, sideritis Heraclea prima Diosc. Quarta et quinta, sideritis Heraclea Cratevæ, et tertia Dioscoridis. Sexta, sideritis secunda Diosc. *Idem.*

Alii quadrato caule capitibus marrubii folio quercus] Voss. *capitelis marrubii foliis quercus.* Lege, *capitulis.* XXVII. 9. 'In cacumine capitula sunt echinata spinis.' Ejusdem c. 11. 'Capitula sunt in summo caule tenuia.' *Gron.*

Medetur anginis suum] In antiquo codice *succus*, non *suum.* Pintian.

Teucrion] Teucrion chamædryn quoque vocari Diosc. ait: asplenon vero hemionium. *Dalec.*

Pasto illo animadvertentem] Theophrastus id animadversum tradit in ovibus quæ veratrum gustassent. *Id.*

Sanasse Prætidas furentes] Atra bile percitas. Vide XI. 37. Apud Sextum Empiricum lib. IV. Pyrrhonion Polyanthus Cyrenæus ab Æsculapio curatas fuisse ait, non a Melampode, ut Eudoxus apud Stephanum scribit. Vide Ovid. ult. Met. Vitruvium III. 8. Politian. Miscell. cap. 60. *Idem.*

Alii folia nigri platani similia] Voss. *nigra platano.* Scribe, *Alii folia nigræ platano similia.* Gronov.

Circa Pyram] Pyra, sive rogus, locus est in montis vertice, in quo sacrificantem Herculem arsisse ferunt, cum impatientia doloris victus in accensam lignorum struem se projecit. *Dalec.*

Parnassium] Parnassicus et Ætolicus, quos vendentes et ementes multi discernere nesciunt, duri sunt, perquam rugosi et flaccidi. Theophr. *Idem.*

Quo et domos suffiunt] Καθαίρουσι δὲ καὶ ὗας αὐτῷ, καὶ πρόβατα, συνεπᾴδοντές τινα ἐπῳδήν. Theophr. *Eo purgant et sues et oves, carmen quoddam occinentes.* Idem.

Carneadem responsurum] Valer. VIII. 7. de Chrysippo idem scribit. Petronius in Satyra: 'Chrysippus,' inquit, 'ut ad inventionem sufficeret, ter elleboro animum detersit.' *Idem.*

Optimates vero bellum Marsicum imputavere] Nostrum exemplar *importavere*, non *imputavere.* Cæterum verba hæc: *cui ante omnes plebs astans plausit, optimates vero bellum Marsicum imputavere*, non puto esse Pliniana; aliena enim videntur ab ipsa re de qua agitur. *Pintian.*

Amboque somnum] Nec verum id, nec verisimile. Lego, *somnum discutiunt.* Dalec.

Ac velut decurtata] Id est, quod Antylus et Posidonius apud Aëtium præcipiunt, veratri deligendas esse radices parvas, sive tenues, sed plenas, non rugosas, nec in acutum instar caudæ muris desinentes. *Idem.*

Acu in longitudinem findebant] *Forficula*, non *acu*, legendum esse Plinius ipse ostendit non multo post. *Pintian.*

Ramulos ipsos] Radicum fibras. *Dalec.*

Pulverem emittit] Fumosum saporem. Aëtius ex Antylo. Pulvis evanidam vetustatem indicat, quamvis Dioscorides tale probet. *Idem.*

Surculo per aurem trajecto] Idem de radice consiliginis traditur XXVI. 6. *Idem.*

Scabiem quadrupedum cum thure aut cera ac pice, vel cum pisselæo] Scribe, ut ante monui, *cedrelæo*. Dioscorides lib. IV. 'Scabiem sanat illitum cum thure, aut cera, et pice, et cedrino oleo.' *Pintian.*

Balinearum dispensatione] Hippocr. Aphorism. IV. 13. 14. 15. humectari prius corpora eorum jubet, qui veratro non facile purgantur; quod optime fit balneo, quiete, pleniore cibo. Balneum etiam prodest in convulsione ab elleboro excitata, cujus meminit Hippocr. Aph. v. 1. Balneum etiam sumpto veratro tardiorem vomitum accelerat. Paulus. *Dalec.*

Qui elleborum fortissimi ducis similitudine æquabat] Similior veræ lectio est, *qui elleborum fortissimo duci similitudine æquabat*, quanquam suspicor verbum *similitudine* adjectitium esse. *Pintian.*

Incisum forficulis] Tot modis sumitur veratrum album. 1. Radicula tota nocte confixa ejus festucis ad drach. VI. postridie sumitur ex oxymelite. 2. Infusum in hemina aquæ pluviæ drach. VI. citra decoctionem, post triduum bibitur. 3. Decoctum lib. I. in duobus sextariis aquæ additis mellis lib. II. percoctum, ad cochlear magnum lingitur. 4. Segmenta minutim forfice concisa, furfuris magnitudine, ad drach. XI. dantur cum alica, ptissana, hydromelite calidis. 5. Pulvis crassiusculus sorbetur cum cremore Ptissanæ, ad drach. I. 6. Pulvis tenuissimus ad drach. VI. cum melle formatis catapotiis devoratur. Antylus et Posidonius apud Aëtium. *Dalec.*

Cibis acribus] Esu radiculæ cum oxymelite. *Idem.*

Vomitionibus] Levioribus Galen. comment. Aph. IV. 13. *Idem.*

Dissectis raphanis] Arundine compunctis. Aëtius. *Idem.*

Rursusque comprimere raphanos] Antylus apud Paulum raphanos comedendos ex oxymelite dat. *Idem.*

Elephantiæ albæ] Dioscor. 'Elephantiæ, leucæ, lepris,' &c. Plinius homonymia vocis λευκὴ deceptus est. *Idem.*

Teneris] Molli habitu corporis præditis, qui causarum violentia facile offenduntur. *Idem.*

Præcordiis] Intestinæ vel renes, aut aliæ partes sub hypochondriis sitæ, ut ventriculus. *Idem.*

Minimeve sanguinem excreantibus] Particula *ve* redundat ex codice antiquo. Sensus enim est minime dandum esse sanguinem excreantibus. *Pintian.*

Elleboro tingunt] Iidem et limeo, XXVII. 11. *Dalec.*

CAP. VI. *De Mithridatio et scordoti sive scordio, et polemonia, et philetæria, vel chiliodynama, et eupatoria, et centaurea sive chironia, et de lepto centaureo libadio, felle terræ, et triorche medicinæ.*

Ipsi Mithridati Cratevas adscripsit unam Mithridation vocatam] Aliter in nostro exemplari: *Ipsi Mithridati Cratevas adscripsit, quam Mithridation vocant:* scribo *vocat*, non *vocant*, ut mox paulo liquet. *Pintian.*

Mithridation vocatam] Hanc a se repertam describit Anguillata lib. XL. *Dalec.*

Est et alterius generis] Gallitrichum Officinarum. *Idem.*

Cannabis per ambitum incisis] Açad. *Cannabis et pertevitabiles incisis.* Gud. *Cannabis pertomitabiles;* ut et Andegav. Menap. *Cannabis pertenutabilis.* Vossianus, *cannabis pertemitalis incisis.* Forte, *per extremitates incisis.* Gronov.

Quinque partito] Vel amplius. Dioscor. Diligentiores et doctiores herbarii in Dioscoridis Pliniique historia non abs re hærent, quonam pacto in agrimonia vulgari folium observari possit, ut monstrat historia, cannabi, vel pentaphyllo simile, et pariter ut in illa utraque planta, in quinque partes vel etiam plures diffissum, cum

agrimoniæ folium unicum sit, ac simpliciter porrectum, nisi forte existimemus in Græcia plantam hanc folia mittere illo modo divisa, ut multarum speciem figuramque videmus pro loci diversitate mutari. *Dalec.*

Geniculati] Falsum id est, nec ab aliis auctoribus proditum. *Idem.*

Seu papaverum] Non quidem iis natura similia, sed magnitudine pari. *Idem.*

Et in Alpibus vero plurimisque aliis locis: quidam et ex ea Lycium faciunt] Scribo: *et in Alpibus plurimisque aliis locis. In Lycia quidem et ex ea Lycium faciunt*, tum ex vetusto exemplari, tum ex Dioscoride lib. III. cap. de centaurio majore: 'Abundat,' inquit, 'in Lycia, Peloponneso, Elide, Arcadia et Messene.' Et mox: 'In Lycia succum ex ea exprimunt, et pro Lycio utuntur.' *Pintian.*

Medetur et ovium morbis decoctæ succus] Hermolaus *omnium* legit, non *ovium*. Marcellus Dioscoridis interpres priorem lectionem contra Hermolaum defendit. Ego neutram probo; sed pro duobus illis verbis *et omnium*, reponendum puto, *eisdem omnibus*; nam et codex scriptus *obvius* habet, non *omnium*, aut *ovium*. Dictionem vero *morbis* adjectitiam puto. Dioscorides lib. III. cap. de centaureo majore: 'Ruptis utilis centaurii radix est, convulsis itidem, laterum doloribus, spiritus angustiis, antiquæ tussi, cruenta expuentibus. Si febris absit, cum vino; in febri vero cum aqua, daturque drachmarum duarum pondere,' &c. Et mox statim: 'Potest eadem et succus.' *Idem.*

Succus e fronde] Succus fit ex herba frondosa, id est, virenti, et semine gravida ante autumnum. *Dalec.*

Exacon] Ἀπὸ τοῦ ἀκεῖσθαι, *a medendo.* Idem.

Tertia est centauris] Hanc Plinius somniavit, et inepte *triorchen* vocavit, iis tributis quæ de centaurio magno scripsit Theophrast. *Idem.*

Hæc succum sanguineum mittit] Quidam centaurida esse volunt plantam quam officinæ vocant *sanguinem draconis*, sanguineo succo turgentem. Alii centaurium magnum a Theophrasto significari putant, quoniam radix natura rubescens mansa et trita rubrum succum, aut potius phœniceum, reddit. In hac opinione fuit Gesnerus libro de Avibus cap. de Triorche. *Idem.*

CAP. VII. *De clymeno, et gentiana, et lysimachia, et parthenide, et artemisia, et ambrosia, et nymphæa, et heraclio, et euphorbia medicinæ.*

Sine odore] Falsum id est, nec ab alio proditum. Dioscorides acerrimum nidorem suffitu reddere scribit, qui ideo muscas interficiat, et serpentes fuget. *Idem.*

Sunt qui ab Artemide] *Sunt qui ab Artemidea* potiorem lectionem duco. *Pintian.* *Sunt qui ab Artemide Ilithyia*] Solenne autem erat Græcis fœminis in partu Artemidem Ilithyam invocare, quemadmodum Romanæ Junonem Lucinam implorabant. Intelligendum igitur ab obstetrice Artemide, hoc est, Diana, denominatam herbam, non a venatrice. *Gelen.*

Est autem absinthii modo fruticosa, majoribus foliis pinguibusque. Ipsius duo genera: altera latioribus foliis; altera tenera tenuioribus, et non nisi in maritimis nascens] Multa hoc in loco, ut conjicio, vitia delitescebant. Primum non *pinguibus* legendum arbitror, sed *pinguioribus*. Deinde verbum *tenera* putamus redundare. Legendum item, *nonnunquam in maritimis nascens*. Postremo verborum ordinem mutandum censemus, ut in universum scribatur sic: *Est autem absinthii modo fruticosa, majoribus foliis pinguioribusque, et nonnunquam in maritimis nascens. Ipsius duo genera: altera latioribus foliis, altera tenuioribus.* Dioscorides lib. IV. cap. de artemisia: 'In maritimis plerumque artemisia nascitur fruticosa herba absin-

thio similis: majora tamen et pinguiora habet folia. Estque in artemisiæ genere speciosior altera et pinguior, latioribus foliis et crassioribus ramulis. Altera tenuior, exiguo flore, tenui, candido, et graveolenti. Floret hæc æstate,' &c. quæ omnia videntur ad verbum ferme hic a Plinio desumpta. *Pintian.*

Quam quidam botryn] Cum artemisia botryn Plinius confundit, quoniam apud Græcos, ut Dioscoridem, legerat botryn a Cappadocibus etiam vocari tum ambrosiam, tum artemisiam. *Dalec.*

Talis in Cappadocia nascitur] Verbum *talis* non habetur in vetere codice. *Pintian.*

Bœoti Madon vocant] Scribo, *Bœotii Madonain vocant*, ex Theophrasto libi v. *Idem.*

Quam appellavit Euphorbiam medici sui nomine et fratris Musæ] In antiquo exemplari: *medici sui nomine: fratris fuit Musæ.* Lego, *frater is fuit Musæ.* Pintianus.

Medici sui nomine et fratris Musæ] Ab Hermolao est. Nostri quatuor, *medici sui fratris nomine et Musæ.* Optimus, *nomine fratris fuit Musæ.* Lego, *quam appellavit Euphorbiam medici sui nomine. Frater is fuit Musæ, a quo D. Augustum conservatum indicavimus.* Hoc quoque Pintianus. *Gronov.*

Frigida multa corpora adstringi] Aquæ frigidæ lotione, Marcellum adoptatum a Cæsare, Musam, cum curare vellet, occidisse, scribit Dion: non sine vulgi opinione, Liviam muliebriter ac impotenter infensam, quod ejus filiis anteferretur, eo genere mortis necandum curasse. *Dalec.*

In monte Atlante: spectatur foliis, &c.] Lege: *specie thursi, foliis acanthinis.* θύρσος et νάρθηξ idem. Reliqua sic lege: *Vis tanta est, ut e longinquo succus excipiatur incisus conto, subtus excipulo ventriculo hædino*; vel, *subdito excipulo, ventriculo hædino.* Ventriculus hœdinus excipuli vice subditur. *Excipulum*, ἐκδοχεῖον. Porro quæ sequuntur, ita legas: *humor lactis videtur defluens: siccatus cum coiit, thuris effigiem habet*: cum defluit, humor lactis videtur: ubi defluxit, et succatus coiit, thuri similis est. *Salmas.* p. 301. a.

Subditur excipulus ventriculo hædino] Scribendum videtur, *subditis excipulis e ventriculo hædino.* Dioscorides lib. III. cap. de euphorbio: 'Quem ob nimium ejus fervorem incolæ timentes colligunt, excipulas ex ovillis lotis ventriculis factas in arbore suspendentes, tum eminus supra excipulas illas hastilibus eam vulnerantes. Qua percussa statim veluti ex rupto vase aliquo copiosus prosilit in excipulas liquor.' *Pintian.*

Vertice inciso et medicamento addito. Ibi Getuli, qui legunt, hædino lacte adulterant] Legendum opinor *abdito*, potius quam *addito*, et adverbium *ibi*, cum minore litera scriptum, superioribus annectendum. Item *tedio* legitur in vetusto exemplari, non *hædino*. Id.

Discernitur igni] Πυρώσει, Dioscoridi, *ignea*, et urente acrimonia, diuque durante, adeo ut quicquid in os sumitur, euphorbium resipiat. Eum locum ineptissime vertit Plinius. *Dalec.*

Ex herba chamelæa] Ex chamelææ foliis recentibus tusis succus exprimi potest, quemadmodum et ex aliis permultis, sicut Dioscorides monstrat cap. de centaurio parvo; aut ex iisdem maceratis in aqua et decoctis: verum, quod legerim, præter Plinium alius nullus auctor id prodidit. Eum existimo voluisse id vertere, quod Dioscorides scribit, thymelææ farinam uvæ acerbæ succo excipi, et in pastillos digeri. *Idem.*

Etiam levi gustu os accensum diu detinens] In vetusto codice, *etiam levi gustu os accensu detinens.* Pintian.

CAP. VIII. *De plantagine, et buglosso,*

et cynoglosso, et buphthalmo, et Scythica, et hippice, et ischæmone, et vettonica, et Cantabrica, et consiligine, et hiberide, et chelidonia, et canaria, et elaphobosco, et dictamno, et aristolochia, et quod ejus delectatione advolant pisces, et statim capiuntur, et medicinæ contra serpentium ictus ex herbis, quas superius nominavit.

Celebravit et Themison medicus] In eodem *Themiso*, non *Themison*: recte, ut *Plato*, *Cicero*, terminatione Latina. *Idem.*

Linguæ pecorum simillimis] Unde nomen ἀρνογλώσσου. *Dalec.*

Et napi similis] Apud Diosc. est, καυλὸς δ' ἐπὶ τούτου γωνιώδης, κ. τ. λ. Suspicor auctoris scribas, quorum in his colligendis opera utebatur, legisse καυλὸς δὲ νάπυος τούτῳ γωνιώδης. Fortassis et apud herbarium Græcum, ex quo hæc sumpta sunt, legebatur καυλὸς δ' αἰπὺς τούτου, *caulis hujus procerus.* Idem.

Tres thyrsos] *Tres radices cum tribus vini cyathis, et aquæ totidem, tertianis auxiliari, quatuor quartanis, &c.* Hæc omnia quæ Dioscorides scripsit περὶ ἀρνογλώσσου, id est, *plantagine*, Plinius transtulit ad cynoglossum. *Idem.*

Est alia similis] Cynoglossos officinarum. *Idem.*

Scythia primum eam, &c.] Legend. *Scythia primum eam quæ Scythica vocatur, circa Mæotim nascens, prædulcem alias utilissimamque ad ea quæ asthmata vocant.* Et paulo post, *idem præstat apud eos Hippace sic dicta.* Salmas. p. 175. a. *Scythia primum eam, quæ Scythice vocatur circa Bœotiam nascens*] Scribo, *circa Mæotin*, non *circa Bœotiam*, ex Theophrasto IX. 13. 'Dulcis,' inquit, 'et Scythica. Et quidem nonnulli dulcem eam appellant. Nascitur apud Mæotin.' Dioscorides quoque in Cappadocia et Ponto propinquioribus locis Mæotidi plurimam nasci tradit lib. III. cap. de glycyrrhiza. *Pintian.*

Prædulcis. Aliam utilissimam ad ea quæ spasmata vocant] Apographon nostrum: *prædulcem alias, utilissimamque ad ea quæ sparmata vocant.* Scribendum puto, *prædulcem alias utilissimamque ideoque stomaticam vocant.* Plinius supra XXII. 9. de glycyrrhiza loquens; 'Ideo et commanducata stomatica est.' *Idem.*

Aliam utilissimam ad ea quæ spasmata, &c.] *Aliam*, scil. Scythicem. Certe in Indice Spartaniæ nulla fit mentio, ut jam nihil dubitem, divinatoris cujuspiam opera novam herbam hic subito enatam, Plinio ipse ne per somnum quidem cognitam. *Gelen.* *Aliam utilissimam*] De qua infra XXVII. 4. ult. *Dalec.*

Idem præstat apud eosdem hippice] Scribo *hippace*, non *hippice*, ex Theophrasto IX. 13. de glycyrrhiza enim disserens sic ait: 'Sitim quoque extinguit si teneatur in ore. Qua de causa tum ea, tum hippace dicta, Scythas XI. et XII. dies sitim tolerare affirmant.' 'Est porro hippace,' auctore Dioscoride lib. II. cap. de caseo, 'equinus caseus, viroso odore, egregie tamen nutriens, bubulo proportione respondens. Sunt qui equinum coagulum hippacen hanc esse dixerint.' Hæc Theophrasti et Dioscoridis verba impellunt me ut suspecta habeam illa quæ sequuntur: *dicta quod in equis quoque eundem effectum habeant.* Pintian.

Traduntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitique] Verba quæ paulo supra ex Theophrasto et Dioscoride attuli indicant dictionem illam *herbis* falso insertam esse. Neque enim hippace herba est, sed equinus caseus, aut coagulum equinum. *Idem.*

Semine purpureo] Semine in summis caulibus thymbræ modo spicatis, flore purpureo. Apud Dioscoridem ἐσταχυωμένων καυλῶν, non ἐσταχυωμένων σπέρμα. *Dalec.*

Folia siccantur, &c.] Plinius in fari-

nam siccari folia dixit, cum farina sit leguminum et cerealium tantum. Dioscorides simpliciter ait ξηραίνεσθαι. *Idem.*

Tuta existimetur a piaculis omnibus] *Pura*, non *tuta*, in vetusto exemplari: rectius. *Pintian.*

Cantabrica] Vulgo Cantabrorum, seu Navarorum, hodie *Escorzonera.* Dalec.

Ut in quibus etiamnum hodie in numeroso et lætiore convictu potionem e centum herbis mulso additis credidere saluberrimum] Scribo: *ut in quibus etiamnum hodie, in more sit lætiore convictu potionem centum herbis mulso additis credere saluberrimam*, ex vetusto exemplari: et statim *tantum*, non *tamen*, in eodem legas. *Pintian.*

Medica utilissima] Saisa, Dioscor. Hæc omnia Plin. ad verbum transcripsit e Damocrate. Damocratis iambici versus extant apud Gal. lib. x. κατὰ τόπους. *Dalec.*

Hæc enim hirundines, &c.] Id ridet Celsus vi. 6. Aristoteles vero iv. 6. de ortu animalium causam reddit: nempe eos renasci si pungantur ac evellantur, cum adhuc fiunt, non autem ubi perfecti fuerint. *Idem.*

Ut quidam volunt etiam erutis oculis] Postremum verbum redundare existimo; præcessit enim paulo ante. *Pintian.*

Albicans] Cæsius, ὑπόγλαυκος. *Dal.*

Eamque in nostro conspectu mandunt] Fabulosum id nimis credulus Plinius refert. Licet enim quotidie videre gramen a canibus rosum, et vomitu cum pituita rejectum. *Idem.*

Cervæ monstravere elaphoboscon, &c.] Ita ibi legendum et distinguendum: *Cervæ dictamnum ostendere, ut indicavimus vulneratæ, pastu statim decidentibus telis.* Legitur ibidem et alius locus æque vitiose; sic enim habet: *simplicius cervæ monstravere elaphoboscon de qua diximus; item seseli enixæ a partu.* Hæc battologia est: *enixæ a partu*, leg. *item helxinen a partu:* falsum est seseli cervas ostendisse a partu aut enixas: etenim ante partum, ut facilius eo defungerentur, id expetebant. *Salmas.* pag. 224.

Seseli] Seseli Romani veteres Sili vocaverunt: hinc 'Silatum' Festo jentaculum, quod jejuni vinum Sili conditum ante meridiem absorbebant. *Dalec.*

Dictamnum] Δικτὸν etiam vocat Nicander, ut interpretatur Zenodotus Mallotes. Partum mire adjuvat, εὐτοκίαν ποιεῖ. Quamobrem Ilithyiæ corona ex eo texebatur. Euphorion, στρεψαμένη θαλεροῖσι συνήρτετο δικταμνοῖσι. Rhod. xxviii. 24. Orpheus ψαφαρὸν vocat, id est, *cano velut situ obductum.* Idem.

Flos nullus ei, &c.] Apud Dioscoridem legendum: οὔτε ἄνθος, οὔτε καρπὸς συμφέρει. *Nullis morbis flos prodest, nullis semen.* Florere ostendunt hi versus Virgilii Æneid. xii. 'Dictamnum genetrix Cretæa carpit ab Ida, Puberibus caulem foliis, et flore comantem Purpureo: non illa feris incognita capris Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.' *Dalec.*

Radix tenuis ac supervacua] Partus accelerat Dioscoridi. Hæc fere omnia Theophr. ix. 16. Hist. *Idem.*

Inter nobilissimas, &c.] Lege: *Inter nobilissimas aristolochiæ nomen dedisse gravidæ videntur, quoniam est ἀρίστη λοχείαις*, vel ἀρίστη λοχοῖς. Vide Salmas. 717. a.

Nomen dedisse gravidæ videntur] Victorius vi. 3. quærit, nec abs re, quid sibi velit Cicero de Divinatione, lib. i. cum ait, Aristolochiam ad morsus serpentium posse, quæ ex inventore nomen reperit, inventor rem ipsam ex somnio. Canterus i. 14. tradit ex scholiaste Nicandri, Aristotelem scripsisse, herbam illam a muliere inventam. Idem et Brod. ii. 2. *Dalec.*

Unum tuberibus radicum] *Radicis*, non *radicum*, in antiquo exemplari; ut paulo post de plistolochia: *Den-*

sis radicis capillamentis. Pintian.

Tertium longissimæ tenuitatis vitis novellæ, cui sit præcipua vis, quæ clematis vocatur] Scribo: *Tertium longissimæ tenuitate vitis, cujus sit præcipua vis quæ clematitis vocatur;* tum ex eodem exemplari, tum ex Dioscoride lib. III. cap. de aristolochia 'clematitin' vocante, sicut aliud genus 'dactilitin,' non dactylium. *Idem.*

Desquamato terreno servantur] Derasa terra, qua sordidæ et obvolutæ extrahuntur. *Dalec.*

Mares figurat] Mirum et præstigiosum. Arthenogonon potu id præstat. *Idem.*

Semine pleuriticos et nervos confirmare] Quinque nostri: *pleuriticis et nervis.* Distingue: *Quæ polyrrhizos cognominatur, convulsis, contusis, ex alto præcipitatis, radice pota ex aqua, utilissima esse traditur; semine pleuriticis et nervis; confirmare, excalfacere, eadem satyrion esse;* sic enim et Voss. ut intelligas, 'traditur.' *Gronov.*

Eadem satyrion est] Inepte hoc Plinius. Quidam legunt: *Eadem Gaurion, quasi tenue et oblongum jaculum. Alii satyrion esse interpretantur, Venerem concitare.* Alii legendum putant, *eadem satyriasmo medetur.* Dalec.

Polemonia vel Philetæria] Opt. *fileteris.* Quatuor alii, *phileteris.* Scribe *philetæris.* Φιλεταιρὶς, ab eo qui regni Attalici fundamenta jecit. *Gronov.*

Cui vis tanta perhibetur] Scribo ex vetere codice, *cujus tanta perhibetur vis.* Pintian.

Ut inclusæ circulo, &c.] Nihil Dioscor. Mirum tamen id, et adnotandum. *Dalec.*

CAP. IX. *De argemonia, et agarico, et echio, et hyoscyamo, et hierabotane, et blattaria, et lemonia, et quinquefolio, et dauco, et persolata, et arcio, et cyclamino, et peucedano, omnia ad serpentium ictus.*

Tria genera ejus faciunt] Dioscorides unicum tantum facit. Plinius supra anemonem dixit et argemonem vocari, quamvis falso, XXI. 23. Secundum genus hoc est. Idem XXIV. 19. lappam canariam, cujus radix jucundum odorem thuri similem spirat, argemonem quoque nuncupari tradit. Hoc est tertium genus. Idem XXVI. 9. inguinariam etiam argemonem appellari testatur. Quartum id genus statui potest. *Idem.*

Datur obolis IIII. contritum] Scribendum, *Dantur oboli IIII. contrita:* et mox paulum *infirmum,* non *infirmius,* ex eodem. *Pintian.*

In Gallia nascitur] Galatis, Diosc. Plurimum certe in Alpibus Galliam ab Italia dividentibus nascitur. *Dalec.*

Echios] Lib. XXIV. c. 15. clematis echites dicitur, quod utilis sit viperarum et serpentium morsibus. At cum ea duplex sit, altera daphnoides, et ea rursum duplex, hæc floris purpurei, illa candidi, vel punicei, utraque folio coronis expetita, altera acerrimi gustus, per sepes et arbores repens; de duplici daphnoide intelligenda sunt hæc Plinii verba, non de altera, quam flammulam officinæ vocant. Potest et non absurde intelligi echios utriusque generis, clematis daphnoides sativa, et silvestris. Utraque enim passim reperitur. *Idem.*

Indicavimus] Lib. XXII. c. 2. Vide quæ ibi notata sunt. Dioscorides ad amuleta et purificationes sive expiationes adhiberi solemne fuisse tradit. *Idem.*

Hac Jovis mensa verritur] Jovis Dapalis, τοῦ εἰλαπινάστου, cui cubanti in lectulo, cum Junone et Minerva sedentibus in sellis, septemviri epulones sacram mensam extruebant in Capitolio, et apparatum convivii splendidum ac magnificum apponebant. Arnob. lib. II. Jovis Dapalis meminit etiam Cato de Re Rust. *Id.*

Utraque sortiuntur Galli] Vel sortes et oracula reddunt, vel judicia instituunt. Virgilius: 'Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes.' *Id.*

Lætiores convictus fieri] Id est, quod Plutarchus scribit initio Συμποσιακῶν· Οἱ μὲν οὖν τὰ βούγλωσσα καταμιγνῦντες εἰς τὸν οἶνον, καὶ τοῖς ἀποβρέγμασι τῶν περιστερεώνων, καὶ ἀδιάντων τὰ ἐδάφη ῥαίνοντες, κ. τ. λ. *Dalec.*

Blattas in se contrahit] *Blattas in semen trahit*, in codice veteri legitur; ut forte scribendum sit: *Blattas in semet trahit*. Pintian. *Blattas in se contrahit*] Idem scribit Dioscor. de verbasco silvestri. *Dalec.*

Lemonium succum, &c.] Vide supra XXII. 2. Plinius scolymum leimoniam vocari putavit, ac ideo de leimonio id scripsit. Vide quæ notata sunt c. 7. sequentis libri de silybo. Scolymum, cujus radix lacteo succo manat, et in cibos cruda coctaque recipitur, describit Anguillara lib. VIII. *Idem.*

Fraga gignendo commendetur] Incogitanter foliorum similitudine deceptus Plinius, cum pentaphyllo, quod edulem fructum nullum gignit, miscet herbam fraga ferentem, folio sane diversam a pentaphyllo, cum huic triplex tantum sit, pentaphyllo vero quincuplex. *Idem.*

Genera quatuor] Tria Dioscorid. Diocles vero libro de salubribus quartum addidit, nempe staphylinum. *Id.*

Probatissimæ in Creta] Scribo *probatissimi* ex eodem, et sequitur confestim, *et in siccis ubicumque nati.* Pintian.

In Creta] Theophrasto Hist. IX. 15. in agro Patrensi; at cap. 22. in agro Spartano Achaiæ. *Dalec.*

Tertium genus, &c.] Imo quartum. Vide XIX. 5. *Idem.*

Æstate sunt, &c.] Cum cœli fervor ad pabula viridia quadrupedes incitat. *Idem.*

Post abortus] Tum enim daucum edunt, ut secundas ejiciant. *Idem.*

Ex aliis usus seminis. Ex Creta radicis dulcis] Scribendum *Cretico*, non *Creta;* et dictio illa *dulcis* redundat ex eodem: recte. *Pintian.*

Ex Creta radicis dulcis et magis] Chiflet. et Voss. *ex Cretico radicis et magis.* Sed et Voss. *ad serpentes bibitur*, sine τῷ *est.* Scribe: *Ex aliis usus seminis, ex Cretico radicis est. Magis ad serpentes bibitur e vino drachma una.* Acad. et Gud. *Ex creta ducis et magis.* And. et Men. *Ex creta dulcis et magis.* Gronov.

Cuicunque admota fuerit feræ et hæc, &c.] Sensus est, eam vim huic quoque therionarcæ inesse, quam magicæ illi supra memoratæ, unde et nomen utrique commune, θηριονάρκη, ac si dicas, *feræ torpor.* Gelen.

Persolata] Officinarum petasites Matthiolo; tamen hæc descriptio prorsus eadem est cum historia persolatæ apud Dioscor. Hoc ipso capite de hac jam Plinius tractaverat. Vide XXI. 33. *Dalec.*

Amuletum vocant] Græcis περίαπτον, sive φυλακτήριον et ἀμυντήριον. Amuleta Varroni de Lingua Latina lib. VI. et Festo, 'prœbia,' vel ut Scaliger acute correxit, 'prœbra' dicuntur, quemadmodum inebras aves nominarunt, quod prohibeant ne quid noceat. Amuletum fascinus pueris fuit; turpicula res, ut ait Varro, nempe imago pudendi virilis appensa collo: unde Plauto præfiscini, bono omine, ἀβασκάντως. In Aulul. 'sequere hac ergo Præfiscini,' &c. Bonis avibus. Titinnius in Setina: 'Paula mea, amabo, pol tu ad laudem addito præfiscini, Ne puella fascinetur.' Græci, amuleta etiam βασκάνια nominarunt, et ἀλεξίφθορα. Pro amuleto Satyrica signa in hortis ponuntur supra XIX. 4. Vide XI. 4. 28. ult. 36. 49. *Idem.*

In umbra] Servandum; nam in sole evanescit. Dioscor. *Idem.*

Caulis est ei tenuis] Voss. *Caulis et tenuis.* Alii omnes, *Caulis est tenuis.* Fuit ab auctore, *Caulis ei tenuis.* Gronov.

CAP. X. *De ebulo, et verbasco, et thelyphono, et contra scorpionum ictus, et rubetarum, et canum morsus, et*

generaliter contra omne venenum.

Thelyphonon] Aconitum pardalianches. Vide c. alterum lib. XXVII. *Dalec.*

Omnem quadrupedem necat] Fœminam atque adeo mulieres. Idem de Aride XXIV. 16. *Idem.*

Aliqui neurada appellant] Vide ejusdem luculentam historiam XXVII. 12. *Idem.*

Bene olentibus] Fructus quidem bene olet, non radix. *Idem.*

Radice nulla] Apud Theophrast. Hist. IX. 21. legitur *ῥίζα δ' οὐχ ὕπεστιν.* Alii *ῥίζα δὲ μικρὰ ὕπεστιν.* Gaza, *Radix nulla vel minima subest*, quasi legendum putasset, *ῥίζα δ' ἥκιστη.* quod probo. *Idem.*

Similiter ea, &c.] *Similiter ea, quam eucleam vocant, tradi. Namque ea, &c.* ex Theophrasto. Εὔπλοιαν Plinius, si corruptus locus non est, pro *εὐκλείαν* legit. Est autem *εὔπλοια fœlix et prospera navigatio.* Homerus Iliad. I. Εἰ *δέ κεν εὐπλοίην δώῃ κλυτὸς Ἐννοσίγαιος, Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.* De quibus Homeri verbis Victorius VI. 9. et Muret. Var. cap. 69. *Idem.*

Pericarpum] Pericarpum ob id dicitur, quod fructus undique caulem cingat et ambiat. *Idem.*

Cortice rubro alterum] Pancratium Officinarum. *Idem.*

Nigro papaveri simile] Meo judicio, vomitorium, radicis nigro cortice. Dioscorid. De rubris sive ruffis vide XX. 9. *Idem.*

CAP. XI. *Remedia ad capitis vitia.*

Polytricha distat a callitricha] Lege, *Polythrix distat a Callitricha quod juncos albos habet, &c.* Et paulo post legas: *Fit ex callitriche sternutamentum. Folia sunt lenticulæ similia, &c.* Sic *adianthum* proprie *πολύτριχον*: *trichomanes* antem *καλλίτριχον.* Vide Salmas. 1294. a.

Veratri radix] Verare, vera dicere. Ennius: 'satin' vates verant ætate in agunda?' Inde verator et veratrix. Apud Sueton. in Vitellio, 'veraculus,' pro quo legitur perperam 'vernaculus.' 'Nullis tamen infestior, quam veraculis,' inquit, 'et mathematicis.' Alii legunt 'vericolis,' qua forma Juvenal. 'cœlicolas' Judæos appellat, quia 'Nil præter nubes et cœli lumen adorant.' Et quoniam veratores pro insanis habuerunt, veratrum inde dictum quod insaniam et amentiam curet. *Scalig.*

Margaritis minutis simile] Aliter hæc Plinius recitat, quam Dioscorid. *Dalec.*

Fit et ex callitriche, &c.] Hæc omnia de trichomane Dioscorides, præter saporis fervorem. Fortassis Plinius, ut aliquando *δριμὺ* vertit *acerbum*, sic *στρυφνὸν acre* et *fervens* reddidit inconsiderate. Genus tenuissimum nasturtii aquatici esse volunt, nascentis in humidis et umbrosis sepibus. *Id.*

Folia sunt lenticulæ similia] Postremum verbum non agnoscit exemplar nostrum. *Pintian.*

Caules juncis tenuissimis] Lego *Caules junci tenuis similes*, ex eodem. *Idem.*

Habet enim folia porri] Apud Dioscoridem legendum: *λογχῖτις φύλλα ἔχει πράσῳ κάρτα ὅμοια, πλατύτερα δὲ καὶ ὑπέρυθρα, πλεκτά*, non *πλεῖστα.* sunt enim, ut in arundine, polygonato, et porro, circa caulem in orbem advoluta, sed numero pauca: quod etiam monstrant hæc quæ sequuntur verba, *ἔχει δὲ καὶ περὶ τὸν καυλὸν ὀλίγα. Dalec.*

Fimbriatæ] Gethii modo fibratæ. Theophrast. Hist. VII. 11. *Idem.*

Serpentis] Leg. *Carpentis, si agitati currus pondere obtrita sint ossa.* Idem.

Canino capiti] Coronopo. Dioscor. Plinius fortassis legit *κύνωπι.* Orpheus in Argonauticis *ψύλλιον ἀειδὲς* vocat, tanquam herbam turpem et deformem aspectu. *Idem.*

Ad cætera illinitur, &c.] Cornarius: *Ad cætera illinitur. Acetabuli mensura in sextario aquæ denseat se ac contra-*

hit. Tunc terere, &c. Ego vero lego: *Ad cætera cum illinitur, acetabuli mensura sextario aquæ maceratum densatur, ac contrahitur. Tunc terere, &c.* Dalec.

Crassitudinem] Aquam quæ concrevit, Dioscorid. vulgo mucilaginem. *Idem.*

Thysselium est, &c.] Eam describit Dodonæus VI. 46. nomine hydroselini. *Idem.*

CAP. XII. *De centaureo, et chelidonia, et panace, et hyoscyamo, et euphorbio, ad oculorum vitia.*

Culices] Visa suffusionis incipientis, cum ægri putant oculis muscas et culices obvolitare. *Idem.*

Pro meconio miscent] Lege, *cum meconio.* Apud Dioscoridem quoque legendum, μετὰ μηκωνίου, non ἀντὶ μηκωνίου. *Idem.*

CAP. XIII. *De anagallide sive corchoro, et mandragora sive circeio, et cicuta, et crethmo agrio, et molybdæna, et capno, et acoro, et iride, et cotyledone, et æizoo, et andrachne, et erigero, et de ephemero, et de labro Veneris, et de ranunculo, ad oculorum, aurium, narium, dentium, orisque vitia medicinæ.*

Corchoron vocant] Aliud est corchorus, Alexandrinum olus, descriptum XXI. 32. *Idem.*

De Euphorbio satis dictum est. Cujus succus lippitudini, si tumor erit. Item absinthium cum melle tritum. Itemque Vettonicæ farina conveniet] Aliter in veteri codice: *De Euphorbii succo satis dictum est. Lippitudini si tumor erit absinthium cum melle tritum. Item cum vettonicæ farina conveniet.* Pintian.

Mandragoram alii circeium vocant] Scribo *Circæam*, cum diphthongo *æ* in secunda syllaba, ex Dioscoride lib. IV. cap. de mandragora. *Idem.*

Hirsutis et caulibus] *Densis*, δασέσι, *sine caulibus*, Dioscor. Vet. codex, *æqualibus.* Neutra Mandragora caulem habet. *Dalec.*

Concisa quoque in orbiculos, &c.] Concisam in *pastillos*, τροχίσκους, musto excipi involvique, ac in fumo suspendi, scribit Theophrastus. Plinius apud Dioscoridem sive Cratevam legit, καὶ δευθεὶς οἴνῳ, non, ut in exemplaribus Diosc. διαβληθεὶς λίνῳ. *Idem.*

Radicis et mali gravior] De radicis odore nihil Dioscor. At utriusque mala εὐώδη esse is scribit, odoratu suavia cum quadam gravitate. *Idem.*

Nimio tamen odore obmutescunt ignari] Postrema dictio otiosa est, nullumque usum præstat, ex Dioscoride lib. IV. cap. de mandragora. *Pintian.*

Vis somnifica] Inde proverbium Luciano: ὑπὸ μανδραγόρᾳ καθεύδειν. Demosthenes Philippica quarta: ἀλλ' οὐδ' ἀνεγερθῆναι δυνάμεθα, ἀλλὰ μανδραγόραν πεπωκόσι, ἤτοι φάρμακον ἄλλο τοιοῦτον ἐοίκαμεν ἀνθρώποις. Rhod. XVII. 24. *Dalec.*

Bibitur et contra serpentes et ante sectiones punctionesque, ne sentiantur] Scribendum puto *ustiones*, non *punctiones*, ex Dioscoride lib. IV. 'Dantur,' inquit, 'ex eo terni cyathi his qui secari aut uri debent.' Astruit idem Serapio. *Pintian.*

Bibitur et pro elleboro] Succus duobus obolis ex mulso potus, ut veratrum, vomitione atram bilem pituitamque educit: largiore potu interficit. Diosc. Vide Theophrast. IX. 10. *Dalec.*

Pæna invisa] Apud Massilienses et Ceos, venenum cicuta temperatum publico custoditur, idque datur iis qui justas caussas exhibent, propter quas mors sit expetenda. Sunt autem fere nimis adversæ fortunæ ærumnæ, vel prosperæ blanditiæ: idque ne vel illa perseveret, vel hæc destituat. Valerius II. 6. Menander apud Strab. lib. IX. καλὸν Κείων τὸ νόμιμόν ἐστι Φανία, Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς. Brod. II. 27. *Idem.*

Estur a plerisque et in patinis] Esu

ticutæ, quæ apii hortensis specie incautum fefellerat, ego quendam novi ad extremum usque vitæ dementem factum. *Idem.*

Quæ si enecat] In veteri codice: *sic et necat.* Quid si legas, *quos enecat?* Pintian.

Hæc altera vis] Eadem prorsus vis est, quam supra dixit, refrigeratoriam. *Dalec.*

Ad resolvenda, &c.] Id est, ad exolvendam medicamentorum acrium vim, usus est illius aqua dissoluti, ut opii. *Idem.*

Collyriis] Quæ dolorem leniunt. Dioscorid. *Idem.*

Maxima vis natæ, &c.] Cornarius legendum putat, *Maxima vis natæ finibus Parthorum:* quoniam Susa fuerit urbs non Parthiæ, sed media inter Persiam et Babyloniam. Theophrastus tamen Hist. IX. 17. Thrasyam Mantinensem ex Susis cicutam prætulisse omnibus tradit ad venenum conficiendum, atque Homeri testimonio Susis et in locis frigidis optimam esse. *Idem.*

Mox Laconicæ, Creticæ, Asiaticæ] *Assyriacæ* in vetusto exemplari, non *Asiaticæ:* neutra lectio placet. Veræ propior est, *ac Ciliss*, ex Diosc. IV. *Pintian.*

Gramias] Τὰς γλήμας, *glamas*, Festus vocat. *Dalec.*

Molybdæna] Vulgo dipsacus secundus, capite rotundo. *Idem.*

Capnos prima] Aristolochia rotunda Fuschii. *Idem.*

Qui oxymyrsinæ radicem acaron vocent] Legendum videtur *acoron*, non *acaron*. Eadem menda post paulo corrigenda. Scriptus tamen codex non *acaron agrion*, aut *acaron*, habet, sed *acarion;* ut sit sensus: quosdam, ad differentiam inter herbam et radicem, malle radicem *acorion* appellare, forma diminutiva. *Pintian.*

Ut coxendices] Acetabulum, oxybaphon. Dioscor. *Dalec.*

Oculis medetur succo] Φίμοις, non ὀφθαλμοῖς. Dioscor. *Idem.*

Sordidis foliis] Pinguibus. Diosc. λιπαροῖς, non ῥυπαροῖς. *Idem.*

Usus ejus ad eadem, &c.] Legend. *usus ad eadem quæ majoris aizoi. Duo genera, majus in fictilibus vasculis seritur.* Vide Salmas. p. 705. b.

Sedum magnum] Sedum, inquit Festus, alii sadum appellant, herbam, quam Opilius Aurelius sesuvium vocari ait, eamque in tegulis seri, nec quamobrem id fiat indicat. *Dalec.*

Omnium harum vis eadem] Priorum quidem duarum, sed non tertiæ, quæ calfacit, acris est, exulcerat. *Idem.*

Strigili calefactus infunditur] Τῷ ὠτεγχύτῃ. *Idem.*

Caput ejus numerosa] Flos luteus celeriter divisus in pappos abit, Diosc. Locum eum Plinius infeliciter expressit. *Idem.*

Spinæ] Acanthi vocabulo polysemo deceptus est Plinius. *Idem.*

Alii roboris] Ex illorum judicio supra cum trixagine sive chamædry comparavit. *Idem.*

Alterum genus facerent] Majus id est toto habitu, latioribus foliis, nigrioribus, contactu pinguibus, perinde ac si melle oblita forent: frequens nascitur in Allobrogum planitie subjecta castro dominorum de Brixieu. *Idem.*

In flumine nascentem] Falsum hoc, et a nemine proditum. Herba quidem alarum cavo sinu aquam pluviam continet, sed in fluviis minime gignitur. *Idem.*

Ad lepras] Ὄνυχας λεπροὺς, Dioscorid. *scabros ungues.* Idem.

Omnibus miscent] Hoc falsum, nihil Diosc. Quidam legunt *medicaminibus.* Idem.

Commanducata diutius] Apud Dioscoridem προσαπτομένη, *appensa.* Ex hoc loco restituenda litera Dioscoridis, et legendum προσμασσομένη, quod est longe aptius. *Idem.*

Creduntque ea rursus, &c.] Idem proditur de iride XXI. 20. de siderite

et artemisia XXVI. 5. *Idem.*

Naribus utilissimum est, &c.] Polypo, vel ozæna vexatis, et obsessis. *Idem.*

Stigmata in facie mandragora illita delet] *Mandragoras illitus* genere masculino, in scripto codice. Sic supra hoc ipso capite: 'Aliqui et mandragora utebantur. Postea abdicatus in hac curatione est.' Et paulo post: 'Mandragoram alii Circæum vocant. Duo ejus genera: candidus, qui et mas; niger, quæ fœmina existimatur.' *Pintian.*

Mandragora illita delet] Si principio statim imponatur. *Dalec.*

LIBER XXVI.

PROŒM. *Reliquæ per membrorum genera medicinæ, et de novis morbis, et lichenes quid sint, et quando primum in Italia cœperint, et de carbunculo, et de elephanthiasi, et colo.*

CAP. I.

Q. Lecanius Bassus] Hujus mentionem facit Dioscorid. in Præfatione: *ἡ τοῦ κρατίστου Λεκανίου Βάσσου πρὸς σὲ διάθεσις, ἣν ἔγνωμεν συνδιάγοντες ὑμῖν, δεῖγμα οὐ σμικρὸν τῆς ἐν σοὶ καλοκαγαθίας.* Hinc colligunt quidam non potuisse Plinium e Dioscoride suas de plantis historias describere, cum eodem seculo uterque floruerit, et ingenii sui monumenta reliquerit. Hæc Joannes Baptista Persii interpres. *Dalec.*

Inscitia sectus] Vel execta parte corporis aliqua, cui malum successit, meo judicio gangræna; vel malo jam orto ab ignaro medico discissa parte ægra, cum tanta profusione sanguinis, vel ob dolorem cum humoris affluxu tanto, ut pars emortua sit. *Idem.*

Hic vero pollice lævæ manus evulso, acu a semetipso, tam parvo vulnere, ut vix cerni posset] Verior lectio nostri exemplaris: *hic vero pollice lævæ manus evulso acu a semetipso, tam parvo ut vix cerni posset;* nam verbum illud *vulnere* redundat ex eodem. *Pintian.*

Nascitur in occultissimis, &c.] Cancrum hæc potius ostendunt, quam carbunculum. *Dalec.*

Duritia rubens varicis modo] Recentior lectio non *varicis modo* præfert, sed *variis modis:* apographon nostrum, *varii modo:* scribo, *vari modo,* et statim *tendens* in eodem, non *intendens.* Pintian.

Sine dolore] Hoc parum credibile, nisi venenata materia extincto statim nativo calore, sensum quoque ejus extingueret, et gangrænam afferret: gangrænam enim *σφακελόδη* hæc signa declarant, non *ἄνθρακα.* *Dalec.*

Aliquando et horrorem afferens, circaque pustulas parvas, rarius febrem] Verba illa, *circaque pustulas parvas,* et depravata et falso hic inserta videntur; pertinent enim, ut sentio, ad ea quæ paulo ante præcedunt. Ut legendum putem hoc modo: *duritia rubens vari modo, sed nigricans capite, alias livida, circaque pustulis parvis corpus tendens neque intumescens. Sine dolore, sine pruritu, sine alio quam somni indicio: quo gravatos in triduo aufert. Aliquando et horrorem afferens, rarius febrem.* Pintian.

Circaque pustulas parvas] Hoc unum de carbunculo potest intelligi, repugnantibus aliis omnibus commemoratis signis, excepto horrore, qui nonnunquam sentitur in carbunculo. *Dal.*

Mox invalescente per totum corpus] *Inarescente*, non *invalescente*, codex noster. *Pintian.*

Mox invalescente per totum corpus] Vossiani ambo, *mox inarescente per totum corpus:* et, ni fallor, probe; pertinet enim ad τὸ *cute*. XXXI. 7. 'Horum extremitates tantum inarescunt.' Sic quoque Pintianus. *Gronov.*

Alibi tenui, dura seu scabie aspera] Scribe: *alibi tenui, dura alibi, ceu scabie aspera*, ex eodem. *Pintian.*

Nigrescente] Marcellus Medicus cap. 19. legisse videtur *increscente*: at Celsus III. 25. nigrescere scribit, ut et Plinius. *Dalec.*

Gemursam appellavere prisci] Ea phlegmone fuit carbunculosa. Malum id inter manus digitos nascens vocant Lugdunenses un *Fourchon.* Idem.

Cum edicto ejus excusantis, &c.] Lege: *Cum edicto ejus excusantis valetudinem, legeretur nomen incognitum;* edicta enim non viva voce publicabantur, sed suspensa plerumque tabula legebantur. *Nomen* autem *incognitum* dicit, quod esset 'mentagra.' Vide Dorleans in Tacit. pag. 589. a.

CAP. II. *Laus Hippocratis.*

Dioclis Carystii] Acad. *diodi*. Vossiani tres et Gud. *Diocli*. Nimirum, ut *Pericli*, *Candauli*, *Achilli*, *Ulyssi*, *Oronti*, *Aristoteli*, *Euripidi*, *Socrati*, et similia patrio casu. *Gronov.*

Ac deinde Erasistrati: Herophilo quidem, &c.] Vetus exemplar: *ac deinde Erasistratico, Herophili quidem, &c.* Scribendum reor: *ac deinde Erasistrati Ceii Herophilique quanquam subtilioris sectæ conditoris;* nam Erasistratus ex Juliade fuit oppido in insula Ceo, auctore Suida, etiamsi Galeno in Isagoge *Chius* sit, non *Ceius*. Sed depravatum esse Galeni codicem, ac, pro *Ceius*, *Chius* falso scriptum, patet ex Strabone lib. x. et Stephano Byzantio in dictione 'Iulis:' et ex aliis auctoribus (ne citando nominatim tundam) qui Erasistratum medicum Ceium faciunt, non Chium. *Pintian.*

Ante omnes celebratam rationem eam] Legendum arbitror, *ante omnes celebrata rationali ei;* nam cum tres sint medicinæ artis sectæ, Rationalis, Empirica, Methodica; Rationalis inventor secundum Plinium Herophilus fuit, etsi Galenus Hippocrati et aliis eam inventionem assignent. *Idem.*

Auditioni operatos] Id est, operam dantes. Sic apud Nasonem: 'studiis operata Minervæ.' *Gelen.*

CAP. III. *De nova medicina, et Asclepiade medico, et qua ratione veterem medicinam mutaverit.*

Asclepiadem adjuvere multa, quorum cura nimis anxia et rudis] Secus in exemplari nostro: *Asclepiades invenit multa in antiquorum cura minus anxia et rudia.* Pintian.

Multa quorum cura nimis anxia et rudis] Truncatus locus. Acad. Gud. Menap. *multi quorum cura nimis anxia et rudia.* Vossianus: *Asclepiaden adjuvere multa in antiquorum cura nimis anxia et rudia.* Confirmat Pintiani codex; sed ille præterea, *Asclepiades invenit*, exemplo, ut opinor, non bono. *Gronov.*

Ad ignes torrendi, &c.] Ὀπτῆσιν veteres, ut et solis apricatum ἡλιασμὸν vocaverunt. *Dalec.*

In urbe umbrosa, imo vero tota Italia imperatrice] In veteri codice: *in urbe nimbosa, imo vero tanta Italia imperatrice;* ut forte commodius legi possit: *imo vero tanta, et alias imperatrice.* Pintian.

Pensili balinearum, &c.] Pensiles balneas vocat, extructas ac ædificatas aquis corrivatis ac deductis, in quibus arte parabatur caldarium, tepidarium, frigidarium, laconicum. Harum assiduus usus corpus effœminat, ut naturalium corroborat, in quibus sponte aquæ medicatæ scaturiunt. *Dalec.*

Damnavit merito et vomitiones] Celsus I. 3. II. 12. Plutarch. de Sanitate Tuenda. Sueton. VII. 13. et ibi Casaubon. *Idem.*

CAP. IV. *Irrisio Magicæ artis, et de lichene, ejusque remedio, et faucium.*

Æthiopide herba amnes ac stagna siccari conjectu, tactu clausa omnia aperiri] In scripto codice: *Æthiopide herba amnes ac stagna siccari. Condiendis tactu clausa omnia aperiri;* ut verbum *Condiendis* herbæ nomen esse videatur. *Pintian.*

Latacen dari solitam a Persarum rege legatis] *Latacem dari solitam Persarum relegatis*, in eodem. *Idem.*

Commerciorum habuere curam] Ne militi commeatus deesset, cum latacen habere possent a Persis. *Dalec.*

Siccentur hodie Æthiopide] Omnes quinque, *Meroide;* ut opinor etiam in Chifl. esse, etsi exhibuerint, *merodie.* XXVII. 7. dixit ejusdem herbæ nomen esse utrumque. *Gronov.*

Pontinæ paludes] Circeis vicinæ in agro Latino, quas viginti trium urbium fuisse Mutianus prodidit supra III. 5. Eas siccare Julius Cæsar decreverat sub id tempus quo interemptus est, auctore Suetonio. A Cornelio Cethego illæ antea siccatæ fuerant agerque factus. Liv. lib. XLVI. Theodoricus postea rex fossas, per incuriam et neglectum obstructas, et terra limoque adobrutas, rursum purgavit. *Idem.*

Nam quæ apud eundem Democritum invenitur compositio] Legendum reor, *Nam quæ apud eum Democriti invenitur compositio;* nulla enim multis retro versibus facta est Democriti mentio. *Pintian.*

Cur nunquam Persarum regi tales dedit] Verior scripta lectio, *cui unquam Persarum regi talis dedita.* Fortassis *data.* Pintian. *Cur nunquam Persarum regi tales dedit*] Hoc est, pulchros, bonos, et fortunatos. *Gelen.*

Cur nunquam Persarum regi tales dedit] Pintiano verior scripta lectio, *cui unquam Persarum regi talis dedita.* Neque aliter fere Chiflet. et Voss. sed scribendum detracta litera: *cui unquam Persarum regi tales dedit?* nam *talis* antiqua scriptura pro *tales*, id est, pulchros bonosque ac fortunatos liberos. Si quis ea compositione frui et gaudere debuit, is erat rex Persarum, tum ob immensas opes, tum ob curam gentis in forma regum, tum ob copiam magorum. At nemo eorum fuit, qui non liberum alios deformes, alios sceleratos, alios infelices habuerit. Nulla igitur tam efficacem iis compositionem dare potuit Magia. Voss. Andegav. *cui umquam P. r. talis est dedita.* Menap. Acad. et Gud. *cui nunquam P. r. talis est dedita.* Gronov.

Folio uno ad radicem lato] Pugnant hæc unum folium latum esse, et longa dependere. Lego, *foliis imis ad radicem latis, caule uno, &c.* Quænam hæc sit, nondum compertum. Britannicum tamen de herbis volumen Cotyledona minorem montanam vocat, et depingit. *Dalec.*

Caule uno parvo longis foliis dependentibus] Imo e contrario in nostro exemplari: *Caule uno longo, parvis foliis dependentibus.* Pintian.

CAP. V. *Ad strumas, et ad digitos, et ad pectus et ad tussim medicinæ.*

Chelidoniæ cum melle et axungia] Duæ illæ voces *melle et* non sunt in exemplari antiquo. *Idem.*

Ne rursus sata diro herbariorum scelere (ut in quibusdam) rebellet] Verbum *diro* superfluit; item desideratur hæc vox *diximus;* utrumque ex eodem; ut sit: *ne rursus sata herbariorum scelere, ut in quibusdam diximus, rebellet.* Idem.

CAP. VI. *De verbasco, et cacalia, tussilagine, vel bechio, et salvia ad tussim.*

Hyssopi quoque quinque rami] Dele dictionem *quoque*, ex vetusto codice. *Pintian.*

Cum duobus rutæ et ficis tribus decocti] *Cum duobus rutæ, et fici tribus decocti*, ex eodem. *Idem.*

Quidam eandem esse bechion, et alio nomine chamæleucen] Huic lectioni suffragatur Paulus Ægineta libro septimo: nostrum tamen exemplar non *bechion* habet, sed *arcion*, de qua Dioscorides lib. IV. *Idem.*

Salvia appellatur] Quidam volunt hic describi sphacelon Theophrasti; quidam nostrum stachym vulgarem; alii orminum vulgare, flore cœruleo; quidam Æthiopida, pectoris morbis utilissimam. *Dalec.*

CAP. VII. *Ad lateris dolores, et pectoris, ad orthopnœas, ad jocineris dolorem, cordis dolori, pulmoni, urinæ, tussi, pectori, hulceribus, renibus, hepaticis, ad vomitiones, et ad singultus, pleuriticis, lateri.*

Molon] Moly Dioscoridis folium graminis habet, latius, humi sparsum, caule quatuor cubitorum, sive, ut quidam legunt, *digitorum*, in cujus summo est quidpiam allio simile. Illa suo molo Plinius tribuit, sed vel mutata, vel depravata. Aliud moly supra describitur XXV. 4. nempe Homericum. *Idem.*

Scapo est striato] Lego, *Scapo est stricto*, id est, tenui et exili, quemadmodum Oribasius legit, καυλὸν λεπτὸν ἔχει. *Idem.*

Cissanthemos] Hedera terrestris officinarum. *Idem.*

Ephedra] Iisdem quoque nominibus appellatur hippouris cap. 13. hujus libri. *Idem.*

Quam nuper inventam diximus] Lib. XXV. cap. 8. In boum pestilentia Columella VI. 5. auriculæ partem latissimam ænea subula circumscribit, ita ut mananti sanguine circulus appareat tanquam ductus literæ *o*: deinde intrinsecus ex superiore parte medium orbis descripti transsuit, et foramini facto radiculam, læva manu effossam, ante solis ortum inserit, quæ cum a recenti plaga comprehensa est, ita continetur ut elabi non possit, et in pertusam auriculam omnem morbi vim et pestilens virus elicit, donec quod subula circumscriptum est, demortuum excidat. *Idem.*

Crassiore, palmo alto] Dioscorides, crassiore, caule palmum alto, ('palmum magnum sive dodrantem intellige, nimirum pollices novem,') flore mane albo, meridie purpureo, vesperi puniceo. Duabus drachmis pota aquas per alvum ducit, et urinas movet, miscetur Alexipharmacis. Vide XXI. 7. et 20. 21. *Idem.*

Hæc herba eadem, &c.] Ignoranter hoc Plinius. *Idem.*

Est et silybo, &c.] De silybo nemo id scripsit. Cum apud Theophrast. Hist. VI. 4. de scolymo id Plinius legisset, quemadmodum et supra XXII. 22. retulit, obliviose ac oscitanter hoc loco de silybo recitavit. Verum id esse monstrat, quod totidem fere verbis de leimonia id refert XXV. 9. quam scolymum esse credidit. *Idem.*

Singultus hermionium sedat] Sic quidem Romana impressio et pleræque aliæ: nostrum exemplar detracta una litera *hermonium*. Neutra lectio vera: sincera et certa lectio est *hemionium*, ut quidam etiam codices præferunt. Diosc. lib. III. cap. de herba aspleno, quæ hemionium dicitur: 'Eandem autem stranguriæ conferunt, singultus et morbum regium sedant,' &c. et infra paulum, *peripleumonicis*, non *peripneumonicis*, ut alias ostendimus. *Pintian.*

Coloneam] Cydoniæ herbæ meminit Galenus lib. I. κατὰ τόπους. in eorum catalogo quæ pilos attenuant. Cydoniam vocarunt, quod cydonii mali odorem spiret. *Dalec.*

Raræ radicis alibi albæ, &c.] Prima dictione caret archetypum nostrum. *Pintian.*

CAP. VIII. *De omnibus vitiis ventris et remediis, et eorum quæ circa vel intra sunt, et de alvo sistenda vel solvenda.*

Avaritia expetitur: huic luxuria conditur] Sic quidem libri. Scripsisse tamen Plinium censeo: *Hujus gratia præcipue avaritia expetit;* semper jejuna et insatiabilis esurit et sitit pecuniam: item, *huic luxuria condit;* mirificis et sumptuosis condimentis cibos apparat. *Gronov.*

Et nemo utilitatem ejus æstimat] Immo *vilitatem*, ut est in Voss. Eadem vocabula in Quintiliani declamationibus confusa sæpius ostendimus. *Id.*

Numerosissima est, &c.] Plurima, occupatissima. *Dalec.*

Symphyti radix dysenteriam sistit] In archetypo nostro: *Symphyti radix pota in vino alvum, dysenteriam sistit.* Favet huic lectioni Dioscorides lib. IV. capite de symphyto. *Pintian.*

Repercusso liquore] Causam cur urinam moveat, de suo reddit Plinius. *Dalec.*

Et ladano sistitur, &c.] Lege: *Et ladano sistitur alvus utroque: quod in segetibus nascitur, contuso et cribrato.* Duplex ladani genus: unum terrenum, alterum factitium; terrenum, friabile; factitium, lentum: utroque ladano alvum sisti dicit; quod in segetibus nascitur, contuso et cribrato, id est, 'terreno,' quod friabile esse dixit; nam factitium, quod lentum erat καὶ ἐμμάλακτον, nec contundi, nec cribrari poterat: *segetes* hic arva sunt. *Salmas.* p. 376. a.

Nervos enim in arcu, &c.] Legend. *Nervos enim in arca* (an *arcu*) *circumdatos lanis trahunt, adhærescente roscido lanugine:* lanæ lanugini adhærescebat pingue *roscidum*, quod absolute *roscidum* hic vocat; non igitur ipsa herba convolvebatur, sed pingue ipsum, tractis ad herbam funiculis, unde offæ fiebant, Dioscoridi μαγίδες. *Idem*, p. 363. a.

Plurimum enim terræ colligit] Ob id *terrenum* supra vocatur. *Dalec.*

Peculiariter refrigerat, spissat. Usus in foliis, cruribus vitiosis utilia] Scribo alio ordine: *Usus in foliis, refrigerant, spissant. Peculiariter cruribus vitiosis utilia*, ex eodem. *Pintian.*

Extra aquam peculiariter refrigerat] Verba male transposita. Scribe: *similis betæ foliis, minor tantum hirsutiorque, paullum semper eminens* (hucusque Chifl. et Voss. consentiunt: quod sequitur, ex Voss. primi prodimus) *extra aquam. Usus in foliis: refrigerant, spissant; peculiariter cruribus vitiosis utilia.* Si tamen *superemineus* malis, non intercedo. *Gronov.*

Velut equinis setis] Myriophyllon aquaticum Dodonæi. *Dalec.*

Ceratia uno folio] Dodonæi ophioglosson. *Idem.*

Alvum sistit, &c.] Hoc quidem valde alienum, bilem purgare, et alvum sistere. Mirum vero, quod historiam hujus plantæ a Dioscoride prolixe tractatam ne Plinius quidem attigerit. Vide XXVII. 12. *Idem.*

Candente ferro temperari, &c.] Nam præter adstringentem vim plantarum supra memoratarum ferrum candens, in eo liquore extinctum qui bibitur, alvum potentius cohibet. *Idem.*

Alvum purgat anagallis ex aqua mulsa] *Anagallides* in vetusto codice, numero multorum: recte; nam duplex est anagallis Dioscoridi lib. II. *Pintian.*

Differentia, &c.] Lego: *quod hoc herbaceum est, alterum vero thymum album. Quidam, &c. utile. &c.*] Id est, quod XXI. 10. tradidit, thymi esse duo genera: alterum candidum, quod solum nomine thymi Dioscorides describit; alterum nigricans, quod hic vocat *herbaceum*. Serpyllum zygin vocat Dioscorides; Theophrastus, ἕρπυλλον θυμῶδες. *Dalec. Differentia, &c.*] Lege: *Differentia quod hic helvaceus est, alterius thymi albus:* nihil certius. Dicit thymum illud, cui tribuitur Epithymum, florem helvaceum habere, id est, ex purpureo albicantem. *Salmas.* 1288. b.

Stomacho minus utilis: vomitiones minus movet] Archetypum nostrum,

Stomacho minus utiles vomitiones movet. Pintian.

Cum mellis exiguo salisque et aceti] Scribe, *cum melle et exiguo salis atque aceti*, ex eodem. *Idem.*

Solvit et nymphæa, &c.] Imo potius retinet. Plinius negligenter id prodit. *Dalec.*

Invenitur in saxosis locis] Voss. recidit τὸ *locis*. Sic 'in petrosis' XXVII. 5. 'in aquosis,' eodem lib. cap. 9.

Exprimitur succus aqua madefacta, ipsa concisa] Voss. *aqua madefactæ, et ipsa minuta concisa.* Ut et in parte Chiflet. Legendum præterea *minute*; vel *minutim*, vel *minutatim*. Hoc etiam credo voluisse Pintianum, etsi male sit expressum in exemplari quo utor. Quatuor alii saltem, *aqua madefacta et ipsa*. Gronov.

Polypum consumit] Collo suspensa prohibet, ut aiunt, ne polypus in naribus gignatur. Theophr. *Dalec.*

Floret et semen non fert] Nec floret, nec semen fert. *Idem.*

Linguæ tactu lactescens] Hoc signum fallax et incertum esse Dioscor. tradit. *Idem.*

Bulbi more, nec ante nec postea utile] Longe diversa et castigatior nostri exemplaris lectio: *Usus bimo, nec ante nec postea utile.* Pintian. *Bulbi more nec ante, &c.*] Lego: *Bulbi more, nec ante cibos, nec postea utile, &c.* Purgans medicamentum dari etiam solitum post cibos, ostendit mox. Bulbi autem omnes Dioscoridi acres sunt. *Dalec.*

Linguam excalfacit bulbi more nec ante nec postea utile] Faciunt, *nec ante cibos nec postea utile.* Voss. *excalfacit usus bimone et cante.* ut fere et Chiflet. Scribendum: *Tithymalus linguam excalfacit. Usus bimo, nec ante nec postea utili.* Sic XXVII. 9. 'Usus radicis in trimatu, neque ante nec postea.' Eodem Pintianus aurigatur. *Gronov.*

Dedere et per se ex aqua mulsa et sale] In eodem, *Dedere per se ex aqua vel mulso*, rectius, ut statim patefiet. *Pintian.*

Alii lactucam caprinam] Columella et Celsus marinam. *Dalec.*

Ramis digitali crassitudine rubris, rugosis] Non *rugosis* in eodem legitur, sed *succosis*, quæ lectio assertorem habet Dioscoridem lib. IV. 'Ejus,' inquit, 'quæ characias lactaria herba appellatur, caules cubito longiores sunt, rubentes, acri et lacteo liquore pleni.' *Pintian.*

Incipiente pomorum lanugine] Vindemiarum tempore. Dioscorid. Auctor, ex quo Plinius transcripsit, tempus intellexit, quo μῆλα, id est, cydonia, lanuginosa esse incipiunt, nempe Augustum mensem. *Dalec.*

Quinas] Septem etiam, si pueris detur. Hippocrates lib. IV. de Rat. Vict. in Morb. Acut. ad finem. *Idem.*

Dentium cavis] Erosionibus dentium imponitur lac, doloremque mitigat, dentibus aliis cera munitis, ne defluens fauces et linguam offendat. Dioscorid. *Idem.*

Aut aqua mulsa] Nam dulcia ventriculum evertunt et vomitiones concitant. *Idem.*

Alterum genus tithymalli myrsiniten vocant] *Myrtiten*, non *myrsiniten*, in vetusto codice habetur. Sed utraque lectio tolerabilis est; nam Dioscorides *myrsiniten* appellat, Theophrast. *myrtiten*. Pintian.

Sextum platyphyllon vocant .... Septimum dendroides] E contrario Dioscorides *sextum* facit dendroides, *septimum* platyphyllon. Quare sic in Plinio scribendum censeo. *Pintian.*

Pisces necat] Tusus et aquæ inspersus. Dioscor. *Dalec.*

Duos] Tres aut quatuor. Theophrastus. *Idem.*

Foliis rutæ] Longioribus, angustioribus, pallidis. *Idem.*

In herbosis] Χαλικώδη, Theophr. Hist. XVI. 9. silice saxosis, Plinius legit χλοώδη. *Idem.*

Si lactucæ modo sumatur] Ex aceto

et oleo. *Idem.*

Plantago mane sumpta duabus linguis] In Archetypo nostro, *Plantago mane sumpta a duobus lingulis:* rectius; ut illud, 'Dicor ab indoctis lingula grammaticis.' *Pintian.*

In vini non veteris cyathis IV.] Notant in Chiflet. deesse, *non veteris.* Sane, ubi vulgo ponuntur, desunt et in Vossiano; at non desunt paullo post; sed est ibi, *in vini cyathis quatuor non veteris.* Gronov.

Addito nitro vel polenta] Ut ejus frigiditas temperetur. Additur autem nitrum, si caussa est doloris impeditique somni crassus et flatuosus vapor: polenta vero, si acer et biliosus humor. *Dalec.*

Contraque calculos gravissimis, &c.] Utroque eo remedio calculi franguntur, et viæ aperiuntur per quas fracti exeant. *Idem.*

Genitalium inflammationem omnem] Τοὺς ἐν αἰδοίοις φίμους χαλᾷ. Diosc. *Pudendorum præclusiones et capistrationes laxat.* Sed myrrhæ nullam mentionem facit. *Idem.*

Testes sanat] Duros, herniosos, tumentes. *Idem.*

Crithmo] Crithmum, vulgo portulacam marinam, auctor confundit cum empetro, quod Narbonenses vocant *Bacillos*, quasi Batidas, et Northmani *Percepierre*, ob id puto, quod iisdem locis nascuntur, et pariter eduntur in acetariis. *Idem.*

Semen fervens] In Dioscoride est, 'crithmi fructum libanotidi similem odoratum,' mollem, rotundum, siccum disrumpi, et intus habere ὡς πυῤῥὸν σπέρμα, *semen veluti ruffum:* auctor legisse videtur, ὡς πυρῶδες. *Id.*

Natura semini spissandi] Hoc falsum, et a Diosc. non memoratum. *Id.*

Leniter suave, aculeatum] Hermolaus docet codices esse, in quibus legatur, *suave leviter aculeatum;* Dioscoridem *suave* dicere, hoc est, εὔστομον; *aculeatum* non dicere. In margine ex Diosc. notant *acutum.* Et sic legi suadet Vossianus, in quo *altius, suave leniter aculum*, id est, *suave, leniter acutum.* Δριμὺ Dioscoridi. *Gron.*

Et ideo inflationem facit enterocelitis] Ultimum verbum non habetur in vetusto exemplari. *Pintian.*

Primum] Lego *potum.* Dioscoridi, et reliquis herbariis, unicum tantum genus Chrysanthemi est. Chrysanthum vocat Virgilius in Culice: 'Chrysanthusque ederæque nitor pallente corymbo.' Quidam et buphthalmum chrysanthemum esse volunt. *Dalec.*

Anthemum quoque calculos ejicit] *Anthemis* nostrum apographon; cui astipulatur Dioscorides libro tertio. Theophrastus tamen lib. VIII. genere neutro, *anthemon.* Pintian.

Laver crudum] Præcipue quod Galli vocant *Cresson.* Dalec.

Olus acidum] Oxylapathum. *Idem.*

Malum erraticum] Sic vocari puto aristolochiam, præcipue rotundam, quam 'malum terræ,' et 'venenum terræ' supra nominavit XXV. 8. *Idem.*

Et herba Fulviana, &c.] Urticam Græcam esse volunt; alii saxifragiam albam. *Idem.*

Platys appellatur] Sic tendinem latum vocari puto, qui in calcem inseritur. *Idem.*

CAP. IX. *De pulegio et argemone.*

Inguinaria quam quidam argemonen] *Inguinalis*, non *inguinaria*, et *argemonion*, non *argemonen*, in nostro apographo. Dubito autem de integritate fideque hujus loci. Nec mihi, ne dubitem, persuadebit Hermolaus in Corollario. *Inguinalis* enim, seu *inguinaria*, 'aster Atticus,' 'asterion,' 'bubonion,' et aliis nominibus ab antiquis et recentioribus medicis appellatur, *argemone* vero seu *argemonion*, diversa omnino herba est. Nec in re aperta necessarium est plura dici. *Pintian.* *Inguinaria, &c.*] Alia hæc quam bubonium descriptum XXVII. 5. Quibusdam cruciata, descripta Dodonæo IV. 78. *Dalec.*

Sideritis cum adipe vetere, vel Chrysippea cum ficis pinguibus] Nonnulla hic verba addenda sunt, ex vetere Apographo: *Sideritis cum adipe vetere contusa. Marrubium cum axungia vetere vel Chrysippea, &c.* Pintian.

CAP. X. *De nymphæa et abstinentia et appetentia Veneris, et de Satyrio erythraico, et crategi, et sideriti.*

Heraclia] Heracliam vocat, quod radix, ut ait Dioscorides, ῥοπαλοειδὴς sit, id est, *clavæ similis*, nempe Herculis: aut quod natam fabulentur nympha zelotypia erga Herculem mortua. Vide XXV. 7. *Dalec.*

Corpus alere] Quoniam habiliores sunt, et voce magis canora, qui Venere non utuntur. *Idem.*

Est orchis herba: sive serapias] Hæc reponenda ita sunt: *Est orchis herba. Duo ejus genera. Una, &c. ac residente. Nascitur fere circa mare. Altera serapias orchis cognominatur, &c. creditur, foliis porri, &c. habet ut satyrion. Hæc et tumores et vitia, &c. trita.* Idem.

Ita ut major] Hæc de primo orchi Dioscorides, non de serapiade. *Idem.*

Quidam folio scyllæ, &c] Ex Theophrasto legendum: *Quidam folio scyllæ esse dicunt læviori ac minori, caule cuivis tritici generi simili, aut acantho:* et hoc recte; nam caulis lævis, gracilis ut tritici, enodis ut acanthi, nullis vel paucis foliis vestitus, spicam elegantem, congestis floribus densam profert. Lege et apud Theophr. τὸν δὲ καυλὸν ὁμοιότατον ὁποίῳ μὲν οὖν πυρῷ ἢ ἀκάνθῃ. Sic enim vocat Dioscorides, quod nos acanthum dicimus. *Id.*

Thoracis pituitas] Hoc in Dioscoride non legitur, nec verisimile est, cum adstringat. *Idem.*

Concicatricem vim habet satyrion] Testatus alio loco sum, testaborque subinde, imperitia excerpentium, transcribentium, annotantium, exponentium, castigantium, multa eminentissimo huic auctori verba falso accrevisse: cujusmodi puto esse quæ modo posui. Alioqui confunderentur duo genera herbæ quæ dicitur orchis, cum duobus generibus satyrii, de quibus disseret illico, quod contra Dioscoridem lib. III. et Theophr. lib. IX. Quos confer cum Plinio, deinde pronuncia. Hinc fit etiam ut verba illa quæ statim sequuntur, *Altera satyrion orchis cognominatur*, mendosa existimem, legendumque non *satyrion orchis*, sed *cynosorchis*, ex eodem Dioscoride eodem libro. Hæc si considerasset Marcellus Dioscoridis interpres, non tam culpasset Plinium, tanquam in utroque Satyrio discrepantem. *Pintian. Concicatricem, &c.*] Arbiter in Satyra: 'Ita est, inquit Quartilla. Quicquid Satyrii fuit, Encolpus ebibit.' Ac rursum: 'Illinc puella penicillo, quod et ipsum Satyrio tinxerat, Ascylton opprimebat.' *Dalec.*

Alternis annis intumescente ac residente] Addit antiquum exemplar verbum *ea: Alternis annis intumescente ea ac residente.* Pintian.

Distinguitur internodiis] Hæc negligenter a liberto Plinii ex historia cratæogoni orcheon ac satyriorum descriptioni inserta sunt. *Dalec.*

Radice fascinis utili] Radice bulbosa, mali magnitudine, fulva, intus ovi modo candida, sapore dulci et ori jucundo. Diosc. Plinius hæc valde pervertit, miscens orcheon satyriorumque descriptiones, quæ Venerem concitant, tum etiam cratæogoni, quod ad mares gignendos valet, atque phylli thelygoni, et arthenogoni, quorum historia diversa est Theophrasto et Dioscoridi. Repetitur historia cynosorcheos et cratæogoni infra XXVII. 8. *Dalec.*

Vel per se trita] *Vel per se illita*, in nostro codice. *Pintian.*

Foliis lilii rubri minoribus] Scribo: *foliis lilii, rubris, minoribus.* Dioscorides lib. III. 'Satyrion,' inquit, 'sunt qui a foliorum numero triphyllon, id

est, trifolium, vocent; quoniam tribus plerunque foliis fractis viret, rumici liliove similibus tantum et rubentibus.' *Idem.*

Viticis majore] Λίνου, non ἄγνου, *lini.* Dioscor. *Dalec.*

Sic et crategin cognominantes] Lego: *Sic et cratægonon cognominantes, quod distinguitur internodiis numerosiore frutice, semine acri, radice inutili, et arthenogonum, cujus semen, &c.* Sic restituendus hic locus solo transpositu periodorum corruptissimus. *Idem.*

Theophrastus] Hist. IX. 20. Joannes Leo in Africa sua radicis Surnach meminit, in occidentali parte Atlantis crebræ, quæ in eclegmate sumpta penem inflat, et roborat: Venerem auget, vel si quis in eam tantum casu minxerit; credentibus incolis, cum eam virgines perminxissent incautæ, sine virorum concubitu gravidatas fuisse. Satyrii radicem hanc esse puto. *Idem.*

Quæ talis est, mollugo vocatur, &c.] Legendum: *Quæ talis est, mollugo vocatur, similis, sed asperioribus foliis, asperugo;* ut intelligas duo lappaginis genera, utrunque a peculiari qualitate denominatum. *Gelen.*

Qui conchyliis substernitur, &c.] Significat conchyliatæ vestis tincturam eo colore præparari. Substernuntur colores, quibus primum lana imbuitur, ut alii pretiosiores superinducantur. Hodie varantia et guastum coccineis et purpureis substerni solent, ut colorem alligent, et tenacem faciant. Ab hoc marino fuco tingendis vestibus idoneo Latini tincturam omnem 'fucum' appellavere. Vide Salmas. pag. 1147. a, b.

CAP. XI. *Medicinæ generales de pedibus, talis, articulis, nervis, et remedia contra morbos, qui totum corpus occupant, et de mirthryda, et vigiliis, et paralysi, et de febribus frigidis, et febre jumentorum, et phreneticis, et chamæacta, et aeizoo, et de igne sacro.*

Mandragoræ folia cum polenta; vel radix recens tusa cum cucumere silvestri, vel decocta in aqua] Non agnoscit verbum illud *recens* nostrum exemplar, et quidem, ut puto, recte. Dioscorides libro quarto de radice mandragoræ: *Radix trita ex aceto sacros ignes sanat; strumas panosque ex aqua dijicit, et cum polenta articulorum dolores sanat.* Pintian.

Cubitorum ac pedum rimis polypodii radix] *Digitorum*, non *cubitorum*, in eodem legitur, astipulante etiam Diosc. lib. IV. Præterire tamen nolui in nostro archetypo hunc locum sic legi: *digitorum in depedibus rimis;* quem locum, cum ad præsens non occurrat, quo modo castigem, aliis æstimandum reliquimus. *Idem.*

Perniunculos curat omniaque alia frigoris vitia. Perniunculos curat et cotyledon] Verbum *curat* posteriore loco excludit Vossianus. Tres alii, jam illi quidem vitiati, sic tamen, ut ostendant inter *perniunculos* et copulativam hic nihil interjectum fuisse. Habent enim: *Cyclaminos decocta in aqua perniunculos et cotyledon cum axungia folio curat: omniaque alia frigoris vitia ex batrachio.* Men. et ipse mutilus: *Cyclaminos et cotyledon cum axungia folia curat omniaque alia frigoris vitia ex batrachio.* Gronov.

Dodecatheum] Dodecatheos vocatur hæc herba a duodecim Diis majorum gentium, sive Consentibus, primæ auctoritatis et dignitatis inter numina, qui simul in concilium veniunt, præside et principe ex iis Jove. Ennius his duobus versibus complexus est: 'Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.' *Dalec.*

Vitiis] Obstructionibus. *Idem.*

Geranion aliqui Myrrhin, alii Merthryda appellant] Scribo, *Mertryga*, non *Merthryda*, ex Dioscoridis utraque editione libro tertio. *Pintian.*

Foliis minutioribus] Prima species Dodonæi. *Dalec.*

Græci foliis candidioribus, &c.] Hoc est secundum genus Dioscor. vulgo, pes columbinus. *Idem.*

Ramosum ex intervallis] Ut binum palmorum intervalla inter ramos intelligantur. *Gelen.*

Et œnothera] Sic quidem legit Marcellus in Dioscoridis tralatione. Utraque tamen Græca editio, et Hermolaus, sine diphthongo, *onothera.* Pintian.

Quæ periclitentur secari] Mala tam gravia, ut vel expectanda sit suppuratio, quam secare oporteat, vel, ut amputandum membrum sit. *Dal.*

Sanat et archezostis, sed cum ammineo pota] Apographon nostrum, *Sanat et Archezostis, sed anno pota*; rectissime. Dioscorides lib. IV. 'Datur potu et in comitialibus drachmæ pondere quot diebus anno toto.' *Pintian.*

Cyathis tribus cum coriandro] In eodem, *Cyathis tribus cum coriandro uno.* Idem.

Baccæ ternæ contritæ] Suspectus hic locus: quoniam et baccas hyssopus non habet, et eam facultatem hyssopo Dioscorides non tribuit. Quid si legamus *hederæ*, aut aliquid ejusmodi? Repetitur tamen hæc vox sequenti capite: 'hyssopi baccæ cum aqua potæ,' &c. Quidam legunt *isopyri*, alii *chrysocarpi*, alii *hippoglossi*, quod mihi placet. At supra cap. 6. 'Hyssopi quoque quinque rami, cum duobus rutæ, et ficis tribus decocti, thoracem purgant.' Ego prorsus legendum puto, *hyssopi fasces terni contriti et in aqua poti.* Dalec.

Quinquefolii contrita folia ex vino sumpta diebus XXXI.] Scribo, *diebus XXX.* ex Diosc. lib. IV. 'Succurrunt,' inquit, 'comitialibus eadem folia XXX. diebus tricena cotidie pota.' *Pintian.*

Farina] De affectata hujus vocis innovatione vide quod adnotatum est XXV. 8. Sic Plinius vocat 'aridæ herbæ tenuem pulvisculum.' *Dalec.*

Tithymalus characites hydropicos sanat] Scribendum videtur *characias*, non *characites*, ex Dioscoridis utraque editione Græca, et ejus interpretibus. *Pintian.*

Semen hyperici quod Coris appellatur] Lego *Corion*, non *Coris*, ex eodem Dioscoride lib. IV. *Idem.*

Zoster appellatur] Scribon. Largus zonam vocat cap. 62. *Dalec.*

CAP. XII. *Ad luxata membra, et contra morbum regium, et contra furunculos, et fistulas, et inflationes, et ambustionem, et contra alios morbos, ad nervos, ad sanguinem.*

Hippocrates a septimo, &c.] Imo vero ante diem septimum perniciosum; at septimo, nono, undecimo utilem, nisi dextrum hypochondrium durescat. Aphor. IV. 62. et 64. *Idem.*

Sed celerrime quinquefolii succus medetur tribus cyathis potus cum sale et melle] Quatuor postrema verba in archetypo nostro non leguntur: recte, opinor. ex Diosc. lib. IV. 'Sanat,' inquit, 'et foliorum succus celerrime suffusos felle, pondere trium cyathorum aliquot diebus potus.' *Pintian.*

Hyssopi baccæ cum aqua potæ] Sic superiori proximo capite locutus est. Ita vocat fortassis Plinius calices exiguos, qui flori delapso succedunt, et semen continent. *Dalec.*

Passim et in quacunque parte ac maxime incommodo] In codice vetusto: *passim et in quacunque parte, sed maxime in commoda.* Scribendum fortasse non *commoda*, sed *tumida*, hoc est, carnosa. Paulus Ægineta lib. III. 'Furunculus,' inquit, 'tumor est abscessum præ se ferens: qui ex crassis humoribus in carnosis plerunque partibus concipitur.' *Pintian.*

Mortiferum aliquando malum confectis corporibus] Scribendum reor, *mortiferi aliquando male sectis corporibus*, ut paulo infra, 'medicorum vitio male sectis corporibus.' *Idem.*

Remedio sunt pycnocomi folia trita cum polenta] Hoc quidem Dioscorid. auctoritate confirmatur lib. IV. 'Quin etiam,' inquit, 'folia emplastri modo imposita panos et furunculos discutiunt.' Cæterum verba illa quæ continuo sequuntur, *si nondum caput fecerint*, non ad folia referenda videntur, sed ad furunculos; deesseque existimo verbum *mites*, vel aliud simile, et paulo ante locanda, ut in totum legatur sic: *Passim et in quacunque parte, sed maxime in tumida, nascuntur qui furunculi vocantur: mites, si nondum caput fecerint, mortiferi aliquando male sectis corporibus. Remedio sunt pycnocomi folia trita cum polenta. Discutiunt et folia ephedri, &c.* Paulus lib. IV. cap. de Furunculo: 'Mitis quidem cum in sola cute coiit, pervicax autem malignusque ubi subter actis radicibus erumpit.' Porro quod Paulus dixit, 'subter actis radicibus,' id Plinius aliis verbis explicavit, *caput fecerint*, dicens. *Pintian.*

Si nondum caput fecerint] Si nondum in acutum fastigium sublati fuerint, si nondum in acuminatum verticem extuberaverint. *Dalec.*

Item quæ contusa sint duritiasque et sinus corporis. Telæ omnia infixa corpori extrahunt] Lego partim ex nostro exemplari, partim ex conjectura, sic: *Item quæ contusa sint, duritiasque et sinuosa corporis ulcera. Omnia infixa corpori extrahunt;* nam in eodem non *tela*, sed *elecebra* habetur; et infra capite ab hoc tertio mentio fit sinuum in ulceribus. *Pintian.*

Vitia, quæ sint in ossibus] *Caries, teredo, scabrities, ἐξόστωσις. Dalec.*

Cyclaminos vero si ore sanguis rejiciatur] Scrib. *Clymenos*, non *Cyclaminos*, tum ex nostro apographo, tum ex Diosc. lib. IV. de Clymeno disserente his verbis: 'Exprimitur ex tota una cum radice succus qui contra sanguinis excreationes, cœliacos et rubentes fœminarum fluctiones utiliter bibitur, refrigerans et astringens. Sanguinis ex naribus eruptiones compescit,' &c. Item non *si ore* in eodem legitur; sed *sive*. Pint.

Cyclaminos vero, &c.] Hæc duo verba, *cyclaminos vero*, delenda puto, quoniam falsum docent, et quæ sequuntur referenda ad pæoniæ radicem. *Dalec.*

CAP. XIII. *De herba equiseto, nymphæa, peucedano, sideriti, aliisque pluribus ad sanguinem sistendum utilibus, et stephanomeli, et erisithale, et contra vermes.*

Equisetum] Supra XVIII. 28. dicta est 'equisetis' et 'equiselis,' quoniam litera *t* facile in *l* mutatur, ut Thetis, Thelis: quemadmodum *d* in *l*, ut medica, melica. Varro III. 9. δάκρυον, *lachryma;* ἄδακρυς, alacris. Ab hac planta veteres 'codeta,' quasi 'caudeta' nominarunt trans Tiberum loca obsita caudis equinis apud Festum. *Idem.*

Vituperata nobis] Quoniam uliginosius pratum est, ubi nascitur. Vide XVIII. 28. *Idem.*

Est autem pilus terræ] Verba hæc Pliniana non puto. *Pintian.*

Unctis] In balneo lotis; vel, unctis esculentis, cibis pinguibus. *Dalec.*

Alii pini foliis similem] Hæc est hippuris minima, a Dioscoride non descripta, semper in aquis nascens, præcipue cœnosis, et in iis sæpius demersa, interdum emergens: gravis odoris, et lutulenti. Lugdunenses *Chara* vocant, ut alia duo genera *Prelle*: *Chara* vero quasi χαραδρώδη, id est, λιμναίαν, *palustrem*. Idem.

Tradentes quod etiam sanguinis] Ignorat Voss. τὰ *quod etiam*: deinde idem *sistit*. Scribe igitur: *vim ejus admirabilem tradentes, sanguinis profluvia vel tacto tantum ea* (hoc enim ordine Ms.) *homine sisti.* Gronov.

Alii hippurin, alii ephedron] Legendum *ephydron*, non *ephedron*, hoc est, 'aquosum,' 'quod prope aquas nascatur,' ex Dioscoride lib. IV. Vidit hoc etiam Hermolaus. *Pintian.*

Alii ephedron] Eædem quoque sunt appellationes dauci plantæ ab hac diversæ, supra XXVI. 7. *Dalec.*

Semen rotundum] Nihil Dioscor. Præterea falsum id est; nullum enim semen edit. *Idem.*

Dulci] Malim, *austero*. Idem.

Brevioribus et mollioribus, &c.] Hæc secunda est Dioscor. *Idem.*

Stephanomelis ex aqua] Quibusdam argentina, sic dicta, quod melino flore in coronis placeat. *Idem.*

Ex ubere fluentem] Nobili cuidam fœminæ stato temporis intervallo memini sanguinem e sinistra mamma fluere guttatim solitum, et cum imprudenter medicus adstringentibus remediis inhibuisset ac retinuisset, enatum cancrum quo periit. *Idem.*

Erraticum] Sanguinem, nempe erysipelas huc illuc irruens ac decurrens. *Idem.*

Hoc amplius a vocis, &c.] Ruptis vasis pulmonis. *Idem.*

Item symphyti radicis decoctum: daucum crudum] Acad. *dauci crudum.* Gud. et Menap. *daucis crudum.* Andegav. *daucus crudum.* Voss. *item symphytus vel radicis decoctum, daucos cruda.* Sic et XXV. 9. 'Dauci genera quatuor fecit Petronius Diodotus, quæ persequi nihil attinet, cum sint differentiæ duæ; probatissimæ in Creta,' &c. etsi hic Voss. *probatissimi*; Scholiastes Nicandri ad Θηριακ. vs. 94. καρπὸν νεοθηλέα δαύκου. Τὸ δαύκου καὶ δαύχου γράφεται. Ἀντίγονος δὲ λέγει δαῦχον ὁμοίως δάφνῃ πικρὰν εἶναι. Εἰσὶ δὲ δύο γένη τῆς δαύκου, ἡ μὲν Κρητικὴ, ἡ δὲ Ἀσιατική. *Gronov.*

CAP. XIV. *Ad hulcera, plagas, et ad verrucas tollendas, et de polycnemo.*

Resistitur uvæ taminiæ succo] Hoc de Staphisagria Galenus, Dioscorides, et alii scribunt, quam Plinius XXIII. 1. falso 'uvam taminiam' vocari tradit, ut Plinium accusare merito liceat et oblivionis et inconstantiæ. *Dalec.*

Item minoris coma] In apographo nostro *cuma* legitur, non *coma*, ut forte positum sit pro *cyma*, hoc est, coliculo. *Pintian.*

Crassitudinem vel succo] Crassitiem: at succo vulneribus auxilio est, velati lycium. Dioscor. ἔστι καὶ τραυματικὴ ἐπιτιθεμένη ὡς τὸ λύκιον. *Dalec.*

Clavos] Callosam duritiem, longam et teretem. *Idem.*

Cui ad recentia vulnera tanta vis est, ut saniem ex ossibus pellat] Apographon nostrum non *saniem* habet, sed *squamam*, lectione verissima. Dioscorides lib. III. de Peucedano: 'Purgat sicca et in farinam trita radix eadem, sordida ulcera, ossiumque squamas pellit.' *Pintian.*

Recentia autem vulnera astragali radix, et vetera quoque ulcera purgat hypocisthis utraque] Diversa suppunctione et lectione apographon idem: *Recentia autem vulnera astragali radix et vetera, quæ purgat hypocisthis:* utraque rectius; nam 'vetera ulcera astragali radice trita et inspersa curari,' auctor est Diosc. lib. IV. *Idem.*

Cacoëthe] Nesciit Plinius phagedænas, gangrænas, putria cacoëthe ulcera esse. *Dalec.*

Œnothera efferentia sese ulcera sanat] Scribo potius *efferantia*, quam *efferentia*. Sed locus est exactiore cura examinandus; nam, teste Theophrasto, hæc herba in vino data mitiores efficit et alacriores mores; Dioscorides item vim hanc dilutum radicis ejus habere tradit, ut sævitiam ferocientium omnium animalium potu ejus mitigetur, et dolosa ac malefica ulcera sanet: videnturque præterita esse hic aliquot verba ab incurioso librario, quæ ego in medium relinquo, ut diligens lector ea pro captu ingenii expleat. *Pintian.*

Efferentia sese hulcera sanat] Τὰ θηριώδη ἕλκη, Dioscor. id est, κακοήθη, ἀγριούμενα. Itaque legendum, *efferantia*; nempe, quæ fera et maligna exacerbantur. *Dalec.*

Scythica vulnera curat] Acad. *Scite*

vulnera scitile curant. Gud. et Vossiani duo, *Scythe, vulnera scitice curant.* Optimus, *Stitæ vulnera Scythica curant.* Lege, *Scythæ vulnera Scythica curant.* XXVII. 1. 'Scythicam herbam a Mæotis paludibus:' sic voluit et Hermolaus. *Gronov.*

Vulneribus prætumatis, &c.] Ne cicatrix extuberet, et immodice assurgat. *Dalec.*

Polycnemon] De cunila bubula obliviose Plinius id scribit cap. 8. hujus libri. *Idem.*

Odore quæ ferro factis vulneribus commanducata] Voss. et Andeg. τὰ *quæ* et *vulneribus* esse Plinii negant. Scribe, *acri et dulci odore: ferro factis commanducata imponitur;* nam postquam semel dixit, *vulnera* vel *ulceribus,* eam vocem postea voluit intelligi ad *iis quæ calceamento facta sint,* ad *inveteratis,* ad *ferro factis.* Pronomen Gud. quoque, Menap. et Acad. expungunt. *Gronov.*

Melanias] Μελανάματα, *nigras maculas.* Dalec.

CAP. XV. *De pluribus experimentis ad mulierum menses, et vulvæ morbos, et partus ejiciendos, et continendos, et cutis in facie vitia, et capillum tingendum et tollendum, et quadrupedum scabiem.*

Morbis] Uteri suffocationibus. *Id.*

In universum Pæonia herbæ semen] Voss. nescit τὸ *herbæ.* Et quid eo opus? XXV. 4. 'Vetustissima inventu Pæonia est, nomenque auctoris retinet.' *Gronov.*

Quæ a partu fiunt] Purgationes a partu suppressas aut secundas morantes. *Dalec.*

Nidore purgat vulvas] *Nidore corrigit vulvas,* in archetypo nostro: recte puto, ut non longe post: 'Ladanum suffitu corrigit vulvas.' *Pintian.*

Nidore purgat vulvas] Voss. hic, *corrigit:* non superiore versu, ad quem annotant ex Chiflet. Sic XX. 5. 'Suffocationes mulierum doloresque lenit in tantum, ut vulvas corrigat.' XXIV. 5. 'Bibitur et in difficili partu fabæ magnitudine in vini cyatho vulvasque conversas corrigit.' XXXI. 6. 'Mammas sororiantes, præcordia maciemque corporis piscinæ maris corrigunt.' Suetonius Augusto: 'Capillum sibi comi ac malas labentes corrigi.' Sic et codex Pintiani. *Gronov.*

Thessalæ radix] Ejus quæ florem luteum gignit, et in Thessaliæ Peneo fluvio plurima nascitur. *Dalec.*

Menses alvosque præcipue Psyllium] In vetere codice, *Menses albos præcipue Psyllium.* Intelligit autem *fluctiones* mulierum *albas,* quæ Græci ῥοῦς λευκοὺς dicunt: de quibus alio loco. *Pintian.*

Nimia rursus profluvia sistit semen cum vino et sulphure] Scribo, *Nimia rursus profluvia sistit semen cum vivo sulphure,* tum ex nostro apographo, tum etiam ex Dioscoride lib. IV. his verbis: 'Purgat muliebres fœminarum locos potum pomorum semen, et cum vivo sulphure admotum rubras fœminarum fluctiones sistit.' *Idem.*

Alvi profluvia sistit et contrahit batrachium] Brevius in eodem, *contra facit batrachium:* cætera redundant. *Idem.*

Vulvas] Distortas, et in alterutrum latus inclinatas. *Dalec.*

Albugines in capite tollit] Τοὺς ἀλφοὺς, cutis et pilorum vitiosam albedinem. Alii furfures et porriginem exponunt. *Idem.*

Herbæ] Herbæ sunt musci modo nascentes, ὥσπερ βρύον. Thelygonon oleæ folio, pallidiore tamen, flore albo, semine papaveris modo. Dioscor. *Idem.*

Thelygoni potu] Alia est thelygonos, nempe melampyron Dioscoridis, infra XXVII. 8. *Idem.*

Utranque ocymo, &c.] Hoc Theophrastus Hist. IX. 19. Alia phylli historia Dioscoridis est. Mirum, Plinium, quæ a Theophrasto de thelygono scripta sunt, hic tacuisse. Vide supra c. 10. *Idem.*

Indita, pilos mammarum, &c.] Pilorum in mammis fit mentio et XXXII. 10. nempe illos tolli apposito cancro fluviatili, vel carne muricis. Morbus is ab Arist. Hist. VII. 11. τριχεία dicitur. Fit pilo casu hausto in poculo. Dolor gravis cum febre et mammas et caput vexat, nec desinit priusquam pilus manu et digitis pressus exeat, vel cum lacte exugatur. Meminit et hujus morbi Alpharabius medicus Arabs in ægritudinum censu quæ mammis infestæ sunt. Rondeletius XVIII. 25. tom. I. verminculum capillarem esse putat ex pituitoso et putrido lacte in mamma genitum; talemque se aliquando vidisse ait in ubere nobilis fœminæ natum. Vide locum. *Idem.*

Denticulato oleri similis] Alii multo probabilius et commodius legunt, *Siculo oleri*, nempe betæ nascenti. *Idem.*

Verum jam et viris est in usu] Cum dicit *jam*, significat novum ejus usum apud viros esse, postquam mores degenerare cœperunt. *Gelen.*

LIBER XXVII.

CAP. I. *Reliqua herbarum genera.*
CAP. II. *De aconito, et panthera, quæ extinguitur aconito.*

Aconitum] In insula Ceo Menander scribit lege sancitum fuisse, ne turpiter viverent, qui bene vivere non possent: nempe, ut effœti capulares-que senes aconito vitam finirent, ne reliquis alimentum deesset. Rhod. XVIII. 26. *Dalec.*

Genitalibus] Vel aliis corporis partibus accipiendo veneno oportunis. Cicero pro Scauro: 'Libertus patronum non occidit, sed duobus digitulis gulam oblevit.' Rhod. XXIII. 13. Vide supra XXV. 10. Præsertim autem mulierum genitalibus eo tactis cum menses fluunt, infert mortem; nam gladio ejus succo tincto, e corpore si sanguis elicitur, lethale vulnus est. *Id.*

Quo interemptas dormientes a Calpurnio] Quinque nostri una cum Chifletiano expunctum eunt τὸ *dormientes;* neque id sensus requirit. Anceps autem quod sequitur: *Hinc illa atrox peroratio, ejus in digito mortuas:* neque sic scripti. Andeg. *in digito mortuorum.* Acad. Gud. Men. *in digito mortuum.* E Chiflet. tantum notant, *in digitum.* Pintianus ex apographo suo, *in digitum. Ortum fabulæ.* Salmasius ad Solin. pag. 886. parte hujus correctionis lucrifacta, *en digitum: ortum fabulæ narravere spumis.* Qui etiam commemorat et spernit Andreæ Strani, *in digito mortem.* Vossianus, *in digitum mortum.* Manus secunda alterum u superposuerat. Cogitabam: *Hinc illa atrox peroratio ejus in digitum maritum. Fabulæ narravere e spumis Cerberi canis, extrahente ab inferis Hercule; ideoque apud Heracleam Ponticam, ubi monstratur is ad inferos aditus, gigni. Digitum maritum* dixere Plinius et Cæcilius maritalis officii jocique specie parricidam. De hac voce lectissima congessit Heinsius ad Claudianum et Ovidium. Nam illud *ortum* (quamvis id quoque desiderarint, qui *natum tradidere* aut *narravere natum* subjecerunt) plane supervacuum est, quum τὸ *gigni* et τοῖς *e spumis Cerberi* et τοῖς *apud Heracleam Ponticam* respon-

deat: quæ non est auferenda Plinio suavitas. Quod si cui primo aspectu videatur prius illud poscere *genitum esse*, meminerit Livii lib. I. 'Silvius deinde regnat, casu quodam in silvis natus: is Æneam Silvium creat.' Juvat præpositio *E*, quam sanciunt Chiflet. Vossianusque, et primæ editiones, amatam illi verbo. *Gronov.*

Hinc illa atrox peroratio in digito eas mortuas. Fabulæ narravere e spuma Cerberi canis, &c.] Lego: *Hinc illa atrox peroratio ejus in digitum. Ortum fabulæ narravere, &c.* ex nostro apographo. *Pintian.* *Hinc illa atrox, &c.*] Legend. *Inde atrox peroratio ejus, En digitum! ortum fabulæ narravere spumis Cerberi canis extrahente Hercule.* Vide Salmas. pag. 188. a, b.

In usus humanæ salutis vertere] Lycoctoni duo genera, non pardalianchis. *Dalec.*

Nisi invenerit quod in homine perimat] Mallem legeres ordine permutato: *Nisi inveneris in homine quod perimat.* Pintian.

Quod si quis illa forte ab homine] Voss. et Pintiani: *Quæ si quis ulla.* Lege, *Quæ si quis ullo forte ab homine excogitari potuisse credit, ingrate Deorum munera intelligit.* Vossiani alteri duo, Acad. et Gud. *tactu resolvente ceditque, si quis illa certe ab homine:* media desunt. *Gronov.*

Carnes aconito] Imo vero tritum aconitum cum carne tusa miscent, inde globulos formantes, quos devorandos feris objiciant. *ἐντίθενται κρεαδίοις*, inquit Dioscorides. *Dalec.*

CAP. III. *Quod omnium creaturarum conditor sit Deus.*

Leniter hirsuta] *Subaspera, ὑποτραχέα.* Plinius legisse videtur, *ὑποδασέα. Idem.*

Cammaro similem] Idem censet et Galenus in linguis. Verum si ita esset, *κάμμαρον* legendum fuerit, et non *κάμμορον*. Ego potius *κάμμορον* dictum puto, quasi *κακόμορον*, ut et apud Homerum, perniciosum. *Idem.*

Myoctonon] *Μυοφόνον* Dioscoride. *Idem.*

In nudis cautibus, &c.] Theophrast. Hist. IX. 16. ab Aconis vico Peryandinorum, ubi plurimum nascitur, nomen id impositum putat: *κόνις, pulvis: ἀκόνιοι* saxa ne pulvere quidem tecta: *ἀκόναι, cotes.* Idem.

CAP. IV. *De æthiopide, et agerato, et aloë, et alcea, et alypo, et alsina, et androsace, et androsæmo, et ambrosia, et anoni, et anagyro, et anonymo.*

Præter Æthiopiam nascuntur, &c.] Ex etymo dictionis Plinius id putavit cap. 1. hujus lib. Nemo tamen veterum ab eo tractu sic dictam fuisse prodidit. *Idem.*

Hujus ustæ nidor urinam ciet] Quidam sic legunt: *Hujus ustæ nidor urinam ciet, vulvamque purgat, tanto magis insidentibus. Causa nominis hæc quoniam diutissime.* Idem.

Causa nominis non hæc, sed quoniam diutissime non marcescit] Legendum videtur: *Causa nominis, quoniam diutissime non marcessit:* cætera supervacua reor. *Pintian.*

Aloë scillæ similitudinem habet] Aloë folium habet scyllæ simile, crassum, pingue, nonnihil latum, nec prorsus teres, retrorsum pandum: folia ex obliquo utrinque spinas gignunt, raras, eminentes, retusas. Dioscor. *Dalec.*

Vel succo] Si trita illinatur, non autem eliciendo succo utilis. Dioscor. *Idem.*

Fuere, qui traderent, &c.] Niger herbarius satis celebris id scriptis suis prodiderat, vel potius nugatus erat, auctore Dioscor. in præfat. *Idem.*

Sed nulla magis improba est, neque alia nigrior est] Hæc verba non sapiunt Plinium: ob id, etsi loca conjectura ductus, non verebor aperire quod sentio; certiorem lectionem esse, *Sed nota magis in herba est; nam metallica nigrior est.* Pintian.

Sed principalis alvum solvere] Vetus codex non *principalis* habet, sed *prin-*

cipis: videtur legendum *princeps*, seu *præcipuus*. Idem.

Cochlearis mensura] Binorum cochlearium. Dioscor. *Dalec.*

Capite in Sole contra capillum peruncto] Lege *pilum*, non *capillum*, ex vetusto exemplari. *Pintian.*

Dilutiorque infusa] Liquidior, ex alto instillata *κατὰ τὴν ἐμβροχήν*. *Dalec.*

Insignita ac livida] Τὰ *ὑπώπια*, *genarum suggillationes*. Idem.

Devorantur pilulæ cum mellis decocto] Quid sit *mellis decoctum*, non percipio: quare libentius legerim, *melle decocto*, quam *mellis decocto*, auctoribus Dioscoride libro tertio, et Serapione. Favent et exemplaria Toletanum et Cæsaraugustanum. Proximas XXV. annotationes in medica Plinii nostri materia acceptas refer, humane lector, Christophoro Oroscio præclaro philosopho ac medico: qui ut in omni genere disciplinarum summus, præterque Græce etiam eruditissimus, adjuvare non minus studia nostra voluit, quam de suis aliquot ante annos quam optime mereri, compositis in Paulum et Aëtium eximios medicos doctissimis annotationibus; ut inhumane faciat Janus Cornarius, illustris alioqui in literis vir et magni nominis, qui eas suggillat tanquam parum necessarias, et levissima quæque consectantes. Nam sintne quales Cornarius prædicat, an longe secus atque ab eo dicitur, necessariæ et rerum magni momenti, nemo potest magis idoneus testis esse quam fuit ipse Cornarius. Qui cum sit tantus vir ac plane omni laude major, cuncta fere quæ in priore ejus Montanique editione Oroscius annotaverat, in posteriore ad illarum præscriptum formulamve resarsit atque emendavit. Quod tamen nemini mirum videri debet; nec enim omnia, ut summus Poëta ait, possunt omnes, et quædam aleæ sunt non minus quam doctrinæ, ut necesse sit, qui felici aliqua sorte antiquiora et emendatiora nactus sit exemplaria, plura præstet et certiora, quam qui in corrosa, biantia, ac mutilata incidit, cujusmodi fere esse solent quæ tot seculorum edacitati erepta ad tempora usque nostra descenderunt. *Pintian.*

Alypon cauliculus, &c.] Alypon surculosa herba est, subrubra, gracilibus ramulis, folio tenui, flore molli et levi plena: radice betæ, tenui, acri succo referta: semine epithymi. Dioscor. *Dalec.*

Ea purgatione quibus datur e jure gallinaceo] Commodius, ut puto, legetur, *Ea purgatio est quibusdam e gallinaceo jure*. Pintian.

Hæc eadem quæ erat helxine] In archetypo nostro, *Hæc eadem erat quæ alsine:* et paulo post eadem menda. *Idem.*

Minor] Hic locus ostendit, Plinium apud Dioscoridem, sive Andream, sive Cratevam pro *μακροφυλλότερα*, legisse *μικροφυλλότερα*. *Dalec.*

Helxine] Nihil Dioscorides. Hæc pene omnia sumpta sunt e cap. de helxine. *Dalec.* Lege *alsine*, non *helxine*, ut jam monui, ex nostro apographo. *Pintian.*

Alba, amara, sine foliis] Plinius fortassis pro *λεπτόκαρφος*, *tenuibus juncis*, legit *λευκόκαρφος*. *Dalec.*

Ascyron] Hoc ab androsæmo distinguit Dioscorides. *Idem.*

Folia alba rutæ figura] Androsæmi. Dioscor. *Idem.*

Cohibens sanguinem] In Dioscor. Cod. vet. *νομὰς ἐπέχει*. *Idem.*

Fruticem unum habet, densum, ramosum] Quomodo habet *fruticem, &c.* si nondum constat, quæ sit ambrosia? Voss. *fluctuati onam habet certam densam ramosam tenuem.* Super primam literam *τοῦ onam* est *u:* recte, ut puto. *Ambrosia vagi nominis est et circa varias herbas fluctuati: unam habet* (nempe herbam hoc vocabulum) *certam, densam, ramosam.* Quatuor

alii : *circa alias herbas fruticum unam habet densam ramosam tenuem.* Nec vero *fluctuati* mutandum in *fluctuantis.* Vide Observ. IV. 6. *Gronov.*

Post ver spinosa] Theophrasto Hist. VI. 5. Anonis : ἄρχεται τῆς βλαστήσεως θέρους, τελειοῦται δὲ μετοπώρου. Lego, *jucundo, spinosam.* *Estur etiam muria post ver condita, &c.* nempe quo tempore adhuc tenella est aptaque conditura. Quidam sic distinguere malunt : *hirsutiorque esset ac spinosa, odore jucundo. Estur etiam, &c.* Matthiolus Plinium reprehendit, quod hæc scripserit contra Theophrasti sententiam, et auctoritatem. *Dalec.*

Oleris] Brassicæ, κατ' ἐξοχήν. Varro de Re Rust. I. 16. quod usque eo est contrarium naturæ, ut arbores non solum minus ferant, sed etiam fugiant, ut introrsum in fundum se reclinent, ut vitis adsita ad olus facere solet. Vide Ful. Ursin. ad d. l. Varr. *Idem.*

Ad phalangiorum morsus] Πρὸς κεφαλαλγίαν, Dioscor. Plinius legit, πρὸς φαλάγγια. *Idem.*

Anonymos non inveniendo, &c.] Quidam esse volunt bulgam officinarum, alii consolidam mediam. Utraque sane planta vulneribus sanandis efficacissima est. Hujus mentio fit supra XXV. 8. *Idem.*

Recente ea si uratur ferrum aut æs ferruminari] In vetusto codice, *Recentem eam si uratur in ferrum aut æs ferruginari.* Pintian.

Ferruminari] Inde conjectura sumitur, symphyti sive consolidæ genus esse. *Dalec.*

CAP. V. *De aparine, et arctio, et aspleno, et asclepiade, et astere vel bubonio, et ascyro, vel ascyroide, et aphace, et de alcibio, et alectorolopho.*

Imponitur, et pernionibus] Imponitur. Foventur perniones ejusdem radice eam semine decocta in vino. Diosc. quanquam is et perniones et ambusta foveri præcipiat. *Idem.*

Radice limosa] Folia polypodii seu filiculæ modo dividuntur, subter flava, hirsutaque, superne viridia. Diosc. Hunc locum Plinius omnino corrupit. *Idem.*

Hujus foliorum jure in aceto decocto per dies XL. poto] Τὸ *jure* nec in Voss. neque in Chiflet. est. Men. *vis.* And. Acad. et Gud. *jus.* Dein primus *decocta.* Item *per dies XXX.* Chiflet. et omnes denique *potu.* melior Vossianus. Scribendum videtur : *Hujus foliorum in aceto decoctæ per dies XXX. potu lienem absumi aiunt.* Sed *quadraginta* ex Dioscoride Hermolaus. *Gronov.*

Bubonion appellatur] Alia hæc quam inguinaria descripta, XXVI. 9. Plinius multa et insignia tacet, quæ a Dioscoride de hac planta traduntur.

Ferulaceos, omnino rubentes] Voss. *omnia rubentes;* ut XXIV. 8. 'alia similis.' Tertullianus : 'cultum omnia candidatum.' *Gronov.*

Velut cruentant] Hoc est, cruorem reddunt. *Gelen.*

Alcibion] Supra XXII. 21. onocheiles secundum anchusæ genus alcibiadion vocatur, ut et Dioscorid. echion. Dioscoridi vocatur et doris et alcibiadion. Nicandro vero alcibium, in Theriacis: 'Ἐσθλὴν δ' ἀλκιβίου ἔχιος περιφράζεο ῥίζαν. At mirum est, quod ait Plinius, apud auctores non reperiri qualis sit herba, cum eadem de foliis et radice tradat, quæ Dioscorides de altera anchusa et echio. *Dalec.*

Imponi et bibi jubent folia] Τὸ *jubent* nostri quinque omnes ignorant : jure; intelligitur enim 'apud auctores repperi.' *Gronov.*

Alectorolophos quæ apud nos Crista dicitur, folia habet similia gallinacei cristæ plura] In antiquo exemplari *alectrolophos* una syllaba minus legitur : rectius puto, etsi secus sentit in Corollario Hermolaus. Item placet magis legatur permutatis dictionibus : *alectrolophos quæ apud nos*

crista gallinacei dicitur, folia habet similia cristæ plura: et paulo post, *et ex nigro,* non *sed ex nigro.* Pintian.

Alectorolophos] Quorundam opinione alliaria: aliorum vero cauda lupi: aliorum gallithricum, cujus semen eodem effectu, et eadem causa vulgus etiam oculis injicit, præsertim cum culex illapsus est. *Dalec.*

CAP. VI. *De alo.*

Et convulsis lieni interaneis] *Contusis,* non *convulsis,* in nostro apographo: et *lenit,* non *lieni;* ut forte *leviter* legi possit pro *lenit.* Pintian.

Convulsis, lieni, interaneis] Quomodo imponitur *interaneis?* Lege cum Vossiano: *Luxatis quoque imponitur et contusis: lenit interanea: alvum sistit cocta, &c. Contusis* et Chiflet. Pintiani quoque codex *lenit,* unde ille facit *leviter.* Gronov.

Interaneis] In scrotum delabentibus: enterocelis. Dioscor. *Dalec.*

CAP. VII. *De alga, et actæa, et de ampelo agria, et de absinthio.*

Rubra] Cretica tinctoria, quæ purpuræ colore inficit. Vide XIII. 25. et XXXII. 6. et cap. sequens. *Idem.*

Interioribus fœminarum morbis] Uteri doloribus et suffocationi: mensibus provocandis. *Idem.*

Viticulis longis] Sarmentis longis, duris, rimoso cortice vestitis, flore capillaceo: fructu exiguis uvis simili, post maturitatem rubente: granis figura rotundis. Dioscor. κόκκους. Plinius ad punici semina retulit oscitanter, et alias totam historiam corrupit. *Idem.*

Qualiter flos] Ex omnibus plantis, quæ ad vicina scandunt, tres novimus, quarum cæruleus, sive purpureus, Jovis flori, nempe aquilegiæ, colore similis sit: primam quidem, quam granum Nili vocant: alteram, quam dulcamaram: tertiam, quam pro clematide secunda pinxit Dodonæus, et quam pothon cæruleum esse quidam putant. Quæ de vite silvestri tradit hic Plinius, magis convenire videntur dulcamaræ, quam salicastrum supra vocavit XXIII. 1. et viti silvestri similem esse dixit: eosdemque effectus habere. *Idem.*

Ponticum a Ponto] Apud Plautum in Trinummo: 'SYC. Omnium primum per Pontum advecti ad Arabiam terram sumus. CH. Eho, an Arabia etiam est in Ponto? SYC. est: non illa ubi thus gignitur: Sed ubi absinthium fit, atque cunicula gallinacea.' *Idem.*

De usu ejus convenit dicere herba facillima] Vossianus jubet deleri τὸ *dicere;* neque est, cur ei adversemur. *Gronov.*

Latinarum feriis] Quibus in Albano monte Romanis simul et Latinis visceratio dabatur. Vide Alex. ab Alex. V. 7. *Dalec.*

Absinthium bibit] Potionis τῆς ἐξ ἀψινθίου meminit Varro in Quinquatribus: 'Absinthium uti bibam grave et castoreum, levemque robur,' (minuam vires corporis,) apud Nonium. *Idem.*

In vina transfertur] Vino ex eo facto, quod absinthites vocant. *Idem.*

Stomachum bilemque detrahit] Stomachique bilem detrahit. Dioscorid. bilem purgat, quæ stomacho et ventri inhæsit. *Idem.*

Alii contra paralysin, alii pueris folia in fico, sic ut amaritudinem fallerent] Dele tria prima verba, ex antiquo codice, nec refragrante Dioscorida: et *sicca,* non *sic,* ibidem. *Pintian.*

Alii pueris folia in fico sic ut amaritudinem] Nonnulli *ut sic* faciunt. Quatuor membranæ, *fico siccat amaritudinem.* Præcipuus vere: *Alii pueris in fico sicca, ut amaritudinem fallerent.* Notum illud Lucretii: 'Sed veluti pueris absinthia tetra medentes Cum dare conantur, prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore.' Eam vicem hic præstant caricæ. XV. 18. 'siccandis hæc in sole aptissima.' lib. eodem cap. 29. 'Detrahitur hæc (cutis) ficis viren-

tibus, ut putamen; eadem in siccis maxime placet.' xx. 15. 'Decoquitur alias in mulsa aqua aut fico sicca.' xxiii. 7. 'Siccæ fici stomachum lædunt, gutturi et faucibus magnifice utiles.' Idem Pintianus. *Gronov.*

Visco] Τῷ ἰξίᾳ, venenato chamæleontis succo. *Dalec.*

Aut si manat sanies, cum melle tritum] Gud. et Voss. duo, *manet sanies.* Opt. *Aures decoctæ ejus vapor* (sic et Chiflet.) *suffitu sanat: si manent sanie, cum melle tritum.* Sic Tacito Annal. ii. 23. 'alvei manantes per latera.' Ubi vide quæ diximus. *Gronov.*

Inguinum tumorem in ventrali habitum] *Ventralia,* non *ventrali,* in apographo nostro; ut fortasse scribi potius sit, *in ventralia abditum.* Pintian.

Taposiri] *Taphosiri,* Stephanus. Sic ea dicta quod Osiridis sepulchrum ibi esset, quasi Osiridos τάφος. *Dalec.*

Hujus ramum Isiaci præferre, &c.] Pro olivæ ramo Dioscor. quæ in Ægypto vivere non potest: quamvis Theophrastus libris de causis olearum quoddam genus Ægyptium vocet. Cæterum in agro Cyrenensi Ægypto contermino id provenit. *Idem.*

In farinæ trimestris sorbitione, &c.] Σὺν ἑψήματι, ἢ φακῇ. Dioscorid. *cum sapa, aut lenticula.* Plinius, quia ἕψημα etiam pultem aqua decoctam significat, *sorbitionem farinæ trimestris* vertit. Ego magis sapam intelligo, quæ sua dulcedine amarorem absinthii, et ingratum saporem obscurat et temperat. *Idem.*

Cap. viii. *De ballote, et botrye fruticosa, et brabyla, et bryo, et bupleuro, et catananse, et calla, et circæa, et cirsio, et cratæogono, et thelygono, et crocodylio, et cynosorchi, et chrysolachano, et cucubalo, et conferva.*

Semen circa totam nascitur] Verior nostri apographi lectio, *Semen circa totos nascitur.* Diosc. lib. iii. 'Semen totis ramulis adnascitur.' *Pint.*

Brabyla] Brabyla memorata Galeno de Alimentis ii. 38. et κατὰ τόπους, lib. vi. in medicamentis stomaticis, fructus pruni silvestris, spinosæ, sive spodiadis, vulgo *Prunelles.* ἀγριοκοκκύμηλον vero fructus pruni silvestris non spinosæ, maturescens sero admodum, nempe Augusto et Septembri. Interpres Theocriti communia pruna sive Damascena interpretatur. Idyll. vii. hoc versu: τοὶ δ' ἐκέχυντο Ὄρπακες βραβύλοισι καταβρίθοντες ἔραζε. Et Idyll. xi. Ὅσον ἔαρ χειμῶνος, ὅσον μῆλον βραβύλοιο Ἥδιον. Seleucus apud Athenæum, ἧλα, βράβυλα, μάδρυα, κοκκύμηλα eadem esse tradit; dicique ἧλα, quasi μῆλα; μάνδρυα, quasi μαλόδρυα; βράβυλα, quasi τὴν βορὰν ἐκβάλλοντα, nempe εὐκοίλια. Barbylos Constantino lib. x. γεωπονίας, arbos ex osse persici nata: res a brabylo diversa. *Dalec.*

Bryon] Bryon Theophrasto nulla herba marina privatim traditur, sed inter genera τοῦ βρύου θαλαττίου, sive τοῦ φύκους, lactucaceum hoc is describit. Vide Hist. iv. 7. et supra lib. xiii. cap. ult. et xxxii. 6. et xxviii. 10. et præcedens. *Idem.*

Ab ima radice exeuntibus foliis] Ab una radice, ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς. Theophrast. iv. 7. *Idem.*

Refrigerare opus sit] Στύψεως δεομένα. Plinius legit ψύξεως. Hæc ex cap. Dioscor. de musco marino, quo tantum agitur de alga fœniculacea, vulgo corallina, non autem de hac lactucacea. *Idem.*

Quoniam arescens] Quod qui ea utuntur, amatas mulieres rapiant, etiam invitas, et veluti contractis unguibus retineant. *Idem.*

Cemos] Κημὸς, *capistrum, frænum lupatum.* Quidam cassutham nostram esse putant: alii leontopodion ad amatoria utile. Marcellus apud Dioscoridem scribit in optimis Græcis codicibus, quos in potestate habuit, et in Lat. scripto literis Longobardis, capiti de Leontopodio præfixum ti-

tulum fuisse 'de Cemo:' ut inde constet cemon Plinii esse Dioscoridis leontopodion. Cætera leontopodion Plinii multum discrepare a leontopodio Diosc. quod ostendunt utriusque vires collatæ. *Idem.*

Calla duorum, &c.] Lego, *Calix duorum generum est, &c.* Calica Plinius alicubi legerat arin, sive arisaron vocari: et quoniam anchusa quoque calix dicitur, calicis duo genera Plinius statuit. Calicem arisaron vocatum fuisse arbitror, quod ejus fructus calice convolvatur membranoso. *Idem.*

Antequam inarescat] In aro, ut tempestive colligatur, signum maturitatis est ab imo folium inarescens, XIX. 5. ult. *Idem.*

Flore polentæ, &c.] Constantinus legendum putat apud Dioscoridem, unde hæc sumpta sunt, ἄνθη μήλινα, id est, *flores*, ut interpretatur, ex viridi *cereos*. Oribasii tamen descriptio cum litera Dioscoridis consentit, nec apud herbariorum veterum quempiam extat in ejus historia, quam integram proponit Dioscorides, mutandum quicquam esse. *Idem.*

Semine lac minuitur] Dioscoridi, γάλα ἀποσπᾷ, confert ad lactis generationem, lacte mammas implet. *Idem.*

Tradunt] Andreas tradit. Dioscor. *Idem.*

Cratæogonos] Vulgo Persicaria. Melampyros Dioscor. cap. de cratæogono. Alia est thelygonos supra XXVI. 15. ult. *Idem.*

Eadem sanant hulcera] Hæc omnia quæ apud Dioscoridem legi et extare notavimus c. 2. de orchi, reperiuntur scripta XXVI. 10. *Idem.*

Arboris genus intelligi] Fallitur Plinius. Aquifolia Latinorum, Græcorum agria est; cratægus vero Theophrasti, quem inepte *cratæogonon* sive *crateægona* vocat, herbariorum nostri sæculi torminalis sorbus. Vide supra XV. 20. *Idem.*

Duplici ordine, superiore, quæ durior est; et inferiore, quæ mollior] Brevius et correctius in apographo nostro, *superioreque molliore.* Pintian.

In vineis] Nascitur in petrosis et sabulosis. Dioscor. *Dalec.*

Viri bibunt] Mulieres bibendum dant. Dioscor. *Idem.*

Lumbis] A calida causa vexatis. *Id.*

Deficientem herbam] In Vet. Cod. legitur, *Deficiente herba*, id est, disjecta, dissipata, consumpta, ut facile ob mollitiem exteratur. *Idem.*

CAP. IX. *De cocco Gnidio, et dipsaco, et dryopteri, et dryophono, et elatine, et empetro, sive calcifraga, et epipacti, sive elleborine, et epimedio, et enneaphyllo, et filice, et de femore bubulo, et galeopside sive galeobdolo, et glauce sive eugalacto.*

Sistit alvum] Imo vero ducit copiose, bilemque, pituitam, et aquas detrahit. Plinius hic fœde lapsus est. Lego *ciet.* Idem.

Ros salsus] Apud Dioscoridem est, imber aut ros, unde nomen traxit. Et quoniam salsa maxime sitim excitant, plantaque dipsacus tanquam sitibunda vocata est, levi conjectura humorem in ejus foliis collectum Plinius salsum esse putavit, cum salsugine prorsus careat. *Idem.*

Echinata spinis] Omittit Plinius, ea sicca candida spectari, et dissecta medulla tenus, vermiculos intus habere, qui brachio, vel collo alligati quartanis medentur. In Gallia fullones ἐργαλεῖα, nempe instrumenta, ex iis conficiunt, tractandis rudioribus pannis excitandisque lanarum villis, quæ Græci τοὺς στροβέας appellant. *Idem.*

Illinitur enim] Oportet autem prius vulsis piiis, posteaquam calidæ vapore madefacta cutis fuerit, recentem imponere. Dioscor. *Idem.*

Dryophonon] Dryophonon Cordus esse putat Creticum thlaspi, quod prodraba Dioscoridis quidam monstrant: alii filicem florescentem. *Id.*

Amplitudine] Vel latitudine vel longitudine. Latitudinem potius intelligo. *Idem.*

Pilosa] Δασεία, quod verti etiam potest *densa*. Idem.

Minus salsa est] Magis salsa est. Dioscor. Hanc describit Aloisius in Græcia visam. *Idem.*

Urinas ciet] Hæc de saxifrago audienda sunt, quod empetron nonnulli vocaverunt, sicut et Matthiolus adnotavit. *Idem.*

Fœminis cavenda] Quoniam et radix conceptum adimit, et folia trita quinis drachmis per quinque dies a menstrua purgatione pota mulieribus præstat ne concipiant. *Idem.*

Enneaphyllon] Quidam genus batrachii esse volunt, quod folia fert murici fere similia, et a quibusdam hydropiper vocatur: alii dentellariam Mompessulanorum esse putant: alii pseudoelleborum herbariorum ubique in saxosis nascens, quod quidam consiliginem, Allobroges vocant *Massitre*, enneaphyllum dictum, quoniam cauliculi summi in novem folia dispescuntur: alii elleborum adulterinum in hortis nascens, quod Novembri florem herbaceum mittit, et folia in novem lacinias divisa. *Id.*

Ne urat latus] Qui in lumbagine et ischiade admovent, lana obvolvunt, ut discutiat quidem humores, qui eos morbos gignunt, non autem exurat. *Idem.*

Blechnon] Nicander βλῆθρον· Ἐν δὲ πολυσχιδέος βλήθρου περιβάλλεο χάρτην. Interpres βλάχνον. Sic et Dioscorides. Phanias apud Athenæum lib. II. filicem βλάχνον vocari scripsit. *Idem.*

Utriusque radice sues pinguescunt] Extremi Northmaniæ populi, ut Abrincathes, ex iis panem conficiunt. *Idem.*

Pinnata] *Pinnis*, τοῖς πτεροῖς, avium similia, unde πτέριδα Græci vocarunt, et Celsus in suis Geoponicis apud Columellam VI. 14. 'aviam.' Ad jumentorum collum in opere contusum, aviam cum sale tritam et impositam remedium esse præsentissimum is scripsit, ad quem usum filicem fœminam Dioscorides commendat, λόφους τῶν ὑποζυγίων ἑλκωμένων. *Idem.*

Neutra danda mulieribus] Apud Dioscoridem legitur, κἂν ἔγκυος διαβῇ ἀκτιτρώσκει. Emendat Lacuna ex fide vetusti exemplaris, κἂν ἔγκυος λάβῃ, id quod confirmat hic locus. *Idem.*

Femur bubulum, &c.] Oportuit hanc herbam dictam fuisse βούμηρον. Eam sic dictam puto, quod fracta boum femora et crura solidet efficacius. Quidam cardiacam esse volunt. *Idem.*

Vel galion] Hoc inepte. *Idem.*

Uti convenit] Lego, *convenit*. *Lactis quoque ubertas intermissa ea restituitur. Sumitur ejus rei causa ex aqua.* Hæc in suam hunc locum sic reponenda, perperam inserta capiti sequenti. *Idem.*

CAP. X. *De glaucio, et glycyside, et gnaphalio, sive chamæzelo, et galedrago, et holco, et hyosiri, et holostéo, et hippophæsto.*

In Syria] Syriæ Hierapoli Diosc. *Idem.*

Humilis herba] Humilem esse herbam Dioscor. non ait, sed habere folia χαμαίζηλα, in terram sparsa. *Idem.*

Usus est et succi, &c.] Hæc aliter Plinius, quam Dioscorides. *Idem.*

Lactis quoque] De glauce hæc Dioscor. non de glaucio. *Idem.*

Folia qualia isatis] Sic quidem ex vetere lectione correctores scripserunt, cum antea in excusis codicibus non *isatis* legeretur, sed *nucis*; sed verior hac in parte vulgata est lectio quam antiqua. Docet id Diosc. lib. III. de pæonia agens, quæ eadem cum glycyside. 'Duorum,' inquit, 'generum est, mas fœminaque. Habet mas regiæ nuci similia folia, fœmina vero Smyrnii modo secta.' *Pintian.*

Ea gustu astringit] Superfluit verbum *Ea*, ex nostro codice. Item verborum paulo post sequentium ordo luxatus est: legi enim debet: *quoniam interdiu periculosum sit, pico Martio impetum in oculos faciente.* Idem.

Rubra enim grana] Delenda conjunctio *enim*, ex eodem; sequitur continuo: *Rubentia menses sistunt XV. fere pota.* Legendum videtur, non *XV.* sed *XII.* ex Dioscoride lib. III. 'Quin etiam,' ait, 'seminis rubentia grana X. aut XII. in nigro austero vino pota rubentes muliebres fluctiones sistunt.' At idem auctor, eodem loco, grana nigra XV. pota mederi tradit obmutescentibus strangulatu vulvæ. *Idem.*

Vulvis medentur] Strangulantibus. Dioscor. *Dalec.*

Alvumque purgat] Uterum, fœminis a partu non purgatis. Diosc. *Id.*

Matricem autem et stomachum decocta in vino] *Arteriam*, non *matricem*, præfert nostrum apographon; ut nonnulli qui matricem in locorum significatione vocem Latinam censent, ab hoc Plinii loco sententiæ suæ confirmationem petentes, frustra conari videantur. Quare magis a Sipontino sto, quam vel a Theodoro, qui in tralatione librorum Aristotelis de natura animalium ea voce sic utitur, vel a Rhodigino, qui fretus auctoritate Solini vilissimi scriptoris, Latinam contendit: magis ipse in ea re sciolus, quam quos immerito reprehendit. *Pintian.*

Stomachum] Acri humore commersum. Dioscor. qui id tamen de granis, non de radice. *Dalec.*

Malum mentis] Ἄνοιαν et μελαγχολίαν, *amentiam*, *melancholiam*. Idem.

Suppressionibus nocturnis] Oppressionibus, τῶν ἐφιαλτῶν πνιγμοῖς, *incuborum suffocationibus*, Faunorum in quiete ludibriis. XXV. 4. *Idem.*

Stomacho vero et rosionibus] *Stomachicis*, non *Stomacho*, in vetusto exemplari; ut forte commodior lectio sit, *Stomachicis vero erosionibus.* Pint.

Incipiente stranguria] Ἀρχὰς λιθιάσεως χαρακτεῖται. Diosc. *Dalec.*

In hoc crescente ætate vermiculos nasci tradunt] In nostro apographo: *In hoc arescente æstate vermiculos nasci tradit.* Pintian.

Educit e corpore aristas] Cum a trahendo sic dicta fuerit, vim attractricem et epispasticam convenienter ei tribuunt. *Dalec.*

Hyoseris intubo similis] Quibusdam jacea ignea. *Idem.*

Ex adverso appellata] Id est, κατ' ἀντίφρασιν. *Idem.*

Sicut fel dulce] Hæc verba aliena esse suspicor, magis quam Plinii. *Pintian.* *Sicut fel dulce*] Τὰ γλυκέα Græci *fella* vocant, ut etiam Lugdunenses hodie fel vocant *le doux.* Aurelianus Chronion III. 1. Multa enim contrariæ interpretationis vocabulum sumpserunt, ut *fella*, quæ γλυκέα vocant, quasi *dulcia*, cum sint amarissima. *Dalec.*

Hippophæston nascitur in spinis ex quibus fiunt œneæ fulloniæ, &c.] Plinius, quod in Græcis reperisset, ἱππόφαιστον ἐν ᾧ τὰ ἱμάτια γνάπτουσι, inde ratiocinatus est nasci hippophæston in ea spina qua vestes poliuntur. Atqui hippophæston ipsa spina est fullonia. *Salmas.* pag. 392. a, b. 395. b.

In spinis] *In spinis, quibus utuntur cortinæ fulloniæ* Vet. sed incommode. Cortinæ nempe vasa, in quibus fervent et coquuntur pannorum pigmenta: *tinctorum* et *infectorum* sunt, non *fullonum*, βαφέων οὐ γναφέων. Lego, *Hippophæston spina in maritimis nascitur. Hac implentur cortinæ fulloniæ: sine caule, &c.* ex Dioscor. Vide initium cap. 18. lib. XXIV. *Dalec.*

CAP. XI. *De hypoglossa, et hypecoo, Idæa, isopyro, lathyri, leontopetalo, lycopside, lithospermo, lapide vulgari, de limeo, leuce, et leucographi.*

Hypoglossa folia habet] Legend. *Hypoglossa folia habet, figura silvestris myrti, comas spinosas, et in his ceu lin-*

guas, &c. Salmas. 402. b.

Corona] Coronam vertit, quod περίαμμα Dioscorides dixit his verbis: δοκεῖ δὲ ἡ κόμη περίαμμα χρήσιμον εἶναι κεφαλαλγοῦσι. Quidam appensa et alligata ea remedia vocant etiam περίαπτα et ἀποτροπαῖα. *Idem.*

Idææ herbæ folia sunt, &c.] Leg. *Idææ herbæ folia sunt, quæ oxymyrsinæ, adhærent velut pampini, in quibus flos.* Ubi notabis Plinio *pampinos* dici vitium claviculas et capreolos, qui intorquentur, quos ἕλικας Græci appellant: atqui *Pampinus*, τὸ φυλλάμπελον. *Salmas.* pag. 403. a.

Isopyron aliqui phaselion vocant, quoniam folium quod est aniso simile in pampinos torquetur] Nostrum apographon: *Isopyron aliqui phaselion vocant, quoniam folium quod est aniso simile in passo oly pampinos torquetur.* Scribo: *Iposyron aliqui phasiolon vocant, quoniam folium quod est aniso simile in phasioli pampinos torquetur.* Diosc. lib. IV. 'Isopyron sunt qui phasiolon appellant, quoniam in summo cacumine folium ejus in phasiolorum claviculas torquetur.' *Pintian.*

Seminis melanthii] Melanthii gustum imitantis. Dioscor. *Dalec.*

Facilia purgatu] Aut corpus facile purgant, aut a suo cortice facile purgantur. *Idem.*

Ut cum pisce aut jure gallinacei, &c.] Grana sex aut septem, in catapotio aut cum ficu, aut cum palmula, sumpta, alvum purgant; sed frigida postea sorbenda cum gallina aut oleribus: folia coquuntur ad eundem usum. Diosc. *Idem.*

Leontopetalon, alii rhapeion vocant] Non *rhapeion* noster codex, sed *parapadion*, habet; ut forte reponi possit, pro *parapadion*, *pardalion*, ex Dioscoride lib. III. 'Leontopetalon,' inquit, 'sunt qui leontopodion, qui leucarion, qui leontion, qui doridion, qui dorictenda, qui agrestem lychnidem, qui pardalion vocent.' *Pintian.*

Aliqui Ægonychon vocant] Diosc. lib. III. 'Ægonychon et exonychon vocari ait, 'lithospermon.' Sed hoc loco nostrum exemplar *exonychon* habet, non *ægonychon*. Idem.

Cavernulas habent, et intus semen] Hæc postrema verba herbarius Anglus intelligenda putat de lithospermo arundineo, quod lachrymam Job officinæ vocant. *Dalec.*

Jacere atque humi serpere, &c.] Lithospermum secundum describi hic volunt. *Idem.*

Neque in alia herbarum fides est visu statim, ad quam medicinam nata sit. Est autem ejus species ut etiam sine auctore visu statim nosci possit] Scribo, *neque in alia herbarum fides est visu statim ad quam medicinam nata sit, ut ejus specie etiam sine auctore usus statim nosci possit*, ex scripto exemplari. *Pintian.*

Impetigo] Cantharidem, scarabæi genus, *impetiginem* vocat, ideo quod membra corporis erodat, ut frumenta cantharis. Supra XVIII. 17. *Chiffl.*

Limeum] *Læmæum*, ἀπὸ τοῦ λοιμοῦ. Eandem et belenium vocarunt, sive ἀπὸ τῶν βελῶν, sive quod Apollo Belis apud eos vocaretur. Eo seculo Galli potissimum venerati sunt Belin: cujus mentio fit apud Herodianum in Maximinis, Hesum, Taranem, Onanam, Abellionem, de quo elogium extat in convenis Novempopulaniæ: DEO ABELLIONI MINICIA JUSTA. V. S. L. M. *Scalig. in Auson.* Vide supra XIII. 24. Auctor librorum de plantis, qui Aristotelis nomen præ se ferunt, Perseam in Perside venenatam belenium vocat, sive a sagittis nomine ducto, sive ab Apolline. Si a sagittis τοξικὸν Græcum fuerit. Aristoteles venenum id a Celtis parari solitum ξενικὸν vocat. Galen. de Ther. ad Pison. ἐλένιον, pro quo lego βελένιον, a Barbarisque vocari tradit *ninum* vel *nicon*. Idem scribit, Dalmatis et Dacis plantam esse, cujus succo sagittas suas efficiant lethales. Tingunt et Galli sagittas suas elleboro, supra XXV. 5. In Æthiopia radicem iis viribus præ-

ditam nasci Theophrastus scribit Hist. IX. 15. *Dalec.*

Salivati additur] 'Salivatum' medicata potio, quam boum faucibus infundunt, aut salubritatis custodiendæ gratia, aut virium conservandarum, aut morbi pellendi. A sale dictum putant quidam, quoniam is pabulo mixtus bobus utilissimus est, quidam a saliva, quam largam et copiosam indita ori ejusmodi medicamenta evocant. Columella V. 5. 'medicamine salivare pecus ægrotum' ait, id est, tractare, sanare, curare, medicari. Inde quidam panem vino mersum cum asperso sale, quem recreandis fessis equis manducandum offerunt, *Salade* vocant, quasi 'salivatum.' Salivari potione utuntur veterinarii ac medici, *ποτὸν* vocantes. *Idem.*

Leuce Mercuriali similis] Mentha Sarracenica. *Idem.*

Leucas appellatur] Chamædrys montana. *Idem.*

Cœliacis, trita ex aqua, &c.] Leg. *Item cœliacis: trita et apposita profluvio fœminarum.* Salmas. p. 137.

CAP. XII. *De medio, et myosota, et myagro, et natrice, et othonne, et onosma, et onopordo, et osyri, et oxye, et batrachio, et polygono, et leucanthemo, et phyteuma, et phyllo, et phellandrio, et phalari, et polyrrhizo, et proserpinaca, et de rhacoma, de reseda, et stœchade.*

Medion folia habet iridis sativæ] *Seridis* legendum esse, non *iridis*, ex Dioscoride lib. IV. notavit ante me Hermolaus. *Pintian.*

Multis capillamentis fibrata] *Fimbriata* in eodem, non *fibrata*: quam recte, censeant legentes. *Idem.*

Vis ei septica, &c.] Ignoranter Plinius septicam esse tradit. Est enim frigida et humida, ut helxine. *Dalec.*

Othone in Syria nascitur] Scribendum *Othonna*, cum duplici *n*, et *a* in fine, ex Dioscoridis utraque editione Græca. *Pintian.*

Perforatis crebro foliis] Lego *cribro*, non *crebro*. Dioscorides lib. II. de Othonna: 'Nascique herbam in Arabia etiam quæ ad Ægyptum est erucæ foliis cribri modo foraminibus multis.' Posuit ergo Plinius *cribro*, pro 'tanquam cribrum,' quo loquendi modo usus est libro septimo de Julio Cæsare loquens, 'celeritatemque quodam igne volucrem,' hoc est, tanquam ignem quendam. *Idem.*

Ad tres digitos in terra jacentia, tria ad similitudinem anchusæ incisa, sine caule, sine flore, sine semine] Si Dioscor. audis, *quattuor digitos* leges, non *tres*, item falso additam putamus vocem illam *tria*. Idem.

Tria] In Dioscorid. historia nec *tria* legitur, nec *incisa*. Hippocrates eam *ῥίζαν* vocat. Galenus in Linguis eam describit, et habere tria folia tradit, non animadvertens eandem esse cum onosmate. Dioscorides vocari etiam *ὀσμάδα*, *ὄνωνιν*, et *φλομῖτιν*, non, ut vulgo legitur, *φλυνῖτιν*, auctor est. *Dalec.*

Onopordon si comederint asini] Vetus exemplar non *Onopordon*, sed *Onopradon*, habet: quod non minus probo; nam ut a *δέρκω*, *ἔδαρκον* et *ἔδρακον*, sic a *πέρδω*, *ἔπαρδον*, *ἔπραδον*, *ὀνόπραδον*. *Pintian.*

Smegmata mulieribus, &c.] Ex osyride *κορήματα* fieri Galenus tradit Simp. lib. VIII. quæ alii interpretantur *smegmata*, ut Plinius, alii *scopas*, alii *κόσμητρα καὶ καλλωπίσματα*: nam *κορεῖν*, *κοσμεῖν*, et *καλλωπίζειν* significat. *Dalec.*

Dissolutum] Affluxu bilis aversum. *Idem.*

Et ad colorem reducit] Ad æqualitatem si nimis emineant. *Idem.*

Concorporat] Delet, et cutem corpori reliquo similem facit. *Idem.*

Qui plura genera, &c.] Primum genus est sanguinaria; secundum herniaria; tertium, polygonon fœmina Dioscoridis; quartum, ut quidam volunt, casia lignea marina Monspessulanorum. Plinius *ὡραῖον*, id est, *pul-*

chrum et *venustum*, *montanum* reddit, quasi legisset ὄρειον, vel ὀρεινόν. Ὡραῖον vocatum fuisse ab eleganti foliorum ambientium circuitu arbitror. Quidam legunt οὐραῖον, et sic dictum volunt, quod ejus folia, quemadmodum et hippuridis, caudarum setis similia sint. *Idem.*

Appellarique a multitudine seminis, aut densitate fruticis calligonon] Verius nostrum exemplar, *callipegona.* Pintian.

A multitudine seminis] Scribonius cap. 47. quia multa est, et ubique nascitur. *Dalec.*

Alii polygonaton, &c.] Vulgo herniariam dicunt. Mirum in medum has historias Plinius confundit. *Idem.*

Alii carcinetron] Scribe cum aspiratione in ultimo, *carcinethron*, ex Dioscoride: et paulo post, *infractis*, ex codice antiquo. *Pintian.*

Adeo contra profluvia sanguinis] Legendum reor, *ut dextra contra profluvia sanguinis.* Idem.

Scillam pusillam, &c.] Apud Dioscoridem: οἱ δὲ καὶ ταῦτο σκίλλην ὀνομάζουσι. Plinius legit σκίλλην μικρὰν ὀνομάζουσι. *Dalec.*

Alii meconion aphrodes] Lego, *alii mecona aphrode*, tum ex codice vetere, tum ex Dioscoride lib. IV. *Pintian.*

Palmi altitudinem petit, in caule summo foliis lenticulæ, gustu adstricto] Scrib. reor: *palmi altitudine, spicata in caule summo, foliis lenticulæ, &c.* Idem.

Poterion] Vide ejusdem poterii historiam, supra XXV. 10. *Dalec.*

In aquosis collibus] In aquosis et collibus. Dioscor. ἐν ἑλώδεσι καὶ γεωλόφοις. *Idem.*

Semine nigro] Ὥσπερ φακοῦ, ἢ μεῖζον· *semine nigro, crasso, lenticulæ, vel majore*, ex vet. codice. *Idem.*

Radice herbacei coloris] Adde verbum *tenui*, ex codice antiquo: *Radice tenui, herbacei coloris.* Dioscorides lib. III. ' Radicem exiguam, brevem, cum ex terra foditur viridem.' *Pintian.*

Muria et oleo] Ex mœnis XXVI. 4. *Dalec.*

Obmutuerint] Præ nimia lassitudine vocem amiserint. *Idem.*

Insignita] Ἐγχυμώσεις et ὑπώπια. Apud Gellium X. 3. Cato in verberatis a Q. Minuto Thermo recenset insignita, injurias, plagas, verbera, vibices, dolores, carnificinas. *Idem.*

Datur et decoctum ejus, &c.] Legend. *Datur et decoctum ejus bibendum duplici mensura, ad rupta, contusa, convulsis, ex sublimi devolutis.* Vide Salmas. p. 797. a.

Sive intus, sive extra purulentis excreationibus] Scribo: *Sic et in tussi vetere, ac purulentis excreationibus*, ex apographo nostro, favente etiam Dioscoride lib. III. et paulo post, *splenicis*, non *spleneticis*, in eodem. *Pintian.*

Sive intus sive extra purulentis exscreationibus] Voss. *sic et in tussi vetere a purulentis.* His male lectis monstrum illud vulgatæ fecerunt jam in scriptis sequioris ætatis. Emenda: *Si dissolutio stomachi, ex frigida aqua sumitur: sic et in tussi vetere ac purulentis exscreationibus.* XXI. 19. ' In tussi vetere radices ejus tres quatuorve decoquunt.' XXII. 23. ' Anhelatoribus et in tussi vetusta cum porro ex aceto datur.' XXIII. 8. ' Tussi quoque veteri tritæ, in aqua mulsa potæ.' Sic quoque Pint. *Gronov.*

Lichenas quoque ex aceto imposita purgat] Scribo *sanat*, ex eodem, non *purgat*. Dioscorides lib. III. ' Emendat Rha Ponticum livores impetiginesque.' *Pintian.*

Singultus, tormina, asperitates, capitis gravitates] Legendum reor, non *asperitates*, sed *suspiria*, ex Dioscorid. lib. III. ' Facit,' inquit, ' ad coxendicis dolores, cruenta sputa, suspiria, singultus, intestinorum tormina,' &c. *Idem.*

Singultus, tormina, asperitates] Voss. *herbetas.* Numquid, *singultus, tor-*

mina, herpetas, capitis gravitates? id est, ἕρπητας vel ἑρπηδόνας, *ulcera manantia*, vel *serpentia*. Psellus: Ἕρπης, πάθος ἐξ ξανθῆς χολῆς ἀμιγοῦς ἑτέρου χυμοῦ κατά τι μορίον συνιστάμενον. *Gronov.*

Quis hic pullos egerit? radices nec caput nec pedes habeant] Codex noster, *Quis hic pullus egerit radices nec caput nec pedes habeat.* Pintian.

CAP. XIII. *De solano, et smyrnio, et telephio, et trichomane, et thalietro, et thlaspe, et tragonia, et tragoni, et trago, et tragopogo, et spondyli. Et quod quidam morbi in quibusdam non sint gentibus.*

Solanum Græci strychnon vocant] Mirum, Plinium in explicanda natura solani tam brevem et abruptum fuisse. *Dalec.*

Sed particulatim, quoniam universa vomitionem movet] *Universitate*, non *universa*, in apographo nostro: rectius. *Pintian.*

Desideriis] Vitiis, morbis. In Græco fortassis ἀπιθέμασιν; pro quo legit Plinius ἐπιθυμήμασιν, remediis admovendis thoraci et præcordiis. *Dalec.*

Maxime in elixis carnibus simul. Concoctiones facit, sapore simillima piperi] Scribo, *maxime in elixis carnibus. Sinon concoctiones facit, sapore*, &c. ut *sinon* sit nomen herbæ: tum etiam ex Dioscoride libro tertio, et Paulo septimo, cujus verba sunt: 'Sinon calidus et subamarus est. Urinam movet, concoctionem adjuvat. Menses educit, et viscera obstructa aperit.' Fugerunt hæc Hermolaum in Corollario, qui in mentione sinonis Plinianum hunc locum prætererit, Plinii alias maximus compilator. Et Marcellum, qui in annotationibus in Dioscoridem nullum Latinum scriptorem de sinone egisse ait. *Pintian.*

Inlinitur lentigini, et cum inaruit, teritur] Voss. *deteritur:* recte, nisi malis *detergitur*. Gronov.

Adianto similis est] Iisdem locis nascitur, quibus adianton. Filici simile est, sed valde parvum. Dioscor. *Dalec.*

Thlaspe] Scribo potius *Thlaspi*, ex Dioscoride et Paulo et cæteris. *Pintian.*

Ramorum] Racemorum acini decem. Dioscor. *Dalec.*

Nascitur in asperis] Imo potius in pratis et udis. Quin et herba esui apta est. Dioscor. *Idem.*

Ultra XII.] Quinque aut sex. Theophrast. ex quo, Hist. IX. 14. hæc omnia. *Idem.*

Genus id serpentis est] Imo potius vermis, in terra sæpe quam profundissime delitescentis; alvo candida, vertebrarum modo instar blattæ flexuosa, ore nigro, dentibus firmis, quibus etiam arborum, præcipue vitis, nedum herbarum radices erodit. Lugdunenses rustici vocant un *Turc*, quasi Turcam. Hortensibus et satis herbis animalia tria potissimum infesta sunt: primum spondylis vel spondyla hic memorata; alterum prasocuris, vulgo, *Taillepré*, Lugdunensibus *Courterole;* tertium mus exiguus, brevi corpore, quamobrem rustici vocant, *Rate courte*, cauda curta, pilo fusco, rostro acuto, instar muris aranei, cæcus ut talpa, ejusque modo terram suffodiens; is carduorum et cinararum magna pernicie radices depascitur, holitoribus inimicissimus hostis et insidiator. *Idem.*

Tineis] Alii, *tæniis*. Iis omnibus complectitur etiam dracunculos Ægypto Arabiæque peculiares, de quibus Paulus IV. 58. et VI. 88. *Idem.*

Tum vero illa animæ auxilia præstantissima] Potior lectio, *præsentissima*. Pintian.

LIBER XXVIII.

CAP. I. *De medicinis ex animalibus.*

Remedia auferrent transversos] Voss. *traversus*. Alter *traverso*. Sic XXI. 4. 'Tralatione quoque, ut vites, optime ocyssimeque provenit.' XXIX. 8. 'Donec candida fiat ac tralucida.' Eodem lib. c. 4. 'Distinguente linea alba et traversum altera.' XXXI. 7. 'glebis pœne tralucentibus:' ibidemque: 'tralucidus et odoratissimus.' XXXIII. 6. 'Candidæ nitentesque, non tamen tralucentes.' Eodem c. 9. 'Depressa an elata, traversa an obliqua.' XXXV. 11. 'Adversum eum pinxit, non traversum.' XXXV. 14. 'Tralatam tamen magis mirabantur.' XXXVIII. 8. 'Maculosi atque non tralucidi.' Sic omnibus his locis liber optimus. *Gronov.*

Sanguinem quoque gladiatorum bibunt] Idem Septimius Florens in Apologetico, Aurelianus lib. I. celerum pass. cap. de Epilepsia: 'Gladiatore jugulato, qui occiderat, et confoderat, ejus sanguine proluebat manus vel in victoriæ signum, vel ut sic immotus ac interritus effundendo hominis sanguini assuesceret. Qui vero caduco morbo vexabantur, eum adhuc calidum ex plaga manantem sorbebant, ut remedium sui mali præstantissimum.' Vide Lipsium Saturnal. II. 22. *Dalec.*

Ut viventibus poculis comitiales morbi] Apographon nostrum, *Ut bibentibus populis comitiales morbi.* Legendum reor, *ut procul sint comitiales morbi;* nam verbum *bibentibus* glossulam, ut dicunt, interlinealem fuisse puto. *Pintian.*

Ut viventibus poculis comitiales morbi] Sic Gelenius, cum ederetur: *ut bibentibus populis procul sint comitiales morbi.* Pintianus reddidit: *ut procul sint comitiales morbi*, extrito τῷ *bibentibus;* cum in scripto reperisset: '*ut bibentibus populis comitiales morbi;* quod etiam in Chiflet. notatum. Quatuor penes nos: *ut bibentibus procul sint comitiales morbi.* Præstantissimus: *ut viventibus populis comitiales morbi.* Conjicio: *Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut juvantibus poculis, comitiales morbi.* Fortasse morosum minus alicui videretur: *ut juvantibus poculis comitiales morbos.* Sed quia omnes scripti fovent τὸ *morbi*, et id dictioni Plinii satis congruit, illud præfero. *Comitiales morbi*, inquit, id est, comitiali malo adfecti, sanguinem quoque bibunt gladiatorum, tanquam *juvantibus poculis*, adversus ejus morbi diritatem. *Gronov.*

Cum plagis ne ferarum quidem admoveri ora fas sit humana] Scribe, *cum e plagis huic ne ferarum quidem admoveri ora mos sit humanus*, ex eod. *Pintian.*

Quis ista invenit ostenta] Scribo, *Quis ista invenit Ostane*, ex eodem: de Ostane Mago et Plinius alibi sæpe, et Suidas, et Dioscorides passim, et omnes. Confirmatur hæc lectio verbis statim sequentibus: 'Tecum enim res erit, eversor juris humani, monstrorumque artifex.' *Idem.*

Siliginem quæ pernoctasset] Expende an sit commodius legi *fuliginem*, quam *siliginem*. Idem.

Æque moriere etiam, cum obscœnus] Pintianus e cod. suo probat *quam obscœnus;* ut et est in Vossiano: tamen ea particula locum hic habere non videtur; hoc enim dicit, non

magis fore ut mortem effugiat, qui proferre vitam sibi videatur obscœnus aut nefandus ob Thyestæas epulas, aut ob hominem impensum, quam si mansisset purus, et anima sancta atque istius culpæ inscia descendisset ad manes. Recte igitur *quum* vel *cum* inde fecerunt. Facilius ferrem τὸ *quam*, si τὸ *etiam* abesset. *Gronov.*

CAP. II. *An sit in medendo verborum aliqua vis: ostenta et sanciri et depelli.*

Valeantne aliquid verba et incantamenta carminum] Vindicianus: 'Sume igitur medicum pro tempore, proque labore, Ætate, atque habitu, summa ratione paratus Gramine seu malis ægro præstare medelam, Carmine seu potius. Namque est res certa saluti Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.' Euripides in Hippolyto coronato: *Νοσοῦσα δ' εὖ πως τὴν νόσον καταστρέφου· Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ, καὶ λόγοι θελκτήριοι· Φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου.* Locus hic ostendit, carminibus vel gravissimam animi perturbationem, amorem, leniri. *Muretus* Var. I. 4.

Quod si verum est, homini acceptum ferri oportere] Vossiani tres, Gud. Acad. *acceptum fieri oportere:* sic XXXIV. 14. 'Quamobrem culpa ejus non naturæ fiat accepta:' et eodem: 'In Cappadocia tantum quæstio est, aquæ aut terræ fiat acceptum.' VIII. 17. 'Nam quæ de infantibus ferarum lacte nutritis, cum essent expositi, produntur, sicut de conditoribus nostris a lupa, magnitudini fatorum accepta fieri æquius, quam ferarum naturæ, arbitror.' Sic enim Chiflet. et Vossiani duo; ubi vulgo etiam *ferri.* Scio tamen II. 7. 'Huic omnia expensa, huic feruntur accepta:' et XII. 18. 'quæ hoc acceptum superis ferat.' Plinius alter Epist. II. 4. 'Quicquid mihi pater tuus debuit, acceptum tibi ferri jubeo.' Ubi tamen membranæ Acad. non spernendæ, *acceptum tibi fieri;* nam et sic Epist. VI. 34. 'Tu tamen meruisti, ut acceptum tibi fieret.' *Gronov.*

Credit vita nec sentit] Credit vulgi opinio valere verba, nec certa cognitione et rerum sensu id persuasum habet. *Dalec.*

Quippe victimas cædi, &c.] Leg. *Quippe victimas cædi sine precatione non videtur, referri ad Deos, rite consuli. non videtur victimas cædi sine precatione*, idem est, ac si diceret: *non videmus victimas cædi.* Et statim sequitur: *Præterea alia sunt verba impetriti, alia depulsorii, alia commendationis.* Vide Salmas. p. 585. b. *Quippe victimas cædi*] In sacris sacerdotes primum precabantur: mox hostiam mola, vino, costo, thure mactabant: deinde libabant, e sympulo fictili, vel ligneo vinum gustantes, et adstantibus propinantes: tum victimariis seu cultrariis, popis, agonibus immolari, et excoriari victimam jubebant, ac excepto pateris sanguine, mortuam proscindi: hinc exta inspiciebant, et, si litatum fuisset, postea reddebant, id est, diis, quod debetur, ministris adstantibus partiebantur: ac postremo epulabantur, carne perpetuo tosta vel assa, nisi ex ariete, quæ elixabatur. His peractis, Græci λαῶν ἄφεσιν denunciabant: Romani vero *licet* proclamabant, eos qui adstiterant, dimittentes. Alex. ab Alex. IV. 17. Vide et quod notatum est XXIV. 9. et XXXIV. 12. *Idem.*

Sine precatione] Ejus initium fiebat a Jano et Vesta, ut per eos aditus pateret ad Jovem Opt. Max. Apollinem, Vulcanum, Mercurium, et reliquos, ut volentes ac propitii sacris adsint et precationi, quæ in eundem Janum finiebat. Alex. ab Alex. IV. 17. *Idem.*

Referre] Pium, sanctum, ac legitimum esse. *Idem.*

Quippe victimas cædi sine precatione non videtur referre, nec Deos rite consuli] Hæc esse corruptissima exclamat

Salmasius ad Solinum pag. 585. nec sententiam ullam, bona quæ sit, efficere: veteres libros omnes legere, *referri adeo rite consuli;* restituendum autem: *Quippe victimas cædi sine precatione non videtur, referri ad Deos, rite consuli.* At hoc mihi multo molestius ad aures accidit. Quod ille omnibus in vett. libris esse ait, exstat etiam in nostris, sed sequioribus. Vossianus nihil demutat, nisi quod habet *aut Deos,* pro *nec Deos.* Utram autem particulam recipias, plana erit sententia: *Sine precatione cædi victimas referre* (i. prodesse sacrificia, vel cædi utiliter victimas) *aut Deos rite consuli non videtur.* Item: *Sine precatione non videtur referre* (id est, nihil juvare putatur, nihil prodesse vulgo creditur) *cædi victimas, nec* videtur *Deos rite consuli.* Quo significat necessario preces adhibendas. Unde apparet etiam error Jac. Gutherii de Jure Pont. IV. 14. qui *victimas cædi sine precatione non videri referre,* accipit quasi diceretur, nihil interesse, preces ad sacrificium funderentur, annon; eoque τὸ *referre* delet. Quis est qui confiteatur sese ignorasse, 'refert' esse interdum, ad rem pertinet, juvat, utile est? Plautus Curcul. IV. 3. 'Quid refert me fecisse regibus, ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?' Epidico I. 2. 'Nam quid te igitur retulit Beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuum est?' In hoc tamen tota difficultas. *Non videtur referre victimas cædi sine precatione,* est, non videtur ad rem pertinere, nihil agitur sacrificando sine precibus. *Gronov.*

Impetrantis] Impetrito rem divinam fieri solitam Valerius scribit I. 1. cum aliquid foret inquirendum extis, vel sortibus, addo et auspicio; precatione, cum commendandum; voto, cum exposcendum; gratulatione, cum solvendum. Impetrito vero contineri eorum precationes quæ ostentis aut fulguribus denunciantur. Vide Turn. Advers. XXIII. 10. et XVIII. 5. *Impetritum* quasi in petra fixum, ratum, firmum, stabile, augurio, extis, sortibus impetratum. Plaut. in Asinaria: 'Impetritum, inauguratum est, quodvis admittunt aves.' Vide Festum. *Dalec.*

Depulsoria] Depulsoria, aut, ut est apud Valerium, depulsa, ad portenta pertinebant, quæ conceptis verbis depellebantur et avertebantur. Quod idem Valerius scribit, precatione Diis, quod salvum esse volebant, commendabant. Turn. Advers. XXIII. 10. et v. 18. *Idem.*

Aliam vero præponi, &c.] Verba illa fuerunt, εὐφημεῖτε, σιγᾶτε, 'favete linguis.' Ovidius: 'Postera lux oritur, linguis animisque favete: Nunc dicenda bono sunt bona verba die.' Cicero de Divinat. lib. II. Euripid. in Ione: Στόμα τ' εὔφημον φρουρεῖν' ἀγαθὸν, Φήμας τ' ἀγαθὰς τοῖς ἐθέλουσιν Μαντεύεσθαι Γλώσσης ἰδίας ἀποφαίνειν. Attius in Œnomao apud Nonium: 'Per urbem, ut omnes qui arcana asteumque accolunt Cives, omnibus faustis augustam adhibeant Faventiam, ore obscœna dicta segregent.' *Idem.*

Exaudiatur] Ab eo qui precatur, quod ejus mentem occupet et avertat. *Idem.*

Ipsæ diræ] Ut Crasso apud Ciceronem de Divin. lib. I. *Idem.*

Adimi capita] 'Caput jocineris,' inquit Livius, 'a familiari parte cæsum dicitur aruspex ostendisse.' Caput id, venarum hepatis truncus est, aut portæ ingredientis, aut cavæ prodeuntis. Familiaris pars fuit 'interior,' nempe cava, sive sima: hostilis 'exterior,' nimirum gibba. Hepatis λοβοὺς, *fibras,* Cicero de Divin. lib. II. *fissa* vocat. Vide Turn. v. 18. et XI. 27. *Idem.*

Carmen] Precatio, qua se devovit ad Veserim Decius pater, extat apud Livium lib. VIII. Decad. I. Eodem

carmine, sed adjectis præterea quibusdam execrationibus ac dirarum minis, filius se devovit apud eundem auctorem lib. x. ejusdem Decad. Apud Græcos eadem pietate erga patriam Menœceus Creontis filius vitam et sanguinem Thebanis suis largitus est, gladioque se transfixum e muris præcipitem dedit, auctore Cicer. Tusc. lib. I. Papinius Theb. x. 'Sanguine nunc spargit turres, et mœnia lustrat, Seque super medias acies, nondum ense remisso, Jecit et in sævos cadere est conatus Achivos.' *Dalec.*

Boario in foro Græcum Græcamque defossos] In vetusto exemplari: *Boario vero in foro Græcum Græcamve defossa:* lectione notanda pro Grammaticis. *Pintian.* *Boario vero in foro, &c.*] Livius lib. II. Decad. III. Plutarchus in problemate, cur Bletonensiis interdictum sit a Romanis, ne hominem immolarent. Idem in Marcello. Vide Brod. v. 10. *Dalec.*

Cum si semel recipiatur ea ratio et Deos preces aliquas exaudire] Scribendum reor: *Quod si semel recipiatur ea ratione et deos, &c.* Pintian.

Confitendum sit de tota conjectatione. Prisci quidem nostri perpetuo talia prodidere] Verbum *confitendum* præcedentibus annecte: cætera sic legenda reor: *Sed dempta conjectatione prisci quidem nostri perpetuo talia credidere;* nam vetus exemplar *credidere* legit, non *prodidere;* et in eodem *sed* legitur, non *sit*. Idem.

Confitendum sit de tota contestatione] Pintianus: *Quod si semel recipiatur, ea ratione et Deos, &c. confitendum. Sed dempta contestatione prisci quidem nostri perpetuo talia credidere.* Voss. et Chiflet. *conjectione*. Idque censeo admittendum; in cæteris mutandum nihil. Perinde est ac si dixisset, de tota lite, de tota quæstione. Verbum juris est *conjicere causam.* Duodecim apud Gellium XVII. 2. 'Ante meridiem causam conjiciunto.' Ubi frustra sollicitant. Afranius: 'Causam conjicere hodie ad te volo. Ambon' adestis? profuturos arbitror.' Gellius v. 11. 'Litem cum Euathlo contestatur, et quum ad judices conjiciendæ consistendæque causæ gratia venissent.' Quemadmodum autem multæ aliæ locutiones, quæ proprie partem et actum unum e multis forensium solennium significant, pro tota actione sæpe ponuntur; ut 'postulare,' 'jurare calumniam,' 'subscribere,' pro accusare; sic et 'conjicere causam,' proprie pars et initium agendi, interdum nihil aliud fuit quam 'agere,' ut Nonius interpretatur, quod excusabile mihi satis videtur: etsi P. Faber haudquaquam sese id probare scribat. Hinc etiam solum 'conjicere' est contendere, certare. Idem Afranius: 'Noli, mater, me præsente cum patre conjicere: non, si me vivum vis, mel meum.' Inde quidam paullo ulterius progressi *conjectionem* pro causa sive controversia dixere, Pliniusque hic eos imitatus. Neque hic tantum, sed et II. 7. 'Invenit tamen inter has utrasque sententias sibi ipsa mortalitas numen, quo minus etiam plana de Deo conjectio esset;' sic enim eum scripsisse mihi persuadeo, etsi sit in libris 'conjectatio.' Eodem cap. extremo: 'In hæc divertisse non fuerit alienum vulgata, propter assiduam quæstionem de Deo:' nempe conjectio de Deo, est 'quæstio de Deo.' *Gronov.*

Missis ob id a Senatu legatis] Hermolai est, quum Jo. Andreas edidisset: *missis ob id a se legatis.* Certe a rege potius quam a senatu missi sunt, teste Dionysio lib. IV. Voss. *missus a delegatis.* Men. *ob id a se elegatis.* Forte: *missis ob id ad se legatis.* Sequitur enim statim: 'Hetruriæ celeberrimus vates.' Eum respicit pronomen. *Idem.*

Præparatæ quadrigæ, &c.] Hanc historiam vide fuse narratam a Plu-

tarcho in Poplicola. Victor. XVII. 18. Festus in voce Ratumena. *Dalec.*

In Duodecim tabulis verba sunt] Versus ii sunt: 'Ne pelliciundo alienas segetes excantanto: Ne incantanto, ne agrum defraudanto: Ne frugem aratro quæsitam noctu furtim depascunto. Puberes si secanto, Cereri eos suspendunto. Impuberes arbitratu Prætoris verberanto. Ac noxam duplionem (noxæ deinde talionem) decernunto.' Gaudentius Merula I. 4. Vide supra XVIII. 3. Rævardus in Leges XII. Tab. c. 28. Seneca Natur. Quæst. IV. 7. Apuleius Apol. 1. Maleficos hos indemnatos unicuique licebat interimere. Scalig. in Fest. ultima voce earum, quæ a P incipiunt. *Idem.*

Qui fruges excantasset] Aptior, ut sentio, lectio erit, *excantassit*: verbum antiquum ab 'excanto,' 'excantasso:' ut a 'levo,' 'levasso,' apud Cicer. Catone Majore, 'curamve levasso.' *Pintian.*

In oppugnationibus, &c.] Ad eum ritum Macrob. et Servius pertinere volunt hos versus Virgilii: 'Excessere omnes adytis arisque relictis Di quibus imperium hoc steterat.' Muretus tamen Var. V. 19. ejus loci abstrusiorem sensum monstrat, ex Æschylo et ejus Scholiaste petitum. *Dalec.*

Ampliorem locum apud Romanos cultumve] Nec τὸ *locum*, nec τὸ *ve* locum habent in Vossiano, sed tantum: *promittique illi eundem aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in pontificum disciplina id sacrum.* Gronov.

Huc pertinet ovorum] Veteres cum nomina, simulachra, testæ ovorum acu perforarentur, hoc veneficio et maleficio aliquos lædi putabant. Ovidius: 'Sagaque Phœnicea defixit nomina cera, Et medium tenues in jecur urget acus.' Itaque ne hoc eveniret, ovorum, cochlearumque putamina frangebant et pertundebant, ut maleficium occuparent et averterent. *Turneb.*

Aut eosdem cochlearibus perforari] Duo illa verba, *eosdem cochlearibus*, falso inserta mihi videntur. *Pintian.*

Incantari] Turnebus legit *recanere*, id est, retorquere et dissolvere incantationem. Cantu ut rumpi angues prisci putabant, sic angues ipsos credebant, si præsentirent, recanere, sive incantationem diluere ac exolvere. Lucilius Sat. lib. XX. 'Jam disrumpetur medius, jam ut Marsu' colubras Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.' Eo loco 'colubram' dicit poëta fœminino genere. *Dalec.*

Conscribuntur] Lego *circumscribuntur*, hoc est, definiuntur, terminantur, ne flamma longius evagetur. Deprecatio illa ex Afranio nota fuit, si in pariete scriberetur 'Arse Vorse.' Vide Festum in dictione 'Arse.' *Idem.*

Et quæ ridicula videri cogit animus] Vossianus: *et quæ irridicula.* Non temere est. Plautus Casina V. 2. 'Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque ita nunc irridiculo sumus ambo.' Pœnulo V. 4. 'Neque ab juventute ibi irridiculo habitæ.' Quemadmodum 'irridere' est ridere, ita 'irridiculus' est ridiculus. *Gronov.*

Ulyxem inhibuisse carmine] Homerus Odyss. T. de Autolici filiis id scribit, non de Ulysse, cui tum aper dextrum humerum sauciaverat: *ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν Ἔσχεθον*, inquit. *Dalec.*

Theophrastus] Libro de enthusiasmo. *Idem.*

Ischiadicos sanari] *Ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσοι τις ἐπὶ τοῦ πόνου τῇ Φρυγιστῇ ἁρμονίᾳ, sine morbo permanere, si quis, cum dolore vexatur, concentu Phrygio tibiam inflet.* Athen. lib. XIV. *Id.*

Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari] Voss. ut et Chiflet. *auxiliare.* Optime. Ovid. Met. VII. 'Neve parum valeant a se data gra-

mina, carmen Auxiliare canit.' *Gron.*

Licet hanc in partem singulorum quoque conscientiam courguere] Voss. quoque, ut Chiflet. *Libet hanc partem*, neglecta et præpositione; sed Vossianus insuper *conscientia:* egregie: *Libet*, inquit, *hanc partem singulorum quoque conscientia coarguere.* Et quæ sequuntur, sunt, quæ singuli se facere sibi erant conscii. *Idem.*

Primum anni incipientis, &c.] Priscis seculis anni primus dies fuerunt Calend. Martiæ: itaque tum novum ignem Vestales accendebant, laureæ virides in consulum fascibus, ædibus Regis sacrorum, Flaminum, Vestalium, curia, pro veteribus mutabantur, magistris merces solvebatur, vectigalia locabantur, matronæ feriis Matronalibus servis cœnas apponebant, viri mulieribus dona mittebant, ut Saturnalibus mulieres viris, comitia celebrabantur. Alex. ab Alex. III. 24. *Dalec.*

Nomina victimas, &c.] In sacris veteres quædam bona nomina dicis caussa proferebant: in nuptiis Caiam, Cæciliam, et Thalassionem; in capienda Vestali, Amatam; Nonis Caprotinis, Caium, Marcum, Lucium; in censu vel delectu faciendo, Valesium, Salvium, Statorium; in Saliari carmine, ut ait Varro de Ling. Lat. lib. v. Luciam Volumniam, et Mamurium Veturium; ac, ut ait Cicero, in lustranda colonia, ab eo, qui deduceret, et cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias deducerent eligebantur. Quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine. Plutarchus in Quæst. Rom. 30. et 31. *Idem.*

Nemesin invocantes] Quæ fuerit Nemesis vide apud Rhod. fuse disputatum XI. 19. Pausanias scribit pictam illam coronam gestare, in qua spectantur corvi et fortunæ imagunculæ: dextra fraxineum gestare ramum, sinistra phialam, Æthiopib. insculptis. Aristoteles Nemesim esse vult indignationem conceptam ex improborum prosperis rebus, sicut misericordiam, dolorem ex adversis bonorum. Apuleio Asini x. Ceres est. *Idem.*

Cur ad mentionem defunctorum] 'Ρωμαῖοι, inquit Plutarch. in Cicerone, μὴ βουλόμενοι δυσφημεῖν, ἐξιέναι λέγουσιν, τὸ τεθνᾶναι. Dixerunt et Græci ταύτης τῆς εὐφημίας χάριν, ἀποίχεσθαι, quemadmodum et Latini *abire*, mortis mentione abstinentes, et de eo, qui obiisset, *vixit.* Hinc lethum ἀπὸ τῆς λήθης, quod ii minime solicitandi, et a quiete avocandi, quamvis Priscianus a 'leo, levi' ducat. Græcis etiam, qui vita migrarunt, μακαρῖται dicuntur, bonæ scevæ omine, et πλείονες potius quam νεκροὶ, unde πολυάνδριον, *sepulchretum*, Latinis 'letho dati.' Festus, 'Ollus Quiris letho datus est.' Cicero de Legibus lib. III. 'Manium jura sancta sunt. Hos letho datos divos habento.' *Scalig.*

Ad primitias pomorum] Meditrinalibus ovum et vetus vinum libantes ac degustantes medicinæ gratia dicebant: 'Novum vetus vinum bibo, novo veteri morbo medeor.' Varr. idem fere Athenis fieri solitum ἐν τοῖς πιθοιγίοις, seu *Vinalibus*, Plutarchus tradit Sympos. III. 7. De Meditrinalibus idem Verrius Flaccus. *Dalec.*

Cur sternutamentis salutamur] Captatis auguriis sternutamenta cum superveniunt, illa sive bona, sive mala sint, confirmant et rata faciunt. Apud Homerum Penelope procis infortunium minante Telemachus sternutat. Hippiæ sternutanti dens excussus magnam calamitatem portendit. Xenophontem concionantem ducem milites creant, quoniam eo loquente quidam sternutasset. Matutina sternutamenta tristia et infœlicia: meridiana, præcipue a nare dextra, læta et prospera putaverunt. Alex. ab Alex. II. 26. Vide quod notatum est infra c. 6. Plutarchus

de Homero sternutationem fœlicem et lætam esse tradit. Ea scilicet caussa est cur sternutantes salutemus. Vide Jan. Dusam super Arbitrum II. 4. *Idem.*

Cur sternutamentis salutamur] Men. Acad. et Gud. *salutamus*. Andeg. *cur sternuntis salutamus.* Ex Chiflet. afferunt, *alia sternutamentis salutamus*. Præcipuus noster manu prima, *alia sternuentis salutamus*. Posterior manus inducto τῷ *alia* superposuit *cur*, tum literam *M* voci sequenti, quasi interjiciendam inter *V* et *E*, ut fieret *sternumentis*. Sed vera lectio est, *cur sternuentes salutamus?* Catullus, 'Dextram sternuit approbationem.' Ovidius, 'Sternuit et lumen.' *Gronov.*

Tinnitu aurium] In Catalectis vetus poëta: 'Garrula quid totis resonas mihi noctibus auris? Nescio quem dicis nunc meminisse mei,' &c. Vide adnotata inf. in c. 6. proximum. *Dalec.*

Pollices, cum faveamus] Vide Ang. Polit. Misc. c. 42. Eo pertinet Glyceræ dictum apud Menandrum: τοὺς δακτύλους ἐμαυτῆς πιέζουσα, ἢ ἂν κροταλίζῃ τὸ θέατρον. Turn. Advers. XI. 6. *Idem.*

In adorando dextram] Apuleius Asini lib. IV. de formosa virgine, quam ut Deam mirabantur: 'Multi,' inquit, 'denique civium admoventes oribus suis dextram, priore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.' Idem in Apologia prima: 'Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.' Adi Pet. Pith. Advers. VII. 1. Barn. Briss. Form. I. *Idem.*

Totumque corpus circumagimus] Cœlestis vertiginis quadam imagine, vel, quod Ægyptiæ rotæ significabant, quia nihil in rebus humanis constans et stabile sit. Rhod. XII. 2. Plaut. 'Quo me vertam nescio. B. Si Deos salutas, dextrorsum censeo.' Pithœus I. 7. In symbolis Pythagoricis, προσκύνει περιφερόμενος. Suetonius in Vitellio cap. 2. 'Lucius Vitellius primus Caium Cæsarem adorari ut Deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.' *Idem.*

Fulgetras poppysmis adorare] Tenuibus sibilis ore emissis. Alex. ab Alex. V. 13. vel, leviter complosis manibus cavis, velut ad deliniendum Jovem iratum. Turneb. Advers. IV. 15. Manus cavæ complosæ poppysmum efficiunt. Ea vox fictitia est ad soni expressionem. Aristophanes ἐν Σφηξὶν νῦν ἀστράψει ποππύζουσι. Interpres adnotat, ἔθος τοῦτο γεγονέναι. Sophocles: ποππύζεται ζευγηλατρίς. Dexippo Commentariis in Categorias Arist. ἐπὶ ποππυσμάτων ἄναρθρός ἐστί τις ψόφος. Politianus Miscell. c. 33. *Idem.*

Mensam vel repositorium tolli] *Mensas* Turnebus XXI. 22. exponit fercula, magidas, lances. Ego vero præterea panis quadras, et abacos, quibus imponebatur e lance sumptus cibus discindendus et mandendus. Virg. 'Heus etiam mensas consumimus, inquit Iulus.' Hac superstitione persuasi Græci sub epularum finem ἀγαθοῦ δαίμονος poculum, merum circumferebant, ac bibebant, deinde protinus auferri mensam jubebant. Itaque Dionysius, cum auream mensam ex Æsculapii fano vellet tollere, tanquam veteris instituti studiosus, ad boni dæmonis poculum invitavit, deinde confestim asportari mensam imperavit. Vict. I. 1. *Idem.*

Servii Sulpitii principis, &c.] Quod ex Servii commentatione tradit Plinius, Scaliger apud Festum, in voce, 'Mensa migrare,' intelligi vult de mensis in templis Deorum positis, super quibus sacrificio peracto epulabantur. Oratio tamen Plinii spectare potius videtur ad privatas epu-

las. *Mensas* hic accipio quadram, cui obsonium e lance et patina sumptum imponebant, ac frustatim concidebant, ut mundius et commodius manducarent: vulgo *Tranchoirs*, *Assietes*. Ea fiebant ex argento, ære, stanno, et alia ejusmodi materia, panis velut abaco superaddito, qui obsoniorum pingue exciperet, et quem comesse ominosum fuit, ut vel ex superiori versu Virgilii intelligitur. Eo pertinet poëtæ hemistichium, 'miserum est aliena vivere quadra.' Linquebant mensam, qui festinata voracitate inquinassent, quod incivile est. Suberat fortassis et hæc superstitiosa cogitatio, mensas nec Deorum esse mutandas, nec nostras, quæ illas repræsentat. *Dalec.*

Nondum enim plures] Mensæ non mutabantur, quod luxuriosa posteritas excogitavit in singulos ferculorum missus, ut constat ex Alex. apud Athenæum lib. IX. et Plutarcho in vita Pelopidæ; sed convivarum cuique sua, et tantum semel dabatur. *Idem.*

Famæ labor est] Augurium est, convivarum quemcunque famæ et existimationis periculum subiturum. *Idem.*

Cibus etiam e manu prolapsus, &c.] Quidam contrarium existimarunt, quæ inter epulas e mensa decidunt, heroibus sacra esse, unde symbolum Pythagoricum, τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι. Ideoque nec tollenda, nec gustanda. Alex. ab Alexand. v. 22. Fuit et inauspicatum, convivam atra veste indutum accumbere: quod Vatinio Cicero exprobravit. Idem. Lumen in lucernis accensum sponte emori sinebant: extinxisse religiosum fuit, ut et mensam sic vacuam tollere, quin aliquid superesset reliqui. *Idem.*

Quid loquenti cogitantive id acciderit inter execratissima. Si Pontifici accidat ditis causa epulanti, &c.] Erratum esse existimo in ordine verborum, et legendum sic esse, ut duo illa verba, *inter execratissima*, principium præbeant colo sequenti: *Inter execratissima, si pontifici accidat ditis causa epulanti, &c.* Considerandumque an hoc loco scribendum sit non *accidat*, sed *quid cadat*, aut aliud simile. Alioqui fatendum habebimus locum esse hiantem, ut nonnullos alios hoc cap. De cætero non postremæ quæstionis esset, inquirere quid significet, *ditis causa*, quod non apud Plinium modo, sed JCtos etiam invenio; nam et lib. XIII. Digestorum titulo Commodati vel contra, Caii verba sunt: 'Sæpe enim ad hoc commodantur pecuniæ, ut ditis gratia numerationis loco intercedant:' quem locum nonnulli quo volunt detorquentes, corrumpere nituntur, et lib. undetricesimo, tit. 5. 'Excusantur,' inquit Ulpianus, 'servi, qui auxilium tulerunt sine dolo malo. Nam si finxit se quis auxilium ferre, vel ditis gratia tulit, nihil hoc commentum ei proderit.' *Pintian.*

Ditis causa epulanti] Turneb. Advers. XVIII. 26. legit *Dicis causa*, ex manuscripto. Cum inaugurationes et sacra fierent, epulis interesse solebant quondam Pontifices, ad vetustatisque memoriam et imitationem quibusdam in sacris epulatio retinebatur: quod aiebant, *Dicis causa* fieri. Constantinus exponit, *Dicis causa*, expiationis causa: ἀφοσιώσεως ἕνεκα, δίκης, vel δικαίου χάριν: nimirum, ut omen triste averterent, sacris rite peractis cum epulabantur. Interpretatio hæc ex Capro Grammatico, et Modestino Jurisconsulto petita est. Duaren. Annivers. I. 47. exponit, 'non serio, non vere, sed perfunctorie tantum, et per simulationem.' Vide locum. Olim in mancipationibus interveniebat, et quod ait Jurisconsultus lib. IV. ff. commodati, commodabatur pecunia, nempe sestertius nummus, ut dicis gratia numerationis loco intercederet, præsertim in donationi-

bus, quæ fiebant per emancipationem. Græci exponunt *νόμου χάριν*, ut satisfiat juris solennitatibus; vel *λόγου χάριν*, nempe, *verbi gratia*, ut dicere possint se numerasse, ac, ut inquit Cicero, se emisse. Cujac. Observ. x. 37. Arnob. Adv. Gen. princ. lib. iv. *Dicis causa* clarissime usurpat pro boni lætique ominis gratia. *Dalec.*

Piatio est] Piaculo dignum, ejus inauspicati infœlicisque ominis et augurii purgatio, lustratio, expiatio, deprecatio, averruncatio. Nam Laribus rerum primitias offerebant, non quod homines ac convivæ gustare dedignati fuissent. Quin et ipsas primitias, semel in mensa depositas, Laribus, jam ab homine contrectatas, et tanquam inquinatas, sacrificare piaculum erat. Horatius ii. Sat. 4. 'dulcia poma, Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores, Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.' *Idem.*

Atque a digito indice multorum pecuniæ religiosum est] Præpositionem ignorant Mss. An, *atque digito indice moveri pecuniam religiosum est?* Gronov.

Cap. iii. *Remedia ex homine contra Magos.*

Suctuve modico] Leg. *suctuve medico*, id est, medicato. Validus enim succus ille est, non mediocris. Primum enim saliva tangebatur vulnus, ne serperet; deinde venenum carminibus et verbis eliciebatur. Hæc si non juvissent, suctu valido extractum expuebatur. Apud Lucan. lib. ix. de hac re elegantissimi versus extant. Vetus exemplar habet 'tumido,' itaque fortassis legi potest 'tumidos,' ut percussos tantum Psylli curent solo tactu, jam vero tumentes suctu. *Chiffl.*

Quorum e genere sunt Psylli Marsique, et qui Ophiogenes vocantur in insula Cypro] Si hic locus cum altero Plinii conferatur, apertissimum fiet hunc locum insigniter depravatum esse; scribendum igitur: *Quorum e genere sunt Psylli Marsique, et qui Ophiogenes vocantur in Hellesponti Pario.* Est autem Parium celebre Asiæ oppidum ad Hellespontum, magnæ mentionis apud Geographos omnes et plerosque ex Historicis ac Poëtis. Plinius vii. 2. 'Crates,' inquit, 'Pergamenus in Hellesponto circa Parium genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocant, serpentium ictus contactu levare solitos, et manu imposita venena extrahere corpori. Similis et in Africa Psyllorum gens fuit. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, cujus odore sopirent eas.' Et in nostro apographo non *Cypro* habetur, sed *Paro*, facili lapsu, unius literulæ omissione; stolidi videlicet librarii seu correctores pro *Hellespon* substituerunt *Insula*, pro *ipario*, *Cypro*. Sed quid opus est citare codicis antiqui fidem? Audi Strabonem gravissimum ac diligentissimum auctorem, ad hunc modum lib. xiii. de Pario et Ophiogenibus disserentem: 'Parium Civitas est juxta mare quæ majorem portum habet quam Priapus ex ea aucta. Nam Pariani, Attalicis obsequentes, sub quibus est ager Priapensis, multum ex horum regione absciderunt, permittentibus quidem illis. Hoc in loco finxerunt Ophiogenas cognationem quandam cum serpentibus habere; proditum est enim mares serpentium morsibus remedio esse, si eos continuo attigerint, quemadmodum incantatores: ac primo livorem transferre, postea tumorem ac dolorem sedare. Gentis hujus auctorem tradunt heroëm quendam ex serpente immutatum, qui fortasse unus aliquis fuit ex Libycis Psyllis. Vis autem ea aliquandiu in genus permansit.' *Pintian.*

Marsique] Marrubios vocat Poëta: 'Quin et Marrubia venit de gente sacerdos.' *Dalec.*

Ophiogenes] Apud Priscianum lib.

x. Varro primo Rerum humanarum 'Pharios' vocat: 'Ut habent,' inquit, 'Pharii, qui vocantur ὀφιογενεῖς, et in Africa Psylli, quorum ophiogenistum si arbitrantur suppositum esse aliquem in stirpe, admovent ut pungat colubra. Si non sit, mori cum pupugerit; si de gente sit, vivere.' Meminit horum Ælianus de Animal. xii. 39. *Idem.*

In insula Cypro] Leg. *Paro;* et pro *suctuve modico*, leg. *suctuve humido.* Salivosum suctum ita vocat; nam saliva præcipue medebantur. *Salmas.* 348. a.

In dolium serpentium conjectus] Voss. *in nidulum serpentium.* Quidam m. p. *in dolum.* Gronov.

Nam in insula Nili Tentyri nascentes, tanto sunt, &c.] In nostro exemplari, *Nam in insula Nili Tentyricenses tanto sunt, &c.* Scribo, *Nam in Insula Nili Tentyritæ gens tanto sunt, &c.* Plinius ipse viii. 25. 'Quin et gens est huic belluæ adversa in ipso Nilo Tentyritæ, ab Insula in qua habitant appellata.' *Pintian.*

Horum omnium generum in sua repugnantia interventum quoque mederi constat] Verisimilior lectio, *Horum omni vi sua repurgantium interventum, &c.* Idem.

Tantum remanet virus excepto semel malo] Scribo, *Tantum remanet virus ex accepto semel malo,* ex antiquo exemplari: et paulo post *aspergi*, non *inspergi.* Idem.

Pythagoræ inventis non temere fallere, impositivorum nominum imparem vocalium numerum, clauditates, oculorum orbitatem, ac similes casus dextris assignare partibus, parem lævis] In scripto exemplari, cum præpositione *e* legitur, *E Pythagoræ inventis.* Considerandum vero an sit peccatum in serie et dispositione verborum; nam, ut conjectura assequor, scribi debet hoc pacto: *E Pythagoræ inventis, non temere fallere impositivorum nominum clauditates, oculorumve orbitatem, ac similes casus, imparem vocalium numerum dextris assignare partibus, parem lævis.* Idem.

Pythagoræ inventis non temere fallere] Vossianus, *E Pythagoræ inventis non temere fallere.* Neque aliter codex Ferdinandi Nonii. Ponit idem considerandum, an sit peccatum in serie ac dispositione verborum: quantum enim assequatur conjectura, scribi debere hoc pacto: *E Pythagoræ inventis, non temere fallere impositivorum nominum clauditates oculorumve orbitates ac similes casus, imparem vocalium munerum dextris, &c.* Quid sibi velit, ignoro: nihil autem in Plinio trajiciendum esse satis acceptum habeo. Initium hujus capitis pendet a fine præcedentis, quippe cum harum sectionum auctor ipse non fuerit. Intelliges igitur inde, *qui sciat* illud ex inventis Pythagoræ non temere fallere. Quod illud? Nempe prout impositivum cujusque nomen vocalibus constet paribus imparibusve, si cui eveniat, ut claudus fiat aut cocles, si nomini ejus impositivo sint impares vocales, dextro pede claudum aut oculo dextro captum fore; si pares, lævis. *Oculive* Chiflet. et Voss. non *oculorumve.* Gronov.

CAP. IV. *De quibusdam sortilegiis, et saliva hominis.*

Hasta velitaris] Celibarem quoque olim vocaverunt, ea soliti comam in fronte sponsarum digerere, ac discriminare, vel argumento quod sponsas maritorum imperio subditas esse conveniat, vel augurio fœlici, quod fortes strenuosque bellatores parituræ sint. Alex. ab Alex. ii. 5. *Dalec.*

Pelopis costa] Pausanias in Eliacis opertæ scoptulæ Pelopis mentionem facit, nullam autem hujus eburneæ costæ. *Idem.*

Elide solebat ostendi Pelopis costa] Voss. *Pelopis ostiliani.* Quatuor alii *ostilia*, vel *hostilia.* Lege, *Pelopis scapula.* 'Ωμοπλάτη, *humerus.* Gronov.

Despuimus comitiales morbos] Plaut.

in Captivis: 'Ægio, hic homo rabiosus habitus est in Aulide. Ne tu quod fabulatur in aures immittas tuas, Nam istbic hastis insectatus est domi matrem et patrem, Et illic isti qui insputatur morbus interdum venit.' *Dalec.*

Fascinationes] De iis Plutarchus Sympos. v. 7. *Idem.*

Spei alicujus audacioris] Frustra Pintianus venditat *audaciores;* neque enim emimus vel titivillitio. *Spes audacior* est, quæ Justino 'spes improba:' lib. XXII. 'Qui spe improba regnum totius Africæ amplexus.' lib. XXIX. 'Imperium spe improba totius orbis amplexi.' *Gronov.*

De simplicibus effectibus scripsit] Simplicium. Sic Galenus suos libros inscripsit, περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν δυνάμεως. *Dalec.*

Nos si hæc et illa credamus rite fieri] Omnes quinque, *Eos hæc credamus rite extranei.* Τὰ *si, et illa, fieri,* nusquam. Deinde optimus, *quanquam illos religione mutuatur.* Locus est egregius et dignus quem assequamur. Quod sic tentabam: *Eis hæc credamus, item extranei interventu, aut si dormiens spectetur infans, a nutrice terna adspui: quanquam illos religione tutatur et Fascinus, imperatorum quoque, non solum infantium custos: qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur; et currus triumphantium, sub his pendens, defendit medicus invidiæ: jubetque eosdem respicere similis medicina linguæ, ut sit exorata Fortuna gloriæ, a tergo carnificem.* Dixerat superius: 'Credamus ergo et lichenas leprasque,' &c. Huic respondet *Eis* (Marcioni, Opilio, Salpæ) *hæc credamus,* et quod sequitur. *Illos,* puta infantes, quos adspuendo terna tutari volunt nutrices, *religione tutatur et Fascinus,* cujus insigne amuletum suspensum e collo gerebant. *Jubetque eosdem recipere* etiam Vossianus, Johannisque Andreæ et hanc secutæ editiones; sed quem sensum eorum fingunt Turnebus et Dalecampius, nulli, opinor, sano probaverint: et frequenter hæc duo verba confudisse librarios observavimus. Fascinus autem sub curru pendens jubere sive *recipere,* sive *respicere,* quemadmodum potest dici? At *similis* Fascino *medicina linguæ,* id est, servus publicus, alter invidiæ medicus, (qui portatur eodem curru, et identidem canit, 'Respice post te,') quum ibidem sit κώδων et μάστιξ, instrumenta carnificis, quomodo jubeat triumphantes *a tergo respicere carnificem,* facile mihi capere videor. Mirum autem, in quatuor codd. eandem lacunam continenti scriptura dissimulari. Sic enim omnes præter optimum: *qui Deus inter sagora eadem strigmenta a balneis et ideo miscent suppuratoriis, &c.* Media desint. Acad. inter *sacra eadem strigmenta.* Gronov.

Religione mutatur] Turnebus scriptum invenit in antiquis exemplaribus, *religione mu tuetur.* Ea syllaba veteres utebantur, ad invidiæ, mali, fascini depulsionem, itemque ad imperandum et ominandum silentium. Lucilius: 'Nec laudare hominem quemquam, nec mu facere unquam.' 'Mu facere,' mutire. *Dalec.*

Fascinus] Fascinum, pudendum virile, quod fascinum depelleret collo appensum puerorum. Varro: 'Pueris turpicula res quædam in collo suspenditur, ne quid obsit, bonæ scevæ causa.' Turneb. IX. 28. Appendebatur olim triumphantium currui Fascinus Deus, ut in auctores fascinum rejiceret, eosdemque fascinum et invidiam recipere juberet. Vide Rhodig. IV. 6. Vide quod annotatum est supra XI. 49. et VII. 2. *Idem.*

Jubetque eosdem respicere] Lege, *Jubetque invidiam recipere.* Appendebatur enim Fascinus Deus, ut in auctores fascinum rejiceret, eosdemque fascinum et invidiam recipere juberet. Vel, *Jubetque eos Deum se respicere;* nimirum humanam suam sortem

cogitare, ac conditionem, quæ triumphi gloria et honoribus elata, Deum tamen currui suo subjectum et pendulum habet: nisi quis malit ad triumphantium morem referre, quibus quidam a tergo stans identidem clamabat et inculcabat: 'Respice post te, hominem te esse memento.' Septimius Florens in Apolog. Rhodig. III. 7. Juvenal. Sat. x. 'magnæque coronæ Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla. Quippe tenet sudans hanc publicus, et, sibi consul Ne placeat, curru servus portatur eodem.' *Idem.*

Ut sit exorata a tergo, &c.] Leg. ex Vet. *Similis medicina linguæ, et, ut sit exorata fortuna gloriæ a tergo carnifex.* Nam in triumphantes convitia jactabant. 'Exoratam gloriæ fortunam' dicit, id est, propitiam. *Idem.*

Partus accelerat vicinos] Voss. *partus celerat hecmos.* An *hærentes?* Gronov.

Comitiali morbo lapsorum] Ex Chifl. notant, *malo cum lapsorum.* Voss. *conlapsorum.* Idem.

Botryon] Quod uvæ maturæ modo nigresceret. *Dalec.*

Aqua inde ter oculos tangant] Eadem commendatur ad ventris dolores xxx. 7. *Idem.*

Terram ex calvaria] Vel quæ intra calvariam reperitur, vel qua calvaria obducitur. *Idem.*

Inguinibus] Inguinum panis et bubonibus. *Idem.*

Atque ita inguina alligantes licio. Et clavum] Voss. *inguini adalligantes liceo.* Forte: *licium telæ detractum alligantes novenis septenisve nodis, ad singulos nominantes viduam aliquam, atque ita inguini adalligantes. Licio et clavum aliudve, quod quis calcaverit, alligatum ipsos jubent gerere, ne sit dolori vulnus.* Gronov.

Contractisque admoventur] In alterutrum latus reclinatis; sursum procurrentibus. *Dalec.*

Quas infantium alvo, &c.] Lege: *quas reddunt infantes alvo, ex utero editi, contra, &c.* μηκώνιον, *excrementum nigrum, et fœtidum,* quod pueri nati primum emittunt: vulgo, *Le syrop de l'enfant.* Idem.

Ulceribus senum puerorumque] Voss. *quoque rarumque.* An *puerperarumque?* Gronov.

Phthisi navigatio] Præsertim in mari. *Dalec.*

Longis morbis locorum mutatio] Γῆν μεταμείβειν, σύμφορον ἐπὶ τοῖσι μακροῖσι νοσήμασι. Hippocr. Aphor. VII. 5. 20. Epidem. *Idem.*

Rara vomitione] Nam frequens et continuata ventriculum offendit. *Idem.*

Somniari circa vernum] Plutarch. Sympos. VIII. 10. Somnia veteres e terra nasci crediderunt, mittique ab inferis et Manibus. Inde Euripidi, in Hecuba, Terra μελανοπτερύγων μῆτερ ὀνείρων. Inde Homero et Virgilio figmentum de duabus somniorum portis apud inferos. Turneb. XXVIII. 46. *Id.*

Solum] Loci, in quo degit, natura et conditio. Alii, *solium.* Idem.

Halitus] Putres, aut alioqui fumosos a cibis, dum coquuntur in ventriculo, exhalantes. *Idem.*

Mero ante somnos colluere ora propter halitus] Voss. *propter nolitus.* Acad. et Menapius reddiderunt, *propter anhelitus.* Non videtur tamen satis rationis, quare discedatur a vulgato, quod in And. est et Gudiano. *Gron.*

Impari numero] Semel, ter, quinquies, &c. *Dalec.*

CAP. V. *De observatione victus.*

Sicut totius corporis valetudini in varietate victus observata] Dalecampius, *valetudinem juvari ratione victus observata,* longe a mente Plinii digressus. Acad. *victus et observata.* Chiflet. tres Vossiani, Gudianusque, *inobservata.* Scribe, *sicut totius corporis valetudini varietatem victus inobservatum.* Intelligendum enim ex præcedenti capite (neque enim eam distinctionem agnoscit liber fidelissimus) 'saluberrimam esse certa experimenta sunt.'

Lex eadem quæ Celsi Cornelii: 'Sanus homo, qui et bene valet et suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neque medico neque iatralipta egere.' Vox, qualis Suetonii Augusto 76. 'Vescebaturque et aute cœnam, quocumque tempore et loco stomachus desiderasset. Ex hac inobservantia nonnunquam vel ante initum, vel post dimissum convivium solus cœnitabat, quum pleno convivio nihil tangeret.' Sed Suetonius loquitur de permissa sibi ab illo principe licentia tantummodo, quod ad tempus cibi sumendi, et ventrem ei fuisse solarium, ut parasitus apud Plautum, et de Persis Ammianus jocantur. Nimis enim laxe interpretantur indifferentem circa rationem victus animum, contrarium morositati certis legibus adstrictæ. Plinii mentem recte cepit et Hermolaus Barbarus. *Gronov.*

Hippocrates] Lib. II. rationis vict. in acutis. *Dalec.*

Exta celerius senescere] Dolore præcordia torqueri, veluti suspensis visceribus. *Idem.*

L. Lucullus hanc de se præfecturam servo dederat] In antiquo codice *A. Lucius* legitur, non *L. Lucullus*, et *mensæ* forte aptius legeretur, quam *de se*. Porro non dissimulabo, ut alias consuevi, videri mihi hæc verba, et quæ sequuntur usque in finem capitis, falso Plinio attribui: scripta forte in margine libri, et in contextum a librario per ignorantiam inserta; neque enim ad præsentem materiam faciunt. *Pintian.*

Ultimoque probro manus in cibis triumphali seni deducebatur] In eod. *Ultimoque probrum manus in cibis. Triumphali sede utebatur;* et mox paulo, *pudenda res*, non *pudenda re*. Idem.

Ultimoque probro manus in cibis triumphali seni deducebatur] Hoc a Gelenio, quum esset, *majus in cibis triumphalibus sedenti dicebatur*, aut *in cisiis triumphalibus*, quod ex Hermolao, ni fallor, admissum est. Pintiani liber: *ultimoque probrum manus in cibis: triumphali sede utebatur.* Sensum procul dubio deprehendit Gelenius. Sed Vossianus præcipit: *ultimoque probro manus cibis triumphali seni dejiciebatur.* Est ibi quidem etiam *probrum* et *deiciebatur;* verum hic Hermolaæ digitus ad ista. Idem Chifletiana membrana significat. Idem Voss. duo alii Acad. et Gud. qui: *ultimoque probro manus in cibis triumphalis enim deidicebatur. Pudenda re*, omnes: male Pintianus *res*, immemor illius de quo supra XXII. 7. 'magno solatio,' et moris Plinio frequentissimi. Pejus idem, *hanc mensæ*, pro *hanc de se*, quod tamen adeo placuit auctori, ut id maluerit, quam *in se:* et merito. Pessime omnem hunc locum falso suspicatur attribui Plinio, et cum forte in margine libri adscriptus esset, a librario per ignorantiam huc insertum, quippe qui ad præsentem materiam nihil faciat. Nescio quo pacto vir præstantissimus iniquior est narratiunculis et fabellis, quibus operis sui severitatem condivit Plinius, tam suavibus et delicatis, ut facile Siculas et Sybariticas mensas præ illis spernas. Hanc autem satis tuetur auctor ipse XXXV. 18. uno vocabulo, quum ait 'rectorem L. Luculli.' Sic enim et Voss. Acad. Gudianus, Menapius; nam Andegav. nos destituit cum fine fere lib. XXXII. *Gronov.*

Servo suo facilius parere] Medico fortassis; nam eo seculo inter servitia habebantur medici. Heronem Luculli servum domino gratissimum auctor memorat XXXVI. 18. Nominatur et Callisthenes inter Luculli servos, quem pharmaco herum suum dementasse, animoque alienasse, vulgus suspicabatur. *Dalec.*

CAP. VI. *De sternutamento, et Venere, et cæteris remediis.*

Sternutamenta, &c.] In tabula sic locus hic citatur, *sternutamenta capi-*

tis gravedinem levant.' Unde apparet hic pro voce *pinna* legendum *capitis.*' Alii legunt *capitis et narium*. Nam κόρυζα, quam Latini *gravedinem* vocant, fluxio est a capite in nares, ut βρόγχος in fauces, κατάῤῥοος in pulmonem. *Idem.*

Et si quis muris nares, &c.] Lege, *Et si quis muli nares, ut tradunt, &c.* Vide Reines. Var. Lect. III. 15. p. 585. et 586.

Ob hoc Varro suadet palmam] Ut singultus sedetur, vel sternutatio. De singultu intelligendum puto. *Id.*

Venerem damnavit Democritus] Huc pertinet quod ait Pythagoras, Venere tunc esse utendum, cum reipsa fieri vis infirmior, et quod Celsus ait, rarum concubitum corpus excitare, frequentem solvere. De raro concubitu νεάζουσι, καὶ ἀκμάζουσι, inquit Aristot. Ethicor. ad Nicomach. l. III. Homer. vero ult. Iliad. Τέκνον ἐμὸν, τέο μέχρις ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων Σὴν ἔδεαι κραδίην, μεμνημένος οὐδέ τι σίτου, Οὔτ' εὐνῆς; ἀγαθὸν δὲ γυναικί περ ἐν φιλότητι Μίσγεσθαι. Vide Galen. c. 16. artis parvæ. Plutarch. de Sanit. Tuend. *Idem.*

Homo alius exiliret ex homine] Fureret et insaniret libidine percitus, extra se esset. *Idem.*

Non venerationis caussa jussere] Contra sententiam auctoris, Rhod. III. 23. honoris causa id fieri contendit. At instituti veteris fuit, ut qui Diis sacrum faceret, excepto Hercule ac Saturno, caput is operiret. Virgilius: 'Et positis aris jam vota in littore solves, Purpureo velare comas adopertus amictu.' Plaut. in Amphyt. invocat Deos immortales, ut sibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto. Quamobrem Pindari Scholiastes haud vere scripsit: δίχα τινὸς ἐν τῇ κεφαλῇ καλύμματος· οὕτω γὰρ ἔθος ἦν εὔχεσθαι. Mos ille etiamnum Judæis servatur, caput inter orandum ephod suo tegentibus. Brod. v. 8. Alex. ab Alexand. II. 19. qui et ejusdem lib. c. 22. tradit, Opi et Honori capite retecto sacrum fieri solitum, Æneamque operiendi capitis morem invexisse dum sacris operaretur. *Idem.*

Quoniam firmiora, &c.] Ægyptiis, qui capite nudo vitam agunt, eam corporis partem firmissimam esse veteres prodiderunt, Herodotus præcipue; Persis vero, qui perpetuo mitra contegunt, tam invalidum, ut vel ictu levi offendatur. Hannibal, Divus Julius, Masinissa Numidarum rex, Hadrianus Severus, aperiendi longa consuetudine tantum firmitatis adepti sunt, ut, sive Sol esset, sive imber, sive frigidum tempestuosumque cœlum, etiam hieme sæva et nivosa, aperto capite prodirent iterque facerent, obdurato contra omnem aëris injuriam et inclementiam capite. Alex. ab Alexand. II. 19. *Idem.*

Si tussis concitet, salivam in fronte ab alio afflari] Vetus codex: *Si tussim concitet, saliva, frontem ab alio afflari.* Pintian.

Extremitates corporis vel aurium perstringi] Addit nostrum exemplar verbum *velleribus*: *Extremitates corporis vel aurium velleribus perstringi;* et paulo post *figere*, non *defigere*. Id.

In stomachi solutione, &c.] Cum os ventriculi, ut exolutum ab humoris acris morsu et affluxu, animi deliquium parit. *Dalec.*

Vulnera nodo Herculis præligare] Ἡρακλειωτικὸν ἅμμα, de quo Athenagoras in Apologia. Ἡράκλειον ἅμμα describit Oribasius. *Idem.*

Cinctus tali nodo vim] Sponsas olim cingulo ex ovis lana confecto, et Herculeo nodo vincto, obstringi mos fuit, quod maritus in genitali thoro congressurus solveret, fœcunditatis augurio, quod Hercules septuaginta liberos genuisset. Alex. ab Alexand. II. 5. *Idem.*

Quippe cum Hercules eum prodiderit] Hæc verba adulterina esse suspicor. *Pintian.*

Quippe cum Hercules eum prodiderit] Sic Hermolaus; sed, ut antea edebatur, Voss. *Herculaneum prodiderit*. An *Herculaneam*, ut *vim* intelligatur? *Prodiderit* est, fecerit, vel effecerit vi quadam magica. Pintianus hæc verba adulterina esse suspicatur; sed ille hujus suspicionis nimius. *Gronov.*

Spadonum quoque ad fœcunditatis beneficia] Mallem scribere *veneficia*. Pintianus. *Spadonum quoque*] Spadones in universum vocant infœcundos natura, qui coëunt, non gignunt: castratos, quibus execta est virilitas, quales fuere Galli Cybeles: τοὺς ἐκτομίας· τοὺς θλασίας καὶ θλιβίας, quibus attriti, collisive sunt testes, atque adeo, ut quidam censent, jam τοὺς ὑποσπαδιαίους. Præcisos Gallos fanaticos proprio nomine veteres appellarunt. *Dalec.*

Ad fœcunditatis beneficia] Si in uterum injiciatur, ut de meconio puellulorum traditum est paulo ante. *Id.*

Argumento fullonum] 'Fulloniam urinam' propterea Plinius alibi vocat. Plautus vero in Asinaria 'fullonicam:' 'Mirum,' inquit, 'nisi fullonicam bibere sit solitus.' *Idem.*

Quod fas sit dixisse] Melius nostrum exemplar, *quod pax sit dixisse*. Pintian.

Confestim perfuso canis morsu] Voss. *confestim per se canis morsu*. Vel, inquit, per se sine alio adjumento imposita vel in spongia lanisve *morsui*, si malis. Sic c. 7. 'Cinerem per se rosaceo mixtum.' Cap. 9. 'Et per se axungiam.' Sic sæpe alibi. *Gronov.*

Echinorumque spinis] Terrestrium, marinorum, castanearum. Ego 'terrestrium' intelligo. *Dalec.*

Morbum viscerum] Icterum. *Idem.*

Atque nubeculæ apparent] Aphoris. IV. 77. Pro *nubeculæ*, legendum censeo *squamulæ*, ut et Aphoris. IV. 81. nisi quis legendum malit, *furfures, atræque nubeculæ*. Idem.

Contra Solem Lunamque nudari] In Symbolis Pythagoricis, πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένον μὴ ὀμιχεῖν. Hesiodus ἐν ἔργοις· Μηδ' ἄντ' ἠελίοιο τετραμμένος ὀρθὸς ὀμιχεῖν· Αὐτὰρ ἐπεί κε δύῃ, μεμνημένος, ἔς τ' ἀνιόντα· Μήτ' ἐν ὁδῷ, μήτ' ἐκτὸς ὁδοῦ προβάδην οὐρήσῃς, Μηδ' ἀπογυμνωθείς· μακάρων τοι νύκτες ἔασιν. Ἑζόμενος δ' ὅγε θεῖος ἀνὴρ πεπνυμένα εἰδὼς, Ἢ ὅγε πρὸς τοῖχον πελάσας εὐερκέος αὐλῆς. *Idem.*

CAP. VII. *De remediis muliebribus.*

Cinere eo quidem] Invertendus verborum ordo, *cinere quidem eo*, ex antiquo codice. *Pintian.*

Formicationes corporum] Vel pruritus instar formicarum pungentium, vel τὰς μυρμηκίας. *Dalec.*

Rana] Rubeta, cujus saliva maxime venenata est. *Idem.*

Contra morsum ejusdem bibitur] Fallitur Plinius; non enim rubetæ mordent, sed pestilens virus ejaculantur. *Idem.*

Admisto oleo] Vet. *Opio*; et recte, inquit Chiffletius. Idem medicamentum tradit Archigenes apud Galen. κατὰ τόπους, lib. III. *Idem.*

Ad vitia] Lentigines, maculas a sole contractas, ruborem. *Idem.*

Et fascia mulieris alligato capite] Mirum, cum doloribus capitis maxime sint obnoxiæ mulieres. *Idem.*

Vis illa] Menstrua purgatio, et interim mulier concipiat, comitialem morbum insanabilem fieri, quem ideo lunaticum vocant. *Idem.*

Coitusque tum maribus, &c.] Aliquando viri ob eam causam elephantici fiunt. *Idem.*

Item novellas vites tactu in perpetuum lædi] Verbum *vites* desideratur in nostro codice, et *novella* ibidem legitur, non *novellas*. Pintian.

Multa diximus de hac violentia, &c.] Legend. *Multa diximus de hac violentia: sed præter illa certum est, apes tactis alveariis fugere, lina cum quibus coquantur, inquinantur, nigrescere*. Salmas.

Linaque cum coquantur nigrescere,

aciem in cultris tonsorum hebetescere] In Vet. cod. *Luna cum coquantur, nigrescere, aciem in cultris tonsorum hebetari;* quod et melius, ut infra hoc capite, 'Bythus Dyrrachinus hebetata aspectu specula,' &c. et paulo post *contactu*, non *contactum*. Pintian.

Aut in virginea ætate spontanea] Scribendum puto, *aut in virginitate sponte absumpta;* nam virginitatem per se annis resolvi, prope finem capitis patefiet: et paulo post *illitu*, non *illitus*, in vetusto exemplari. *Idem.*

Aut in virginea ætate spontanea] Pintianus scribendum putat, *aut in virginitate sponte absumpta.* Gud. Menap. Acad. carent τῷ *spontanea*. Vossianus, *virgine et atis sponte*. Quod sincerum puto: *si purgatio illa post virginitatem prima sit aut in virgine ætatis sponte.* Mutatum ab illis, qui nesciebant, quod esset τὸ *sponte;* quod interdum ponunt Latini pro eo, quod alias dicunt 'opera,' 'studio,' 'beneficio,' 'culpa,' 'facto.' Tacitus Annal. VI. 'nomine tantum et auctore opus, ut sponte Cæsaris, ut genus Arsacis, ripam apud Euphratis cerneretur.' Annal. XII. 'Transfertur regimen cohortium ad Burrhum Afranium, egregiæ militaris famæ, gnarum tamen, cujus sponte præficeretur.' Columella IX. 4. 'Et utraque cytisus; est enim sativa, et altera suæ spontis.' Plinius X. 54. 'Quædam autem et citra incubitum sponte naturæ gignunt, ut in Ægypti fimetis.' Subjecerunt nonnulli, 'sponte natum gignit;' quod longe infra illam est elegantiam. Cæterum hic me rursus destituit Andegav. cui desunt omnia ab istis verbis cap. 7. 'sistit odor gravior sit ut ple,' usque ad cap. 11. 'contractum ut confestim colluantur vino;' sic enim utrobique legit. *Gronov.*

Bythus Dyrrachinus, &c.] Alii, *Pythus*. Leg. *Bithus*. Salmas.

Cinerem per se rosaceo mixtum] Apographum nostrum, *Cinerem per rosaceo mixtum*, ut sit figura tmesis. *Pintian.*

Asperrimamque vim profluvii ejus esse primis annis virginitate resoluta] Legendum, *Asperrimamque vim profluvii ejus esse per se annis virginitate resoluta*, ex eod. notanda castigatione. *Idem.*

Tertianæ vel cotidianæ vel quartanæ febri, &c.] Scribo alio ordine, *Tertianæ vel quartanæ vel cotidianæ febri, &c.* ex eodem. *Idem.*

Quanta vanitate si falsum est, quantave noxa, si transferunt morbos ad innocentiores? Ex his omnium digitorum, &c.] Præpositio *ad* superfluit, ex eodem, et suppunctionis ratio corrupta est. Legatur igitur in universum sic: *Quanta vanitate si falsum est, quantave noxa si transferunt morbos. Innocentiores ex his omnium digitorum, &c.* Idem.

Si transferunt morbos ad innocentiores] Quis hoc decernet, ad magis an minus noxios transferantur? Præpositio *ad* non in Academ. non Gud. non Men. non Voss. conspicua est. Haud dubie, ut decet; scribendum enim: *quanta vanitate, si falsum est? quantave noxia, si transferunt morbos? Innocentiores ex his omnium digitorum resegmina unguium ad cavernas formicarum abjici jubent.* Ubi tamen Voss. *ibici*, et supra primam literam *O*, quasi velit *objici*. Et est in eo nescio quid salis; nam *objici ad cavernas* videtur dictum, ut apud Livium 'oppositi ad exitus claudendos.' Cicero Fam. VI. 4. 'Ad omnes casus subitorum periculorum magis objecti sumus.' Idem in Pisonem: 'Qui non notam öpponas ad malum versum, sed poëtam armis persequare.' *Innocentiores ex his*, puta magis. Et hoc fere Pintianus. *Gronov.*

CAP. VIII. *Medicinæ ex animalibus peregrinis, de elephanto, et leone, et camelo, et hyæna, et crocodilo, et chamæleonte, et scinco, et hippopotamo, et lyncibus.*

Resistere etiam insidiis videtur] Numero plurium legendum *videntur*, non *videtur*, ex antiquo codice. *Dalec.*

Hyænam] Adib Arabes vocant, Dabuth, et Jesef: lupi genus. Arist. Hist. VI. 32. *Idem.*

Qua alliciat ad se homines, &c.] Quoniam sermonem humanum inter pastorum stabula assimulat, et nomen alicujus addiscit, quem foras evocatum laceret. Vide supra VIII. 30. Sic et canes simulato vomitu prodeuntes corripit et vorat. Ælianus de Animal. VII. 22. *Idem.*

Cæteraque de monstrifica natura ejus] Hyænæ et Phocæ pellem fulmine non tangi veteres crediderunt. Rhod. XXIX. 6. Vide II. 55. *Idem.*

Præcipue pantheris terrori] Pardalin hyænæ inimicam esse scribit Ælianus Histor. Animal. VI. 22. *Idem.*

Glaucomata vero jocineris] Festive Plautus in Milite glaucoma errorem velut cæcutientis et caligantis oculi dixit: 'Et nos facetis fabricis, et doctis dolis Glaucoma ob oculos objiciemus, eumque ita Faciemus, ut quod viderit, non viderit.' Id est, tenebras offundemus. *Idem.*

Ordine humeros humerorum et lacertorum doloribus] In apographo nostro, *humeros ordine humerorum, lacertorum doloribus*. Ego vero, etsi duriore correctione, legendum contenderim, non *doloribus*, sed *lacertos*, ut omnia sibi mutuo respondeant; dentes doloribus dentium, humeros humerorum, lacertos lacertorum. *Pint.*

Hac compositione illita] Felle cum lapide Assio; vel cinere cordis cum cerebro subacto. *Dalec.*

Spinæ] Dorsi, aut lumborum; nam colli spina, sine articulis, osse continuo riget. VIII. 30. *Idem.*

Rostri] Maxillæ. Rostrum, quod avium est, de animalibus usurpatur. *Idem.*

Extremam fistulam, &c.] Postremam et ultimam partem intestini recti. *Idem.*

Duo enim genera eorum] Prior in aquis et terra æque degit, alter in terra tantum. *Idem.*

Arcent thure repleti] In antiquo codice, *Arcent ut repleri*; ex quibus verbis eliciat quisque veriorem sensum. *Pintian.*

Alter illi similis] Cordylum vocant. *Dalec.*

Jucundo nidore farcta] Impressa exemplaria non *farcta* habent, sed *refracta*: scribe *referta*, ex nostro apographo. *Pintian.*

Crocodileam vocant] Nempe ejus stercus. *Idem.*

Serpit in facie] Horat. 'nec illi Jam manet humida creta, colorque Stercore fucatus crocodili.' Antiphanes apud Clement. Alexand. Pædag. lib. III. *Κροκοδείλων ἀποπάτοις χρώμεναι, καὶ σηπεδόνων ἀφροῖς ἐγχριόμεναι, καὶ ταῖς ὀφρύσι τὴν ἀσβόλην ἀναματτόμεναι, καὶ ψιμμυθίῳ τὰς παρειὰς ἐντριβόμεναι.* Victorius XI. 4. Putrem spumam, quod Victorius non exposuit, hic vocat alcyonium, odorem gravem et putridum spirans, qualis est algæ ad smegmata fœminarum utile, et lentigines, lepras, nigritias, vitiligines, maculas omnes. *Dalec.*

Adulterant amylo, aut Cimolia] Adulterant sturnorum fimo, quos captos oryza pascunt, fimum id, quod simile est, vendentes. Alii amylum vel cimoliam miscent. Diosc. *Idem.*

Sed maxime qui captos oryza] Sentit enim Plinius, crocodileam ex captivis adulterinam esse: utpote longe deteriorem, nimirum mutato animalis victu. *Gelen.*

Sanguis utriusque claritatem visus inunctis donat, et cicatrices oculorum emendat] Duo illa verba *donat et* redundant, ex antiquo codice. *Pintian.*

Similis et magnitudine] In eodem, *similis ex magnitudine*: scribendum forte: *similis extra magnitudinem.* Idem. *Similis et magnitudine est*]

Lege: *Similis et magnitudine supra dicto crocodilo, spinæ tantum ut in pisce curvatura, et caudæ amplitudine distans.* Vide Salmas. p. 873. b. 874. a.

Eundem salutarem esse parturientibus, &c.] Sensus est: Chamæleontem salutarem esse, si multo ante parturitionem illatus sit; sin idem parturienti jam superveniat, perniciosissimum esse. *Gelen.*

Omnia ea dextro pede resolvi] *Somnia* magis arridet quam *omnia*. Pintian.

Amatoria dissolvi] Τὰ φίλτρα. Illis utebantur piatrices, sagæ, simulatrices, fictrices, veratrices Stygialibus, sive Cocytiis sacris, ad pelliciendos in amorem sui quos vellent. Virgilius: 'Sacra Jovi Stygio quæ rite incœpta paravi.' Horatius: 'Nec tu inultus riseris Cocytia.' Philtra recenset apud Apuleium Lælius Poëta: 'Philtra omnia undique eruunt: Antipathes illud quæritur: Trochili, iunges, tæniæ, Radiculæ, herbæ, surculi, Auriplices bitortilæ, Hinnientium dulcedines.' 'Antipathes' notum est. 'Trochili,' rotulæ, instrumenta magica, quibus sortes circumagebant, ut et rhombi. 'Iunges,' iynges, avis nota, de qua Theocritus in Pharmaceutria. 'Hinnientium dulcedines,' hippomanes. 'Auriplices bitortilæ,' laminæ in quibus insculpebatur ejus effigies, quem devovebant, et defigebant: 'ipsiplices' vocat Festus, vel, ut alii legunt, 'ipsullices.' Sculptarum imaginum loco interdum cereas statuas fingebant, et eas fasciis, tæniis, vittis religabant. Inde simulatrices et fictrices dictæ magæ. Dido apud Virgilium: 'Effigiemque toro locat haud ignara futuri.' 'Veratrices' præterea, quia se vera dicturas profitebantur. *Scaliger.*

Si ex corio chamæleontis herbæ succus bibatur] Ex Chiflet. affertur *chamæleontis succus herbæ.* Sed præterea Voss. *chamæleonis succus herbæ debente bibatur.* Academ. *herbe habente bibatur.* Menap. et Gud. *hebente.* Numquid *herbæ gentilis?* i. e. cognominis. *Gronov.*

Intestina et fimum eorum] Qui Chiflet. contulit, notavit ex *eo falsum*, et conjicit *fartum*. Quod ille conjicit, id ipsum est in Voss. manu prima, *Intestina et fartu meorum;* sed inducto eo altera manus supra scripsit *partem.* Gud. et Menap. *intestina et sartis meorum.* Acad. omissa dubia voce, *intestina et eorum.* Idem.

Cum id animal nullo cibo vivat] Errat cum vulgo Plinius; muscas enim, culices, et alia id genus animalia sectatur et vorat. *Dalec.*

Squamarum seta a cauda ad caput versa] Scribe *serie*, non *seta*, ex archetypo nostro. *Pintian.*

Est crocodilo cognatio quædam amnis ejusdem, geminique victus cum Hippopotamo repertore detrahendi sanguinis] Corrigendus, ut puto, ordo verborum, legendumque ad hunc modum: *Est crocodilo cognatio quædam gemini convictus cum hippopotamo amnis ejusdem, repertore trahendi sanguinis.* Idem.

CAP. IX. *Medicinæ communes ex feris animalibus, aut ejusdem generis placidis. Lactis usus et observationes, et de caseis, butyro et adipe.*

Adeps frigidas febres] Cum frigore invadentes; aut horrificas; aut in quibus agri vix vel nunquam incalescunt. *Dalec.*

Urina] Λυγκούριον vocant. *Idem.*

Itaque eam protinus terra, &c.] Id scilicet natura magistra facit, ne lotii odor prætereuntes, quibus insidiatur, abigat: qua ratione feles stercus pulvere contegunt. *Idem.*

Nunc revertemur ad nostrum orbem] Voss. *prævertens.* Lege *prævertemur*, i. e. potius nos vertemus. Sic cap. 11. hujus libri: 'Hinc deinde prævertemur ad genera morborum.' Et cap. ult. 'Hinc deinde prævertemur ad animalia sui generis,' id est, primum vertemur. XXX. 10. 'Nunc præ-

vertemur ad ea, quæ totis corporibus metuenda sunt.' Hæc tot locis consentiens præstantissimarum membranarum scriptura est. *Gronov.*

Qui colostrati appellantur] Fallitur Plinius. *Colostrati* dicuntur, qui præpropere statim a puerperio crassius lac matris, ideoque in ventriculo spissescens, suxerunt. Lac autem earum, quæ concipiunt, ob id noxium esse censetur, quoniam fœtui et infanti nutriendis sanguis, ex quo lac conficitur, non sufficit; tum etiam, quia quæ in utero supersunt excrementa a nutrimento fœtus in mammas recurrunt, natura quod purius est in alimentum fœtus retinente; tum quia gravidæ primis mensibus consuetos cibos fastidientes alienis utuntur, ex quibus vitiosus sanguis fit; tum quia sub horam conceptus magna fit humorum in corpore perturbatio et agitatio, quæ bonos cum pravis miscet. Vide XI. 41. *Dalec.*

Colostra] Blandiendo vocem eam Plautus usurpat in Pœnulo: 'Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus.' Martialis: 'De primo matrum lacte colostra damus.' Vide Arist. Hist. VI. 21. *Idem.*

Maxime autem alit quodcunque, &c.] Non quidem maxime alit, sed hominis naturæ convenientissimum et familiarissimum est. Ovillum, bubulum, caprinum multo plus alimenti præbent. *Idem.*

Magnorum animalium et corporum facilius redditur] Aptior lectio, ut sentio, *e corpore*, quam *et corpore*. Pintian.

Facilius redditur] Per alvum exit. *Dalec.*

Quoniam est pinguius] Et ob crassitiem ægrius coquitur. *Idem.*

Aquatius æstivo] Serosius, ideoque caseus ex eo minus pinguis. *Idem.*

Innocentius decoctum] Quoniam minus in nidorem corrumpit ventriculus. *Idem.*

Eruptiones pituitæ] *Pustulas* succo pituitoso tumentes, τὰ φυδράκια. Ruellius apud Diosc. de butyro vertit *pustulas albidas*. Idem.

Ad colum autem crudum] Intestini coli cruciatus, præsertim ex acri humore. *Idem.*

Item vulvæ, et contra serpentium ictus, phthisicis, cantharidum aut salamandræ aut buprestis aut pytiocampes venenis] Vetus exemplar: *Item vulvæ et propter serpentium ictus potiusve pytiocampes, buprestis, cantharidum, aut salamandræ venenis.* Pintian.

Et sulphur] Mirum quod sulphur inter venenata recenseat, cum citra noxam dari possit. Suspicor in Græco fuisse θρύον, id est, *solanum manicon*, Pliniumque legisse θεῖον, id est, *sulphur*. Dalec.

Quos atrophos vocant] Supra XXII. 25. *atrophos* illos vocat qui cibum non sentiunt. *Idem.*

Aut si in exitu cibi rosiones sentirent] Voss. *aut si exitus cibi rosiones sentirent.* Exquisitius. Mox, *si hoc non esse e caprino.* Lege, *si hoc non esset, caprini.* Gronov.

Lactis usus alias contrarius, &c.] Quia crassum sanguinem gignit, quamvis bonum. Hippocr. Aphoris. V. 65. *Dalec.*

Purgationis gratia] Si schiston detur. *Idem.*

Mulieri saluberrimum] Morbis supra recitatis vexatæ. *Idem.*

Mollis alvum sistit] Leg. *Vetus alvum sistit.* ὁ δὲ παλαιότερος κοιλίας σταλτικός. Diosc. *Idem.*

Qui divites a plebe discernat] Nam divites plurimum quotannis e suis armentis reponunt, quod vendant; plebeii parum, et quod in usum quotidianum tantum satis sit. Itaque locupletibus in censu et reditu est. *Idem.*

Expresso tantum crebro, &c.] Frequenti catilli lignei, qui baculi extremo affixus est, ictu diviso, sic ut hinc butyrum, illinc acidum lac secernatur. Nota ea est ratio in tota

Gallia. *Idem.*

Alias præligato] Vel panniculo, qui foramini advolutus manu sinistra continetur, obturato. *Idem.*

Ut acescat] Imo ut facilius dividatur. *Idem.*

Fluitat] Leg. *fluitat, id butyrum est, oleosum natura. Reliquum decoquunt in ollis: ibi quod supernatat, exemptum, addito sale, oxygala appellant. Butyrum quo minus virus resipit, &c.* Sic emendandus hic locus Plinii: alioqui hujus rei fuisse ignorantissimum fatendum est. *Idem.*

Virus resipit] Odorem insuavem, agitato lacti peculiarem. *Idem.*

Adstringere] Propter additum salem. *Idem.*

Postes eo attingere] Vide quod notatum cap. 2. sequentis libri. Ungendis postibus suillo adipe utebantur augurio felici, ut tam fœcundæ essent, quam scrophæ, quæ denos pariunt. Mox tamen hoc ipso capite ex Massurio palma in hunc usum lupino adipi datur. *Idem.*

Axungiam etiam Græci appellavere] Seculo Plinii, alioqui vox prorsus Latina est, ab axibus dicta, vel ipso auctore post paulo. *Idem.*

Quamobrem non de alia loquimur sue, multo efficaciore fœmina] Scribo partim ex conjectura: *Quam ob rem non de alia loquemur. E sue multo efficacior est fœmina;* ut paulo post, *E sue quæ non peperit, aptissime utuntur, &c.* Pintian. *Quamobrem, &c.*] Quam quæ ad pascua exit, et radicibus alitur, non autem de illa, quæ in hara domi conclusa saginatur. *Dalec.*

Vetus etiam phthisin in pilulis sumpta sanat] Vide an commodius legi possit, *Vetustam phthisin in pilulis, &c.* nam sequitur illico, *quæ sine sale inveterata est.* Pintian.

Et mulsi in vini cyathis, &c.] Duo illa verba, *in vini,* non leguntur in nostro apographo. *Idem.*

Quintoque die picem liquidam] *Quarto quoque die picem, &c.* in eodem. *Idem.*

Tantaque est vis, ut genibus etiam adalligata redeat in os sapor] Considerandum an non *genibus adalligata* legendum sit, sed *genis illita.* Idem. *Tantaque est vis, &c.*] Hinc putant quidam unguenta ad morbum Gallicum solennia, ex axungia parata, magnam salivæ copiam per os educere. *Dalec.*

Salsamentariæ testæ] Salsamentariæ testæ farinam vocat salsuginis pulverem, qui testæ et fundo, et lateribus inhærescens decutitur, vel testæ minutim tritæ pulvisculum. *Idem.*

Peculiare emplastrum LXXXV. pondo] Ms. *Facit et peculiare emplastrum LXXV. X. ponderi centum spumæ argenteæ mixtis,* id est, septuaginta quinque denarium ponderi centum denariis. *Gronov.*

Ferrugine] Nigra sorde, quæ axis ferrei contactu eum colorem contraxit. *Dalec.*

Decoquebantque fictili novo sæpius, tum demum asservantes] Scribe, *Decoquebantque fictili novo semiustum demum asservantes,* ex antiquo codice. *Pintian.*

Massurius palmam lupino adipi, &c.] Scribendum unico tantum *s*, *Masurius;* primam enim habet brevem: ut in illo Persii: 'Exceptos si quid Masuri rubrica vocavit:' astipulante etiam nostro archetypo; recentiores etiam et impressi codices sic habent. *Idem.*

Excalfaciunt] Hoc falsum, nisi ex calidissimis animalibus fuerint. Sunt enim natura temperatæ. *Dalec.*

Taurinus quidem recens, &c.] Ejus potu Midas et Themistocles mortem sibi consciverunt. Aristophanes in Equitibus: Βέλτιστον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν· Ὁ Θεμιστοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος. Vide Rhod. XIV. 12. et supra XI. 30. *Idem.*

Plurimumque contra serpentes] Scribendum reor *primum,* non *plurimum.*

Pintian.

Ut si quæ sunt, extractas cavernis mandentes] Scribo, *Utique spiritu extractas cavernis mandentes:* seqnitur enim continuo: *Nec vero ipsi spirantesque tantum, &c.* causa erroris librario fuit dictio illa *spiritu*, compendio scripta: pro *spu* enim accepit *sunt*. Idem.

Nec vero ipsi spirantesque tantum adversantur] *Nec vero ipsis spirantes tantum adversantur*, in nostro exemplari. *Idem.*

Et si omnino tractatum sit] *Tactum* legerem potius quam *tractatum ;* nam in vetere codice *tractum* habetur. *Idem.*

Centipelliones vocantur] Nos vulgo vocamus, *le Myrefeuillet.* Echinum Aristoteles vocat: *ἤνυστρον, omasum, le Mullachon: κεκρύφαλον, reticulum, la Corffe:* et *μεγάλην κοιλίαν, la Double.* Dalec.

Ophion vocatur] Impositum nomen id fuit, quia serpentibus adversetur, et infestum sit. Musmonem esse puto descriptum supra VIII. 49. Fit et ejus mentio sub finem XXX. 15. Vel obliviosus, vel parum attentus hic Plinius fuit. *Idem.*

CAP. X. *Medicinæ de apro, et capris, et equis feris, et remedia ex bestiis contra omnes morbos.*

Exemptis duntaxat fibris] *Et fellis duntaxat fibra*, in vetusto exemplari. *Pintian.*

Verrinum jecur exemptis duntaxat fibris quatuor obolorum pondere] Voss. *verrinum jocus et fellis dumtaxat fibra* (consentit hactenus Chifiet.) *XIIII. pondere*, hoc est, denariorum quatuor. Gud. et Menap. *Verrinum et jecore fellis dumtaxat libræ pondere ;* ut et Academ. nisi quod *ciccore* pro *jecore.* Gronov.

Cineremque eorum potum vel illitum] Voss. *cinereque et cornu.* Scribe, *cineremque e cornu potum vel illitum ;* ut Gud. Academicus, Menapius. *Idem.*

Cum febri negetur carere] Obnoxias quidem esse morbo comitiali Plutarchus scribit in Quæst. Romanis, III. *Dalec.*

Quin etiam si quis asino] Ab homine ad asinum. *Idem.*

Laudant hirci jecur: quo imposito ne tentari quidem aquæ metu affirmant] Brevior scripta lectio, *Hirci jecore ne tentari quidem, &c.* reliqua redundant. *Pintian.*

Ex vino illitum aut melle] Duo postrema verba delenda, ex eodem. *Id.*

Solida existimatur] Sola, absque carne subjecta. *Dalec.*

Pharicon] Pharicon quibusdam ab insula Pharo; aliis ab Arcadicis Pharis; aliis a Phæris Thessaliæ; aliis a Pharide Lacedæmoniæ; interpreti Nicandri ab inventore Pharico, Cretensi, venefico. Dioscorides inter simplicia venena recenset, cum taxo, dorycnio, solano, manico, &c. Hesychius et Scribonius Largus compositum esse volunt. Evanescit mortifera vis illius auctore Phylarcho, vel odore solo mali cydonii; quod cum accidat et veneno parari solito ab Hispanis, ex albo veratro, tingendis in venatu sagittis, Guillandinus Hispanicum id venenum Pharicum esse suspicatur. *Idem.*

Lactis coagulatione] Supra XX. 14. 'Menta coire densarique lac non patitur; quare lactis potionibus additur, ne hujus coagulati potu strangulentur.' Primam lactis coagulationem *colostrationem* vocat, cujus supra meminit XI. 41. et proximo superiori hujus. *Idem.*

Usus dicemus] Usum carnis asininæ in tabidis Plinius tacet, quam, sanato Bathylide Cretensi, veluti per jocum, apud Ælianum Animal. XI. 35. Serapis Deus *ὀνηφόρον θεραπείαν καὶ ἴασιν* vocat. *Idem.*

De equiferis non scripserunt Græci] Vide Ælianum de Animal. VIII. 15. XVI. 9. Arist. Probl. X. 44. Idem *ἱππελάφους* memoravit Hist. II. 1. urosque ac bisontes boum silvestrium

nomine. *Idem.*

Omni quoque jure poto, &c.] In vetusto exemplari, *Omnia si quoquiquitur jure;* quæ lectio castigatores impulit sic emendarent, uti dixi; cum tamen impressi codices habeant, *Omnia sesami quoque jure poto, &c.* quam lectionem non omnino spernendam censeo, cum Dioscorides libro secundo sesamum contra venenatorum animalium morsus pollere tradat. *Pintian.*

Viscum] Ἰξίαν. Viscosus is humor est, qui ex radice et fructu chamæleontis albi, cum præciduntur, manat. Cætera, chamæleontis albi planta innoxia est, quod intellexisse Plinius non videtur. *Dalec.*

Ex mustela rustica factis] Nam ejus fel contra aspidas efficax, cætero venenum est, infra XXIX. 4. *Idem.*

CAP. XI. *De remediis ad morborum multa genera ex animalibus.*

Sic ut paululum capilli inarescant] *Sic uti paulum capiti inarescant,* in vetusto codice, ut infra hoc ipso capite: 'Ad palpebras vero evulso prius pilo cum succo oleris, ita ut unctio inarescat.' *Pintian.*

Plumboque tritus cum oleo] Nam plumbum contactu colorem nigrum inducit. *Dalec.*

Fastidii gratia] Ne fastidium moveat urinæ gravis odor. *Idem.*

Sed præcipue fel et fimum cum sinapis] *Sed præcipue fel lupinum cum sinapis, &c.* in vetusto codice. *Pintian.*

Cervini cornus cinere scabritias eorum inungunt] Vossianus, *scabricias eadem.* Lege, *scabricias eorundem inungunt.* Acad. Gud. Men. *eodem unguine sanat: mucrones etiam ipsos.* Gronov.

Suffusiones prodest] Palpebras in suffusione. *Dalec.*

Duritiæ genarum illinuntur] Duri ac scirrhosi tumores, grandines Pauli, calculi Aëtii. *Idem.*

Utrunque vero sero calido fovendum] Epiphora cum tumore palpebrarum et oculorum, et sine tumore. *Idem.*

Sicca lippitudo] Ξηροφθαλμία Græcorum, 'arida lippitudo' Celso, in qua non fluunt oculi, sed tument, rubent, cum dolore et prurigine gravescunt, palpebris nocturna pituita cohærentibus. *Idem.*

Lumbulis suum tostis atque, &c.] Musculis lumborum interioribus, quos ψόας vocant: tostis potius, quam retorridis. *Idem.*

Si rutili coloris fuerint] *Ut rutili coloris fuerint,* in antiquo codice, et paulo post, *Rupta in ea parte;* legé contrario ordine, *In ea parte rupta.* Pintian.

Ad palpebras vero evulso prius pilo] Pilo pungente. *Dalec.*

Sedat caliginem fel cum passo] Ex Chiflet. præbent *caligines.* Sed præterea Vossianus: *item pulmonem leporis. Et ad caligines fel cum passo aut melle;* idque multo commodius orationi, cum præcesserit: *Ad omnia inveterata.* Gronov.

Quidam etiam in gravitate aures sic perluendas putant] *Ingravatas,* non *in gravitate,* in eodem. *Pintian.*

Virus verrinum] Quod verres in coitu effundit. *Dalec.*

Aliis vitiis] Aurium, ut gravitati. *Idem.*

Dentes mobiles confirmat] Affectum eum, eodem citato remedio Galen. κατὰ τόπους, lib. V. γομφίασιν vocat, ut et Dioscor. II. 63. *Idem.*

Acui os simile] Acutum et mucronatum processum intelligit, quem anatomes periti, ob eandem cum acu similitudinem, βελονοειδῆ ἀπόφυσιν vocant. Situm est id os in latere capitis ad maxillæ radicem. *Idem.*

In fauces jumentorum] Cornu indito, ut fit a veterinariis. *Idem.*

Verminationes notum est] Vermina Festo: dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi a vermibus scindantur: tormina, στρόφους. *Idem.*

Hippomanes] Aspera tuberosaque verruca: vulgo *des Souvrots.* Idem.

Sed in equorum genibus] Hippomanes tria significat: primum quidem herbam in Arcadia nascentem; de qua Theocritus ἱππομανὲς φυτόν ἐστι παρ' Ἀρκάσι: alterum, carunculam nigram, magnitudine caricæ, fronti pulli recens nati adhærescentem, veneficium amoris, quam statim devorat fœta, aut ad ubera partum non admittit. VIII. 42. tertium, virus genituræ simile maris, sed liquidius, quod ex equæ pudendo ad Venerem concitatæ fluit, veneficiis expetitum, et Hippomanes pariter vocatum infra cap. 19. hujus libri. Vide Victorium VII. 6. Ælianum XIV. 18. de Anim. quo loco etiam πώλιον vocatum fuisse scribit. *Idem.*

Os] Cordis id ligamentum est, cartilaginosum, in vastis animalibus, ut equo, bove, cervo, tam durum et crassum, ut in ossis naturam exemptum facile solidescat. Venatores vocant, *la Croix du cœur*. Idem.

Dentibus caninis maxime simile] Voss. Gud. And. Menap. *dentibus caninis maximis simile*. Hoc lib. cap. 19. 'Dentes quidem eorum maximi equis alligati.' XXX. 4. 'Caninus dens sinister maximus.' Acad. quoque *maximis*. Gronov.

Maxillis ad numerum ejus qui doleat] Scribendum reor *admovere*, non *ad numerum*. Pintian.

Affusum æris misturæ] Intra æream statuam reconditum fuisse tradit Ælianus de Animal. XIV. 18. At equum fuisse, opus Dionysii Argivi, non equam, scribit Pausanias lib. V. *Dalec.*

CAP. XII. *Ad faciei vitia, cervicis et pectoris morbos.*

Æstates et quæ decolorem faciunt cutem] *Testas æque faciunt cutem*, in apographo nostro. *Pintian.*

Liquatum aceto cum sulfure vivo] *Liquatum ex aceto cum sulfure vivo* in eodem. *Idem.*

Etiamnum lepras ac furfures tauri, vel addito nitro] Scribe, *etiamnum lepras ac furfures tauri fel addito nitro*, tum ex nostro apographo, tum etiam ex Diosc. lib. II. de tauri felle agente: 'cum nitro,' inquit, 'cretave Cimolia lepras furfuresque efficacissime exterit.' *Idem.*

Similis effectus in taurino sevo vitulinove felle] Verbum *sevo* redundat, ex eodem. *Idem.*

Tonsillæ et arteriæ exhulceratæ levantur] In eodem non *levantur*, sed *jubentur* legitur: scribo *juvantur*. Id.

Prodest jus omasi gargarizatu] *Prodest jus magis gargarizatum* in eodem. *Idem.*

Aut reddi aut delabi tradunt] Nam fœtore tantum impetum vomendi concitat, ut vehemens is conatus affixas spinas revellat. *Dalec.*

Prodest et sapo] Nostro seculo sapo Gallicus, sive spissus, fit ex lixivii acris et duri, quod capitellum vocant; partibus duabus, et una sevi vervecis; mollis vero ex duabus partibus lixivii supra memorati, et una olei; lixivium autem ex duabus partibus cineris culmorum fabæ et una calcis. *Idem.*

Opisthotonon vocant] Supinum et prosterganeum raptum vocat Aurelianus III. 6. acutorum. *Idem.*

Subulo cervorum generis] Subulones cervi, quorum cornua in ramos non explicantur, sed acuminata, oblonga, simplicia crescunt, et attolluntur. Vide infra cap. 17. hujus libri, et supra XI. 37. *Idem.*

Purulentas autem exhulcerationes] Purulentos abscessus post pleuritidem, et peripneumoniam. *Idem.*

CAP. XIII. *Ad stomachi et lumborum dolores, et renum vitia.*

Jocineris dolores] Ex obstructione natos. *Idem.*

Equiferorum sanguinis] Equorum silvestrium. Horum mentio fit VIII. 15. *Idem.*

Nasturtii albi] Hortensis. Silvestre nigricat. *Idem.*

Laxat meatus spirandi] Impeditos et infarctos pituita crassa, facilem-

que anhelitum præbet. *Idem.*

Afferunt et Magi sua commenta] Hæ duæ clausulæ reponendæ et legendæ sunt ante initium illius, *suspiriosis ante omnia, &c.* nam eo loco proxime fecit hircini sanguinis mentionem. *Idem.*

Huic admiscent fimum caprinum] Aut ursino adipi, aut vino, aut cineri fimi aprini, suillive. Ego potius adipem intelligo, quo perunctum fimum, cum igni admovetur, facilius ardet; aut cum Dioscoride lego, *oleo admiscent.* Is II. 98. id remedium paulo aliter explicat, de ischiade, his verbis: 'Utilem ischiadici ustionem hunc in modum accipiunt. Eo interstitio ubi brachiali pollex committitur, cava veluti lacuna subsidet, in qua lana oleo imbuta substernitur; deinde sigillatim ferventes caprini stercoris pilulæ imponuntur, dum vapor per brachium ad coxam sentiatur pervenire, et coxendicis dolorem mitigare. Adustio id genus Arabica vocatur.' *Idem.*

Manum porro tuso illinunt] Idem præcipit Antylus apud Aëtium, cum pollicem pedis stercore capræ sic accenso in ischiade ussit. *Idem.*

Vel cervini cornus cinis in aceto] Vetustus codex, *Vel unicornii cinis in aceto.* Posset legi *unicornis;* nam de unicorne bove in octavo disseruit cap. 21. et paulo post in eodem, *Cælius Bion,* non *Cæcilius.* Pintian.

Asinini pulli fimum, quod primum edidit (poleam Syri vocant) datur in aceto mulso] Contra lienis dolores. Syriaca lingua sic dici falsum; πωλέαν enim vel πωλίαν Græci id vocavissent, haud Syri. *Poleam* etiam nominat capitib. seqq. Sed Arist. Hist. Anim. VIII. 29. πώλιον appellari id quod egerunt equæ antequam pariant, scripsit: reddunt *pullium.* Vide et Salmas. pag. 939. *Reines.* Var. Lect. II. 7. 173.

Item hædorum lien impositus] Verbum *lien* non agnoscit nostrum exemplar. *Pintian.*

CAP. XIV. *Ad alvum sistendam, cœliacos, dysentericos, inflationes alvi, rupta, tenesmon, et tineas, et colum.*

Assum suillum vel hircinum decoctum in vini hemina] Voss. ut et Chiflet. *decoctum ad quintam heminam in vino.* Lege, *decoctum ad quintam heminæ in vino.* Quatuor alii, *decoctum eminam in vino.* Gronov.

Cum cyclamini succo et aluminis modico] Voss. et Pintiani, *et aluminis momento:* pulcherrime; nam pondusculum est certum. XXX. 7. 'Ut cinis earum bibatur in vino, addito resinæ momento.' Eodem lib. cap. 11. 'Sordes aurium aut mammarum pecudis denarii pondere cum myrrhæ momento.' Cap. 15. 'Somnos allicit œsypum cum myrrhæ momento in vini cyathis duobus.' *Idem.*

Pastillo] Glandis loco quidam pastillum globulumve formant, et involutum linteolo ano indunt; quod auctor hic indicat. *Dalec.*

Cœliacis] Ob flavæ bilis acrimoniam eo malo vexatis. *Idem.*

Hippacen vocant] Auctori Hippace nunc herba, nunc coagulum, nunc caseus, magna levitate, et in constantia. *Idem.*

Cumino mistum] Cum flatus adsunt. *Idem.*

Cucurbitæ carnes] Si exurens et mordax bilis descendit. *Idem.*

Immittitur] Clystere.

Cum resinæ therebinthinæ sextante] Si ulcus tergendum est. *Idem.*

In cyathis vini tribus] Nostrum apographum, *In vini cibarii cyathis tribus.* Pintian.

Et sevo hirci in pane qui cinere coctus sit] Dictio *hirci* non est in eod. *Idem.*

Protinusque modice frigidam sorberi jubent] Acad. *protinusque hujusmodi frigidum.* Tres alii, *protinusque modi frigidum.* Antiquissimus et Chiflet. *protinus lique.* Unde conjiciunt, *protinus aliqui.* Sed Vossianus etiam *fri-*

gida. Scribe igitur: *ut per se hauriatur protinus, inque medice frigida sorberi jubent.* Sic mox, *uti protinus hauriatur frigida aqua.* Gronov.

Et sanguine ejusdem, &c.] Aqua calida elixo, deinde in sartagine frixo. Allobrogibus *Sanchet.* Dalec.

CAP. XV. *Ad vesicæ cruciatus et calculos: de genitalium et sedis vitiis: et inguinum remediis.*

Ipsi apro tam gravis sua ruina est, ut nisi egesta fugæ non sufficiat] In vetusto exemplari superfluit verbum *sua:* et *effugere* legitur, non *fugæ.* Pintian.

Caro quoque] Bovis, ex vino cocta et imposita. *Dalec.*

Vel caprinum cum melle rubique succo] *Fel* in apographo nostro, non *vel.* Pintian.

Fimum etiam prodesse cum melle dicunt] Vox ultima non est in optimo; et suspicor inculcatam ab aliquo qui parum meminisset passim Plinio *fimum* dici neutro genere, cum et ex *prode* cum superposita virgula liceret ei facere tam *prodesse* quam *prodest.* Sed Plinii fuerat, *fimum etiam prodest cum melle aut cum aceto.* Sic cap. 17. 'Melancholicis fimum vituli in vino decoctum remedio est.' *Gronov.*

Testium tumor cum sevo vituli addito nitro cohibetur] Voss. expungit τὸ *cum;* et eo non ægre caret oratio. In quatuor aliis deest vox *tumor*, latens scilicet in præpositione. *Idem.*

Prodest et butyrum] Ad tumores, mariscas, et condylomata. *Dalec.*

Modum ipsæ res statuunt] Crassitudinem, et, ut vulgo aiunt, consistentiam. *Idem.*

Impetus discutit] Humorum collectiones, a quibus pani fiunt. *Idem.*

Fel ursinum sive verrinum] *Fel verrinum* in vetere codice: cætera redundant. *Pintian.*

Femina atteri] Intertriginem vitium appellant, τὸ τρίμμα. *Dalec.*

Inguina et ex hulcerum] Inguina bubone occupantur ex hulcerum causa, quæ in pudendis, pedum digitis, malleolis fiunt. *Idem.*

CAP. XVI. *Ad podagras, ad morbum comitialem, ad sideratos, morbumque regium, ossaque fracta, remedia.*

Cerati modo incoctum] Donec ad cerati crassitudinem oleum reducatur. *Idem.*

Fimi caprini cinerem cum axungia. Quin et Ischiadicos, &c.] In archetypo nostro: *fimi caprini cinerem cum axungia equina. Ischiadicos, &c.* Pintian.

Adalligatos] Quidam ratione fortassis eadem, somno conciliando, ægrorum pileo adnectunt. *Dalec.*

Pulmo impositus] Pulmo suis recens evulsus, et adhuc calens. *Idem.*

Si subtriti sint contusive] Si perniones ex attritu aut contusione geniti sint. *Idem.*

Urina asini cum luto suo illita] Quod meiendo rigaverit et perfuderit. *Idem.*

Suppurationes minantia] In abscessum vergentia. *Idem.*

Asini cerebrum ex aqua mulsa, infumatum prius in foliis] Hermolaus, *in soliis.* Pintiani liber, *in sulti semuncia.* Vossianus, *prius in fulti semuncia.* Fortasse: *infumatum prius, in pulte, semuncia per dies.* Sic cap. sequenti: 'Capræ sevo in pulte alicacea et phthisin et tussim sanari.' *Gronov.*

Lymphaticis medentur] Per intervalla furentibus, et insanientibus. *Dalec.*

Syderatis] Iis qui ex paraplexia dimidium corpus resolutum habent. *Idem.*

Sanguis asinini pulli] *Sanguis asini* in vetere codice: cetera redundant. *Pintian.*

Quod primum edidit a partu] Πωλεῖον Aristot. vocat: πωλεῖαν alii, ἀπὸ τοῦ πώλου, *poleam.* Stercoris in variis animalibus diversa nomina vide apud Rhodig. lib. x. cap. ult. *Dalec.*

Cum melle diligenter sero expresso] Verbum *sero* non agnoscitur ab eodem. *Pintian.*

Cap. XVII. *Ad melancholicos, lethargicos, hydropicos, ad ignem sacrum, et ad dolores nervorum remedia.*

Fimi cervini, maxime subulonis, sed et bubuli, de armentinis loquor] In archetypo nostro, *fimi taurini maxime, sed et bubuli, de armentinis loquor;* et paulo post, *fimi vetulini*, non *fimi vituli*. Pintian.

Fimi taurini maxime, sed et bubuli, de armentivis loquor] Sic Vossianus, perinde ut Pintiani codex. nam *armentivis* tres quoque alii. Men. *armentis*. Gronov.

De armentinis loquor] Quæ in armento viridibus pascuis aluntur. *Dalec.*

Sanguis caprinus] In cibo sumptus. *Idem.*

Oleo remoto] Quo lavantium et balneum adeuntium corpus ungebatur. *Idem.*

Bubula caro imposita tumorem sanat] In vetere exemplari, *Bubula caro imposita ad tumores;* verbum autem *sanat* non legitur in eodem. *Pintian.*

In his quæ rumpere opus est] In abscessibus, quæ recludere et aperiri est opus. *Dalec.*

Glutinum præstantissimum, &c.] Glutinum id ξυλοκόλλα ab affectu dicitur, ταυροκόλλα a materia, quoniam fit e tauri corio. *Idem.*

Prodest ambustis] Aqua calida dilutum et illitum. Diosc. Nam lentore suo inhærescens mediocri calore coquit et sedat inflammationem. Arist. Problem. IX. 1. *Idem.*

Lignosum damnatur] Ligni modo durum et fragile. Apud Dioscorid. hoc non legitur. *Idem.*

Spasmata] Vulsas musculorum et vasorum nervorumque fibras. *Idem.*

Sanguine contuso] Factis contusionibus. Non quidem sanguis contunditur, sed in contusionibus sub cutem effunditur: ἀκυρολογία. *Idem.*

Cum sic quoque, &c.] Manuscriptum exemplar habet *strigaria*, quod quidam exponunt circi partem, in qua ordo et series equorum ad cursum expeditorum collocatur et disponitur, et procurrendi tempus et signum expectans. Significatum vocis *striga* explicat Scaliger Append. Virg. *Idem.*

Cum sic quoque, &c.] In fine legend. *Cum sic quoque strigario approbari vellet;* ubi *strigarium* est τὸ γυμνάσιον equorum *currilium*. Salmas. p. 56.

Cap. XVIII. *Ad sanguinem sistendum, et contra hulcera et carcinomata, ad scabiem remedia: et quæ infixa corpori extrahunt, et quæ cicatricibus prosunt.*

Felle taurino cum cyprino oleo aut fimo caprino aut hircino] *Felle taurino cum cyprino aut irino*, in vetusto codice: cætera superfluunt. *Pintian.*

Carnes septica vi] Supra modum excrescentes, τὰς ὑπερσαρκώσεις. *Dal.*

Boas fimum bubulum] Rubra exanthemata, subsequentesque papulas: vulgo, *la Rougeole.* Idem.

Cap. XIX. *Ad muliebria mala medicinæ, et ad infantium morbos, et Veneris remedia.*

Hyssopum et nitrum] V. C. *Œsypum.* Diosc. de œsypo, ἔμβρυα καὶ ἔμμηνα ἐν ἐρίῳ προστιθέμενος ἄγει. *Idem.*

Inveniuntur et ossicula, &c.] Nempe dura et ossea cartilago, qualis et cor suspensum continet, ideoque cordis os vocatur. *Idem.*

Diximus in natura boum] De hac re agitur VIII. 45. Ibi tamen pumicis hujus fit mentio. *Idem.*

Noxias valeat] Veneficia quæ partus morantur. *Idem.*

Secundas coagulum] Tardantes. *Id.*

Illitum] Jecur leporis. *Idem.*

Torqueantur] Inflationibus ac torminibus. *Idem.*

Vulvas] Distortas. *Idem.*

Nec aliter adhibentur] Nisi fœtus mortuus sit, aut instantem partu. *Id.*

Vitulinum quoque fel, si in purgationibus fuerit sub coitu aspersum vulvæ] Vetus codex, *Vitulinum quoque fel in purgationibus sub coitu, &c.* reliqua superfluunt. *Pintian.*

Palma marina pilos detrahit] *Pila*, θαλαττία σφαῖρα, cujus meminit Galen. κατὰ τόπους, lib. I. sub fin. *Dalec.*

Vulvas] Procidentes, ut et aliis fœdis odoribus. *Idem.*

Dicit Osthanes] Is fuit vir Persa, professione magus. *Gelen.* *Dicit Osthanes*] Scribe sine aspiratione, *Ostanes*, ex omnibus. *Pintian.*

Somnos fieri lepore] Quidam superstitiose conciliando somno leporis pedes nocturno pileolo alligant: λαγὼ ἀπὸ τοῦ λάειν quidam dictum volunt; iidem et ἔρωτα ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν, indeque fieri ut leporis caro cibus sit ἐρωτικός. de quo Martialis epigramma in Lesbiam, et alterum in Alexandrum Severum poëtæ ἀνωνύμου. Rhodig. XXVI. 30. Vide quæ notata sunt supra VIII. 55. *Dalec.*

In vino potus pro portione, vel adalligatus brachiali] In apographo nostro: *in vino potus, pertionive adalligatus brachiali:* forte non *pertionive*, sed *pertinentive;* ut paulo post: 'eoque perungi pertinentes partes.' *Pint.*

Salpe genitale in oleum fervens] Adde pronomen *id: Salpe genitale id in oleum fervens*, ex eodem. *Idem.*

Bialcon cinerem ex eodem bibi] Non *Bialcon* in eod. sed *Diacon* scriptum est; lego *Dialcon* ex ipso Indice tam scripto quam impresso. *Idem.*

CAP. XX. *Mira de animalibus.*

Simile esse] Facultate, quæ singultui medetur. *Dalec.*

Rumpi equos] Diffisso abdomine. Æliano de Animal. I. 36. si casu equus lupi vestigium calcaverit, torpore corripitur. Quadrigæ incitatæ si quis lupi talum subjiciat, ab equis eo calcato, immobilis currus subsistit. *Idem.*

Allium silvestre] Ulpicum. Cato. *Id.*

Ovum coctum] Ovum unum, gallinaceum, crudum, quod integrum devoret. Cato cap. 71. *Idem.*

Cornua pice liquida perunguntur] Idem Cato cap. 72. *Idem.*